14
24 G
115

14 – 1. i 4.

~~VIII E 18~~

IN POLITICA,
HOC EST
IN CIVILES LIBROS
ARISTOTELIS
ANTONII MONTECATINI
FERRARIENSIS
PROGYMNASMATA.

AD ILLVSTRISS. HIERONYMVM RVSTICVCCIVM
S. R. E. CARDINALEM.

Cum Indice locupletiſsimo.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Pertinet ad Bibliotecam S. Fran. Transtyberim

FERRARIÆ, CIƆ IƆ XXCVII,
Excudebat Victorius Baldinus,
Typographus Ducalis.

ex Lib. Ces. Card. Rasponi

ILLVSTRISS.^MO ET AMPLISS.^MO S. R. E. CARDINALI HIERONYMO RVSTICVCCIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Antonius Montecatinus Ferrarienſis. F.

ANTEQVAM ad conſpectum tuum venirem, ORNATISS. CARDINALIS, perſpectiſsima mihi fuerat prudentia tua; ſed prudentia tantùm, cuius fulgentiſſimos radios in publica Regni Chriſtiani adminiſtratione, præſertim ſub ſanctiſs. Pontifice PIO V. omnes ſummo cum gaudio, & fœlicitate conſpexeramus. Humanitatem verò, affabilitatem, dexteritatem ingenij tui tunc planè noui, quom à Sereniſsimo Domino meo, & Duce, ALFONSO II. ad GREGORIVM XIII. lætiſsimæ recordationis Pontificem miſſus, TE coràm alloquendi, & negotia, ob quæ iſtuc veneram, TECVM communicandi, pro eximia tua erga Principes Ateſtinos beneuolentia, occaſionem habui. Ab eo tempore tuis iſtis virtutibus ſummè deuinctus, earum & amator, & admirator, teſtisq; locupletiſsimus ſemper fui, eroq; donec vitali hac aura fruar. Sed vox non ſufficit deſyderio, ſtudioq; in TE meo. poſteris quoque, & à me remotis hominibus

nibus id cupio teſtatum eſſe: quod præſtare ſolæ literæ poſſunt: vox ad præſentes ſolùm peruenit. Itaq. quum hoc triennio, cuius ſatis magnam partem morbus, quo frequenter affligor, ciuilibus miniſterijs vacuam mihi conceſſit, meditationes quaſdam meas in libros Ciuiles Ariſtotelis ab intermiſſis ſtudijs meis repetiuerim, fuſiusq. explicauerim, eas NOMINI TVO *dicatas emitto: vt tua luce colluſtratæ, clariſſimum obſeruantiæ, cultusq. mei teſtimonium ferant ad vniuerſos.* TV *hanc animi tibi deuoti propenſionem ſingularem hilari, quemadmodum ſoles, vultu foue, ac complectere. ita* TIBI *in eam partem prouinciæ Reipublicæ Chriſtianæ, quam Beatiſſimus Dominus noſter* SIXTVS V. *tuæ fidei commiſit, toto pectore incumbenti annuat* DEVS OPT. MAX. *tuosq. ad communia totius orbis beneficia conatus ſua gratia in dies magis promoueat. Vale Vrbis et Sacri Collegij decus.*

Ferrar. IX. Cal. Jul.

CIↃ IↃ LXXXVII.

HYPOTYPOSIS
CIVILIS SCIENTIÆ,

Quæ his octo in Libris à Philoſopho explicatur;

IN VIGINTIDVAS TABVLAS
D I S T R I B V T A.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TABVLA I.

Ciuilis ſciētiæ
- *Definitio.* — *Eſt pars ſcientiæ actualis, ciuitatem, affectusque, & actiones hominum ſingularium quatenus horum vnuſquiſque eſt pars ciuitatis ad beneuiuendum conſyderans.*
- *Scopus, ſeu finis.* — *Beatitudo, vel ſummum bonum ciuitatis: quod à ſummo bono hominum ſingulorum plauè non differt.*
- *Officium, et munus.* — *Ex perſcrutatioue principiorum, & partium, affectionumque ciuitatis tradere præcepta, & rationes, quibus leges optimæ condi, ac per eas optimè inſtitui ciuitates poſſint tum ſimpliciter, tum pro ſe, & materia ſubiecta.*
- *Præſtantia.* — *Præſtantiſſima eſt omnium facultatum, & ſcientiarum, diuina ſolùm philoſophia excepta: id quod ex fine, officio, rebusque effectis eius potiſſimùm liquet; tum quoniam philoſophia ciuilis cæteris omnibus facultatibus vtitur, ac dominatur.*
- *Docēdi modus / Auditor* } *idonei.* *Similes iis, qui erant moralis ſcientiæ idonei modus docendi, & auditor.*
- *Methodus.* *Quæ eſt propria rerum compoſitarum, ideſt diuiſiua.*
- *Genus ſubiectum* — *Ciuitas ſeu ſocietas ciuilis.*

Eſt porrho ciuitas ex multis hominibus, domibusque, ac tandem vicis naturalis, & perfecta ſocietas cōtinens in ſe omnia, quæ ad benè, beateque viuendum faciunt, & conſtituta quidem viuendi, permanens autem benè viuendi causâ.

Cuius ciuitatis
- *Cauſæ, & principia.*
  - *Interna.*
    - *Materialia*
      - *Homines. Ex quib⁹ cōſtituūt.*
        - *Domus.* — *Tab. 2. et 3.* *
        - *Vicus.* / *Popul⁹.* — *Tabula 4.* *
      - *Locus.* — *Tabula 5.* *
    - *Formalia*
      - *Ciuis.* — *Tabula 6.* *
      - *Reſpublica.* — *Tabula 7. ad 17.* *
      - *Lex, ſeu ius ciuile.* — *Tabula 18.* *
  - *Externa.*
    - *Efficientia.*
      - *Primum: Natura, ideſt inſtinctus, appetitio'ue naturalis in hominibus omnibus, & ſemper ſimul viuendi, inchoans, condensque quoquo modo ciuitates.*
        - *Ex quo inſtinctu*
          - *Ciuilia naturâ animalia homines ſunt, & magis, quàm vllum aliorum.*
          - *Exiſtere, eſſeque naturâ ciuitates dicuntur, & ad extremum ſunt priores naturâ domibus, & ſingulis nobis.*
      - *Alterum: Ratio, & prudentia rationis comes, formans ciuitates legibus, atque perficiens.*
    - *Fines, & fruct⁹:*
      - *Voluptas, quam ex conſuetudine, communioneque vitæ inter ſe homines capiunt.*
      - *Viuere ſimpliciter.*
        - *Tueri ſe, & ſua quaſi per bellicam quandam ſocietatem aduerſus feras, & aduerſus homines iniuſtos.*
        - *Parare facilè, copioſeque mutuo auxilio, & tandem permutatione tam rerum, quàm factorum ea, quę vnicuique deeſſent ad victum, & cultum humanum.*
      - *Benè viuere, hoc eſt agere, viuereque honeſtè, ac demum beatè.*
        - *Quò ſanè pertinent*
          - *Virtutes omnes.*
          - *Actiones virtutum.*
          - *Inſtrumenta virtutum, & actionum earum, ac denique bona omnia corporis, atque externa.*
          - *Fœlicitas*
            - *Actiua.*
            - *Contemplatiua.*
- *Atributa ſumma tria: vnum, ſubſtantiæ: alterum, quantitatis: tertium qualitatis.*
  - *Vnitas.* — *Tabula 18.* *
  - *Magnitudo.* — *Tabula 18.* *
  - *Beatitas, ſiue bonitas, quæ idē ſunt.* — *Tabula 19. 20. 21. 22.* *

TABVLA II.

Domus

- **Cuius**
  - **Definitio.** – *Eſt domus, quæ verè, proprieque dicitur, ſocietas ſecundum naturam in quotidianum vſum conſtituta.*
  - **Species**
    - *Prima, & perfecta domus:* — *Quæ ex duabus primis ſocietatibus, coniugali, atque dominica, conſtat.*
    - *Perfectior domus:* — *Quæ præter coniugalem, dominicamque etiam paternam ſocietatem continet.*
    - *Perfectiſſima domus:* — *In qua cum tribus ſocietatibus, coniugali, dominica, atque paterna, adeſt pecuniarum, inſtrumentorumque; ad omnem vitæ vſum vbertas, & copia.*
  - *Quæ ab omnibus conceduntur, vocanturque etiam ſocietates domeſticæ.* { *Harum autem ſocietatum dominica, & coniugalis prima neceſſariaque ſunt ad domum perfectam: paterna non eſt neceſſaria, & eſt illis poſterior.* }
    - **Dominica;** *ſtimulus.*
    - **Societas Dominica.** — *Eſt altera ex duabus primis, neceſſariiſque ad vſus vitæ quotidianos ſocietatibus, conſtans ex domino, & ſeruo. Et, ſi ſecundum naturam quidem fuerit, definitur, quòd ſit prima, ac neceſſaria ſocietas domini, & ſerui, quam in hominum genere natura facit, ſalutis, & vtilitatis amborum communis cauſa.*
      - **Domin⁹ & ſeruus**
        - **Attributa quædam ſubſtantialia.**
          - *Pars domus* — } *eſt ſeruus.*
          - *Inſtrumentum domus ad viuendum, & beneuiuendum*
            - *Animatum* — } *eſt ſeruus.*
            - *Ante inſtrumenta naturâ, ordine dignitate* } *eſt ſeruus.*
            - *Actiuum, non factiuum.* — } *eſt ſeruus.*
          - *Κτῆμα, & res domini omnino, & ſimpliciter eſt ipſe ſeruus, non ſolùm ſeruus: dominus verò eſt ſerui dominus tantùm, non etiam ſimpliciter.*
        - **Eſſentia, & actus primus**
          - *Serui,* — *Eſſe hominem non ſuipſius, ſed alius.*
          - *Domini,* — *Eſſe hominem ſuipſius, & cuius eſt alius.*
        - **Vis, & poteſtas**
          - *Serui,* — *Vt ſit inſtrumentum ad vitam actiuum, & ſeparabile.*
          - *Domini,* — *Vt homine alio vti poſſit, tanquam inſtrumento ad vitam actiuo, & ſeparabili.*
        - **Species.**
          - **Dominus & ſeruus**
            - *Naturâ, ideſt vi, poteſtateque; naturali*
              - *Eſt ſeruus naturâ homo, qui naturâ nō ſuipſius eſt, ſed alius, vim habens inſtrumenti actiui, et ſeparabilis ad ea corpore exequenda, quæ ille alius, cuius ipſe eſt, poteſt mente proſpicere, vtrique conducentia.*
              - *Eſt dominus naturâ homo, qui naturâ ē ſuipſius, et cuius eſt alius, quo alio vtēdi ipſe vim habet tanquā inſtrumento actiuo, et ſeparabili ad ea, quæ ipſe poteſt mente proſpicere, et ille alius corpore exequi, vtrique cōducentia.*
              - *Itaque*
                - *Mentis, & rationis particeps eſt*
                  - *Dominus* — *Simpliciter & perfectè.*
                  - *Seruus* — *Vſque eò duntaxat, vt ſentiat illam, nō vt habeat: ideſt caret conſilio, & rationis acumine, non ſubſtantia mentis.*
                - *Corpora vult natura facere, & facit, niſi impediatur,*
                  - *Seruorum* — *Robuſta* — *Ad vſus vitæ neceſſarios.*
                  - *Dominorū* — *Recta, & vtilia* — *Ad ciuilem vitam in* { *Bello.* / *Pace.* }
                - *Tantum inter ſe diſtant domini, & ſerui naturâ; quantum inter ſe anima, & corpus; homo, & bellua; ſimiles domini animæ, & homini; ſerui corpori, & belluæ.*
            - *Conditione, ſiue ſtatu, aut fortuna. hoc eſt ad extremū actu, & reipſa* — *Ex*
              - *Iure inſtituto aliquo, quæ legitima dominatio, ſeruituſque appellatur, vt quæ bello fit.*
              - *Iniuria, ideſt ex fraude, violentia'ue iniurioſa, & contra leges.*
      - **Dominari, & ſeruire**
        - *Secundum naturam* — } *In ſeruis, & dominis naturâ.*
        - *Vtilia* — } *In ſeruis, & dominis naturâ.*
        - *Iuſta* — } *In ſeruis, & dominis naturâ.*
        - *Amorem, amicitiamque generantia* — } *In ſeruis, & dominis naturâ.*
        - *Præter naturam* — } *In ſeruis, & dominis conditione, non natura.*
        - *Violenta, & damnoſa* — } *In ſeruis, & dominis conditione, non natura.*
        - *Iniuſta* — } *In ſeruis, & dominis conditione, non natura.*
        - *Odium, inimicitiamque parientia* — } *In ſeruis, & dominis conditione, non natura.*

{ *Et harum quidē partiū duæ ſunt domus, ſimiliterque rationis domeſticā partes, paterna, & cōiugalis: duæ aliæ, quæ ad ciuilē*

Partes

- non minus, quã ad dominicã rationẽ attineant, dominica,& pecuniaria, propterea ita ſint ſerui, & ſint bona pub. quemadmodũ ſunt priuata.
  - Dominatio, & ſeruitus, ſeu ratio domeſtica, & ſeruilis.
    - *Non ſunt ſcientiæ, ſed rationes actuales, ex viribus inſitis pendentes, vbi ſermo eſt de dominis & ſeruis naturâ.*
    - *Differunt à cura domeſtica, & ciuili, & regia, cæteriſque imperijs.*
    - *Sunt pars domeſticæ curationis.*
  - Scientia dominica, & ſeruilis.
    - *Sunt diuerſæ à ſcientia rei procurandæ.*
    - *Diuidi in multas partes poſſunt pro generibus, & modis miniſteriorum ſeruilium.*
    - *Seruilis, eſt habitus cognitionis idoneus, ideſt quo homines redduntur idonei ad parendum dominis, eaq; efficienda, quæ ab illis, quatenus domini ſunt, præcipiuntur.*
    - *Dominica, eſt habitus cognitionis idoneus, ideſt quo homines redduntur idonei ad vtendum ſeruis, eaſque demum imperanda, quæ ab illis efficienda ſunt.*
  - Virtutes morales ſerui naturâ.
    - *Veræ virtutes morales; quæ propriè ſic nominantur, in ſeruum naturâ non cadunt ob eius animi tenuitatem, ſed earum tantùm ſpectra, & ſimilitudines quædam: aut, ſi vllo modo cadunt, ſunt mancæ, & diminutæ.*
    - *Conſtitutionum animi laudabilium, quas vulgus appellat virtutes, cunctæ illæ, quæ ad opus ſeruitutis probè adminiſtrandum conducunt, vt obedientia, ſeruo conueniunt, & ſunt neceſſariæ.*
    - *Diriguntur omnes virtutes, quæcunque fuerint, quæ ſeruo conducunt, non ad ipſum ſeruum, ſed ad dominum: quia ſeruus non eſt ſui ipſius, ſed inſtrumentum domini actiuum.*
    - *Cauſa virtutum moralium ſeruo eſt ipſe dominus, non is. qui ſcientia, & ratione docendi dominica præditus eſt.*
  - Imperium *domini in ſeruum — etiam naturâ — Eſt tyrannico ſimile, licet ſit naturale.*
  - Miniſteria ſeruilia — *Alia*
    - *Habent*
      - *Crebritatis plus, artis minus, dicuntur que obuia, & circularia: vt veſtem, calceoſque tergere.*
      - *Artis plus, crebritatis, minus: vt coquendi, condiendique obſonia.*
    - *Sunt —*
      - *Honoratiora: vt obſonari, menſam ſtruere.*
      - *Neceſſaria magis: vt panem faciendi, aquam, lignaque ferendi.*
- Coniugalis, γαμικὴ.
  - Societas coniugalis. — *Eſt altera prima, ac neceſſaria in hominũ genere ad filios procreãdos, & inſtituendos ex mare. fœminaq; ſocietas, quam naturale deſyderium primùm relinquendi ſibi ſimile facit; perficit autem ratio, et conſilium humanum.*
  - Imperium coniugale mariti in vxorem — *eſt*
    - *Naturale. — Quia vir præſtabilior eſt, & hac de cauſa aptior natura ad imperandum muliere.*
    - *Simile ciuili, ideſt liberarum ciuitatum imperio, — Quatenus ambo, vir, & vxor, quaſi duo magiſtratus, ille maior, hac minor ad communem vtilitatem familiam gubernant.*
      - *Diſtat tantùm ab illo: Quòd viciſſitudo imperandi, & parendi —*
        - *Eſt in ciuili. — Quia ciues volunt eſſe pares naturâ.*
        - *Non eſt in coniugali — Quoniam fœmina mas naturâ antecellit.*
- Paterna, τεκνοποιητικὴ.
  - Societas paterna — *Eſt ſocietas inter parentes et filios ad humani generis perpetuitatẽ à natura facta, excitãſe per ſanguinis cõiunctionem, qua alteri alterorum ſunt quiddam, vtrinque charitatem, & per charitatem hinc reuerentiam, inde beneficentiam*
  - Imperium parentum in filios — *eſt*
    - Naturale. — *Quia ſenior, & perfectus aptior eſt ad imperandum naturâ iuniore, & imperfecto.*
    - Simile prorſus regno — *Quando vtrobique*
      - *Imperatur ex*
        - *Amicitia naturali per exuperantiã, quã gignit beneficẽtia.*
        - *Prudentia maiori, quæ in rege regiam conditionem; in parente prouectiorem ætatem ſequitur.*
      - *Imperãs*
        - *Non differt forma, & quiditate generis ab ijs, quibus imperat.*
        - *Præſtat ijſdem naturali quadã imperãdi facultate, & virtute.*

Cætera, & multa quidem, quæ de his duabus domus partibus, paterna, atque coniugali dicenda reſtant, porioribus adhuc accuratiorique ſtudio dignis, quàm eſſent dominica, & pecuniaria; in œconomicis dicuntur. Propria enim ſunt iſta domus, domeſticæque rationis partes, vt annotauimus, non communes huic cum ciuili, quemadmodum communes erant duæ illæ ſuperiores. de quibus tamen duabus ſi perioribus etiam quædam explicabuntur in ijſdem œconomicis, pertinentia propriè ad œconomicam facultatem.

Non conceſſa ab omnibus, & quæ ſocietas non eſt,

Pecuniaria, ſeu procurandæ rei ratio, χρηματιστικὴ ἢ κτητικὴ. *Tabula iij.*

TAB. III.

TABVLA III.

PECVNIARIA,* *ſeu procurãdæ rei ratio, χρηματιστικὴ, ἢ κτητικὴ, in re, & pecunijs, hinc priuatis, inde publicis, tota occupata: quæ neq; eſt idẽ prorſus, quod ratio domeſtica, & ciuilis, nec earum miniſtra, ſed quedã vtriuſque pars; ſecundaria, inquã, pars, quæ in populũ, familiamq; dirigitur, nõ principalis; & pars quidẽ eiuſmodi non ipſa vniuerſa, ſed ex ea tantùm parte, quæ vocatur alimentaria.*

Cuius

—Actus proprij —— { *Acquiſitio, ſiue queſtus* / *Conſeruatio* / *Vſus* } *rei, & pecuniarum.*

Ex quibus actibus diſtribui ſolet tota pecuniaria in tres partes, ſimilia nomina habentes; quæ ſunt { *Quæſtuaria.* / *Conſeruans.* / *Vtens.* } ‹ *Harum verò partium prima potiſſimùm, quæ quæſtuaria eſt, his in libris conſyderatur. cuius rei cauſa ſuo loco explicabuntur.* ›

—Genera, *& formæ generum, quæ etiam vitæ, ac ſtudia vitarum nominari ſolent.*

—Alimentarium genus. —*Quod primò, & per ſe, hoc eſt ex ipſa natura rei, colendo, & venando, omnino carpendo, ſine cauponatione, aut commercio, aut pacto denique humano comparat ea, quæ vſibus vitæ noſtræ propriè conducunt, & horum ipſorum vſuum duntaxat gratiâ.*

Eſt totum hoc genus {
- *Naturale:* — *Quoniam res, in quibus vertitur tanquam in obiecto, & fine ſuo, procreatæ ſunt à natura hominum cauſâ.*
- *Neceſſarium:* —
- *Amore dignum:* —
- *Laudabile:* —
- *Quærens rei, & pecuniarum tantum duntaxat, quantum vſibus vitæ liberaliter, & iucundè traducendæ ſit ſatis:* } *Quia eſt naturale.*
- *Pars domeſticæ, & ciuilis rationis.* — *Quia eſt de rebus maximè vtilibus, maximeq; neceſſariis ſocietati ciuitatis, & domus, & de veris diuitijs, veriſq; inſtrumentis domeſticis, & ciuilibus, finẽ habens quæſtus, diuitiarumq; ſuarum vſum ad benè viuendum.*

Formæ eius

—Simplices

Pecuaria.

Quæ ex pecoribus, paſcẽdo, et curãdo illa, victũ pcipit. Eſtq; qđ ad τὸ ἐμπειρικὸν attinet, peritia de pecudibus, quales maximè fructuoſę ſint, et vbi, et quo pacto.
‹ *Partes pecuariæ, quæ obſcurè indicantur à Philoſopho, & Varroni ſunt valde multa, nempe vna ſupra viginti, dicentur ſuo loco.* ›

—Paſtoritia. {
Paſtio villatica. —— { *Leporaria.* / *Piſcinæ.* / *Ornithones.* }

Quæ ex ijs animãtibus, quæ in villa, aut circa villã ali, paſciq; poſſunt, victũ capit. Et eſt peritia de illis, quales maximè fructuoſæ ſint, & vbi, & quo pacto.

—Agricultura, *ſiue cultio agrorum* —— { *Nudorum* / *Cõſitorum* } *arboribus.*

Quæ ex agris viuitur, eos colendo. Et eſt peritia eorum, quæ in quoque agro ſerenda, ac facienda ſunt, vt quæque terra maximos perpetuò reddat fructus.

—Materiaria —— { ὑλοτομία. — *Quæ materiem cædit* / μεταλλευτικὴ. — *Quæ eruit è terra* } { *Metalla.* / *Foſſilia.* }

Quæ ex rebus, infructuoſis quidem, hoc eſt minimè idoneis ad cibum, vtilibus tamen ad alias vitæ commoditates, comparat alimenta. Et eſt peritia de eiuſmodi materijs, quales, & quibus in locis, & quo pacto abundè proueniant ſintque cædendæ, & eruendæ.
‹ *Hanc Philoſophus primùm fortaſſe comprehendit in nomine τῆς γεωργίας, tum quia in agris vniuerſa exercetur, tum quia, ſimilis propriè cultura agrorum, peragatur opera, & foſſione. Deinde eam ſeparans manifeſtè à reliquis huius generis formis numerat nouiſſimo loco tanquam mediam inter res ruſticas, & pecuniariam cõmutatiuam. Nobis hîc, facilitati ſimul, breuitatique ſtudentibus, placuit ijſdem de cauſis ipſam ſubiungere agriculturæ.* ›

Prædatoria. —— { *Bellica iuſta.* / *Latrocinium iniuſtum.* }

Quæ de hoſtibus, rebuſq; eorũ p vim, et inſidias prędę agũt ad vs⁹, et indigẽtias uãles agẽtiũ. Et eſt pitia, quoſnã, et qbus quoq; locis, tẽporib⁹, modis adoriri oporteat.

—Venatoria maximè cõis. {
Venatoria communis. — { *Piſcatoria:* — *Quæ piſces* / *Aucupium:* — *Quæ aues* / *Venatoria maximè propria.* — *Quæ feras terreſtres.* } *Indagant, viáque, ac dolis capiunt ad vſus, & neceſſitates viuendi qui hæc ſtudia ſequuntur. Et ſunt peritiæ ſimiles ſuperiorum, mutatis duntaxat ſubiectis rebus.*

—Mixtæ ex ſimplicibus.

Tot numero demum ſunt, quot modis ſimplices iungi inter ſe poſſunt: atque vt componuntur ex ſimplicibus; ita ex iiſdem nomina ſumere deberent.

—Cauponium genus. —*Quod commutando, & cauponando, permutatis inuicem rebus, nummiſque aut ſimpliciter, aut alternè ex pacto, & inſtituto humano, non ex natura rei quæſtum facit, amplificationem pecuniæ, ac nummorum quærens in infinitum.*

- Eſt hoc genus totum,
  - Præter naturam: — In eo quòd alij ex alijs hominibus ſibi naturaliter non deſtinatis quæſtum faciant.
  - Non neceſſarium: / Odio dignum: — / Vituperabile: — } Quia præter naturam.
  - Pars nec domeſticæ, nec ciuilis rationis vlla, nec ad eas vllo pacto attinens. — Contrarijs de cauſis; atque illarum pars eſſet genus alimentarium.
- Permutatio porrho, quæ huic generi lucrum præbet,
  - Nō eſt illa quidē ſincera, nāliſq; permutatio, cuius — Eſt
    - Munus proprium — Petere vſum, & ſupplementum indigentiæ.
    - Cauſa — — — Natura, & ratio naturalis, vt indigentiam ſuppleremus.
    - Finis — — — Explorare id, quod ſecundum naturam eſt ſatis.
  - Sed altera, quæſtuaria, & artificioſa, cuius — Sūt
    - Munus, & finis - Petere cōtra ſuperioris pmutationis naturā, et cauſā, quæſtū, reiq; amplificationē in infinitū.
    - Cauſæ eædem, quæ ipſius pecuniariæ cauponiæ.
  - Eſt autem permutatio in vniuerſum vſus per ſe τῶν κτημάτων, non proprius quidem huius, aut illius eorum, ſed omnium communis.
- Formæ huius generis.
  - Negotiatrix, ſeu nundinaria.
    - Quę vel merces, vel numos, vel vtraq; ad quæſtū faciēdū permutat Et poteſt definiri, quòd ſit pecuniaria ex pmutatione lucro ſa dati cū dato.
    - Mercatura.
      - Nauiculatoria: / Oneraria: — } Alibi ementes aut commutantes aliò tranſportant vendendas, aut commutandas merces.
        - In longinquas regiones mari, & omnino nauibus.
        - In loca propinqua iumentis, vehiculiſque.
      - Stataria: — In eadem ciuitate emit, venditque, aut commutat eaſdem merces aucto pretio.
      - Quę in permutatione numularia mixta, & aliquando in ſimplici rerum exercetur; nunquam in pura numularia. Emit autem, commutat'ue merces, quas cum lucro iterum commutet, aut vendat.
    - Fœneratio communiter.
      - Fœneratio propriè: / Ἀργυραμοιβὴ: — / Traiectio: — } Quæ lucratur ex
        - Tempore.
        - Species varietate.
        - Locorum diuerſitate.
      - Exercetur maximè in pura numularia permutatione: quamuis exerceri etiam poſſit & in permutatione rerū ſimplici ſecundum omnes ſui formas, & ſecundum primam, ac nouiſſimam in mixta.
      - Eſt omniū formarum cauponiæ.
        - Maximè præter naturam - Quòd numo vtatur ad rem amplificandam.
          - Præter naturam materiæ, ex qua numus conſtat.
          - Præter inſtitutum, & rationem, ob quam primū introductus eſt, vt permutationi inſeruiret, quæ eſt quaſi altera numi natura.
          - Præter naturam, & conditionem rerum artificialium, in quibus numus continetur, quarum nulla generat ſimilem ſibi.
        - Minimè neceſſaria — / Odio digniſſima — — / Maximè vituperabilis } - Siquidem eſt maximè præter naturam.
  - Mercenaria.
    - Facultatum naturalium
      - Corporum: vt operariorum.
      - Animorum: vt eorum qui dicuntur eſſe à memoria.
    - Artium —
      - Illiberalium: vt omnium opificum.
      - Liberalium: vt publicorum magiſtrorum grammaticæ, & rhetoricæ.
    - Virtutum: vt iudicum, & ducum iudiciariam, bellicamque exercentium mercede.
    - Quæ eſt in vniuerſum pecuniaria ex permutatione facti cū dato, permutās operas numis, rebus'ue ad quæſtū faciendū, hoc eſt ad extremū quę mercede operas adminiſtrat.

‹ Porrho autem ea, quæ ad ſingulas iſtas formas duorum generum pecuniaria attinent, accuratè perſequi, non eſt ciuilis ſed altarum rationum, ac facultatum. ›

- Cauſæ efficientes — Generis
  - Alimētarij - Natura, quam ratio, & ars adiuuant.
  - Cauponij - Vicinitas huius et alimētarij, - Lucricupiditas, - Studiū hominū partim in viuēdo ex cupiditate, partim in beneuiuēdo ad corporales fruitiones, - Experiētia, - Ratio cōſiliaria, - Ars.
- Obiectum, ſiue materia — Res vel pecuniæ:
  - In genere alimentario: — Quæ ex ſe, & naturà ſua vſum aliquem ad viuendū nobis præſtant.
    - Alimenta ſuſiſſimo huius vocabuli ſignificatu eas appellamus. — Quorum alimentorum: —
      - Modi.
        - Cibaria.
        - Habitatio.
        - Veſtitus.
        - Inſtrumenta.
        - Operæ:
      - Materiæ bonum cauſà à natura creatæ primū quidem ad cibatū, deinde verò et ad alios 4. modos.
        - Plantæ.
        - Animalia.
          - Terreſtria.
          - Aquatilia.
          - Volatilia.
        - Fructus.
          - Terræ et plātarū.
          - Animalium.
        - Metalla.
        - Foſſilia.
  - In cauponio genere - Quæ ex hominum inſtitutis ac legibus inſtrumenta ſunt ad ſuperiora comparanda, — nempe
    - Numi - Quorū
      - Cauſæ
        - Difficultas permutādi ſimpliciter triplex.
        - Ratio cōſiliaria his trib. difficultatibus ſuccurrere ſtudēs.
        - Pactū, et cōuentū humanū, ſiue lex.
      - Materia idonea: — Id, quod
        - Eſt è genere rerum vtilium.
        - Habet vſum tractabilem.
      - Quaſi forma:
        - Conſenſus cōmunis, vim eis attribuens cōtinendi reliqua omnia vtilia.
        - Diſtributio materiæ eiuſmodi in partes certarum quantitatum — definitarum vel
          - Magnitudine.
          - Pondere.
          - Charactere.
      - Vis.
        - Vtiliſſimus ex pacto, et lege - Ad
          - Permutationes cuiuſuis modi promptè, et cōmodè faciendas.
          - Lucrum ex permutationibus facilè, & abundè faciendum.
        - Inutilis inaniſque per ſe — Ad — Vſus, & indigentias vitæ noſtræ.
    - Cætera, quæ numis æqualē vī būt, aut ſuſcipiūt quatenus huiuſmodi.

A

- —Finis— Diuitiæ—
  - Alimẽtarij generis: Veræ, et naturales:
    - Sunt multitudo rerum per ſe ad vitam vtilium, vt ciborum, & veſtium, aliorumque, quæ vno vocabulo alimenta appellamus.
    - Finitę ſunt ſic,—Vt
      - Sufficiat certus modus earum ad vitæ noſtræ vſus, & indigentias.
      - Expetãtur, quærãturq́; certo quodã modo, et aliquatenus, non infinitè ab homine, et facultate alimentaria.
  - Cauponij generis: Opinabiles et ex cõuẽto humano:
    - Infinitę sũt,—Ideſt
      - Expetuntur, quærũturq́; infinitè ab homine, & facultate cauponia.
      - Satis ad vitæ noſtrę vſus per ſe nulla earũ copia eſſe poteſt—Quia naturâ ſua ijs vſibus minimè cõducũt.
    - Sunt multitudo numorum, eorumque, quæ numis æqualem, & quatenus æqualem poteſtatem habent.
  - Ambę aũt quęrũtur, expetũtq́; infinitè plerũque ceruuntur Ob
    - Vicinitatem duplicium diuitiarum, dupliciumque pecuniariæ partium.
    - Opinionẽ vulgarẽ de munere, & neceſſitate rationis domeſticæ tuendi, augendi'ue pecuniam in infinitum.
    - Studiũ bonum in—
      - Viuendo ex cupiditate: quæ per ſe infinita eſt.
      - Beneuiuendo ad fruitiones corporales: Ad quas nunquã ſatis haberi pecuniarum exiſtimatur.
  - Sunt autem in vniuerſum diuitiæ multitudo inſtrumentorum domeſticorum, & ciuilium, ideſt vitæ, ſocietatisque domeſticæ, & ciuilis.
- —Officium, ſiue munus.
  - Proſpicere vnde pecunia et res adſint.
    - Alimentarij generis—Vnde proueniat quantum vſibus noſtris ſit ſatis rerum per ſe ad illos accommodatarum.
    - Cauponij generis—Vnde proueniat multitudo numorum, aliarumque pecuniarum, quę numis æqualem vim habent.
- —Pręceptorum generalium, vt plurimum proueniat lucri, capita ſumma.
  - Alimentarij generis:—Terna.
    - Qualia—
    - Quibus in locis
    - Quibus modis
    - } Sint, fiantque fructuoſiſſima τῶν κλημάτων.
  - Cauponij generis:—Quaterna.
    - Vnde,——reſpectu
      - Locorum—
      - Perſonarum—
    - Quomodo,—.i. quibus
      - Rationibus permutandi—
      - Temporibus—
    - } Cauponatio plurimum reddat lucrum.
- —Differentiæ quædam accidentales, quibus frequenter pecuniariæ, operæque earum, ac tandem ſtudia, & vitæ humanæ, vt dirigũtur ad quæſtum, aſſumuntq́; nomina pecuniariarum, diſtingui ſolent.
  - Artificioſæ & arte vacuæ magis, & minus:—In quibus magis, aut minus—fortuna pollet.
  - Sordidæ, & ingenuæ magis, & minus:——In quibus magis, minus'ue—corpora deprauantur, aut idonea redduntur ad vſus virtutum.
  - Seruiles, & liberales magis, & minus:——In quibus magis, aut minus—vſus corporis, & contrà animi apparet.
  - Degeneres, & generoſæ magis, & minus:——In quibus magis, aut minus—eſt opus virtute.

TAB. IIII.

Vicus

- Cuius
  - **Definitio.** — *Eſt vicus ſocietas ex multis domibus prima, & naturalis in vſum minimè quotidianum.*
  - **Species.**
    - *Vicus formæ primæ, ac maximè naturalis. Qui ex propagatione vnius domus in multas efficitur, in quas quidem multas, tanquam in colonias, ab illa vna exierunt, quum ea amplius capi non poſſent, qui collactanei à quibuſdam, & nati, natique natorum nocantur.*
    - *Vicus formæ ſecundæ. Qui exiſtit, conuenientibus in vnum ſimul habitandi gratiâ ex varijs locis hominibus, nullam inter ſe cognationem habentibus, quom tot fuerint, vt vicus nuncupari queat.*

Populus

- Cuius
  - **Definitio.**
    - *Eſt populus multitudo hominum, concordi conſenſu ad communionem iurium, formamque aliquam gubernationis, ciuitati conſtituendæ idoneam, vnum in locum congregata.*
  - **Species** ex ortus differentijs.
    - Nam aut eſt, fact' ex
      - *Indigenis.* ‹ *inde genitis* › — { *Multiplicatis paulatim alicuius vici familijs, et domib. ad eũ numerũ, q ciuitati cõſtituẽdæ ſit ſatis.*
      - *Conuenis.* ‹ *de diuerſis locis venientibus.* › — *Qui ex*
        - *Propinquis vicis, vrbibus'ne ſimul congregantur vnum in locum ad habitandum.*
        - *Remotis, & diuerſis regionibus conueniunt ad habitandum in eundem locum.*
      - *Aduenis.* ‹ *de vno loco venientibus* ›
        - *Sua ſponte, relicto patrio ſolo, nouam ſedem vrbi quærentibus.*
        - *Dimiſſis in coloniam à ciuitate, aut principe aliquo.*
  - **Partes**
    - **Per ſe, & rebus ipſis diſtinctæ**
      - *Ex facultatibus muneribusque, quibus indiget ciuitas:* — *Communes, & quæ copulari, adeſſeque in eiſdem ſimul poſſunt.*
        - *Alimenti.* — *Prima.* — *Agricolæ, qui in alimentis parandis ſunt occupati.* ‹ *comprehenſis etiam hoc vocabulo paſtoribus: quaſi per agricolas agreſtes, & agrum incolentes dicas.* ›
        - *Artium.* — *Secũda.* — *Opifices, artificia exercentes, ſine quibus vrbs non habitatur, — Ad vſus in vrbe*
          - *Neceſſarios:* ‹ *vt ſutores* ›
          - *Iucundos, & liberales:* ‹ *vt auri cælatores.* ›
        - *Commercij.* — *Tertia.* — *Forenſes, qui in emptionibus, & venditionibus, mercaturiſque, & cauponationibus verſantur.*
        - *Operarum.* — *Quarta.* — *Mercenarij, qui operas, nõ artes vẽdunt, et, quaſi ſerui mercede conducti, corporibus ſuis ſeruiunt.*
        - *Armorum.* — *Quinta.* — *Bellatores, q arma tractãt ad coercẽdos ſubiectos, q parere nollẽt, pugnandũq; in hoſtes pro ciuitate.*
          - *Equites*
          - *Pedites armaturæ* { *Grauis.* / *Leuis.*
          - *Claſſiarij milites.*
        - *Pecuniarum.* — *Sexta.* — *Locupletes, q opibus ſuis rẽpub iuuãt et ad ciuiles, et ad bellicos vſus.*
        - *Virtutis ciuilis — in*
          - *Iudicãdo de rebus*
            - *Iuſtis:* ‹ *Iudiciaria iuſtitia.* ›
            - *Cõmodis:* ‹ *Deliberationũ.* ›
            - *Septima.* — *Virtutis ciuilis cõpotes aut re uera, aut qa ſic videatur.*
              - *Iudices, q ius dicere, & cauſas cõtrouerſiasq; litigantium iudicare poſſint.*
              - *Conſultores, qui proſpiciẽdi vim habẽt, & deliberãdi de rebus honeſtis, atq; utilibus, ad ciuitatem pertinentibus.*
          - *Imperando* — &c. — *Octaua.* — *Imperia, & Magiſtratus, qui publicis fungi muneribus, regereq; ciuitatem aut continenter ijdem, aut alij, & alij per vices queant.*
      - *Ex cõnexis & adiacẽtibus.* — *Potiſſimæ, & inter ſe oppoſitæ tũ quia in eiſdẽ hominibus nõ reperiuntur, tum quia, quod ad duas extremas attinet, hinc ſemper multi ſint, inde pauci.*
        - *Diuites ſeu, vocabulo magis generali, Clari, et noti viri.* — *Quorũ genera cõſtituunt*
          - *Diuitiæ* { *Opum.* / *Amicorũ.*
          - *Generis ſplendor.*
          - *Virtutes* { *Corporum* / *Animorũ* } *Naturales.* / *Cõparatæ*
          - *Diſciplinæ.*
          - *Honores.*
          - *Et q̃ his ſimilia ſecũdum eãdẽ differẽtiã dicũtur.*
        - *Medij.* — *Hi ſunt, ſi claros dũtaxat viros excipias, optimi oium, accõmodatiſſimiq; rebuspub. et ciuitatibus: vt l quibus plures eorũ fuerit, illæ rectius inſtituãtur, meliores ſint, ac diutius cõſeruẽtur ob multas cauſas, quæ ſuo loco explicabũt; pſertim antẽ, qa in his multo magis, q̃ in ceteris, ſit amor, ac ſtudiũ virtutis.*
        - *Pauperes, ſiue Plebs* — *Cuius ſpecies*
          - *Agricolæ.*
          - *Opifices.*
          - *Forenſis turba.*
          - *Maritimi homines* — *Claſſiarij milites.* / *Mercatores.* / *Portitores.* / *Piſcatores.*
          - *Mercenarij*
          - *Proletarij.*
          - *Nõnati ex vtroq; parẽte ciue. ſed tũ liberi.*
          - *Ignominia notati, vt ærarij.*
          - *Et q̃ eiuſdẽ modi aliarũ multitudinum ſpecies eſſent.*
          - } *Harũ tñ plebis partiũ quatuor ſũt maximè pricipales, oĩbus noſç, et q̃ oĩ tẽpore fortaſſe in oĩ pfecta ciuitate reperiũt, ad quas etiã reliquæ reduci poſſunt.* — *Nimirum*
            - *Agricolæ.*
            - *Opifices.*
            - *Forenſes.*
            - *Mercenarij.*
      - — { *Quæ etiã partes ciuitatis, et multitudines, ex qbus ciuitas cõſtat dicũ. Non ſunt tñ oẽs hæ partes populi oĩum illarũ ciuitatũ, in qbus reperiũtur, veræ partes, ſed aliæ aliarum. populariũ q dẽ oẽs ſimul eſſe partes poſſunt; at poteſtatũ paucorũ nõ oẽs, ſed diuites tñ; optimatũ ſoli ij, q ſunt virtutis cõpotes ſunt & c.* }
    - **Diſtributæ** *inſtituto ciuitatis ad notitiam, beneuolentiam, & coniunctionem inter ciues ingendam,*
      - *Φύλαι, Tribus.*
      - *Φρατρίαι, Curiæ.*
      - *Συσσίτια, Sodalitates.*
      - *Et quæ aliæ ſunt eiuſdem modi, vt Claſſes, Centuriæ, Ordines Romanorũ, Obæ Spartanorũ & c.*

Locus

- **Vrbem, Oppidū'ue, Ciuis**
  - **Situs**
    - *Qualis* — *Reſpectu rerum.*
      - *Externarū*
        - *Agri ſui.*
        - *Maris.*
        - *Fluminum.*
        - *Terrarum finitimarum.*
      - *Interiorū, & coniunctarum.*
        - *Soli, in quo ędificatur,*
          - *Campeſtris.*
          - *Collini.*
          - *Montani.*
          - *Iūcti ex his.*
        - *Aquarū in eo ſolo*
          - *Naſcentiū.*
          - *Collectarū.*
        - *Cæli regionū, et ventorū.*
        - *Partium ſuarum:* — *(rū.)*
          - *Aedificiorū.*
          - *Portarū.*
          - *Viarum.*
          - *Arearū.*
          - *Pomæriorum*
    - *Vt ſit idoneus Ad*
      - *Formam reipublicæ inſtituendæ.*
      - *Sanitatem.*
      - *Actiones.*
        - *Ciuiles:*
          - *Subſidia mitti, accipiq; facilè vt poſſint.*
          - *Exit⁹ ciuiū facilis; adit⁹ hoſtiū difficilis vt ſiet.*
        - *Bellicas, et ōnino ad cuſtodiam:*
          - *Hoſtibus noceri vt facilè poſſit.*
          - *Obſideri, cingi, oppugnari ne facilè queat.*
      - *Inuectionem, euectionemq; rerū neceſſariarum.*
  - **Magnitudo** — *Pro ciuium numero, & actionū multitudine, ac varietate.*
  - **Partes**
    - *Stratę tātùm* — *Quæ loca, & operu potiùs, quàm ædificia uocari debent.*
      - *Pomæriu.*
      - *Viæ:*
        - *Plateæ.*
        - *Angiportus.*
      - *Sepulchreta.*
    - *Structæ* — *Quæ propriæ ędificiu nomē habent.*
      - *Apertæ:* — *Quæ ædificiu tantùm non ædes.*
        - *Mœnia — diſtincta —*
          - *Aggere.*
          - *Muro — diſtincto itē*
            - *Turribus.*
            - *Propugnaculis.*
            - *Interuallis.*
            - *Pinnis.*
          - *Foſſa.*
          - *Portis.*
          - *Areis.*
          - *Vijs cæcis.*
        - *Portus*
          - *Maris.*
          - *Fluminū magnorū.*
        - *Fora*
          - *Venaliū rerū.*
          - *Iudiciorū pub.*
          - *Concionum.*
          - *Exercitationum,*
            - *Iuniorum.*
            - *Seniorum.*
        - *Theatru*
        - *Aquæductus.*
        - *Ciſternæ.*
        - *Cloacæ.*
        - *Et ſi quæ ſunt alia eiuſdem generis.*
      - *Opertæ:* — *Quæ ædes communi uocabulo dicuntur.*
        - *Sacræ*
          - *Fana.*
          - *Templa, & ædes diuinæ.*
          - *Sacella.*
          - *Oracula.*
        - *Publicæ*
          - *Arces, et ſi q̄ aliæ munitæ ædes.*
          - *Curię, Cœnationes, et Sedes, ſubſellia.*
            - *Sacerdotū.*
            - *Magiſtratuū,*
              - *Maiorū.*
              - *Minorū.*
            - *Cuſtodum.*
          - *Receptacula:*
            - *Aeraria.*
            - *Armamentariu.*
            - *Naualia.*
            - *Horrea.*
            - *Et quæ alia ſunt eiuſdē modi.*
          - *Carcer.*
          - *Balneu.*
          - *Ambulationes.*
          - *Gymnaſia.*
            - *Scholæ.*
            - *Palæſtræ.*
          - *Lupanaria.*
        - *Priuatæ*
          - *Dom⁹, Et partes earū.*
          - *Officinæ.*
          - *Tabernæ.*

Omnes autem hæ partes vrbis ſic diſtribuuntur reſpectu finium, vt — Aliæ ſint

- *Defenſionis & belli:* — *Mœnia, Pomæria, Arces, Armamētaria, Naualia.*
- *Religionis:* — *Fana, Templa, Sacella.*
- *Opportunitatis:*
  - *Ciuiliū actionū, & imperij:* — *Curię, Fora cōcionū, Fora iudiciorum, Carcer.*
  - *Commercij:* — *Fora rerū venaliū, Tabernę, Officinę, Portus.*
  - *Vſuū, et indigentiarū vitæ:* — *Dom⁹, Cœnatiōes, Horreu, Balneu, Aquęductus, Ciſternę.*
  - *Exercitationis:* — *Fora exercitatōnū, Ambulōnes, Gymnaſiu.*
  - *Voluptatis:* — *Theatra lupanaria.*
  - *Neceſſitatis:* — *Cloacę, Sepulchreta.*
- *Promiſcuę* — *Viæ, Aeraria.*

Diuiditur in —

- **Regionē, agrū ue vrbis**
  - *Agri.*
    - *Quanti.*
      - *Magnitudine*
      - *Multitudine, id eſt varietate*
      - *Fertilitate fructuum* — *Ad nutriendos habitatores.*
    - *Quales.*
      - *Aquarum vbertate — Ad*
        - *Irrigandos eos ipſos agros.*
        - *Animalium, & agricolarum neceſſarios vſus.*
      - *Salubritate cæli.*
      - *Situ — Ad*
        - *Oppidum.*
        - *Mare.*
      - *Forma — Ad*
        - *Exitus.*
        - *Aditus.*
        - *Itinera.*
        - *Vecturas.*
    - *Diuiſio eorū in*
      - *Sacros.*
      - *Publicos.*
      - *Priuatos.*
  - *Aedificia.*
    - *Publica:*
      - *Propugnacula, ſiue Caſtella.*
      - *Cœnationes cuſtodum.*
      - *Fana*
        - *Deorum.*
        - *Heroum.*
    - *Priuata:*
      - *Villę:*
        - *Vrbanæ:*
          - *Hybernę.*
          - *Aeſtiuę.*
        - *Ruſticę:*
          - *Familię ruſticę.*
          - *Pecorum.*
        - *Fructuariæ:*
          - *Olearię, Torcularię cellę.*
          - *Vinarię, Defrutarię cellæ.*
          - *Fœnilia, Palearia que.*
          - *Apothecæ, & Horrea.*
          - *Granaria.*
      - *Adiuncta villis:*
        - *Furnus.*
        - *Piſtrinum.*
        - *Piſcinæ.*
        - *Areæ.*
        - *Nubilarium.*
        - *Pomaria.*
        - *Horti.*
        - *Septa affixa uillis, in quibus ſunt animalia, quę paſcuntur.*
  - *Viæ.*

{ *Et multa quidem illorum, ex Vitruuio, Varrone, Columellaq; adiunxi, quæ in his libris non tanguntur: vt omnia ſub vno aſpectu poſita haberes. Ciuilis namq; philoſophus, intentus ad grandiora, minuta negligit.* }

TAB. VI.

TABVLA VI.

- **Eius**
  - **Partitio in ciuem**
    - **Reipſa & noīe Ciuis**
      - **Definitio.** — *Quicunque, liber homo quum ſit, poteſt particeps fieri publicæ ſummæ poteſtatis deliberandi, & iudicandi.*
      - **Formæ ab —**
        - *Eſſentia.*
          - *Ciuis ſimpliciter, ideſt primò, & maximè, ſeu ciuis optimę ciuitatis.*
            - *Qui poteſt, & eligit parere, imperareq; ad vitā ex virtute degendam. Qualis ciuis opifex, agricola'ue eſſe prorſus non poteſt.*
          - *Ciuis ex hypotheſi, & ſecundo loco, ſeu pro ſubiecta ciuitate.*
            - *Qui poteſt in ea ciuitate particeps fieri publicæ poteſtatis, ſeu qui poteſt imperare, & parere appoſitè ad ſtatum eius ciuitatis. Quales ciues eſſe poſſunt agricolæ, & opifices, & omnes alij liberi homines, non omnes quidem in cunctis, ſed alij in alijs ciuitatibus.*
        - *Efficientibꝰ cauſis.*
          - *Natus ciuis*
            - *Ob morem, aut legem antiquam ſubiectæ ciuitatis.*
          - *Factus ciuis* — *Ex*
            - *Seruo.*
            - *Spurio.*
            - *Peregrino.*
            - *Inquilino.*
            - *Nato* — *de*
              - *Matre ſerua.*
              - *Patre ſeruo.*
            - *Decreto nouo maioris poteſtatis.*
      - **Virtus.**
        - *Eadem eſt virtus ciuis in optima ciuitate imperantis, quæ viri boni: aliorum ciuium non eſt eadem, ſed cuiuſque eorum accommodata ad proprium munus, & ſtatum ſuæ ciuitatis.*
    - **Nomine non re.**
      - *Qui non poteſt ſua propria conditione fieri particeps publicæ poteſtatis.*
      - *Vocatur autē ciuis. Vel ex*
        - *Munere, & priuilegio.* — *Qui, donatus ciuitate, bonorum adeptionem non habet.*
        - *Coniunctione.* — *Mulier.*
        - *Tempore*
          - *Futuro.* — *Puer.*
          - *Præterito* —
            - *Senex effœtus.*
            - *Deportatus.*
            - *Cui aqua, & igne interdictum eſt.*
            - *Seruus* —
              - *Pœnę.*
              - *Ad pretiū participandū.*
          - *Alterutro aut vtrolibet* —
            - *Exul.*
            - *Notatus ignominia vel perpetua, vel ad tēpus.*
        - *Tribu.* — *Libertinus.*
        - *Domicilio.* — *Inquilinus.*
        - *Foro.* — *Peregrinus.*
        - *Habitatione.* — *Seruus.*
  - **Inſtitutionis**
    - **Cura.**
      - *Magnam inſtitutionis futurorū ciuium, ſeu puerorū habendā, & adhibendā à legumlatore curā eſſe.* — *Nam* —
        - *Neglectam nocere ijs rebuſpublicis, in quibus negligitur; & cuſtoditam cōducere ijs, in quibus cuſtoditur, vſus rerū oſtendit.*
        - *Suus quauque rempublicā mos et initiò cōſtituit, & conſtitutam deinde conſeruat: meliorque ſemper mos eſt cauſa melioris reipublicæ.*
        - *Vt in quaque arte, & facultate quædā ſunt, quibus erudiri, aſſueſcereque priùs oportet ad opus eius efficiendum, idem certum eſt accidere in actionibus virtutum, atque rerumpublicarum adminiſtrationibus.*
      - *Publicam ciuitatis, non propriam priuatorum, vt quiſque ſuos filios, prout ſibi libuerit, inſtitui faciat, eſſe oportere curam inſtitutionis puerorum.* — *Nam* —
        - *Vnus eſſe finis debet in vnaquaque ciuitate omnium eius ciuium: quare et vna omnium inſtitutio, ac diſciplina. commune autem eſt, quod eſt omnium: & communium curam eſſe communem oportet.*
        - *Partis cuiuſque cura ad curam totius eſt referenda: ciuis autem vnuſquiſque ſe partem ciuitatis, non ſuum per ſe hominem putare debet.*
    - **Modus.**
      - *Accommodatè ad formam reipublicæ eius ciuitatis educandi, inſtituendiq; ſunt futuri cuiuſuis ciuitatis ciue*

TABVLA VII.

Respvblica.

Eſt ordo ciuitatis ex conſtitutione, adminiſtrationeque cùm aliorum omnium imperiorum, tum maximè eius, quod ſummam in ciuitate poteſtatem habet ad propoſitum finem.

Cuius quidem reipublicæ conſyderandæ præcipuè ſunt.

- *Formæ.*
- *Partes.*
  - *Quibus omnibus rectè ſe habentibus, rectè ſe habere reſpublicas; & pro differentia cuiusque illarũ has diuerſas eſſe neceſſe eſt.*
    - *Deliberationes.* Tabula viij. *
    - *Magiſtratus.* Tabula ix. *
    - *Iudicia.* Tabula x. *
- *Conſtitutio.* Tabula xi. *
- *Mutatio.* Tabula xij. xiij. xiv. *
- *Conſeruatio.* Tabula xv. xvi. xvij. *

§ *Ciuilis nanque Philoſophi eſt conſyderare non ſolùm optimam ſimpliciter rempublicam, ſed vnà cum ea alias omnes: vt pro rerum etiam ſuppetentium ratione tum quæ cuiq; earum ciuitatum, quæ optimæ adminiſtrationis compotes eſſe non poſſunt, reſpublica conueniat; tum quæcunque propoſita ſibi fuerit, huius, illius'ue modi, verbi gratia popularis, aut paucorum, aptiſſimè, rectiſſimeque inſtituere, inſtitutam minus rectè emendare, ac conſeruare diutiſſimè queat.* §

Sunt itaque primæ reipublicæ —— *Formæ,*

- *Monarchia,* μοναρχία:
  - *Vbi* - - - *ſumma* - - - *publicæ* - - - *poteſtatis.* [the dotted line runs across the three forms]
  - *Vnus tantùm eſt compos*
    - *Virtute,*
      - *Regnum:* βασιλεία.
    - *Vi, fraude ue,*
      - *Tyrannis:* τυραννίς.
- *Oligarchia,* ὀλιγαρχία:
  - *Compotes ſunt pauci quidam*
    - *Virtute,*
      - *Optimatum poteſtas:* ἀριστοκρατία.
    - *Opibus,*
      - *Paucorum poteſtas:* ὀλιγαρχία.
- *Democratia,* δημοκρατία:
  - *Populus vniuerſus eſt compos*
    - *Virtutis ſtudio,*
      - *Reſpublica:* πολιτεία.
    - *Libertatis nomine,*
      - *Populi ſtatus:* δημοκρατία.

Quæ - - - *quidem* - - - *formæ* - - - *omnes* - - - *ſic* - - - *diſtribuuntur,* [the dotted line runs across the bottom of the chart]

Vt

Vel ſint

Summè rectæ, & vnius modi in ſuo quæque genere:

Loci huius diuiſionis in ſummè rectas, et ſummè deprauatas formas rerū publicarū, ſūt quatuor: vnus à ratione formali imperādis quæ vel iuſtitia eſt, et prudētia; vel eſt cupiditas, et libido: alter a fine, q eſt aut honeſtas, & bonū cōmune, aut voluptas, & bonū ꝓpriū: duo à terminis imperij, nā ꝗ parēt, aut nolētes, aut inuiti parētes ꝗ imperāt, aut boni ſūt, aut mali: qui ab initio imperādi, .i. à ſūma poteſtate aliqā legitimè, aliqā iniquè aſſūpta.

In quibus ſemper ex vera iuſtitia, & prudentia, honeſtatis cauſà, ad cōmunia cōmoda imperāt volentibus aut omnibus, aut melioribus vnus, multi'ue probi viri, qui ſummam, & plenam in ciuitate poteſtatem legitimè habeant.

- Regnum, omnium præſtantiſſima:

Vbi vnus tantùm, qui virtute, facultateq; ciuili reliquorum ſimul omnium virtutem, prudentiamque ſuperaret; eiuſmodi poteſtatem, eiuſmodique imperium haberet, & exerceret.

- Optimatum poteſtas, ſecundum locum probitatis tenens:

Vbi plures vno, virtute, facultateque ciuili vſque eò præſtantes, vt cum ijs prudentiâ, virtuteq; reliquorum omnium comparari non poſſet (quos quidem ita præſtantes accideret, ſed accideret ſemper, vbicunque inuenirentur, eſſe paucos, & plerunque genere nobiles, ac diuites) eiuſmodi poteſtatem, eiuſmodique imperium haberent, & exercerent.

- Reſpublica propriè, duabus ſuperioribus cedens in perfectione, & virtute:

Vbi populus, ideſt ciuium multitudo vniuerſa, virtutem colens (adiuuantibus ſeinuicem in adminiſtratione reipublicæ præſtantioribus, & minus præſtantibus) iuſtè, prudenterique deliberat, & iudicat; in quibus duobus muneribus ſumma, plenaque poteſtas ciuitatum ſemper conſiſtit; tum defert per hæc optimis viris magiſtratus; imperando hoc modo ad commune bonum, honeſtatis causà, volentibus aut omnibus, aut melioribus.

Et has quidem excellentias optare potiùs, quàm inuenire in terris poſſumus: ſed ponuntur tanquam metæ; quibus quo propiores, & à quibus quo remotiores reſpublicæ, quæ reipſa exiſtunt, eò erunt meliores, ac deteriores. Diſtinguuntur autem hæ rectiſſimæ formæ inter ſe termino imperij ſuperiore, hoc eſt ipſo imperante: qui vel eſt vnus ſolus, excellentiſſimus virtute; vel ſunt plures vno, ſimiliter virtute excellentes, vel, vbi non ſunt aliqui adeo perfecti, eſt multitudo ciuium vniuerſa, imbuta virtute, partim magis, partim minus; aut ſaltem eam ſuſpiciens, nitentibus ad honeſtum, vnà cum præſtantioribus, ijs quoque, qui minus valent.

Summè vitioſæ, & vnius modi in ſuo quæque genere.

In quibus ſemper ex libidine, & cupiditate effrenata, voluptatis causâ, imperant inuitis aut omnibus, aut melioribus ad ſua duntaxat commoda vnus, multi'ue homines praui, qui ſummam, & plenam in ciuitate poteſtatem per vim, & fraudem aſſequuti ſint, ac retineant.

- Tyrannis; quæ regno opponitur; omnium deterrima:

Vbi vnus tantùm, ſummam, & plenam poteſtatem in ciuitate per vim, & fraudem adeptus, ac retinens, imperat inuitis, paribus, præſtantioribusque, quàm ipſe ſit, propria libidine, ad ſuum ipſius commodum, ac voluptatem.

Continet autem in ſe tyrannis aberrationes omnes, & peccata, quæ ſunt in deterrimo ſtatu populi, & in deterrima dominatione paucorum. quapropter ex his duabus concreta videtur.

- Paucorum poteſtas, & à quibuſdam Dynaſtia; quæ opponitur poteſtati optimatum; peruerſitate cedens tyrannidi, ſed exuperans ſtatum popularem:

Vbi diuites, opibus, & amicitijs plurimùm alios ſuperantes, quos paucos eſſe ſemper contingit, principes reipublicæ per vim, & fraudem facti, ſummam, plenamq; poteſtatem in ciuitate habent; nec lex, ſed ipſi effrenata cupiditate ad ſuum proprium commodum, diuitiarumq; amplificationem inuitis alijs dominantur.

- Popularis ſtatus; qui opponitur reipublicæ; & minus malus eſt paucorum poteſtate, & tyrannide:

Vbi pauperū colluuies, mixta ex operarijs, forēſibus opificibus, indignioribusq; adhuc hominibus, omni flagitiorū genere inſignibus, & omni ignominia notatis, hī in ſua poteſtate rempub. neglectisq; legibus, ipſa plebiſcitis ſuis, furoreque populari cuncta adminiſtrat, imperās melioribus, inuitisq;, ad ſuam propriā cōmoditatem, & licentiā viuendi. Habet porrò in ſua poteſtate rempublicā hæc colluuio pauperū, improborumq; hominū, vbicunq; in maiori aliqua ciuitate licet cuiuis, qui liber ſit, & inibi natus, cōcionum, iudiciorumq;, quibus reſpublica ſuſtinetur, eſſe participē, nec ſine mercede. Et huius rei quatuor cauſæ ſunt: vna, quòd ob mercedem; altera, quòd ob facilitatem conueniendi, quia in vrbe, & in foro hæc genera hominum aſſiduè verſentur; tertia, quòd nulla domeſticarum rerum cura occupati, qua cura probi, locupletesq; ſæpe impediuntur, illas ipſas conciones, & iudicia magis frequentāt; quarta, quòd multo plures ipſi ſunt numero probis, & locupletibus.

Raro quoque hæc monſtra pura puta naſcuntur. Diuiduntur verò ſimiliter hæ ſummè deprauatæ, ſicut diuidebantur ſuperiores excellentia, .ideſt ipſo imperante. Et primùm quidem prorſus ſimiliter. nam hîc etiam, vt ibi, vel vnus tantùm, vel plures ſunt imperantes. Deinde diſſimili quadam ratione. etenim, ſi plures ſunt, non amplius virtute, vt ibi, vitio'ue ſeparantur plene, & diminutè: ſed quòd alij inopes ſint, alij opulenti; quorum illos multos, hos paucos eſſe, illos peiores, hos minus malos ferè ſemper contingit. Quanquam enim nobilitas, & ignobilitas, æquè ac paupertas, & diuitiæ, diſtinguere homines, & partes ciuitatis videntur: non tamen æqualem illis ad formas rerumpublicarum inducendas, & diſtinguendas vim habent, vt ſuo loco declarabo: præterquam quòd nobilitas virtutis diuitiarumq; eſt comes: & accedit quòd diuitum nomen fuſiùs accipi poteſt, vt ſuprà in Tabula quarta.

Diminutæ, & mixtæ.

A

1 —— Diminutæ, & mixtæ.

A

— Diminutæ, & mixtæ in eadem imperij, ac formæ reipublicæ parte, quæ ſummam continet poteſtatem.

{ Vbi initia ſummè rectarum, ſummèque vitioſarum rerumpublicarum, quæ poſita ſunt, aut diminuuntur, aut etiam miſcentur in eadem imperij, ac reipublica parte, in qua eſt ſumma poteſtas. Sunt autem initia illa omnino octona: quina primùm, quibus diſtinguebantur ſummè rectæ, ſummèque vitioſæ formæ, & altera ab alteris diſtabant: deinde terna, quibus ſummè rectæ inter ſe, & inter ſe ſummè vitioſæ diſtinguebantur. Quina ſunt hæc: Vel ex virtute imperare, vel ex libidine: Vel honeſtatis causâ, & ad commoda communia, vel ad propria, & voluptatis: Vel volentibus, vel inuitis: Vel à probis, vel ab improbis: Vel ab habentibus, vel à non habentibus legitimam poteſtatem. Terna ſunt hæc: Vel vnum ſolum imperare, vel plures vno: Plures verò vno vel præſtantiſſimos virtute, vel partim imbutos virtute, partim ad eam duntaxat conuerſos: Item plures vno vel opulentos, vel pauperes. Quarum trium poſteriorum diuiſionum prima eſt communis vtriuſque generis: ſecunda rectis, tertia vitioſis propria. Et ad hæc octona initia per ſe rectiſſimarum, vitioſiſſimarùmque rerumpublicarum alia fortaſſe quiſpiam adderet ex differentijs ciuium pro varijs vitarum generibus deſumpta: exempli gratia quia reipublica adminiſtratores aut agricolæ ſint, aut opifices, aut verò liberi &c. Sed hæc alia ad bina nouiſſima proximè expoſita, virtutis perfectæ, & inchoatæ; paupertatiſque & opulentiæ facilè reuocabuntur.
Quot igitur modis miſceri, diminuíque initia illa poſſunt (non miſcentur autẽ oĩa omnibus, licet omnia diminuantur) tot poſſunt exiſtere ſic mixtarum, diminutarúmque rerumpublicarum modi, de quibus diſtinctè ſuo loco explicabimus. At quorum Philoſophus in his libris mentionem facit, propemodum hi ſunt. }

— Regnum diminutum manifeſtè poteſtate, fortaſſe etiam virtute, & fine imperandi:

— Quod Heroum temporibus fuit:

Poteſtas perpetua non omnium rerum, ſed ducendi exercitus tantùm, & ſacrificiorum (quæ ſacerdotes propria non haberent) & cauſas indicandi. A volentibus primùm creati reges ob beneficia, { quorum aliqui fortaſſe perfecti reges fuerunt: } poſteri iure quaſi hereditario ſuccedebant.

— Laconicum:

Poteſtas perpetua ducendi exercitus, & ſacrorum. A uolentibus tribuebatur: & tribuebatur hominibus certæ familiæ.

— Regnum mixtum tyrannide:

— Barbarorum quorundam.

Poteſtas plena, & dominica, tyrannicæ ſimilis. Imperium hereditarium aliquando; aliquando ex electione; ſemper ex lege. Imperatur non inuitis. Cuſtodia etiam regia, non tyrannica.

— Aeſymnetarum.

Tyrannis ex electione, & in volentes. Imperium ſcilicet non hereditarium, ſed ſuffragijs, decretoque libero delatum. Plenum autem, atque dominicum. Itaque partim regium, partim tyrannicum. Deferebatur verò hoc imperium quibuſdam donec viuerent; quibuſdam ad certa tempora, vel ad certas res gerendas.

— Optimatum poteſtas mixta poteſtate:

— Paucorum —— Vbi virtutis, & diuitiarum ratio habetur ——
— Populi —— { Vbi virtutis, & populi, quemadmodum ſpartæ, habetur ratio ——
Vbi ſtatus populares illi, quos aliqui propriè reſpublicas vocant, ad paucorum dominationem magis inclinant, hoc eſt ad paucos locupletes, quibus recta inſtitutio, nobilitaſq; magis, quàm tenuioribus, comitantur, reſpicere ſolent. —— }
— Paucorum, & populi. — Vbi virtutis, diuitiarum, & populi, quemadmodum Carthagine, ratio habetur. ——

} In mandandis publicis imperijs, atque honoribus.

— Reſpublica mixta populi ſtatu, & paucorum. —— { Vbi diuitum, & pauperum, vel diuitiarum, & libertatis cum aliquo virtutis reſpectu ſola mixtio in imperio attenditur.
Vbi, præter mixtionem diuitum, & pauperum cum aliquo virtutis reſpectu in imperio, ſumuntur etiam pro reipublicę legibus

Leges totæ — Vtriuſque ——
Media eorum, quæ ſtatuta ſunt legibus — illorum —— ſtatuum, ——
Partes quædam legum — paucorum, & populi. }

- Tyrannis mixta regno.
  - Verè. — Quære ſuprà Regnum.
  - In ſpeciem — Vbi tyrannus regem ſimulat.
- Paucorum, poteſtas diminuta.
  - Vbi lege dominante —
    - Ex cenſibus magnis, & ob id pauci admodum participes fiunt reipublicæ: ſucceduntque filij parentibus.
    - Ex cenſibus paulo minoribus reſpublica adminiſtratur: & ipſi adminiſtratores pro ijs, qui deficiunt, alios deligunt non ex omnibus quidem ciuibus, ſed ex quibuſdam certi ordinis, aut generis.
- Paucorũ poteſtas mixta repub:
  - Vbi lege dominante — Ex cenſibus moderatis, ac denique tantis, vt ſoli pauperes excludantur, ad rempublicam gerendam aditus patet; licetque cuique, qui tanta poſſederit, eſſe participem imperij.
- Popularis ſtatus diminutus:
  - Vbi lege imperante —
    - Omnes omnino, dummodo ſint ciues, ideſt liberi, & inibi nati, poſſunt reipublicæ eſſe participes; nec tamẽ ſunt, aut vix ſunt, qui nullum, aut tenuiſſimum patrimonium habent; ſi mercedem nullam, aut valde exiguam, quę alere eos non poſſit, ex frequentatione concionum capiant.
    - Omnes ciues, ideſt liberi, & inibi nati, qui certa aliqua exceptione non repelluntur (puta quòd eſſent ex patre, aut matre non ciue orti, vel aliqua ignominia notati) poſſunt eſſe participes reipublicę, nec tamen ſunt omnes, aut non frequenter ob cauſam proximè expoſitam.
- Popularis ſtatus mixtus repub:
  - Vbi lege imperante —
    - Ex cenſibus exiguis eſt aditus ad gerendam rempublicam: admittiturque omnis, quicunque tantum bonorum parauerit; excluditur, qui minuerit.
    - Diuitum, & pauperum par ratio habetur; nec permittitur penes alterutros omnino ſummam rerum eſſe poteſtatem; ſed ſeruata numeri ęqualitate cunctis ſimiliter reſpublica communicatur: quod maximè euenit, quom populus potiſſimùm ex agricolis, aut paſtoribus, aut vtriſque conſtat.
- Mixtæ, & diminutæ in toto imperio eiuſdem reipublicæ:
  - Vbi in eadem republica varia forma imperiorum, & rerumpublicarum miſcentur; ac, quia miſcentur, neceſſariò etiam diminuuntur aut omnes, aut quædam earum: vt ex optimatum, & populi, fortaſſe verò & regio ſtatu mixta, temperataq; fuerunt reſpublicæ Laconum, & Romanorum.

Modi autem permixtionis diminutioniſq; huius generis ſatis per ſe euidentes ſunt, vt ſuo loco planum fiet. quamobrem de ijs nihil Philoſophus in his libris.

TAB. VIII.

TABVLA VIII.

Deliberationes, & conſilia publica.

{ *Hæc ſunt propria eius, quod in ciuitate dominatur; & in eo ſemper perfectè manent; licet ab eo alijs aliquando, & aliquatenus communicentur, his aut illis, magis aut minus.* }

Quarū deliberationum:

- Res ſubiectæ: Sūt publicæ deliberationes potiſſimùm — De
  - Sacris tuendis, reſtituendis, & ſuperſtitionibus exterminandis.
  - Legibus:
    - Ferendis.
    - Abrogandis.
    - Corrigendis.
  - Conſtitutione ciuili, varios vſus ciuitatis reſpiciente.
  - Bello, & pace.
  - Societatibus bellicis ineundis, & dirimendis.
  - Cuſtodijs vrbis, & locorum totius regionis.
  - Magiſtratibus creandis. & de iiſdem corrigendis, { hoc eſt de abrogando eis imperio poteſtateq; augenda ac minuenda, } περὶ τῶν ἀρχαιρεσιῶν, καὶ ἀρχῶν, καὶ τῶν εὐθυνῶν.
  - Re pecuniaria.
  - Importandis, & exportandis rebus, ad vitam vtilibus.
  - Pœnis quibuſdā infligēdis (quādo legibus nō fuerit id prorſus definitū)
    - Capitis
      - Mortis.
      - Seruitutis.
      - Exilij.
    - Publicationis bonorum.
  - Premijs, et muneribus dandis
    - Pecunijs, ideſt numis, alijs'ue rebus, quæ numis æſtimētur, vt agris, aſſignandis.
    - Honoribus, vt triumphis, ſtatuis, & alijs eiuſdem generis decernendis.
    - Ciuitate donanda.
    - Ditione ſua, aut parte eius aliqua vel liberè, vel ſub conditione concedenda.
- Partes
  - Referre, ſeu ꝓponere.
  - Diſquirere.
  - Decernere.
  - Confirmare, aut infirmare decreta.

  { Quę oīa quidē diuerſis modis fieri poſſunt, & reipſa fiunt in diuerſis ciuitatibus: committunturq; aut iiſdem omnia, aut alia alijs; & vel eodem tempore, vel differentibus.

  Suffragia autem, quæ in decernendo, & in confirmādo, infirmando'ue feruntur — Aut ſunt
  - Aperta
    - Vox viua.
    - Motus quidā corporū, aut membrorum.
  - Occulta
    - Tabellæ.
    - Teſtulæ.
    - Globuli.

  (Suffragia:)
  - Iubētia.
  - Vetātia.
  - Neutra.
- Participes, Vel ſūt ciues
  - Omnes omniū:
    - Omnes ſimul omnium.
    - Omnes ſimul quarundam; aliarum verò ſingularum ſui magiſtratus ad eas creati, & ex omnibus delecti, vel ſorte ducti.
    - Omnes ſimul quarundam; cæteras committunt iis magiſtratibus, qui omnium ſuffragijs, ad illas tanquam magis idonei, delecti fuerint.
    - Omnes ſimul nullius; ſed per vices omnes omnium: quia magiſtratus reipſa omnium; ad quos magiſtratus ſingillatim per vices cuncti perueniunt.
  - Quidam omniū: nempe — Vel
    - Omnium
      - Vnus aliquis magiſtratus.
      - Plures magiſtratus.
    - Aliarum alij magiſtratus.
  - Omnes quarundam, quidam quarundam. Certas quaſdam vniuerſi ſimul; reliquas magiſtratus. Et has reliquas — Vel
    - Cunctas communiter magiſtratus — Aut
      - Delecti.
      - Sorte ducti
        - Statim.
        - Ex ātè electis.
      - Delecti alij, alij ſorte ducti.
    - Quaſdā propriè magiſtratus
      - Delecti.
      - Sorte ducti
        - Statim.
        - Ex antè electis.

Tab. 7ª.

TABVLA IX.

MAGISTRATVS, { Furè nomen hoc ſumendo, vt complectitur omnes curas publicas, quibus eſt aliqua vis, & auctoritas publicè tributa. }

Horum igitur magiſtratuum, & procurationum publicarum, quæ certis perſonis, & de certis rebus mandantur, hæc præcipuè ſunt conſyderanda.

- Differentiæ
  - Ex
    - Vi vocabuli
      - Magiſtratus propriè —— Quibuſcunque data eſt de certis quibuſdam rebus deliberandi, iudicandi, & iubendi publica poteſtas, maximè autem iubendi, ad actionem, & curam aliquam, iuuandę ciuitatis gratiâ: vt Aedilibus, & Ducibus exercituum.
      - Magiſtratus minus propriè, ſed præfecturę ſolùm, vel curę publicę —— Quibus demandata eſt publica aliqua adminiſtratio ſine iubendi, iudicandi, deliberandi facultate: vt Sacerdotibus, Choragis, Legatis, Præconibus, & ſimilibus.
    - Vſu, & rebus ſubiectis
      - Neceſſarij & communes omnium rerum publicarum: ſine quibus ciuitas eſſe non poteſt. Hi ſunt, qui pertinent Ad
        - Diuinum cultum. – Sacrificia, ædes, pecunias, aliaſque res ſacras curare, parare, conſeruare, diſpenſare, inſtaurare, reficere. Et alicubi vna tantùm cura eſt, alicubi multę. Nomina; Sacerdotes, Principes, Reges ſacrorum, Prytanes, Aeditui, Cuſtodes, Quæſtores ſacrarum pecuniarum.
        - Conſilia rerum cõmunium. – Maximam hic inter omnes alios magiſtratus poteſtatē habet, & de maximis rebus, vt moderari, ac regere peue ſolus ciuitatem, atq; id, in cuius manu reſpublica eſt, videatur; aliquando per ſe ſtatuens, aliquādo proponens, aliquādo confirmans ea, quę ſunt decernenda, et facienda. Nomen in ſtatu optimatum; legum cuſtodes; in paucorum poteſtate, Precōnſultores, & Conſules; in populari, Conſilium; vbiq; Conſiliarij.
        - Bellicas res. – Cuſtodiæ vrbis, & bellicis omnibus expeditionibus præeſſe: ciuium delectus habere, eorumq; ordines conſtituere. Alicubi pauciores, alicubi plures magiſtratus. Nomina, Imperatores, Duces exercituū, Equitum, Nauium, Ordinum, Tribuum, Portarum, Murorum præfecti, & alia id genus.
        - Prouentus, & pecuniā publicam. – Accipere, cuſtodireq; publicos reditus, vnde ad ſingulos reipublicæ vſus diſtribuātur. Nomina; Quæſtores, & Receptores.
        - Rationes conficiendas, & emendandas rerum communium. – Earum rerum communium, quas magiſtratus aliquando tractant, rationes perſpicere, & emendare. Nomina; Correctores, Ratiocinatores, Exquiſitores, Procuratores.
        - Forum rerum venalium. – Vt in commercijs emendo, ac vendendo rectè, ordineque cuncta gerantur. Nomen Romanis, Aedilitatis pars.
        - Vrbem, & partes vrbis. – Publica priuataq; ędificia, mœnia, vias, fontes, aquęductus, portus conſeruari, refici cum ornatu, & cōmoditate decenti, limites ſine querimonia teneri, & eiuſmodi alia prouidere. Partes multas habet hic magiſtratus, quarum alijs alij in magnis ciuitatibus præficiuntur. Nomen; Aſtynomia apud Gręcos; Romanis pars Aedilitatis.
        - Agrum, & ea, quę ſunt extra vrbem. – Similes res proximè expoſitis in agro, & extra vrbem curare. Nomina; Præfecti agrorum, Cuſtodes ſyluarum.
        - Tabulas, ſcriptaque publica, & priuata. – Contractus priuatos, iudicia magiſtratuum, cauſarū acta, litium intentiones, & alia huiuſmodi deſcribi, & deſcripta cōſeruare. Diuidunt alicubi hunc magiſtratum in plures; vnus tamen eſt vt omnibus præfectus. Nomina; Sacrimemores, Præſides, Memores gręcè; latinè Scribæ, & Tabelliones. Hæc etiam Cenſuræ pars, quæ ad æſtimationem, deſcriptionemq; facultatum priuatarum attinet, eſt reducenda.
        - Executiones, & Cuſtodias. – Sententias iudicum exequi: & corpora reorum, damnatorumq; cuſtodire. Diuiditur hic magiſtratus alicubi in duas partes: & diuiditur in plures, multariáq; ſæpe ob odium, quod eum ſequitur, debet. Nomina; Carceris, ſeu Cuſtodiarum præfecti, & Executores iudiciorum.
      - Vtiles, & proprij quarundam Ad
        - Firmamentum deteriorum.
          - Vt Præconſultores in paucorum poteſtate; Tribuni plebis in populari; & alij in alijs eodem modo.
        - Modeſtiam, & ornatum meliorum.
          - De
            - Mulierum moribus, & honeſtate, γυναικονομία.
            - Puerorum inſtitutione, παιδονομία.
            - Moribus ciuium. Ciuium mores certis temporum ſpatijs examinare, & corrigere: alios notare ignominia; alios multare; alios honoribus augere. Νομοφυλακία: Cenſuræ pars apud Romanos.
            - Legum obſeruatione: νομοφυλακία.
            - Gymnaſiis, γυμνασιαρχία.
            - Et alijs ſimilibus rebus.
        - Voluptatem eorum, quæ magis otioſæ ſunt, & fortuna proſpera vtuntur.
          - De Ludis gymnicis, Dionyſiacisque, & quę alia huiuſmodi ſpectacula contingit fieri. Hæc etiam curabant Aediles apud Romanos.

{ Alij aliter partiuntur, & numerāt magiſtratus. ſed nos in præſentia Philoſophum ſequimur. Porrò autem quum ipſe tres partes faciat reipublicæ inter ſe differentes, deliberationē, magiſtratus, iudicia; non poteſt reponere in numero magiſtratuum nec ſummum conſilium, quod manet in eo, è cuius auctoritate tota reſpublica pendet; nec iudices, qui propriè iudicijs reddēdis de rebus aut priuatis, aut publicis, & reddendis quidem ex legibus, iureq; ciuili ſunt deſtinati. Deliberare autem, & iudicare, quæ tribuit ipſe magiſtratibus, ſunt aliorum generum, & alio per ſe referuntur: ideſt ad actiones, curáſq; illas publicas ſingula, quarū illi ſinguli ſunt magiſtratus, qui magiſtratus præterea de eiuſmodi rebus liberè iudicant, et deliberant, prout vnicuiq; eorū conducere ad rempublicā, actionémq; eam, cui præeſt, videtur. Magiſtratibus ſanè interdū iudicia cōmittuntur: & idē homo, qui ius dicit, etiā gerit magiſtratū: ſed tamē reipſa alij iudices ſunt, alij magiſtratus }

-Diſtributio.

Qui magiſtratus coniungantur, aut diuidantur: — Vt multi vni, & vnus multis, & ſinguli ſingulis hominibus committi poſſint, ac debeant.

— Pro ciuitatis { Magnitudine, & Conditione.

— Ex iiſdem, diuerſis'ue — { Locis. Rebus. Perſonis. } Vt oporteat'ne fori præfectum in foro modeſtiæ curam gerere; alio autem in loco alium; an vbique eundem? & modeſtiæ puerorum, mulierumque vnum, an duos? & modeſtiæ, diſciplinæq; puerorum ſimiliter vnum, an duos?

Ratio creandi magiſtratus quotuplex. — Cuius rei primæ differentiæ tribus terminis continentur:

Quos vocat Philoſophus

A quibus	*Ex quibus*	*Quomodo*
Creari — enim — poſſunt — magiſtratus		
Aut à ciuibus	*Aut ex ciuibus*	*Aut*
Omnibus oẽs. / Quibuſdã oẽs. / Oĩbus quidã, et quibuſdã quidã.	*Oĩbus oẽs. / Quibuſdã certis oẽs. / Oĩbus qdã, et qbuſdã certis quidã.*	*Electiõe oẽs. / Sorte oẽs. / Partĩ electiõe, partĩ ſorte.*

Quarum — differentiarum — partes ſi — inter ſe — copulaueris, — fient — modi — omnes — trigintaſex. — Nanque

Aut creantur magiſtratus.

- *Ab omnibus omnes,*
  - *Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus, — Per partes, vt per tribus, & phratrias, donec vnuſquiſq; ciuis perueniat ad magiſtratũ, } — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex quibuſdam definitis, verbi gratia cenſu, aut genere, aut virtute, aut alia eiuſmodi re, { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex omnibus quidã, & ex quibuſdam definitis quidam, { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
- *A quibuſdã omnes,*
  - *Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus — Per partes, vt per tribus, & cæt. — } — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex quibuſdã definitis, veluti cẽſu & cæt. { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex omnibus quidam, & ex quibuſdam definitis quidam — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
- *Ab oĩbus quidã, & à quibuſdã quidam*
  - *Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus, — Per partes, vt per tribus & c. — } — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex quibuſdam definitis veluti cenſu & c. — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*
  - *Ex omnibus quidam, & ex quibuſdam definitis quidam — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte.*

-Conſtitutio.

Quibus hominibus principales magiſtratus rectè committantur.

Conditiones ſummæ tres. { Vna, — Vt ament ſtatum præſentem reipublicæ. — Altera, — Vt poteſtatem maximam, ideſt ingenium, & vſum ad munera eorum magiſtratuum obeunda habeant. Tertia, — Vt virtute, et iuſtitia ad formã illiꝰ reipub. accõmodata ſint prediti. } Quòd ſi in eodem homine hæc tria nõ reperientur: committendi erũt magiſtratuum ij, qui magis probitatem, quàm peritiã efflagitabũt, viris probis, licet minus peritis; qui magis peritiã, quàm probitatem, peritis, licet minus probis. Deniq; harũ duarũ rerum, peritiæ, ac probitatis in quauis electione illam anteponito, quam rariorem eſſe in hominibus conſpexeris.

A

A

- *Tempus gerendorum.*
  - *Vtrum perpetuos eſſe oporteat magiſtratus, an diuturnos, an neutrum, ſed annuos, aut ſemeſtres, aut verò ſpatij breuioris, quemadmodum nonnulli volunt: & vtrum ab vno, eodemque homine ſemel tantùm eundem magiſtratum geri, an iterum, & ſæpius: quique horum modorum quibus magiſtratibus, & ad quas formas rerumpublicarum magis conueniant.*
- *Vis, & auctoritas.*
  - *Quæ, quanta, quarum rerum, & in quas perſonas cuique magiſtratui, & in quaque forma rerumpublicarum ſit danda auctoritas.*
  - *Qui magiſtratus quibus magiſtratibus parere, aut imperare debeant.*
  - *Partes præcipuæ huius auctoritatis de ſententia Philoſophi, (nam alij alias dicunt,)*
    - *Deliberare.*
    - *Iudicare.*
    - *Iubere.*
      - *Edicendo.*
      - *Prehendendo.*
      - *Vocando.*
    - *Referre.*
    - (all the above:) *Circa certas res, certas perſonas, & in actionem certam, ciuitatis iuuandæ cauſâ.*
- *Inſignia.*
  - *Prætexta.*
  - *Haſtæ.*
  - *Sellæ curules.*
  - *Serui publici.*
  - *Viatores.*
  - *Lictores cum faſcibus.*
  - *Et alia multa, de quibus alibi.*

TAB. X.

TABVLA X.

Tab. 7ª.

Indicia.

Quorum varietas, & diſtinctio in his tribus terminis primùm conſpicitur.

- **Ex quibus**
  - Nam conſtitui iudicia poſſunt, aſſumique qui ſunt indicaturi
    - Aut ex ciuibus
      - Omnibus.
      - Quibuſdam certis.
- **De quibus**
  - Quot ſint ſpecies iudiciorum, cauſarum diſſimilitudine inter ſe diſtinctæ.
  - Et hoc ſanè pacto diuiduntur iudicia omnia
    - In
      - **Publica, πολιτικά.**
        - Rerum, & criminum, directò ad rempublicam pertinentium
          - Repoſcendarum de publicis adminiſtrationibus rationum, ἃ εὐθυνῶν, ἢ εὐθυνῶν. { Repetundarum vocarūt Romani, primùm hoc nomine vſi in ſolis pecunijs ablatis, captis, coactis, conciliatis, auerſis à magiſtratibus, alijs'ue publicis curatoribus, deinde tranſtato eo ad omnia, quæcunque ijdem, in magiſtratu, publicaue alia cura poſiti, nō ſolùm auarè, ſed etiam libidinosè, ſuperbè, crudeliter, iniuſtè denique, & ſuis officijs minimè congruentia feciſſent. }
          - Communium rerum. { Peculatus, Peculiarum reſiduarum, & Sacrilegij iudicia hoc capite continentur. }
          - Reipublicæ ipſius læſæ. { Maieſtatis, & Ambitus iudicia, & ſi qua alia eiuſmodi ſunt, huc pertinent. }
          - Multarum, aliarum'ue pœnarum, de quibus, indictis à magiſtratibus, certant cum ijs priuati.
      - **Priuata, ἴδια.**
        - Rerum, & criminum ad priuatos directò attinentium
          - Criminum, et maleficiorū aduerſus priuatos, vt furti, adulterij, cædis, et ſimilium. { quorū criminū maiora vocant capitalia, græcè φονικά, quia capite, ideſt morte naturali, aut ciuili vindicentur; reliqua non capitalia. }
            - Quatuor modos habent hæc indicia de priuatis criminibus: nempe — Si
              - De induſtria admiſſum ſit crimen.
              - Ab inuito ſit admiſſum.
              - Iure, iniuria'ue admiſſū ſit, diſceptetur, fatēte reo admiſſū eſſe.
              - Quiſpiā, anſè reus peractus, q exilij causā, mortē ſubterfugiēs, ſolum verterit, velit ſe purgare, vt in patriam reuertatur.
          - Litium, & cōtrouerſiarum priuatarū, ſeu ciuiliū — De
            - Cauſis, & contractibus maioribus.
            - Cauſis, et cōtractibus puſillis, ab vna vſq; ad quinque drachmas, vel paulo amplius.
            - Harum verò cauſarum, controuerſiarumque priuatarum aliæ ad perſonas, aliæ ad res priuatas, aliæ ad obligationes pertinere dicuntur. de quibus differentijs alio loco.
      - **Peregrina, ξενικά.** { Ob hæc indicia creatus Romæ prætor proprius, qui peregrinus vocabatur. }
        - Peregrinorum inter ipſos.
        - Peregrinorum cū ciuibus.
- **Quo modo.**
  - Aſſumi enim poſſunt, qui ſunt indicaturi,
    - Electione.
    - Vel
    - Sorte.

Porro autē hæc publica iudicia (nam de his maximè conſyderandū eſt, concitantibus, niſi rectè fiant, ſeditiones, mutationesq; rerumpublicarum) aliquādo à ſumma ciuitatis poteſtate exercentur, præſertim in popularibus rebuſpublicis, in quibus aut ſemper, aut plerunq; de his indicat populus: aliquādo ab eadem ſumma poteſtate, vel à magiſtratu, hoc iuris à ſumma poteſtate habēte, certi homines ijs præficiuntur, quos hac de cauſa Quæſitores, Diſceptatores, & Iudices propriè appellant. Vt igitur mandantur proprijs iudicibus, copulata cum alijs duobus terminis, qui, Ex quibus, & quo modo, nominati ſunt, has differentias efficiunt, vt — Vel

- **Ex omnibus**
  - Ad
    - Omnia indicanda vniuerſi aſſumantur electione.
    - Omnia indicanda vniuerſi aſſumantur ſorte.
    - Omnia indicāda, ad hæc quidē hi electione, ad illa verò illi ſorte aſſumantur.
    - Omnia, & eademmet vniuerſi indicāda aſſumantur, alij quidem electione, alij verò ſorte.
- **Ex quibuſdam certis**
  - Ad
    - Omnia indicanda vniuerſi aſſumantur electione.
    - Omnia indicanda vniuerſi aſſumantur ſorte.
    - Omnia indicāda, ad hæc quidem hi electione, ad illa verò illi ſorte aſſumantur.
    - Omnia, & eademmet vniuerſi indicanda aſſumātur, alij quidem electione, alij autem ſorte.
- **Ex omnibus partim, partim ex quibuſdam certis**
  - Ad
    - Indicanda quædam ex omnibus, & quædam ex quibuſdam aſſumantur — Electione tantùm. / Sorte tantùm. / Vtroque modo.
    - Indicanda omnia ex omnibus, & quædam ex quibuſdam aſſumantur — Electione tantùm. / Sorte tantùm. / Vtroque modo.
    - Indicanda quædam ex omnibus, & omnia ex quibuſdam aſſumantur — Electione tantùm. / Sorte tantùm. / Vtroque modo.

TAB. XI.

TABVLA XI.

Tab. 7ª.
*

Cõſtitutio reipublicæ.

- *Quibus generaliter conſtituantur, & exiſtant reſpublicæ*
  - *Cauſis*
    - *Efficientibus*
      - *Sunt cauſæ rerumpublicarũ efficiẽtes eædem omnino, quæ ciuitatum: nempe*
        - *Natura.* — *Vult enim natura eſſe aliquid imperans, & aliquid parens in omni re, quæ ex multis vnum commune facta eſt.*
        - *Neceſſitas.* — *Nam ſine republica non eſt prorſus ciuitas: quum ſit reſpublica forma ciuitatis. ideſt non poteſt manere vlla hominum multitudo, quæ populum faciat, niſi in ea multitudine alij alijs imperandi vim, & auctoritatem obtineant: in quo conſiſtit reſpublica.*
        - *Ratio, & prudentia humana.*
    - *Quaſi inſtrumentis quibuſdam.*
      - *De his quære in capite Mutatio. nam ſunt eadem omnino, quibus conſtituuntur reſpublicæ, & quibus mutantur tanquam inſtrumentis, ideſt vis, fraus, & admonitio ſyncera. Cõmodiùs autem, aptiusque ad doctrinam & hæc, & alia quædam, ad conſtitutionem pertinentia, ibi exponentur, vt quæcunq; faciunt ad mutationes, conſeruationesq; rerumpublicarum, in quibus maximam adhibere diligentiam debet, quiſquis huic facultati operam nauat, continenter tradantur.*
    - *Finis rationem habentibus.*
      - *Quicunque ſunt fines ciuitatum, ijdem omnes ſunt fines rerumpublicarum, quæ ciuitatum formæ ſunt. ad illos verò adiunguntur honor, & lucrum proprij fines mutationum earundem rerumpublicarum.*
  - *Modis.*
    - *Non ſunt diſſimiles modi conſtitutionis, & mutationis rerumpublicarum itaque hos etiam ibi require.*
- *In quo — quæque — ſingillatim — aptiſſimè — conſtituantur*
  - *Populo.*
    - *Quando igitur* — *Conſtituitur faciliùs*
      - *Superauerint proportione numeri, & præſtãtiæ, vel quãti, & qualis alias partes ciuitatis.*
        - *Plebeij:* — *Popularis ſtatus, eiusq; hæc, aut illa ſpecies, prout hæc, aut illa plebis pars ſuperior fuerit.*
        - *Agricolæ vel per ſe, vel vnà cum medijs ciuibus:* — *Popularis ſtatus mixti republica vtraq; ſpecies.*
        - *Alia genera plebis vel omnia, vel quædam, Vectigalib. pub. ad dãdã ĩ cõciones mercedẽ*
          - *Minimè ſuppetentibus* — *Popularis ſtatus diminuti vtraque ſpecies.*
          - *Suppetẽtibus* — *Popularis ſtatus ſummè vitioſus.*
        - *Diuites, nobiles'ue* — *Paucorũ potẽtia, eiusq; hæc, illa'ue forma, prout hæc, aut illa diuitũ multitudo ſuperior fuerit.*
  - *Loco & regione*
    - *Vbi* — *Aptè conſtituuntur*
      - *Regio eſt*
        - *Cãpeſtris, & equitib. accõmodata:* — *Paucorũ potẽtiæ ex maximis, & magnis cenſibus.*
        - *Collina, et cõueniẽs pediſibus grauis armaturæ:* — *Paucorũ potẽtiæ ex cẽſibus minoribus, et moderatis.*
        - *Mõtana, et apta peditib. armaturæ leuis:* — *Populares ſtatus mixti republicæ.*
        - *Omniũ trium particeps.* — *Reſp. vocata, et ſtat⁹ mixti omnes magis, aut minus.*

- Diuites numero pauciſſimi, ſed qui opibus, & clientelis maximè præſtent: — Paucorum poteſtas ſummè vitioſa.
- Diuites ampla patrimonia habentes, & numero pauci: — Paucorum poteſtatis diminutæ vtraque ſpecies.
- Diuites minus ampla patrimonia poſſidentes, & numero ſatis multi, vel per ſe, vel cum medijs ciuibus. — Paucorum poteſtas mixta republica.
- Medij, præſertim ſi cum ipſis vnà fuerint in eodem populo multi clari virtute: — Regnum, vel Optimatum ſtatus, vel Reſpublica vocata ſimplex.
- Medij, & diuites: — Optimatum poteſtas mixta paucorum potentia.
- Medij & pauperes, vel diuites & pauperes: — Optimatum poteſtas mixta populi poteſtate.
- Pares inter ſe propemodum fuerint eadem proportione Medij, diuites, & pauperes: — { Optimatum poteſtas / Reſpublica vocata } Mixta ſtatui populari, et paucorũ dominationi.
- Populus fuerit
  - Deuinctus Beneficijs maiorum — } futuri regis — Regni diminuti ſpecies.
  - Plenus { Spei / Admirationis } Ob virtutẽ opinatam
  - Proclinior naturâ ad ſeruiendum: — Regni mixti tyrannide ſpecies prima.
  - Incallidus: / Diſcordiarum fluctibus agitatus: / Periculo commotus: / Neceſſitate rerum agendarum aſtrictus: — Tyrannis ſumma, & regni mixti tyrannide ſecunda ſpecies.
- Agri
  - Procul ab oppido diſtant: — Populariſ ſtatus mixti republica duæ ſpecies.
  - Anguſti, aut nulli omnino sũt, q coli paſci'ue poſſit, ⟨ quoniã ibi neceſſe eſt multiplicari turbam forensẽ, et alias partes plebis deteriores. ⟩ — Popularis ſtatus ſummè vitioſus, & duæ ſpecies eius diminutæ.
- Vrbs, aut regio eſt maritima, ⟨ quoniam non ſolùm claſſiariorum militum, ſed etiam maritima omnis turba, aliarũq; plebis partium deteriorũ neceſſe eſt copiam adeſſe. ⟩ — Popularis ſtatus ſummè vitioſus, & duæ ſpecies eius diminutæ.

Quibus quæque præceptis, & rationibus tam vniuersè, quàm ſingillatim commodiſſimè inſtituantur.

⟨ Quibus autem præceptis, rationibusq́ue aptè inſtituuntur reſpublicæ, ijſdem conſeruantur: ab ijſdem enim initijs, & ab eadem facultate hæc duo pendent. Quamobrem hoc caput eſt illud idem, quod explicatur ſub Conſeruationis vocabulo. ⟩

TAB. XII.

TABVLA XII.

Tab. 7ª.

MVTATIO reipublicæ.

Mutationes & interitus rerumpublicarum.

- *Vniuerſè omnium*
  - *Ex quibus mutentur, & intereant.*
    - *Quæ ſunt initia, & cauſæ mutationum duæ:*
      - *Altera*
        - *Externa.*
          - *Quom contraria aliqua reſpublica vel propè eſt, vel procul quidem, ſed valde potens.*
        - *Interna.*
          - *Intrinſecus autem, & à ſemetipſa mutantur reſpublicæ*
            - *Seditionibus.*
              - *De quibus ſeditionibus hæc potiſſimùm ſunt conſyderanda.*
                - *Quarum rerum cauſâ ſeditiones faciant, qui faciunt.*
                  - *Hæ res ſunt quatuor: — Vel vt ipſi, amici'ue ipſorum*
                    - *Adipiſcantur* { *Lucrum.* / *Honorem.* }
                    - *Euitent* — { *Damnum.* / *Ignominiam.* }
                  - *Faciunt*
                    - *Ex falſa æqui, iniquique; paritatis, & imparitatis in republica attendendæ exiſtimatione: quom id, quod quiſque eorum par, æquumque exiſtimat, erga ſe in publicis adminiſtrationibus communicandis, aut exercendis obſeruari non videt.*
                    - { *Nobiles genere:* / *Diuites:* } *Niſi plus habuerint, quàm reliqui, vt dignum putant — Ob* { *Nobilitatem ſuam.* / *Diuitias ſuas.* }
                    - *Pauperes: — Si minus habuerint, quàm reliqui, quibus ob ſuam libertatem ſe pares, & paria hac de cauſa mereri arbitrantur.*
                - *Ex qua ſua quadam, generalique, ac prima animi conſtitutione, & cauſa, & qui ſeditiones faciant, aut non faciant.*
                  - *Non faciūt*
                    - *Virtute præſtantes: (quanquam iuſtiſſimè omnium, vbi non plura proportione virtutis reciperent, eas concitarent.)*
                    - *Ex magnanimitate, & prudentia: ex quibus ſua commoda, honoresque ſibi debitos præ tranquillitate, ac pace publica nihili pendunt. — Quòd ſi tyrannides, aliaq; monſtra rerumpublicarum ipſi aut ſoli, aut maximè, quom poſſunt, oppugnant, & tollunt; planè ad id mouentur, non ſui proprij, ſed communis boni, virtutiſque, ac iuſtitiæ cauſâ. quare nec illæ quidem ſunt ſeditiones.*
            - *Vel*
  - *Speciatim ſingularum.*
    - *Earum, quæ à multis reguntur:*
      - *Popularis ſtatus.*
      - *Paucorum potentiæ.*
      - *Optimatum ſtatus.*
      - *Reipublicæ.*
      - *Tabula xiij.*
    - *Earum, quas monarchias vocant, quia regantur ab vno tantùm:*
      - *Tyrannidis.*
      - *Regni.*
      - *Tabula xiv.*

Remedia eiuſmodi mutationum.

- *Quæ ſunt conſeruandarum rerumpublicarum rationes, & modi. Quære itaque verbum Conſeruatio in Tabula xv.*

- Magis ꝓpriæ & per ſe
  - Lucrum ex rebus { Publicis. / Priuatis. } — Quibus alij alios augeri vident, aliquando
    - Iniuſtè, ſi præter dignitatem.
    - Iuſtè, ſi pro dignitate.
  - Honor
  - Contumelia, iniuriaque omnis
    - Ipſorum inter ſe rectorum reipublicæ.
    - Ipſorum rectorum reipublicę in alios.
  - Metus — In ijs, qui
    - Fecerunt iniuſtè aliquid: ut pœnas dent.
    - Accepturos ſe iniuriam vident: vt præueniant, antequam accipiant.
  - Exuperatio potentiæ — In vno, multis'ue ſupra modum ciuitatis, ac virium reipublicæ. Quæ exuperatio vel alios non fert, niſi plenè dominetur; vel non fertur ab alijs, qui dominari eam nolunt.
  - Incrementum præter proportionem — Alicuius partis ciuitatis. Parte ea, quæ aucta eſt, contra aliam, vel alia contra eam inſurgente.
  - Amplificatio gloriæ, vel potentiæ — In ciuitate. cuius amplificationis cauſa fuerit vel priuatus aliquis, vel magiſtratus, vel tribus, vel pars denique, & qualiſcunque multitudo ciuitatis. Aut enim: qui his inuident; aut hi ipſi, qui præſtant, ſeditionem mouent.
  - Contemptus — In alijs eorum, qui rempublicam moderantur.

Quæ ſint initia, & cauſæ magis ſpeciales, ac proximæ, & aliunde naſcentes ipſarum ſeditionum

- Magis communes mutationũ, quæ ſine ſeditiõe fiũt.
  - Pudor — Meliorum ciuium; quòd pudendis hominibus honores reipublicæ mandentur. Vnde iurgia, & impetus alterorum in alteros.
  - Negligentia — Rectorum reipublicæ; peruenire illos ad ſummos magiſtratus, qui odio eam habent, ſinentium. Vnde alteri in alteros, iam vtrique potentes, armantur.
  - Pauxillum. — Quoniam paulatim ſuccreſcens legum, atque morum variatio, ſi pauxillum negligatur, in magnam tandem mutationem latenter euadit. cui mutationi ſæpenumero comitari ſeditio ſolet.
- Penè ex accidẽti
  - Diſſimilitudo ciuium.
    - Gentiũ diuerſarũ: qui ciues
      - Ab initio vrbem incoluerunt.
      - Pòſt in ciuitatem ſunt recepti.
    - Gentis einſdem:
      - Proborum, & prauorum, ex virtute, & vitio.
      - Diuitum, & popularium, pauperum'ue; ſiue nobilium, & ignobilium; ex diuitijs, & paupertate, nobilitate, & ignobilitate.
      - Ob ſitum vrbis, cuius partes valde differentes diſſidia pariant.
      - Ob alia diſcrimina eiuſdem modi.
  - Diſcordiæ — Principum potiſſimùm, deinde nobilium, & aliorum, qui aliquid poſſunt in ciuitate.
  - Aequalis potentia — Partium ciuitatis, quæ contrariæ videntur, ideſt diuitum, & pauperum; dum pars media inter eas aut exigua, aut nulla ſit.

Sine ſeditione.

Cauſæ illæ omnes & initia, quæ ſeditiones, ac per eas mutationes rerumpublicarum faciunt; poſſunt has eaſdem continuò mutare ſine ſeditione vlla, & tumultu, potiſſimùm autem tres illæ:
- Pudor.
- Negligentia.
- Pauxillum.

Quibus mutentur.

Quæ vocari inſtrumẽta poſſunt, vel cauſæ inſtrumẽtariæ. Hæc ſunt genere tria.
- Admonitio, & hortatio ſincera.
- Vis cogens
  - Statim ab initio.
  - Poſtea.
- Fraus. Quæ, poſtquã aſſentiẽtibus ijs, qui decipiũtur, rempub. mutarit,
  - Vi continet eoſdem inuitos.
  - Perſuaſis, atq; volẽtib' imperat.

Modi mutationum.

Vel fit mutatio
- Totius reipublicę
  - Simpliciter. — Pro vno ſtatu alius inducitur; vt pro populari paucorum.
  - Quodãmodo. — Intenditur, remittitur'ue idem reipublicæ ſtatus, qui antè erat: vt ſi paucorum potentia ad pauciores, plures'ue redigatur.
- Partis cuiuſpiam reipublicæ. — Magiſtratus aliquis nouus inſtituitur, aut vetus tollitur.
- Rectorum, retenta eadem forma reipublicæ. — Vt quom vnus, altero depulſo, aut interfecto, ſibi monarchiam parat.

TAB. XIII.

TABVLA XIII.

MVTATIONES, & interitus rerumpublicarum earum, quæ à multis reguntur.

- Popularis ſtatus
  - Mutatio.
    - Stabilior eſt, minuſque ſeditionibus patens, quàm paucorum potentia — Quoniam
      - Minus diſtat hic ſtatus à republica, quàm ille ab optimatum.
      - Mediocres ciues in hoc plures ſunt, & magis bonorum participes, quàm in illo.
      - Diſſenſio hîc vna tantum eſt, quæ eſt populi cum diuitibus; ibi duplex, vna inter populum & paucos, altera paucorum inter ſe.
    - Mutatur maximè, frequentiuſque in paucorum potentiam; deinde in tyrannidem; tertio loco in alias ex alijs ſui formis.
  - Cauſæ & initia mutationum.
    - Vna eſt ſumma cauſa, ipſa Ductorum populi, ideſt δημαγωγῶν improbitas:
    - Ob quam ſtatus iſte popularis.
    - In
      - Paucorum potentiam mutatur.
        - Cogunt enim Ductores populi locupletes, nobileſque viros inter ſe conſpirare, ac vires conferre. — Dum, vt populo gratificentur —
          - Iniurijs illos afficiunt.
          - Bona, patrimoniaque illorum diuidunt æquis portionibus in ſingulos ciues.
          - Reditus illorum aſſignant publicis adminiſtrationibus.
          - Calumniantur ſingillatim alium, & alium, vt bona illorum publicari faciant.
          - Incitant communiter in illos multitudinem.
      - Tyrannidem mutabatur vetuſtis temporibus:
        - Quãdo Ductores populi fiebãt ex ducibus exercituũ.
        - Eiuſmodi nanque homines — — — — Ex
          - Fide, quàm ijs populus habebat ob eorum cũ diuitibus ſimultatem,
          - Bellicarum rerum peritia — —
          - Audebant tyrannidem inuadere
            - Magiſtratus quoſdam magnos adepti.
            - Populo ſparſim, quũ exiguę tũc tẽporis ciuitates eſſẽt, agros habitãte, et ĩ neceſſarijs operib. occupato.
      - Deterrimam, & recentiſſimam formam ex veteri, & maioribus probata mutatur.
        - Quoniam in illa veteri nulla cenſuũ habita ratione deligũtur à populo magiſtratus, & lex dominatur; Ductores populi eò rẽ deducũt, vt dominetur etiã legibus populus.
      - Alias formas populares mutatur ex alijs.
        - Vbi populi Ductores aſtringunt, ſoluunt'ue eas legibus magis, & minus.
- Paucorum potentiæ.
  - Mutatio.
    - Haud facilè per ſe ſoluitur, ſi concordes ſint, qui dominantur. breuiſſimè tamen omnium durat ſecundum tyrannidem ijs de cauſis, quæ proximè ſubiungentur.
    - Mutatur maximè, frequentiuſque in tyrannidem; deinde in ſtatum popularem; tertio loco ex alijs in alias ſui formas.
  - Cauſæ, & modi mutationum.
    - Mutatur paucorum poteſtas.
      - Per ſe.
        - Et huius mutationis initium
        - Aut
          - Plebs
            - Ab ijs, qui dominantur
              - Affecta iniuria.
              - Non affecta iniuria, ſi cernat diſſidentes diuites
                - Eos, qui dominantur, inter ſe.
                - Eos, qui bonorum ſunt expertes, cum ijs, qui dominantur.
            - Aſſumpto duce
              - E dominantium maximè numero, ſi aliquem habere potuerit, vel ex nobilibus alijs.
              - Quouis, quem nactus fuerit, ſi habere non poſſit dominantium, aut nobilium aliorum vllum.
          - Diuites
            - Diuites dominationis expertes — — —
              - Per ſe ſoli.
              - Aſſumpta ſecum plebe.
            - Vbi paucis admodum reſpublica communicatur.
            - Aſſentatione.
              - Si in ipſis fuerint aſſentatores, δημαγωγοὶ,
                - Aliorum paucorum dominantium inter ſe diſſidentes: quorũ diſſenſio, alios, quibus ipſi aſſentantur, diſſentire cogit.
                - Populi, aut multitudinis popularis alicuius
                  - Quod ſolet euenire — — — Vbi
                    - Magiſtratus eliguntur à populo, multitudine'ue aliqua populari.
                    - Iudicia nõ cõſtituũtur ex illis, q in repub. dominantur, ſed ex popularibus, vel ex quadam certa multitudine.
                    - Dominationẽ ĩ pauciores redigere qdã dominantiũ voluerint. Cogũtur .n. q amãt paritatẽ, ad populi auxilium confugere.
            - Abſumptione patrimonij.
              - Quòd qui cõſumpſerit illorũ — Vel
                - Tyrannidem ſtudet
                  - Ipſe occupare.
                  - Alij cuipiam tradere.
                - Compilat res communes:
                  - Certantibus aduerſus eum alijs, — Qui
                    - Expilare illas ſimiliter quærunt.
                    - Expilantibus ſe opponunt.
      - Vel

—Geminatione quadam oligarchiæ.

Vbi, tota reipublicæ adminiſtratione ad paucos pertinente, non ſunt omnes illi pauci ſummorum magiſtratuum participes.

Diuites dominantes.

- Vſu neceſſario militũ et cuſtodiarum.
  - Belli tempore: — Vtẽtes
    - Militibus conductis, quum nullã fidem populo habeant. Nam ſæpenumero efficitur tyrannus ille, quem ijs præfecerint: aut, ſi plures vno ſint, dynaſtiam ſibi vendicant.
    - Populi opera, & cum eo rempublicam communicantes: quia id, quod dictum eſt, metuant.
  - Pacis tẽpore: — Militibus mercede cõductis, quia ſe ipſi, alius aliũ ſuſpectos habeãt, cuſtodiã cõmittentes; & præfecto, qui medius ſit: hic autem aliquando vtriuſque partis efficitur dominus.
- Offenſionibus mutuis veris, aut opinatis: vt — — — — — — — — — — — In
  - Matrimonijs.
  - Iudicijs.
  - Et alijs eiuſdem modi.

⟨ Quanquam enim offenſio, & iniuria ſit vna cauſarum cõmunium : tamen. vt inter rectores reipublicæ cadit, videtur quodammodo propria euadere poteſtatis paucorum. tyrannus enim vnus tantummodo eſt : & popularis, qui in populi dominatu iniuriam ab altero acceperit, vix, raròq; ſatis virium habet ad ſeditionem concitandam ⟩

- Impotenti dominatione.
  - Quam quidam eorum, paulò æquiores, ferre non poßunt.
- Aſtrictione, ſolutioneque legum.
  - Aſtringentes, ſoluentesq; legibus magis, & minus paucorum poteſtatem ij, qui dominantur; mutant illam ex alijs in alias formas.

Ex accidenti, & caſu.

Multis ob res ſecũdas ad eũ cenſum, qui antea definitus adminiſtrationi reipublicæ fuerat, peruenientibus
- Senſim, paruiſq; acceſſionibus factis: quod latere poteſt.
- Citò, & celeriter: quod clam eſſe ferè non poteſt; ſed non poteſt ob celeritatem remedium ei adhiberi.

—Optimatum ſtatus.

⟨ Sermo eſt de formis eius mixtis, non de perfecta. hæc enim, quandiu eſt talis, diſſolui non poteſt, niſi ab exteriori aliqua vi, & republica ſibi contraria. quæ inter cauſas cõmunes numeratur: de quibus dictum eſt ſuprà. ⟩

- Mutatio
  - Stabilior eſt paucorum poteſtate, & populari, & alijs aberrantibus formis; minus ſtabilis republica.
  - Mutatur maximè in poteſtatem paucorum; ſecundo loco in popularem; tertio in tyrannidem.
- Cauſæ, & initia mutationum.
  - A iuſto, quod huius ſtatus proprium eſt, digredi.
    - Cuius egreſſus principium eſt, nõ eſſe probè permixta in hoc ſtatu ſtatũ populi, & dominationem paucorũ, & virtutem; ſed inclinare eũ magis ad paucorũ poteſtatem. — Quamobrẽ — Vel eum
      - Diuites, ſuam partem aſſiduè augentes, mutant denique in paucorum poteſtatem.
      - Tenuiores, quaſi iniuriã accipiant, rapiunt in ſtatum popularem.
  - Paucos eſſe publicorum honorum participes: præſertim vbi multi ea opinione efferuntur, quòd ſint ijs, qui honores gerunt, virtute pares.
  - Paupertate nimia alios ciuium premi, alios opibus affluere.
  - Magnos quoſdam viros, nec inferiores virtute quibuſdam alijs maiori in honore conſtitutis, affici ab illis ignominia.
  - Fortem, & elati animi aliquem virum ad honores non admitti.
  - Magno alicui viro præberi facultatem, vt maior adhuc fiat, & ad monarchiam gradiatur.

Reipublicæ, quæ proprio vocabulo ſic nominatur.

⟨ Etiam reſpublica, ſi eiuſ tantùm modi, & veriſſimè reſpublica fuerit; non habet domi cauſam, & poteſtatem vllam, quæ eam diſperdat: ſed neceſſe eſt, vt talis cauſa veniat extrinſecus. itaque de mixtis eius formis hæc ſimiliter intelligenda ſunt. ⟩

- Mutatio.
  - Stabiliores ſunt illæ formæ huius reipublicæ, quæ ad popularem, quàm quæ ad paucorum ſtatũ magis inclinant. In vniuerſum autem firmior eſt omnis reſpublica mixta omni ſtatu optimatum mixto, & alijs formis aberrantibus.
  - Mutatur maximè hæc reſpublica in popularem ſtatum; ſecundo loco in paucorum poteſtatem; tertiò in tyrannidem.
- Cauſæ mutatiõis duę
  - Vna per ſe: ⟨ quæ erat etiã cauſa mutationis optimatum: ſed adiunctio proprij vtrobique, & hîc detractio virtutis eam propriam facit. ⟩
    - A iuſto, quod proprium eſt huius reipublicæ, digredi.
      - Cuius digreſſionis origo eſt non eſſe probè temperatam rempub. è ſtatu populari, & paucorũ; ſed inclinare magis ad popularem. — Quapropter — Vel eam
        - Tenuiores, ſuam partem aſſiduè augentes, vertunt tandem in ſtatum popularem.
        - Diuites, quaſi iniuriam accipiant, rapiunt in dominationem paucorum.
  - Altera ex accidenti: ⟨ quæ communis eſt huic cum paucorum poteſtate, & ſuprà ſuo loco expoſita: numeratur autem in proprijs, quia non eſt communis aliarum rerumpublicarum. ⟩
    - Multis ob res ſecundas ad eum cenſum &c.

1 —— *Diminutæ, & mixtæ.*

A

–*Diminutæ, & mixtæ in eadem imperij, ac formæ reipublicæ parte, quæ ſummam continet poteſtatem.*

{ *Vbi initia ſummè rectarum, ſummèque vitioſarum rerumpublicarum, quæ poſita ſunt, aut diminuuntur, aut etiam miſcentur in eadem imperij, ac reipublica parte, in qua eſt ſumma poteſtas. Sunt autem initia illa omnino octona: quina primùm, quibus diſtinguebantur ſummè rectę, ſummèque vitioſa formæ; & altera ab alteris diſtabant: deinde terna, quibus ſummè recta inter ſe, & inter ſe ſummè vitioſa diſtinguebantur. Quina ſunt hæc: Vel ex virtute imperare; vel ex libidine: Vel honeſtatis cauſa, & ad commoda communia; vel ad propria, & voluptatis: Vel volentibus, vel inuitis: Vel à probis, vel ab improbis: Vel ab habentibus, vel à non habentibus legitimam poteſtatem. Terna ſunt hæc: Vel vnum ſolum imperare, vel plures vno: Plures verò vno vel præſtantiſſimos virtute; vel partim imbutos virtute, partim ad eam duntaxat conuerſos: Item plures vno vel opulentos, vel pauperes. Quarum triam poſteriorum diuiſionum prima eſt communis vtriuſque generis; ſecunda rectis; tertia vitioſis propria. Et ad hæc octona initia per ſe rectiſſimarum, vitioſiſſimarúmque rerumpublicarum alia fortaſſe quiſpiam adderet ex differentijs ciuium pro varijs vitarum generibus deſumpta; exempli gratia quia reipublicæ adminiſtratores aut agricolæ ſint, aut opifices, aut verè liberi &c. Sed hæc alia ad bina nouiſſima proximè expoſita, virtutis perfectæ, & inchoatæ; paupertatiſque & opulentiæ facilè reuocabuntur. Quot igitur modis miſceri, diminuíq; initia illa poſſunt (non miſcentur autē olia omnibus, licet omnia diminuantur) tot poſſunt exiſtere ſic mixtarum, diminutarúmq; rerumpublicarum modi, de quibus diſtinctè ſuo loco explicabimus. At quorum Philoſophus in his libris mentionem facit, propemodum hi ſunt.* }

–*Regnum diminutum manifeſtè poteſtate, fortaſſe etiam virtute, & fine imperandi:*

- –*Quod Heroum temporibus fuit:*
  - *Poteſtas perpetua non omnium rerum, ſed ducendi exercitus tantùm, & ſacrificiorum (quæ ſacerdotes propria non haberent) & cauſas iudicandi. A volentibus primùm creati reges ob beneficia,* { *quorum aliqui fortaſſe perfecti reges fuerunt:* } *poſteri iure quaſi hæreditario ſuccedebant.*
- –*Laconicum:*
  - *Poteſtas perpetua ducendi exercitus, & ſacrorum. A uolentibus tribuebatur: & tribuebatur hominibus certæ familiæ.*

–*Regnum mixtum tyrannide:*

- –*Barbarorum quorundam.*
  - *Poteſtas plena, & dominica, tyrannicæ ſimilis. Imperium hæreditarium aliquando; aliquando ex electione; ſemper ex lege. Imperatur non inuitis. Cuſtodia etiam regia, non tyrannica.*
- –*Aeſymnetarum.*
  - *Tyrannis ex electione, & in volentes. Imperium ſcilicet non hæreditarium, ſed ſuffragijs, decretoque libero delatum. Plenum autem, atque dominicum. Itaque partim regium, partim tyrannicum. Deferebatur verò hoc imperium quibuſdam donec viuerent; quibuſdam ad certa tempora, vel ad certas res gerendas.*

–*Optimatum poteſtas mixta poteſtate:*

- –*Paucorum* —— *Vbi virtutis, & diuitiarum ratio habetur* —————
- –*Populi* ——— { *Vbi virtutis, & populi, quemadmodum Spartæ, habetur ratio* ————— / *Vbi ſtatus populares illi, quos aliqui propriè reſpublicas vocant, ad paucorum dominationem magis inclinant, hoc eſt ad paucos locupletes, quibus recta inſtitutio, nobilitaſq; magis, quàm tenuioribus, comitantur, reſpicere ſolent.* —————
- –*Paucorum, & populi.* — *Vbi virtutis, diuitiarum, & populi, quemadmodum Carthagine, ratio habetur.* —————

} *In mandandis publicis imperijs, atque honoribus.*

–*Reſpublica mixta populi ſtatu, & paucorum.* —— { *Vbi diuitum, & pauperum, vel diuitiarum, & libertatis cum aliquo virtutis reſpectu ſola mixtio in imperio attenditur.* / *Vbi, præter mixtionem diuitum, & pauperum cum aliquo virtutis reſpectu in imperio, ſumuntur etiam pro reipublicę legibus*

Leges totæ	*Media eorum, quæ ſtatuta ſunt legibus*	*Partes quædam legum*
Vtriuſque ———	*illorum* — — *ſtatuum,* ———	*paucorum, & populi.*

- Tyrannis mixta regno.
  - Verè. — Quare ſuprà Regnum.
  - In ſpeciem. — Vbi tyrannus regem ſimulat.
- Paucorum, poteſtas diminuta.
  - Vbi lege dominante —
    - Ex cenſibus magnis, & ob id pauci admodum participes ſiunt reipublicæ: ſuccedunt que filij parentibus.
    - Ex cenſibus paulo minoribus reſpublica adminiſtratur: & ipſi adminiſtratores pro ijs, qui deficiunt, alios deligunt non ex omnibus quidem ciuibus, ſed ex quibuſdam certi ordinis, aut generis.
- Paucorũ poteſtas mixta repub:
  - Vbi lege dominante — Ex cenſibus moderatis, ac denique tantis, vt ſoli pauperes excludantur, ad rempublicam gerendam aditus patet; licetque cuique, qui tanta poſſederit, eſſe participem imperij.
- Popularis ſtatus diminutus:
  - Vbi lege imperante —
    - Omnes omnino, dummodo ſint ciues, ideſt liberi, & inibi nati, poſſunt reipublicæ eſſe participes; nec tamẽ ſunt, aut vix ſunt, qui nullum, aut tenuiſſimum patrimonium habent; ſi mercedem nullam, aut valde exiguam, quę alere eos non poſſit, ex frequentatione concionum capiant.
    - Omnes ciues, ideſt liberi, & inibi nati, qui certa aliqua exceptione non repelluntur (puta quòd eſſent ex patre, aut matre non ciue orti, vel aliqua ignominia notati) poſſunt eſſe participes reipublicę, nec tamen ſunt omnes, aut non frequenter ob cauſam proximè expoſitam.
- Popularis ſtatus mixtus repub:
  - Vbi lege imperante —
    - Ex cenſibus exiguis eſt aditus ad gerendam rempublicam: admittiturque omnis, quicunque tantum bonorum parauerit; excluditur, qui minuerit.
    - Diuitum, & pauperum par ratio habetur; nec permittitur penes alterutros omnino ſummam rerum eſſe poteſtatem; ſed ſeruata numeri ęqualitate cunctis ſimiliter reſpublica communicatur: quod maximè euenit, quom populus potiſſimùm ex agricolis, aut paſtoribus, aut vtriſque conſtat.

Mixtæ, & diminutæ in toto imperio eiuſdem reipublicæ:

{ Vbi in eadem republica varia forma imperiorum, & rerumpublicarum miſceatur; ac, quia miſcentur, neceſſariò etiam diminuuntur aut omnes, aut quædam earum: vt ex optimatum, & populi, fortaſſe verò & regio ſtatu mixta, temperataq; fuerunt reſpublica Laconum, & Romanorum.

Modi autem permixtionis diminutioniſq; huius generis ſatis per ſe euidentes ſunt, vt ſuo loco planum fiet. quamobrem de ijs nihil Philoſophus in his libris. }

TAB. VIII.

Tab. 7ª.

TABVLA VIII.

Deliberationes, & conſilia publica.

{ *Hæc ſunt propria eius, quod in ciuitate dominatur; & in eo ſemper perfectè manent; licet ab eo alijs aliquando, & aliquatenus communicentur, his aut illis, magis aut minus.* }

Quarũ deliberationum

- **Res ſubiectæ:**
  - *Sũt publicæ deliberationes potiſſimùm* — **De**
    - *Sacris tuendis, reſtituendis, & ſuperſtitionibus exterminandis.*
    - *Legibus:*
      - *Ferendis.*
      - *Abrogandis.*
      - *Corrigendis.*
    - *Conſtitutione ciuili, varios vſus ciuitatis reſpiciente.*
    - *Bello, & pace.*
    - *Societatibus bellicis ineundis, & dirimendis.*
    - *Cuſtodijs vrbis, & locorum totius regionis.*
    - *Magiſtratibus creandis. & de ijſdem corrigendis,* { *hoc eſt de abrogando eis imperio poteſtateq; augenda ac minuenda,* } περὶ τῶν ἀρχαιρεσιῶν, καὶ ἀρχῶν, καὶ τῶν εὐθυνῶν.
    - *Re pecuniaria.*
    - *Importandis, & exportandis rebus, ad vitam vtilibus.*
    - *Pœnis quibuſdã infligẽdis (quãdo legibus nõ fuerit id prorſus definitũ)*
      - *Capitis*
        - *Mortis.*
        - *Seruitutis.*
        - *Exilij.*
      - *Publicationis bonorum.*
    - *Premijs, et muneribus dandis*
      - *Pecunijs, ideſt numis, alijs'ue rebus, quæ numis æſtimẽtur, vt agris, aſſignandis.*
      - *Honoribus, vt triumphis, ſtatuis, & alijs eiuſdem generis decernendis.*
      - *Ciuitate donanda.*
      - *Ditione ſua, aut parte eius aliqua vel liberè, vel ſub conditione concedenda.*
- **Partes**
  - *Referre, ſeu ꝓponere.*
  - *Diſquirere.*
  - *Decernere.*
  - *Confirmare, aut infirmare decreta.*
  - { *Quę oĩa quidẽ diuerſis modis fieri poſſunt, & reipſa fiunt in diuerſis ciuitatibus: committunturq; aut ijſdem omnia, aut alia alijs; & vel eodem tempore, vel differentibus.*
  - *Suffragia autem, quæ in decernendo, & in confirmãdo, infirmando'ue feruntur* — *Aut ſunt*
    - *Aperta*
      - *Vox viua.*
      - *Motus quidã corporũ, aut membrorum.*
    - *Occulta*
      - *Tabellæ.*
      - *Teſtulæ.*
      - *Globuli.*
    - (Vel ſunt)
      - *Iubẽtia.*
      - *Vetãtia.*
      - *Neutra.*
- **Participes,** *Vel sũt ciues*
  - *Omnes omniũ:*
    - *Omnes ſimul omnium.*
    - *Omnes ſimul quarundam; aliarum verò ſingularum ſui magiſtratus ad eas creati, & ex omnibus delecti, vel ſorte ducti.*
    - *Omnes ſimul quarundam; cæteras committunt ijs magiſtratibus, qui omnium ſuffragijs, ad illas tanquam magis idonei, delecti fuerint.*
    - *Omnes ſimul nullius; ſed per vices omnes omnium: quia magiſtratus reipſa omnium; ad quos magiſtratus ſingillatim per vices cuncti perueniunt.*
  - *Quidam omniũ: nempe* — *Vel*
    - *Omnium*
      - *Vnus aliquis magiſtratus.*
      - *Plures magiſtratus.*
    - *Aliarum alij magiſtratus.*
  - *Omnes quarundam, quidam quarundam.*
    - *Certas quaſdam vniuerſi ſimul; reliquas magiſtratus. Et has reliquas* — *Vel*
      - *Cunctas communiter magiſtratus* — *Aut*
        - *Delecti.*
        - *Sorte ducti*
          - *Statim.*
          - *Ex ãtè electis.*
        - *Delecti alij, alij ſorte ducti.*
      - *Quaſdã propriè magiſtratus*
        - *Delecti.*
        - *Sorte ducti*
          - *Statim.*
          - *Ex antè electis.*

TABVLA IX.

MAGISTRATVS, { *Latè nomen hoc ſumendo, vt complectitur omnes curas publicas, quibus eſt aliqua vis, & auctoritas publicè tributa.* }

Horum igitur magiſtratuum, & procurationum publicarum, quæ certis perſonis, & de certis rebus mandantur, hæc præcipuè ſunt conſyderanda.

- Differentiæ
  - Ex
    - Vi vocabuli
      - *Magiſtratus propriè* — *Quibuſcunque data eſt de certis quibuſdam rebus deliberandi, iudicandi, & iubendi publica poteſtas, maximè autem iubendi, ad actionem, & curam aliquam, iuuandę ciuitatis gratiâ: vt Aedilibus, & Ducibus exercituum.*
      - *Magiſtratus minus propriè, ſed præfecturę ſolùm, vel curę publicę* — *Quibus demandata eſt publica aliqua adminiſtratio ſine iubendi, iudicandi, deliberandi facultate: vt Sacerdotibus, Choragis, Legatis, Præconibus, & ſimilibus.*
    - Vſu, & rebus ſubiectis
      - Neceſſarij & communes omnium rerum publicaru: Sine quibus ciuitas eſſe non poteſt. Hi ſunt, qui pertinent Ad
        - *Diuinum cultum.* — *Sacrificia, ædes, pecunias, aliaſque res ſacras curare, parare, conſeruare, diſpenſare, inſtaurare, reficere. Et alicubi vnatantùm cura eſt, alicubi multę. Nomina; Sacerdotes, Principes, Reges ſacrorum, Prytanes, Aeditui, Cuſtodes, Quæſtores ſacrarum pecuniarum.*
        - *Conſilia rerum cōmunium.* — *Maximam hic inter omnes alios magiſtratus poteſtatē habet, & de maximis rebus, vt moderari, ac regere pene ſolus ciuitatem, atq; id, in cuius manu reſpublica eſt, videatur; aliquando per ſe ſtatuens, aliquādo proponens, aliquādo confirmans ea, quę ſunt decernenda, et facienda. Nomen in ſtatu optimatum; legum cuſtodes; in paucorum poteſtate, Pręconſultores, & Conſules; in populari, Conſilium; vbiq; Conſiliarij.*
        - *Bellicas res,* — *Cuſtodiæ vrbis, & bellicis omnibus expeditionibus præeſſe: ciuium delectus habere, eorumq; ordines conſtituere. Alicubi pauciores, alicubi plures magiſtratus. Nomina, Imperatores, Duces exercituū, Equitum, Nauium, Ordinum, Tribuum, Portarum, Murorum præfecti, & alia id genus.*
        - *Prouentus, & pecuniā publicam.* — *Accipere, cuſtodireq; publicos reditus, vnde ad ſingulos reipublicæ vſus diſtribuātur. Nomina; Quæſtores, & Receptores.*
        - *Rationes conficiēdas, & emendandas rerum communium.* — *Earum rerum communium, quas magiſtratus aliquando tractant, rationes perſpicere, & emendare. Nomina; Correctores, Ratiocinatores, Exquiſitores, Procuratores.*
        - *Forum rerum venalium.* — *Vt in commercijs emendo, ac vendendo rectè, ordineque cuncta gerantur: Nomen Romanis, Aedilitatis pars.*
        - *Vrbem, & partes vrbis.* — *Publica priuataq; ędificia, mœnia, vias, fontes, aquęductus, portus conſeruari, refici cum ornatu, & cōmoditate decenti, limites ſine querimonia teneri, & eiuſmodi alia prouidere. Partes multas habet hic magiſtratus, quarum alij alij in magnis ciuitatibus præficiuntur. Nomen; Aſtynomia apud Græcos; Romanis pars Aedilitatis.*
        - *Agrum, & ea, quæ ſunt extra vrbem.* — *Similes res proximè expoſitis in agro, & extra vrbem curare. Nomina; Præfecti agrorum, Cuſtodes ſyluarum.*
        - *Tabulas ſcriptaque publica, & priuata.* — *Contractus priuatos, iudicia magiſtratuum, cauſarū acta, litium intentiones, & alia huiuſmodi deſcribi, & deſcripta cōſeruare. Diuiduue alicubi hunc magiſtratum in plures; vnus tamen eſt ijs omnibus præfectus. Nomina; Sacrimemores, Præſides, Memores gręcè; latinè Scribæ, & Tabelliones. Hic etiam Cenſuræ pars, quæ ad æſtimationem, deſcriptionemq; facultatum priuatarum attinet, eſt reducenda.*
        - *Executiones, & Cuſtodias.* — *Sententias iudicum exequi: & corpora reorum, damnatorumq; cuſtodire. Diuiditur hic magiſtratus alicubi in duas partes: & diuidi in plures, mutariq; ſæpe ob odium, quod eum ſequitur, debet. Nomina; Carceris, ſeu Cuſtodiarum præfecti, & Executores iudiciorum.*
      - Vtiles, & proprij quarundam Ad
        - *Firmamentum deteriorum.*
          - *Vt Præconſultores in paucorum poteſtate; Tribuni plebis in populari; & alij in alijs eodem modo.*
        - *Modeſtiam, & ornatum meliorum.*
          - De
            - *Mulierum moribus, & honeſtate, γυναικονομία.*
            - *Puerorum inſtitutione, παιδονομία.*
            - *Moribus ciuium. Ciuium mores certis temporum ſpatijs examinare, & corrigere: alios notare ignominia; alios multare; alios honoribus augere: Νομοφυλακία: Cenſuræ pars apud Romanos.*
            - *Legum obſeruatione: νομοφυλακία.*
            - *Gymnaſiis, γυμνασιαρχία.*
            - *Et alijs ſimilibus rebus.*
        - *Voluptatem earum, quæ magis otioſæ ſunt, & fortuna proſpera vtuntur.*
          - *De Ludis gymnicis, Dionyſiacisque, & quę alia huiuſmodi ſpectacula contingit fieri. Hæ etiam curabant Aediles apud Romanos.*

{ *Alij aliter partiuntur, & numerāt magiſtratus. ſed nos in præſentia Philoſophum ſequimur. Porrò autem quum ipſe tres partes facit reipublicæ inter ſe differentes, deliberationē, magiſtratus, iudicia; non poteſt reponere in numero magiſtratuum nec ſummum conſilium, quod manet in eo, è cuius auctoritate tota reſpublica pendet; nec iudices, qui propriè iudicijs reddēdis de rebus aut priuatis, aut publicis, & reddendis quidem ex legibus, rureq; ciuili ſunt deſtinati. Deliberare autem, & iudicare, quæ tribuit ipſe magiſtratibus, ſunt aliorum generum, & aliò per ſe referuntur; ideſt ad actiones, curaſq; illas publicas ſingula, quarū illi ſinguli ſunt magiſtratus. qui magiſtratus præterea de eiuſmodi rebus liberè iudicant, et deliberant, prout vnicuiq; eorū conducere ad rempublicā, actionémq; eam, cui præeſt, videtur. Magiſtratibus ſanè interdū iudicia cōmittuntur: & idē homo, qui ius dicit, etiā gerit magiſtratū: ſed tamē reipſa alij iudices ſunt, alij magiſtratus* }

-Diſtributio.

Qui magiſtratus coniungantur, aut diuidantur : — Vt multi vni, & vnus multis, & ſinguli ſingulis hominibus committi poſſint, ac debeant.

- Pro ciuitatis { Magnitudine, & Conditione.
- Ex iiſdem, diuerſis'ue — { Locis. Rebus. Perſonis. } Vt oporteat'ne fori præfectum in foro modeſtiæ curam gerere; alio autem in loco alium; an vbique eundem? & modeſtiæ pue- rorum, mulierumque vnum, an duos? & modeſtiæ, diſciplinæq; puerorum ſimiliter vnum, an duos?

Ratio creandi magiſtratus quotuplex. — Cuius rei primæ differentiæ tribus terminis continentur:

Quos vocat Philoſophus

- A quibus
  - Creari — — enim — — poſſunt — — — — — magiſtratus
  - Aut à ciuibus
    - Omnibus oēs. — Quarum — differentiarum — partes ſi — inter ſe — copulaueris, — fient — modi — omnes — triginta ſex. — Nanque
    - Quibuſdã oēs.
    - Oĩbus quidã, et quibuſdã quidã.
- Ex quibus
  - Aut ex ciuibus
    - Oĩbus oēs.
    - Quibuſdã certis oēs.
    - Oĩbus qdã, et qbuſdã certis quidã.
- Quomodo
  - Aut
    - Electiõe oēs.
    - Sorte oēs.
    - Partĩ electiõe, partĩ ſorte.

Aut creantur magiſtratus.

- Ab omnibus omnes
  - Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus, — Per partes, vt per tribus, & phratrias, donec vnuſquiſq; ciuis perueniat ad magiſtratũ, } — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex quibuſdam definitis, verbi gratia cenſu, aut genere, aut virtute, aut alia eiuſmodi re, { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex omnibus quidã, & ex quibuſdam definitis quidam, { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
- A quibuſdã omnes
  - Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus — Per partes, vt per tribus, & cæt — } — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex quibuſdã definitis, veluti cēſu & cæt. { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex omnibus quidam, & ex quibuſdam definitis quidam — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
- Ab oĩbus quidã, & à quibuſdã quidam
  - Ex omnibus { Vniuerſis, ideſt ſemper omnibus; Per partes, vt per tribus &c. } — { Electione; Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex quibuſdam definitis veluti cenſu &c. — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }
  - Ex omnibus quidam, & ex quibuſdam definitis quidam — { Electione. Sorte. Partim electione, partim ſorte. }

-Cõſtitutio.

Quibus hominibus principales magiſtratus rectè committantur.

Conditiones ſũmæ tres.
- Vna, — Vt ament ſtatum præſentem reipublicæ. —
- Altera, — Vt poteſtatem maximam, ideſt ingenium, & vſum ad munera eorum magiſtratuum obeunda habeant.
- Tertia, — Vt virtute, et iuſtitia ad formã illi' reipub. accõmodata ſint prædit.

Quòd ſi in eodem homine hęc tria nõ reperientur: committendi erũt magiſtratuum ij, qui magis periti ſunt, quàm probi, ſi quidem hi, qui magis peritiã, quàm probitatem, magis probitatem, quàm peritiã eſſlagitabũt, viris probis, licet minus peritis; qui magis peritiã, quàm probitatem, peritis, licet minus probis. Deniq; barũ duarũ rerum, peritiæ, ac probitatis in quauis electione illam antepouito, quam rariorem eſſe in hominibus conſpexeris.

A

A

- Tempus gerendorum.
  - Vtrum perpetuos eſſe oporteat magiſtratus, an dinturnos, an neutrum, ſed annuos, aut ſemeſtres, aut verò ſpatij breuioris, quemadmodum nonnulli volunt: & vtrum ab vno, eodemque homine ſemel tantùm eundem magiſtratum geri, an iterum, & ſæpius: quique horum modorum quibus magiſtratibus, & ad quas formas rerumpublicarum magis conueniant.
- Vis, & auctoritas.
  - Quæ, quanta, quarum rerum, & in quas perſonas cuique magiſtratui, & in quaque forma rerumpublicarum ſit danda auctoritas.
  - Qui magiſtratus quibus magiſtratibus parere, aut imperare debeant.
  - Partes præcipuæ huius auctoritatis de ſententia Philoſophi, { nam alij alias dicunt. }
    - Deliberare.
    - Iudicare.
    - Iubere.
      - Edicendo.
      - Prehendendo.
      - Vocando.
    - Referre.
    - } Circa certas res, certas perſonas, & in actionem certam, ciuitatis iuuandæ cauſâ.
- Inſignia.
  - Prætexta.
  - Haſta.
  - Sella curules.
  - Serui publici.
  - Viatores.
  - Lictores cum faſcibus.
  - Et alia multa, de quibus alibi.

TAB. X.

TABVLA X.

Tab. 7ª.

Iudicia.

Quorum varietas, & diſtinctio in his tribus terminis primùm conſpicitur.

- **Ex quibus**
  - Nam conſtitui iudicia poſſunt, aſſumique qui ſunt indicaturi Aut ex ciuibus
    - Omnibus.
    - Quibuſdam certis.
- **De quibus**
  - Quot ſint ſpecies iudiciorum, cauſarum diſſimilitudine inter ſe diſtinctæ.
  - Et hoc ſanè pacto diuiduntur iudicia omnia In
- **Quo modo.**
  - Aſſumi enim poſſunt, qui ſunt indicaturi, Vel
    - Electione.
    - Sorte.

In

- **Publica, πολιτικά.**
  - Rerum, & criminum, directò ad rempublicam pertinentium
    - Repoſcendarum de publicis adminiſtrationibus rationum, εὐθυνῶν, ἢ δώρων. { Repetundarum vocarũt Romani, primùm hoc nomine vſi in ſolis pecunijs ablatis, captis, coactis, conciliatis, auerſis à magiſtratibus, alijs'ue publicis curatoribus; deinde tranſlato eo ad omnia, quæcunque ijdem, in magiſtratu, publicaúe aliqua cura poſiti, nō ſolùm auarè, ſed etiam libidinosè, ſuperbè, crudeliter, iniuſtè denique, & ſuis officijs minimè congruentia feciſſent. }
    - Communium rerum. { Peculatus, Pecuniarum reſiduarum, & Sacrilegij iudicia hoc capite continentur. }
    - Reipublicæ ipſius læſæ. { Maieſtatis, & Ambitus iudicia, & ſi quæ alia eiuſmodi ſunt, huc pertinent. }
    - Multarum, aliarum'ue pœnarum, de quibus, indictis à magiſtratibus, certant cum ijs priuati.
- **Priuata, ἴδια.**
  - Rerum, & criminum ad priuatos directò attinentium
    - Criminum, et maleficiorũ aduerſus priuatos, vt furti, adulterij, cædis, et ſimilium. { quorũ criminũ maiora vocant capitalia, græcè φονικά, quia capite, ideſt morte naturali, aut ciuili vindicentur; reliqua non capitalia. }
      - Quatuor modos habent hæc iudicia de priuatis criminibus: nempe — Si
        - De induſtria admiſſum ſit crimen.
        - Ab inuito ſit admiſſum.
        - Iure, iniuria'ue admiſſũ ſit, diſceptetur, fatẽte reo admiſſũ eſſe.
        - Quiſpiã, antè reus peractus, q exilij causà, mortẽ ſubterfugiẽs, ſolum verterit, velit ſe purgare, vt in patriam reuertatur.
    - Litium, & cõtrouerſiarum priuatarũ, ſeu ciuiliũ — De
      - Cauſis, & contractibus maioribus.
      - Cauſis, et cõtractibus puſillis, ab vna vſq; ad quinque drachmas, vel paulo amplius.
      - { Harum verò cauſarum, controuerſiarumque priuatarum aliæ ad perſonas, aliæ ad res priuatas, aliæ ad obligationes pertinere dicuntur. de quibus differentijs alio loco. }
- **Peregrina, ξενικά.** { Ob hæc iudicia creatus Romæ prætor proprius, qui peregrinus vocabatur. }
  - Peregrinorum inter ipſos.
  - Peregrinorum cũ ciuibus.

Porrò autẽ hæc publica iudicia (nam de his maximè conſyderandũ eſt, concitantibus, niſi rectè fiant, ſeditiones, mutationesq; rerumpublicarum) aliquãdo à ſumma ciuitatis poteſtate exercentur, præſertim in popularibus rebuſpublicis, in quibus aut ſemper, aut plerunq; de his iudicat populus: aliquãdo ab eadem ſumma poteſtate, vel à magiſtratu, hoc iuris à ſumma poteſtate habẽte, certi homines ijs præficiuntur, quos hac de cauſa Quæſitores, Diſceptatores, & Iudices propriè appellant. Vt igitur mandantur proprijs iudicibus, copulata cum alijs duobus terminis, qui, Ex quibus, & quo modo, nominati ſunt, has differentias efficiunt, vt — Vel

- **Ex omnibus** — Ad
  - Omnia iudicanda vniuerſi aſſumantur electione.
  - Omnia iudicanda vniuerſi aſſumantur ſorte.
  - Omnia iudicãda, ad hæc quidẽ hi electione, ad illa verò illi ſorte aſſumantur.
  - Omnia, & eademmet vniuerſi iudicãda aſſumantur, alij quidem electione, alij verò ſorte.
- **Ex quibuſdam certis** — Ad
  - Omnia iudicanda vniuerſi aſſumantur electione.
  - Omnia iudicanda vniuerſi aſſumantur ſorte.
  - Omnia iudicãda, ad hæc quidem hi electione, ad illa verò illi ſorte aſſumantur.
  - Omnia, & eademmet vniuerſi iudicanda aſſumãtur, alij quidem electione, alij autem ſorte.
- **Ex omnibus partim, partim ex quibuſdam certis** — Ad
  - Iudicanda quædam ex omnibus, & quædam ex quibuſdam aſſumantur
    - Electione tantùm.
    - Sorte tantùm.
    - Vtroque modo.
  - Iudicanda omnia ex omnibus, & quædam ex quibuſdam aſſumantur
    - Electione tantùm.
    - Sorte tantùm.
    - Vtroque modo.
  - Iudicanda quædam ex omnibus, & omnia ex quibuſdam aſſumantur
    - Electione tantùm.
    - Sorte tantùm.
    - Vtroque modo.

TAB. XI.

TABVLA XI.

Tab. 7ª.
*

Cõſtitutio reipublicæ:

- **Cauſis**
  - Efficientibus
    - Sunt cauſæ rerumpublicarũ efficiẽtes eadem omnino, quæ ciuitatum: nempe
      - Natura. — Vult enim natura eſſe aliquid imperans, & aliquid parens in omni re, quæ ex multis vnum commune facta eſt.
      - Neceſſitas. — Nam ſine republica non eſt prorſus ciuitas: quum ſit reſpublica forma ciuitatis. ideſt non poteſt manere vlla hominum multitudo, quæ populum faciat, niſi in ea multitudine alij alijs imperandi vim, & auctoritatem obtineant: in quo conſiſtit reſpublica.
      - Ratio, & prudentia humana.
  - Quaſi inſtrumentis quibuſdam.
    - De his quære in capite Mutatio. nam ſunt eadem omnino, quibus conſtituuntur reſpublicæ, & quibus mutantur tanquam inſtrumentis, ideſt vis, fraus, & admonitio ſyncera. Cõmodiùs autem, aptiusque ad doctrinam & hæc, & alia quædam, ad conſtitutionem pertinentia, ibi exponentur, vt quæcunq; faciunt ad mutationes, conſeruationesq; rerumpublicarum, in quibus maximam adhibere diligentiam debet, quiſquis huic facultati operam nauat, contineuter tradantur.
  - Finis rationem habentibus.
    - Quicunque ſunt fines ciuitatum, ijdem omnes ſunt fines rerumpublicarum, quæ ciuitatum formæ ſunt. ad illos verò adiungũtur honor, & lucrum proprij fines mutationum earundem rerumpublicarum.
- **Quibus generaliter conſtituantur, & exiſtant reſpublicæ**
  - Modis.
    - Non ſunt diſſimiles modi conſtitutionis, & mutationis rerumpublicarum itaque hos etiam ibi require.
- **In quo — quæque — ſingillatim — aptiſſimè — conſtituantur**
  - Populo.
    - Quando igitur
      - Superauerint proportione numeri, & preſtãtiæ, vel quãti, & qualis alias partes ciuitatis. — Conſtituitur faciliùs
        - Plebeij: — Popularis ſtatus, eiusq; hęc, aut illa ſpecies, prout hæc, aut illa plebis pars ſuperior fuerit.
        - Agricolæ vel per ſe, vel vnà cum medijs ciuibus: — Popularis ſtatus mixti republica vtraq; ſpecies.
        - Alia genera plebis vel omnia, vel quędam, Vectigalib. pub. ad dãdã ĩ cõciones mercedẽ
          - Minimè ſuppetentibus: — Popularis ſtatus diminuti vtraque ſpecies.
          - Suppetẽtibus: — Popularis ſtatus ſummè vitioſus.
        - Diuites, nobiles'ue — Paucorũ potẽtia, eiusq; hæc, illa'ue forma, prout hæc, aut illa diuitũ multitudo ſuperior fuerit.
  - Loco & regione
    - Vbi Regio eſt — Aptè conſtituuntur
      - Cãpeſtris, & equitib. accõmodata: — Paucorũ potẽtiæ ex maximis, & magnis cenſibus.
      - Collina, et cõueniẽs peditibus grauis armaturæ: — Paucorũ potẽtiæ ex cẽſibus minoribus, et moderatis.
      - Mõtana, et apta peditib. armaturæ leuis: — Populares ſtatus mixti republica.
      - Omniũ trium particeps. — Reſp. vocata, et ſtat⁹ mixti omnes magis, aut minus.

- Diuites numero pauciſſimi, ſed qui opibus, & clientelis maximè præſtent: — Paucorum poteſtas ſummè vitioſa.
- Diuites ampla patrimonia habentes, & numero pauci: — Paucorum poteſtatis diminuta vtraque ſpecies.
- Diuites minus ampla patrimonia poſſidentes, & numero ſatis multi, vel per ſe, vel cum medijs ciuibus: — Paucorum poteſtas mixta republica.
- Medij, præſertim ſi cum ipſis vnà fuerint in eodem populo multi clari virtute: — Regnum, vel Optimatum ſtatus, vel Reſpublica vocata ſimplex.
- Medij, & diuites: — Optimatum poteſtas mixta paucorum potentia.
- Medij & pauperes, vel diuites & pauperes: — Optimatum poteſtas mixta populi poteſtate.
- Pares inter ſe propemodum fuerint eadem proportione Medij, diuites, & pauperes: — Optimatum poteſtas / Reſpublica vocata — Mixta ſtatui populari, et paucorũ dominationi.
- Populus fuerit
  - Deuinctus Beneficijs maiorum — futuri regis — Regni diminuti ſpecies.
  - Plenus { Spei / Admirationis } Ob virtutẽ opinatam — futuri regis
  - Proclinior naturâ ad ſeruiendum: — Regni mixti tyrannide ſpecies prima.
  - Incallidus: / Diſcordiarum fluctibus agitatus: / Periculo commotus: / Neceſſitate rerum agendarum aſtrictus: — Tyrannis ſumma, & regni mixti tyrannide ſecunda ſpecies.
- Agri
  - Procul ab oppido diſtant: — Popularis ſtatus mixti republica duæ ſpecies.
  - Anguſti, aut nulli omnino sũt, q coli paſci'ue poſſit, ‹ quoniã ibi neceſſe eſt multiplicari turbam forensẽ, et alias partes plebis deteriores. ›
- Vrbs, aut regio eſt maritima, ‹ quoniam non ſolùm claſſiariorum multitum, ſed etiam maritima omnis turba, aliarũq; plebis partium deteriorũ neceſſe eſt copiam adeſſe. ›
- (Anguſti … / Vrbs … maritima) — Popularis ſtatus ſummè vitioſus, & duæ ſpecies eius diminutæ.

Quibus quæque præceptis, & rationibus tam vniuersè, quàm ſingillatim commodiſſimè inſtituantur.

‹ Quibus autem præceptis, rationibusq́ue apud inſtituuntur reſpublicæ, ijſdem conſeruantur: ab ijſdem enim initijs, & ab eadem facultate hæc duo pendent. Quamobrem hoc caput eſt illud idem, quod explicatur ſub Conſeruationis vocabulo. ›

TAB. XII.

TABVLA XII.

Tab. 7ª.

MVTATIO reipublicæ.

- *Mutationes & interitus rerumpublicarum.*
  - *Vniuerſè omnium*
    - *Ex quibus mutentur, & intereant.*
    - *Quæ ſunt initia, & cauſæ mutationum duæ:*
      - *Altera* { *Externa.* — *Quom contraria aliqua reſpublica vel propè eſt, vel procul quidem, ſed valde potens.*
      - *Interna.*
    - *Intrinſecus autem, & à ſemetipſæ mutantur reſpublicæ*
      - *Vel* { *Seditionibus.*
        - *De quibus ſeditionibus hæc potiſſimùm ſunt conſyderanda.*
          - *Quarum rerum cauſà ſeditiones faciant, qui faciunt.*
            - *Hæ res ſunt quatuor:* — *Vel vt ipſi, amici'ue ipſorum* { *Adipiſcantur* { *Lucrum.* / *Honorem.* } / *Euitent* — { *Damnum.* / *Ignominiam.* }
          - *Ex qua ſua quadam, generalique, ac prima animi conſtitutione, & cauſa, & qui ſeditiones faciant, aut non faciant.*
            - *Faciunt* { *Ex falſa æqui, iniquiq; paritatis, & imparitatis in republica attendendæ exiſtimatione: quom id, quod quiſque eorum par, æquumque exiſtimat, erga ſe in publicis adminiſtrationibus communicandis, aut exercendis obſeruari non videt.*
              - { *Nobiles genere:* / *Diuites:* } *Niſi plus habuerint, quàm reliqui, vt dignum putant* — *Ob* { *Nobilitatem ſuam.* / *Diuitias ſuas.* }
              - *Pauperes:* — *Si minus habuerint, quàm reliqui, quibus ob ſuam libertatem ſe pares, & paria hac de cauſa mereri arbitrantur.*
            - *Non faciūt* { *Virtute præſtantes: (quanquam iuſtiſſimè omnium, vbi non plura proportione virtutis reciperent, eas concitarent.)*
              - *Ex magnanimitate, & prudentia: ex quibus ſua commoda, honoresque ſibi debitos præ tranquillitate, ac pace publica nihili pendunt. — Quòd ſi tyrannides, aliaq; monſtra rerumpublicarum ipſi aut ſoli, aut maximè, quom poſſunt, oppugnant, & tollunt; planè ad id mouentur, non ſui proprij, ſed communis boni, virtutiſque, ac iuſtitiæ causà. quare nec illæ quidem ſunt ſeditiones.*
  - *Speciatim ſingularum.*
    - *Earum, quæ à multis reguntur:* — *Popularis ſtatus.* / *Paucorum potentiæ.* / *Optimatum ſtatus.* / *Reipublicæ.* — *Tabula xiij.*
    - *Earum, quas monarchias vocant, quia regantur ab vno tantùm:* — *Tyrannidis.* / *Regni.* — *Tabula xiv.*
- *Remedia eiuſmodi mutationum.*
  - *Quæ ſunt conſeruandarum rerumpublicarum rationes, & modi.* *Quære itaque verbum Conſeruatio in Tabula xv.*

- Quæ ſint initia, & cauſæ magis ſpeciales, ac proximæ, & aliunde naſcentes ipſarum ſeditionum
  - Magis pprię & per ſe
    - Lucrum ex rebus { Publicis. / Priuatis. } / Honor — — — — } Quibus alij alios augeri vident, aliquando { Iniuſtè, ſi præter dignitatem. / Iuſtè, ſi pro dignitate.
    - Contumelia, iniuriaque omnis — { Ipſorum inter ſe rectorum reipublicæ. / Ipſorum rectorum reipublicę in alios.
    - Metus — In ijs, qui { Fecerunt iniuſtè aliquid: ne pœnas dent. / Accepturos ſe iniuriam vident: vt preueniant, antequam accipiant.
    - Exuperatio potentiæ — In vno, multis've ſupra modum ciuitatis, ac virium reipublicæ. Quæ exuperatio vel alios non fert, niſi plenè dominetur; vel non fertur ab alijs, qui dominari eam nolunt.
    - Incrementum præter proportionem — Alicuius partis ciuitatis. Parte ea, quæ aucta eſt, contra aliam, vel alia contra eam inſurgente.
    - Amplificatio gloriæ, vel potentiæ — In ciuitate. cuius amplificationis cauſa fuerit vel priuatus aliquis, vel magiſtratus, vel tribus, vel pars denique, & qualiſcunque multitudo ciuitatis. Aut enim; qui his inuident; aut hi ipſi, qui præſtant, ſeditionem mouent.
    - Contemptus — In alijs eorum, qui rempublicam moderantur.
  - Magis communes mutationũ, quæ ſine ſeditiõe fiũt.
    - Pudor — — Meliorum ciuium; quòd pudendis hominibus honores reipublicæ mandentur. Vnde iurgia, & impetus alterorum in alteros.
    - Negligentia — Rectorum reipublicæ; peruenire illos ad ſummos magiſtratus, qui odio eam habent, ſinentium. Vnde alteri in alteros, iam vtrique potentes, armantur.
    - Pauxillum. — Quoniam paulatim ſuccreſcens legum, atque morum variatio, ſi pauxillum negligatur, in magnam tandem mutationem latenter euadit. cui mutationi ſæpenumero comitari ſeditio ſolet.
  - Penè ex accidẽti
    - Diſſimilitudo ciuium.
      - Gentiũ diuerſarũ: qui ciues { Ab initio vrbem incoluerunt. / Pòſt in ciuitatem ſunt recepti.
      - Gentis eiuſdem: { Proborum, & prauorum, ex virtute, & vitio. / Diuitum, & popularium, pauperum've; ſiue nobilium, & ignobilium; ex diuitijs, & paupertate, nobilitate, & ignobilitate. / Ob ſitum vrbis, cuius partes valdè differentes diſſidia pariant. / Ob alia diſcrimina eiuſdem modi.
    - Diſcordiæ — Principum potiſſimùm, deinde nobilium, & aliorum, qui aliquid poſſunt in ciuitate.
    - Aequalis potentia — Partium ciuitatis, quæ contrariæ videntur, ideſt diuitum, & pauperum; dum pars media inter eas aut exigua, aut nulla ſit.
- Siue ſeditione.
  - Cauſæ illæ omnes & initia, quæ ſeditiones, ac per eas mutationes rerumpublicarum faciunt; poſſunt has eaſdem continuò mutare ſine ſeditione vlla, & tumultu, potiſſimùm autem tres illæ: — { Pudor. / Negligentia. / Pauxillum.
- Quibus mutentur.
  - Quæ vocari inſtrumẽta poſſunt, vel cauſæ inſtrumẽtariæ. Hæc ſunt genere tria.
    - Admonitio, & hortatio ſincera.
    - Vis cogens { Statim ab initio. / Poſtea.
    - Fraus. Quæ, poſtquã aſſentiẽtibus ijs, qui decipiũtur, rempub. mutarit, { Vi continet eoſdem inuitos. / Perſuaſis, atq; volẽtib⁹ imperat.
- Modi mutationum.
  - Vel fit mutatio
    - Totius reipublicę { Simpliciter. — Pro vno ſtatu alius inducitur; vt pro populari paucorum. / Quodãmodo. — Intenditur, remittitur've idem reipublicæ ſtatus, qui antè erat: vt ſi paucorum potentia ad pauciores, plures've redigatur.
    - Partis cuiuſpiam reipublicæ. — Magiſtratus aliquis nouus inſtituitur, aut vetus tollitur.
    - Rectorum, retenta eadem forma reipublicæ. — Vt quom vnus, altero depulſo, aut interfecto, ſibi monarchiam parat.

TAB. XIII.

TABVLA XIII.

MVTATIONES, & interitus rerumpublicarum earum, quæ à multis reguntur.

- Popularis ſtatus
  - Mutatio.
    - Stabilior eſt, minuſque ſeditionibus patens, quàm paucorum potentia — Quoniam
      - Minus diſtat hic ſtatus à republica, quàm ille ab optimatum.
      - Mediocres ciues in hoc plures ſunt, & magis honorum participes, quàm in illo.
      - Diſſenſio hic vna tantum eſt, quæ eſt populi cum diuitibus; ibi duplex, vna inter populum & paucos, altera paucorum inter ſe.
    - Mutatur maximè, frequentiuſque in paucorum potentiam; deinde in tyrannidem; tertio loco in alias ex alijs ſui formis.
  - Cauſæ & initia mutationum.
    - Vna eſt ſumma cauſa, ipſa Ductorum populi, ideſt δημαγωγῶν improbitas:
    - Ob quam ſtatus iſte popularis.
    - In
      - Paucorum potentiam mutatur.
        - Cogunt enim Ductores populi locupletes, nobileſque viros inter ſe conſpirare, ac vires conferre. — Dum, vt populo gratificentur —
          - Iniurijs illos afficiunt.
          - Bona, patrimoniaque illorum diuidunt æquis portionibus in ſingulos ciues.
          - Reditus illorum aſſignant publicis adminiſtrationibus.
          - Calumniantur ſingillatim alium, & alium, vt bona illorum publicari faciant.
          - Incitant communiter in illos multitudinem.
      - Tyrannidem mutabatur vetuſtis temporibus:
        - Quãdo Ductores populi fiebãt ex ducibus exercituũ.
        - Eiuſmodi nanque homines — — — — Ex
          - Fide, quàm ijs populus habebat ob eorum cũ diuitibus ſimultatem,
          - Bellicarum rerum peritia — —
          - Audebant tyrannidem inuadere
            - Magiſtratus quoſdam magnos adepti.
            - Populo ſparſim, quũ exiguę tũc tẽporis ciuitates eſſẽt, agros habitãte, et ĩ neceſſarijs operib. occupato.
      - Deterrimam, & recentiſſimam formam ex veteri, & maioribus probata mutatur.
        - Quoniam in illa veteri nulla cenſuũ habita ratione deligũtur à populo magiſtratus, & lex dominatur; Ductores populi eò rẽ deducũt, vt dominetur etiã legibus populus.
      - Alias formas populares mutatur ex alijs.
        - Vbi populi Ductores aſtringunt, ſoluunt've eas legibus magis, & minus.
- Paucorum potentiæ.
  - Mutatio.
    - Haud facilè per ſe ſoluitur, ſi concordes ſint, qui dominantur, breuiſſimè tamen omnium durat ſecundum tyrannidem ijs de cauſis, quæ proximè ſubiungentur.
    - Mutatur maximè, frequentiuſque in tyrannidem; deinde in ſtatum popularem; tertio loco ex alijs in alias ſui formas.
  - Cauſæ, & modi mutationum.
    - Mutatur paucorum poteſtas.
      - Per ſe.
        - Et huius mutationis initium
        - Aut
          - Plebs
            - Ab ijs, qui dominantur
              - Affecta iniuria.
              - Non affecta iniuria, ſi cernat diſſidentes diuites
                - Eos, qui dominantur, inter ſe.
                - Eos, qui honorum ſunt expertes, cum ijs, qui dominantur.
            - Aſſumpto duce
              - E dominantium maximè numero, ſi aliquem habere potuerit, vel ex nobilibus alijs.
              - Quouis, quem nactus fuerit, ſi habere non poſſit dominantium, aut nobilium aliorum vllum.
          - Diuites
            - Diuites dominationis expertes — — —
              - Per ſe ſoli.
              - Aſſumpta ſecum plebe.
              - Vbi paucis admodum reſpublica communicatur.
            - Vel
              - Aſſentatione.
                - Si in ipſis fuerint aſſentatores, δημαγωγοὶ,
                  - Aliorum paucorum dominantium inter ſe diſſidentes: quorũ diſſenſio, alios, quibus ipſi aſſentantur, diſſentire cogit.
                  - Populi, aut multitudinis popularis alicuius
                    - Quod ſolet euenire — — Vbi
                      - Magiſtratus eliguntur à populo, multitudine've aliqua populari.
                      - Iudicia nõ cõſtituũtur ex illis, q in repub. dominantur, ſed ex popularibus, vel ex quadam certa multitudine.
                      - Dominationẽ ĩ pauciores redigere qdã dominantiũ voluerint. Cogũtur .n. q amãt paritatẽ, ad populi auxilium confugere.
              - Abſumptione patrimonij.
                - Quòd qui cõſumpſerit illorũ — Vel
                  - Tyrannidem ſtudet
                    - Ipſe occupare.
                    - Alij cuipiam tradere.
                  - Compilat res communes:
                    - Certantibus aduerſus cum alijs, — Qui
                      - Expilare illas ſimiliter quærunt.
                      - Expilantibus ſe opponunt.

- Diuites dominantes.
  - Geminatione quadam oligarchiæ.
    - Vbi, tota reipublicæ adminiſtratione ad paucos pertinente, non ſunt omnes illi pauci ſummorum magiſtratuum participes.
  - Vſu neceſſario militũ et cuſtodiarum.
    - Belli tempore: — Vtẽtes
      - Militibus conductis, quum nullã fidem populo habeant. Nam ſæpenumero efficitur tyrannus ille, quem iis præfecerint: aut, ſi plures vno ſint, dynaſtiam ſibi vendicant.
      - Populi opera, & cum eo rempublicam communicantes: quia id, quod dictum eſt, metuant.
    - Pacis tẽpore: — Militibus mercede cõductis, quia ſe ipſi, alius aliũ ſuſpectos habeãt, cuſtodiã cõmittentes; & præfecto, qui medius ſit: hic autem aliquando vtriuſque partis efficitur dominus.
  - Offenſionibus mutuis veris, aut opinatis: vt — — — — — — — — — — — In
    - Matrimoniis.
    - Iudiciis.
    - Et aliis eiuſdem modi.
    - ⟨ Quanquam enim offenſio, & iniuria ſit vna cauſarum cõmunium: tamen, vt inter rectores reipublica cadit, videtur quodammodo propria euadere poteſtatis paucorum. tyrannus enim vnus tantummodo eſt: & popularis, qui in populi dominatu iniuriam ab altero acceperit, vix, raròq; ſatis virium habet ad ſeditionem concitandam ⟩
  - Impotenti dominatione.
    - Quam quidam eorum, paulò æquiores, ferre non poſſunt.
  - Aſtrictione, ſolutioneque legum.
    - Aſtringentes, ſoluentesq; legibus magis, & minus paucorum poteſtatem ii, qui dominantur; mutant illam ex aliis in alias formas.
- Ex accidenti, & caſu.
  - Multis ob res ſecũdas ad eũ cenſum, qui antea definitus adminiſtrationi reipublicæ fuerat, peruenientibus
    - Senſim, paruisq; acceſſionibus factis: quod latere poteſt.
    - Citò, & celeriter: quod clam eſſe ferè non poteſt; ſed non poteſt ob celeritatem remedium ei adhiberi.

- Optimatum ſtatus.
  - ⟨ Sermo eſt de formis eius mixtis, non de perfecta. hæc enim, quandiu eſt talis, diſſolui non poteſt, niſi ab exteriori aliqua vi, & republica ſibi contraria, quæ inter cauſas cõmunes numeratur: de quibus dictum eſt ſuprà. ⟩
  - Mutatio
    - Stabilior eſt paucorum poteſtate, & populari, & aliis aberrantibus formis; minus ſtabilis republica.
    - Mutatur maximè in poteſtatem paucorum; ſecundo loco in popularem; tertio in tyrannidem.
  - Cauſæ, & initia mutationum.
    - A iuſto, quod huius ſtatus proprium eſt, digredi.
      - Cuius egreſſus principium eſt, nõ eſſe probè permixta in hoc ſtatu ſtatũ populi, & dominationem paucorũ, & virtutem; ſed inclinare eũ magis ad paucorũ poteſtatem. — Quamobrẽ — Vel eum
        - Diuites ſuam partem aſſiduè augentes, mutant denique in paucorum poteſtatem.
        - Tenuiores, quaſi iniuriã accipiant, rapiunt in ſtatum popularem.
    - Paucos eſſe publicorum honorum participes: præſertim vbi multi ea opinione efferuntur, quòd ſint iis, qui honores gerunt, virtute pares.
    - Paupertate nimia alios ciuium premi, alios opibus affluere.
    - Magnos quoſdam viros, nec inferiores virtute quibuſdam aliis maiori in honore conſtitutis, affici ab illis ignominia.
    - Fortem, & elati animi aliquem virum ad honores non admitti.
    - Magno alicui viro præberi facultatem, vt maior adhuc fiat, & ad monarchiam gradiatur.

- Reipublicæ, quæ proprio vocabulo ſic nominatur.
  - ⟨ Etiam reſpublica, ſi vnius tantùm modi, & veriſſimè reſpublica fuerit; non habet domi cauſam, & poteſtatem vllam, quæ eam diſperdat: ſed neceſſe eſt, vt talis cauſa veniat extrinſecus. Itaque de mixtis eius formis hæc ſimiliter intelligenda ſunt.
  - Mutatio.
    - Stabiliores ſunt illæ formæ huius reipublicæ, quæ ad popularem, quàm quæ ad paucorum ſtatũ magis inclinant. In vniuerſum autem firmior eſt omnis reſpublica mixta omni ſtatu optimatum mixto, & aliis formis aberrantibus.
    - Mutatur maximè hæc reſpublica in popularem ſtatum; ſecundo loco in paucorum poteſtatem; tertiò in tyrannidem.
  - Cauſæ mutatiõis duæ
    - Vna per ſe: ⟨ quæ erat etiã cauſa mutationis optimatum: ſed adiunctio proprii vtrobique, & hic detractio virtutis eam propriam facit. ⟩
      - A iuſto, quod proprium eſt huius reipublicæ, digredi.
      - Cuius digreſſionis origo eſt non eſſe probè temperatam rempub. è ſtatu populari, & paucorũ; ſed inclinare magis ad popularem. — Quapropter — Vel eam
        - Tenuiores, ſuam partem aſſiduè augentes, vertunt tandem in ſtatum popularem.
        - Diuites, quaſi iniuriam accipiant, rapiunt in dominationem paucorum.
    - Altera ex accidenti: ⟨ quæ communis eſt huic cum paucorum poteſtate, & ſuprà ſuo loco expoſita: numeratur autem in propriis, quia non eſt communis aliarum rerumpublicarum. ⟩
      - Multis ob res ſecundas ad eum cenſum &c.

TABVLA XIV.

MVTATIONES, & interitus rerumpublicarum earum, quas, quia ab vno ſolo regantur, monarchias vocant; tyrannidis ſcilicet, & regni. { regnum autem intellige non perfectum, & ſimplex, ſed mixtas, diminutasq́ue eius formas: quemadmodum proximè intelligebas mixtas, diminutasq́ue reſpublicas, & dominationes optimatum. }

- Mutatio.
  - Citiſſimè omnium rerumpublicarum intereunt tyrannides: regna diutiſſimè manent; tuta ab ijs, quibus imperatur; tuta propemodum à rebuſpublicis externis.
  - Mutatur tyrannis maximè in optimatum dominationem, aut in rempublicam; ſecundo loco in paucorũ potentiam; tertio in popularem: aliquando etiam ex vna in alteram tyrannidem fit mutatio. Regna mutantur primò in tyrannides; ſecundo loco in poteſtatem paucorum; tertio in popularem.
- Initia, & cauſæ mutationum.
  - Eadem fermè ſunt initia mutationum in monarchijs, quæ ſunt etiam in dominatibus multorum, præſertim illa communia: vis externa, ſeditio, quæque cauſæ ſunt ſeditionum, lucrum, honor, & reliqua. Si quid tamen proprium, aut proprio modo in his afferendum eſt, ſic fortaſſe congruentiùs.
  - Explicabitur.
    - Promiſcuè in vtraque.
      - Initia, & cauſæ omnes, ex quibus monarchiæ intereunt, ad vnum caput generale reuocari poſſunt:
        - Quod caput generale eſt — Cõſpiratio ſubiectorũ petentium.
          - Vitam principis
            - Ex
              - Ira.
                - Propter iniuriã ab illo
                  - Factam.
                    - Maximè cõtumeliæ, quæ eſt iniuria dedecorãs.
                      - Verborum, aliorum've ſignorum, quæ ſiunt pro verbis, — In { Se. / Suos.
                      - Factorum — In
                        - Corpore. { Suo: / Alicuius ſuorum: } — Vt — { Stupro illato. / Plagis inflictis.
                        - Re aliqua ſua, aut quocunque modo ad ſe ſpectante.
                    - Aliquando fortunarũ ablatarum { Sibi. / Suis.
                  - Neglectam.
              - Metu.
                - Vt ipſi malum, quod ſibi impendere arbitrantur, effugiant.
              - Contemptu.
                - Ex quo conſpirant contra monarcham
                  - Audaces ingenio.
                  - Potentes amicitijs, aut opibus, aut honoribus, & magiſtratibus, bellicis præſertim.
                  - Familiares principis.
                  - Irati.
                  - { Vltionis / Gloriæ / Lucri } Cauſâ.
              - Cupiditate
                - Gloriæ — Qui nihil aliud ſpectantes, niſi nominis celebritatem, obſtinatis aduerſus mortem animis facinus aggrediuntur.
                - Lucri. — Quod ex nece monarchæ ſe conſequuturos ſperant.
          - Principatum
            - Lucri cauſâ: — Vt adipiſcantur maxima illa commoda, & gradus honoris, quibus monarchæ potiuntur.
            - Ex Contemptu: — Quia monarcham contemnunt.

- Propriè in
  - Tyrannide. — Interit tyrannis — Vel
    - Extrinſecus
      - A republica præpotente, & ſibi contraria, ideſt — Vel
        - Regia.
        - Optimatum.
        - Populi.
      - ‹ Quanquam hæc eſt vna cauſarum communium: videtur tamen fieri propria tyrannidis ob multas contrarias reſpublicas. ›
    - Intrinſecus.
      - Diſſidijs propinquorum, & amicorum tyranni inter ſe.
        - ‹ Accommodatur diſſidium amicorum monarchæ inter ſe mutationi tyrannidis; & contra monarcham mutationi regni (licet vtraque cauſa ad alteram mutationem transferri etiam poſſet) proptereaquòd regis quidem amicos virtus eius, quandiu amici ipſius ſunt, non ſinit inter ſe diſſidere: amici autem tyranni, ſi contra eum conſpirent, id propriè non faciunt, alijs idem facientibus ex publico odio. ›
      - Odio publico, à quo tyrannus liber eſſe non poteſt.
      - Vita inerti, ac voluptaria, quam plerique tyrannorum viuunt; præſertim quibus tyrannides ab alijs relictæ ſunt.
      - Cauſis illis omnibus in vniuerſum, quæ euertunt deterrimum ſtatum popularem, & deterrimam paucorum dominationem.
  - Regno. — Cauſæ interitus regni præcipuæ tres.
    - Seditiones propinquorum, amicorum, & miniſtrorum regis contra eum.
    - Adminiſtratio ipſius regis vergens ad tyrannicam. — — — — Si plura ſuo arbitratu, & præter legem gerere incœperit.
    - Diſpar virtus ſucceſſorum, & priorum regum in regnis hæreditarijs. — Si probis, ac virtute præſtantibus ſuccedant contemnendi, & contumelioſi.

TAB. XV.

Tab. 7ª.

CONSERVATIO reipublicæ.

{ *Cognitis ijs, quæ interitũ rebuſpublicis important, ea quoque, quæ ſaluté afferunt, facilè intelligũtur. contrariorum n. effectuum cõtraria ſunt cauſæ.* }

Rationes conſeruandarum rerumpublicarum.
{ *quæ & inſtitutiones earundem, & remedia mutationum dici poſſunt.* }

Communes omnium

Propriæ ſingularum.

- *Earum, quæ à multis reguntur.*
  - *Popularis ſtatus.*
  - *Paucorũ potẽtię.*
  - *Reipublicę.*
  - *Optimatum.*
  - *Tabula xvi.*
- *Earũ, quas monarchias vocãt, quia regũtur ab vno tãtùm.*
  - *Regni.*
  - *Tyrannidis.*
  - *Tabula xvij.*

Initia, & quaſi ideæ quædã ſummæ præceptorũ.
- *Cura, & cuſtodia diligentiſſima præſentis ſtatus, inſtitutionumque reipublicæ, atq; ciuitatis vniuerſæ.*
- *Concordia maximè rectorum reipublicæ: tum partium ciuitatis: denique cunctorum ciuium inter ſe.*
- *Modus, ſeu commenſus cùm honorum, tum potentiæ in ſingulis ciuibus, partibusque ciuitatis.*
- *Accommodatio omnium, quæ in ciuitate ſunt, & fiunt, ad præſentem ſtatum reipublicæ.*
- *Iniuriarum abſtinentia.*
- *Beneficiorum, in quibus reſpublica non lædatur, collatio.*
- *Iuſtitiæ cultus, quantum ſtatus præſens reipublicæ patitur.*

Præcepta, & tanquam leges primæ, potioresque de rebuſpublicis, ex iſtis initijs à Philoſopho deductæ.

1. *Ne quid ex legibus, inſtitutisque proprijs, ne'ue præter ea agi ſinito, cauendo maximè pauxillum.*
2. *Cuſtodiendæ reipublicæ diligentiam etiam timore excitato, atque augeto; pericula vicina, tanquam imminentia, longinqua, veluti vicina, tibi, & alijs proponendo.*
3. *Partem ciuium, quæ ſtatu præſenti reipublicæ contenta viuit, eſſe altera, quæ eum mutari vellet, potentiorem, nec tamen ſupra modum, in primis prouideto.*
4. *Magiſtratus ſummam in republica poteſtatem obtinentes aut ſolis, aut pluribus eorum, penes quos eſt prima reipublicæ auctoritas, mandari curato.*
5. *Intendi extra modum ſtatum reipublicæ, tanquam rem perniciosiſſimam, vitato.*
6. *Commentis, hinc ad populum, inde ad diuites circumueniendos, excogitatis nullam fidem habeto; neque ijs vtitor.*
7. *Rectores, participesque reipublicæ erga omnes probè ſe gerunto. Inter ſe populariter tractanto. Alios nulla iniuria afficiunto: quinimò primarios eorum in publicas adminiſtrationes inducunto. ne honoris cupidos ignominia lædunto: ne'ue multitudinem lucro fraudanto.*
8. *Magiſtratus diuturni haud ſunto, ſed vel ſemeſtres, vel annui: quo ſimilibus cunctis communicentur: & ne improbe agendi, moliendi'ue aliquid contra rempublicam ijs, qui in magiſtratu eſſent, diuturnitas temporis facultatem, aut animum daret.*
9. *Honoribus neminem ſupra modum cumulato: quod ſi feceris, auferto illos paulatim, non ſimul omnes.*
10. *Opibus, clientelis'ue ne magnopere vllus creſcat, legibus caueto. Si quis creuerit, in alias eum regiones amandato per ſpeciem publici cuiuſpiam muneris, honeſtæ'ue alius cauſæ, ſi fieri poterit; ſin minus, exilio indicto.*
11. *Vitas, ſtudiaque priuatorum, quæ ſtatui reipublicæ quoquo modo aduerſari viderentur, conſtituto ad hoc magiſtratu, diligenter obſeruato; ac, ne quid detrimenti afferre ei poſſint, caueto.*
12. *Proſpero fortunæ ſtatu hac, illa'ue parte ciuitatis vtente; alteri parti, quæ ei oppoſita eſt, res gerendas, magiſtratusque tribuito.*
13. *Seditiones, contentionesque, maximè nobilium, etiam legibus caueto. ſi ortæ fuerint; ſtatim componito: datoque operam diligenter, ne, qui extra eas ſint, ijs implicentur.*
14. *Magiſtratibus honor, non lucrum propoſitum eſto: nullamque ijs relinqui facultatem quæſtus faciendi legibus, & omni alia ratione prouideto.*
15. *Pauperum, diuitumque multitudines miſceto, aut medios ciues augeto.*
16. *Amicos reipublicæ ciues omnes fieri curato: vel ſaltem, ne eius rectores pro hoſtibus habeant, operam dato.*
17. *Erudiri, educarique pueros aptè ad ſtatum reipublicæ, vt vita, moresque deinde illorum cum legibus inſtitutisque ipſius conſentiant, maximè omnium prouideto.*
18. *Denique quæcunque legibus ſancita ſingulis rebuſpublicis commoda ſunt, illa omnia eas reſpublicas conſeruant.*

TAB. XVI.

TABVLA XVI.

Tab. 15ª.
*

RATIONES conſeruandarum rerumpublicarũ earum, quæ à multis reguntur.

Popularis ſtatus.

Præcepta, inſtituta, & molimenta, quibus ſtatus populare ſulciuntur; deducta ab eo iuſto, quod cuncti iuſtum populare eſſe aiunt, vt æquale numero, non dignitate quiſq; habeat; & à fine, qui eſt libertas.

In vniuerſum cuiuſuis, etiam illius, qui videtur eſſe maximè popularis, in quo populus eſt dominus legum.

1. Imperari ab omnibus vnicuique; & ab vnoquoque viciſſim omnibus.
2. Deliberari ab omnibus, & de omnibus rebus.
3. Magiſtratus omnes ex omnibus ab omnibus creari.
4. Iudicia exerceri ab omnibus, & ex omnibus, & de omnibus, vel de plurimis, & de maximis, & de maximè principalibus, vt de repoſcendis publicarum adminiſtrationum rationibus, de republica, de contractibus priuatis.
5. à Cenſu nullo, aut tenui concionum, & omnino reipublicæ eſſe omnes participes.
6. Reipublicæ participes eſſe pauperes, ignobiles, artifices, & alios è plebe ita, vt ſemper huic parti committantur magiſtratus illi, qui maximam in republica poteſtatem habent.
7. Concionem omnium rerum, aut certè multarum, & maximarum; magiſtratus nullius, aut pauciſſimarum, & exiguarum ſummam poteſtatem habere.
8. Conciones vt frequentent, & iudicia exerceant, mercedem pauperibus, diuitibus pœnam conſtitutam eſſe.
9. Plebs ſi nimis ſuperet in concionibus alios ciues; vel non dare omnibus plebeijs ad concionem venientibus mercedem, vel multos eorum ſorte eijcere, donec vtrique exæquentur.
10. Mercedem tribui aut omnibus, ideſt concioni, iudicijs, magiſtratibus; aut magiſtratibus, iudicijs, conſilio, & concionibus principalibus; aut ſaltem ijs magiſtratuum, quibus cibum ſimul capere neceſſe eſt.
11. Conciones, iudiciaque de multis quidem rebus, ſed pauca fieri, vbi non ſuppetunt publici reditus ad mercedem pauperibus perſoluendam; & paucis item diebus iudicia abſolui.
12. Magiſtratum, quem conſilium, ſiue ſenatum vocant, conſtituere, vbi omnibus ad concionem venientibus mercedis copia non ſuppetit.
13. Conſultores æquales numero ex vtraque parte, pauperum, diuitumque, vel ſuffragio, vel ſortitò deligi.
14. Mercedem ad neceſſarios congreſſus, ſi aliunde ſuppeditari non poſſit, conferri à diuitibus liberatis ſumptibus munerum inanium, operam dare.
15. Magiſtratus ſortitò dari aut omnes, aut quicunque experientia, & arte minimè egent: vel eundem magiſtratum diuidere, vt alijs ſorte, alijs ſuffragio mandetur.
16. Magiſtratus eoſdem iiſdem bis tribuiant nullos, aut paucos præter bellicos, lege ſancire.
17. Magiſtratus eſſe breuis temporis aut omnes, aut certè eos, quorum ratio id patitur.
18. Magiſtratum nullum eſſe perpetuum: ſi quis ſit ob aliquam cauſam veteri è republica relictus; eius tùm poteſtatem minuere, tum creationem à ſuffragijs ad ſortem reuocare.
19. Cauſas publicas quàm pauciſſimas ſemper in iudicium adduci; magnis conſtitutis pœnis aduerſus eos, qui temere crimen alicui intentauerint.
20. Diuitibus parcere; non calumniari eos, non iniurijs afficere; & hæc præſeferre: non agros, non fructus eorum diuidere: non imponere ijs munera ſumptuoſa; cohibere etiam obire volentes, niſi vtilia forent reipublicę.
21. Tribuere iiſdem ex cęteris rebus vel paria, vel etiam potiora, pręter eos magiſtratus, qui ſummam in republica poteſtatem habent.
22. è Damnatorum bonis, quibus multantur, nihil diuidi populo, aut in ærarium referri, ſed omnia ſacra eſſe, lege ſancire.
23. Paupertate nimia ne plebs prematur, aliqua ratione prouidere.
24. Vectigalibus copioſè ſuppetentibus, non ſtatim, quod neceſſarijs ſumptibus ſupereſt, diuidere; ſed coactum cuiuſdam temporis ſpatio diſtribuere vel viritim, ſi tantum fuerit, vt ad agellum emendum, mercaturam'ue, aut culturam agri inſtituendam ſit ſatis; vel per tribus, & partes alias ciuitatis.
25. Omnino autem reſpublicas populares multitudo hominum conſeruat.

Speciei nouiſſimæ, cuius populus ex agricolis, aut paſtoribus, aut vtriſque conſtat.

1. Magiſtratuum creandorum, & corrigendorum, iudiciorumque exercendorum omnes, aut ex omnibus delectos facultatem habere.
2. Cenſeri, vbi ab exiguo cenſu eſt communicatio reipublicæ, non totas poſſeſſiones, ſed per tantas partes diuidendo, vt poſſint etiã pauperes cenſibus ſuperiores eſſe.
3. Deligere, quibus maxima imperia, magiſtratusq; cõmittantur, vel à cenſu maiore, prout maior quiſq; magiſtratus fuerit; vel, nulla cẽſus habita ratione, ſtatim magis idoneos.
4. Agri certam menſuram ſtatutam eſſe; qua plus poſſidere cuique non liceat vel omnino, vel intra certum ab vrbe interuallum.
5. Vendere agrum, prima ſorte publicè attributum, cuiquam non licere.
6. Fœnori addicere certam partem agri, quem quiſque poſſideat, minimè licere.

Speciei primæ, cuius populus ex omnium multitudinum colluuie conſtat; & quæ difficillimè permanere poteſt, niſi rectè legibus, moribuſque fuerit conſtituta.

1. Adſciſcere quam plurimos in ciuitatem, & ciues facere non ſolum legitimos, ſed etiam nothos, & ex alterutro parente ciue natos, vſque eò tamen duntaxat, donec plebs ſuperet nobiles, ſiue diuites ciues, & medios.
2. Concionem eſſe rerum omnium omnino dominam: magiſtratuum iudicio nihil relinqui.
3. Tribus, phratriaſque nouas facere.
4. Quæ ad priuata ſacra pertinent, in pauca, & publica redigere.
5. Conſuetudines, ſodalitateſque priores, quantum fieri poterit, maximè dirimere: omneſque inter ſe permiſcere.
6. Viuendi licentiam ſeruis, mulieribus, pueris quadantenus indulgere; ſinereque vt vnuſquiſque viuat arbitratu ſuo.
7. Et cętera omnia tyrannica molimenta, accommodata huic ſtatui, conſeruare eum ad tempus poſſunt.

Paucorum potentiæ.

Pręcepta, & inſtituta firmantia dominationes paucorum: quarum quidem finis diuitiæ ſunt; iuſtum autem æquale, non numero, ſed dignitate definita modo generis, ac diuitiarum.

Cuiuſuis in vniuerſum.

1. è Cenſu magno eſſe aditum ad rempublicam.
2. Deliberare de omnibus paucos, & è cenſu.
3. Magiſtratus omnes à quibuſdam ſuffragio, & è cenſu creari.
4. Iudicia omnia, aut certè capitalia in paucorum poteſtate eſſe.
5. Cenſeri ciuitatem ſtatis temporibus: initaque ſemper ratione bonorum præſentis temporis, & illius, quo primùm ratio cenſus ad capeſſendam rempublicam inſtituta fuit; augeri, vel minui hanc, vt proportione ſit eadem quę primùm fuit.
6. Leuis armaturæ manum ex popularibus non conſtitui: ſed diuitum filios adoleſcentes bellica ferentariorum munera doceri: vt, quom exceſſerint è pueritia, ſint cuiuſque generis armorum vſui idonei.
7. Hæreditates non donatione, ſed iure cognationis; & ad vnum vnam tantùm, non multas peruenire.
8. Magiſtratibus maioribus, quos geri oportet ab iis, qui in republica ſunt; munera ſumptuoſa annecti; vt magnificorum ſacrificiorum, & ędificiorum in publicos vſus.
9. Pauperum curam magnam haberi: tribui iis magiſtratus, è quibus lucri aliquid capitur: tribui cęterarum rerum vel paria, vel potiora, pręter magiſtratus illos, quibus eſt in republica ſumma poteſtas: grauiorem pœnam ſtatutam eſſe, ſi diues pauperem, quàm ſi pauper pauperem, vel diues diuitem contumelia affecerit.
10. Populares in deliberationum, & reipublicæ partem recipi vno horum quatuor modorum: Vel deligi à paucis quoſdam è plebe, qui cum ipſis deliberent: Vel creari ex vtraque parte, ſua ſcilicet, & popularium, magiſtratum; quem vocant Iureconſultores, & Cuſtodes legum, de iis rebus priùs diſputantem, de quibus pauci dominantes poſtea decernunt: Vel vt populus eadem ſciſcat, & nihil diuerſum ab iis, quę à paucis antè decreta fuerint, & ad eum relata: Vel vt omnes conſulendi habeant facultatem; ſtatuendi autem ii pauci tantùm, qui dominantur.
11. Popularibus perueniendi ad honores, & reipublicæ adminiſtrationem ſpem, & locum dari, vel ſi cenſum ſtatutum adepti fuerint; vel ſi certo tempore ſordidis abſtinuerint artibus; vel ſi dignos ſe eo beneficio reddiderint.
12. Tandem contraria illis, quæ ſingulos ſtatus populares conſeruant, conſeruabunt ſingulos ſtatus paucorum iis oppoſitos; omnes autem rectus ordo, atque moderatio.

Speciei vltimę, quę probè temperata eſt, ac finitima vocatę reipublicę.

1. Cenſus partiri in maiores, & minores; vt è minoribus neceſſarii; è maioribus præſtabiliores magiſtratus creentur.
2. Cenſus ſic ordinare, vt cum eo numero popularium, quibus per cenſum ad rempublicam aditus patebit, ſint, qui eam regunt, cęteris potentiores.
3. E meliori populo deligere eos, qui in reipublicę ſocietatem recipiuntur.

Aliarum ſpecierum.

1. In mediis intento paruum cenſu, & ad minorem numerum redactis illis, qui rempublicam in manu habent, cætera ſimilia facere.
2. In prima, quę deterrima populari opponitur, eſtque maximè violenta, & tyrannica, atque his de cauſis infirmiſſima; cautionem plurimam adhibere, ſeruatis, quoad fieri poterit, præceptis ſuperioribus, & adiunctis tyrannicis molimentis, quę poterunt accommodari.

A

A

Reipublicæ.

Præcepta, & inſtituta rerumpublicarum, quibus propriè hoc nomen attributum eſt.

1. *Permiſceri rectè ſtatum populi, & paucorum dominationem: ideſt diuitum, pauperumque ſimiliter pro dignitate in mandandis magiſtratibus, republicaque communicanda rationem haberi.*
2. *Concionum, ſeu deliberationum participem fieri è cenſu mediocri.*
3. *Deliberari ab omnibus de quibuſdam rebus; & de quibuſdam à magiſtratibus, ad hoc creatis ſuffragio, vel ſorte ductis.*
4. *Magiſtratus creari nulla cenſus habita ratione, vel omnes ex omnibus; vel omnes ex quibuſdam; vel quoſdam ex omnibus, quoſdam ex quibuſdam; & vel ſuffragio, vel ſorte, vel vtroque modo; non tamen creari ab omnibus ſimul.*
5. *Iudicia exerceri omnia ab omnibus, & quædam à quibuſdam.*
6. *Iudicia vt exerceant, diuitibus pœnam, pauperibus mercedem conſtitui.*
7. *Abſoluendo ratam eſſe magiſtratuum ſententiam; in condemnando non ratam, ſed ad pleroſque ſemper prouocari poſſe.*
8. *Cenſeri ciuitatem ſtatis temporibus &c. vt in paucorum potentia.*

Hæc pauca Philoſophus, ſed aliud agens. Cætera depromantur ex ſuperioribus inſtitutis, præſertim paucorum, & populi. At, ſi mixta quidem reſpublica ſit; miſceri, temperarique aptè omnia debent, quæ ſunt vtriuſque dominationis. Si verò ſit ſyncera, & perfecta; ſumi primùm communia omnium ſtatuum; tum propria populi & paucorum contrahi, dilatari, expleri, denique dirigi vniuerſa ad virtutem, & bonum publicum, qui eſt ſcopus huius ſtatus, quem rempublicam vocant. Et hæc quidem vera, propriéque appellata reſpublica per ſe ſua propria vi conſeruatur, non extrinſecus ſubſidijs externis, & aduentitijs.

Optimatum.

Præcepta, & inſtituta ſtatus optimatum.

1. *Permiſceri rectè inter ſe ſtatum populi, paucorum potentiam, & virtutem.*
2. *Deliberari ab omnibus de quibuſdam rebus; de quibuſdam item à magiſtratibus, ad hoc creatis ſuffragio, vel ſorte ductis.*
3. *Magiſtratus creari ſuffragio, & non à cenſu; quoſdam à quibuſdam ex omnibus, & quoſdam ab omnibus ex quibuſdam.*
4. *Magiſtratus quoſdam proprios creari, vt παιδονόμους, γυναικονόμους, & alios ſimiles, ad modeſtiam, & ornatum.*
5. *Iudicia exerceri quædam à quibuſdam, & quædam ab omnibus; vel omnia à quibuſdam, & quædam ab omnibus.*

Reliqua, vt de republica diximus, ex ſuperioribus petenda ſunt; &, ſi abſolutus, ſyncerusque ſit ſtatus optimatum; in fine præterea, ac iuſto rectarum rerumpublicarum; quorum ille eſt honeſtas, ac bonum commune; hoc eſt æquale dignitate pro modo virtutis; atque, vbi virtus diſſimilitudinem non facit, æquale numero, licet aliarum rerum adeſſent diſſimilitudines, vt diuitiarum, aut pulchritudinis. Cuncta verò veri optimates pro ſua maxima virtute, ac prudentia rectiſſimè diſponent, locis, perſonis, temporibus opportuna.

TAB. XVII.

f 2

TABVLA XVII.

Regni

Præcepta, & inſtituta regni diminuti, & mixti. { Nam perfecti & ſimplicis rex, cuius virtus, & prudentia aliorum ſimul omnium prudentiam, & virtutem ſuperans; leges, inſtitutioneſquè præſtantiſſimas, vt dictum eſt de optimatibus, ex vero bono, vtroquè iuſto deducet, addens, mutans, detrahens pro incidentibus temporibus, & cauſis: denique, ſicut ſumma poteſtate, ſic ſumma ſapientia omnia moderabitur: & imperium per ſe immutabile, quandiu in manu eius fuerit, firmiſſimum etiam aduerſus vim externam reddet. }

1. ad Mediocrem rationem vim imperandi reuocare, ne nimis multa regis arbitrio permittantur.
2. Prouidere, vt nec diuites iniuria, nec populares contumelia afficiantur.
3. Cuſtodiam ſi habeat, habere ex ciuibus ſuis.
4. Amicorum opera, & ſtudio maximè niti.
5. Magnum neminem vnum facere, ſed potius multos: ſi omnino vnum oporteat, cauere eum, qui ſit moribus audax.
   { Quanquam enim hoc fuerit præceptum commune omnium ſtatuum: tamen maximè obſeruandum eſt in monarchijs. }
6. Et quæcunque paulopòſt dicentur conſeruare tyrannides ſecundi modi, omnia, ſi vim, & ſimulationem detraxeris, huc pertinent; conſeruantque iſtiuſmodi regna mixta, & diminuta.

Tab. 15ª. *

RATIONES conſeruādarum rerumpublicarum earum, quas, quia ab vno ſolo reguntur, monarchias vocant.

Tyrannidis.

- Modi. — Conſeruandarum tyrannidū modi duo, maximè interſe contrarij.
  - Vnus maximè vſitatus, & antiquiſſimus: — — — — — Quando
    - Tyrannidem apertiſſimè, veriſſimeque ſeuè, & iniqua adminiſtratione exercent tyranni; nihil omittendo prauitatis pro dominatione retinenda.
  - Alter mitior: — — — — — — — — — Quando
    - Regiam adminiſtrationem, & voluntatem tyranni effingunt; retinendo ſolùm poteſtatem dominandi in volentes æque, ac inuitos; eamq; populi gratia, & beneuolentia, quam aſtutè aucupantur, fulciendo.
- Metæ, — Et quaſi ideæ quædam, ad quas ſpectant tyranni.
  - Proximæ, & propriæ primi modi: — — — — Vt ciues —
    - Abiectis animis ſint, non elatis.
    - Fidem inter ſe nullam habeant.
    - Poteſtate omni quidquam mouendi priuati ſint.
  - Superiores, & cōmunes quadantenus vtriuſq; modi: — Vt ipſi tyrāni
    - Tuti ſint ab inſidijs ciuium.
    - Oblectentur, quantū poſſint; & hac de cauſa etiā pecunias cōgerant.
    - Dominentur, & præferantur omni in re omnibus.
- Primi modi propriæ, & præcipuæ.
  1. Conuentus omnes prohibere: non conuiuia, non ſodalitates non diſciplinarum, & literarum ludos permittere.
  2. Ignoti vt quàm maximè inter ſe ciues ſint, operam dare.
  3. Peregrinos, & ſatellites circa fores ciuium, in alijſque publicis, priuatiſque locis ſemper conſpici.
  4. Exploratorum, delatorumque plenam eſſe ciuitatem: vt, quid quiſque dicat, aut faciat, à tyranno non ignoretur.
  5. Calumniari alios apud alios: & amicos cum amicis; plebem cum nobilitate; diuites inter ſe committere.
  6. Pauperes reddere illos, quibus imperatur.
  7. Occupatos tenere eoſdem continentibus operibus, & curis.
  8. Populo nullā in re ſe committere; & arma adimere.
  9. Præſtantes, elatiſque animi viros, illos deprimere, hos interficere.
  10. Nobiles perſequi, & clam, palamque interimere, atque in exilium mittere.
  11. Plebem affligere; ſummouere munitioribus vrbis locis, & ſeorſum habitare cogere.
  12. Bella concitare.
  13. Amicis minimè omnium fidem habere.
  14. Mulieribus, ſeruiſque viuendi licentiam, libertatemque tribuere.

15. *Adulatores, & improbos in pretio habere.*
16. *Grauium, liberorumque virorum conſuetudine minimè delectari, ſed proſequi eos odio.*
17. *Peregrinos, externosque potius, quàm ciues in conuiuia, familiaritatemque adhibere.*

Moli-tiones. — *Secundi modi propriæ & præcipuæ.*

1. *Deos colere eximiè, citra ineptias tamen, ſuperſtitionemque ſemper videri.*
2. *Munire, ornareque ciuitatem, vt procuratorem, non vt tyrannum.*
3. *Communium rerum curam oſtentare; non abſumentem pecuniam in eiuſmodi largitionibus, quæ multitudinem offendant, & accepti, expenſique rationem reddentem.*
4. *Tributa, collationesque ſic imponere, vt reipublicæ iuuandæ cauſâ, & vtendi ad vſum militarem, ſi aliquando bellum incideret, pecuniã cogere videatur.*
5. *Moribus eſſe ad virtutem accommodatum, aut ſemibonum; & non prauum, ſed ſemiprauum.*
6. *Grauis, & venerandi, non aſperi, & timendi hominis occurrentibus ſpeciem præbere.*
7. *Mediocritates in omni vita, non exuperantias ſequi videri.*
8. *Sobrietatis, & modeſtiæ opinionem facere; vel intemperantias, crapulas, & ebrietates verè fugientem, vel ſaltem fugere ſe ſimulantem.*
9. *Virtute aliqua, præſertim bellica, ſi poteſt, excellere; aut ſaltem hoc ab alijs putari.*
10. *Ciuili diſciplinæ deditum eſſe; & talem de ſe exiſtimationem excitare.*
11. *Contumelijs in ſubiectos pueros, virgines, viros, mulieres abſtinere tam ipſum, quàm cunctos ſuos homines, mulieresque; à duabus tamen præcipuè cauere, ab animaduerſione in corpora, & à libidine venerea, atque ab his maximè erga honoris cupidos. Si factæ fuerint: illam non per contemptum, ſed legibus, vel more patrio irrogatam; hanc ex amore, non ex poteſtate profectam præſeferre: at tandem quicquid ignominiæ ſpeciem habuerit, maioribus honoribus ſarcire.*
12. *Legum præſcriptis pleraque agere.*
13. *Egregios, & præſtantes aliqua in re viros ſic honorare, vt illi arbitrentur, ſe nunquam à ſuis ciuibus, ſi liberi forent, magis honoratum iri.*
14. *Honores, & præmia ipſum per ſe tribuere: pœnas per alios, id eſt per iudices, & magiſtratus irrogare.*
15. *Vtranque partem ciuitatis, diuites, pauperesque ſic fouere, vt vtrique exiſtiment ſe imperio eius conſeruari, nullaque alteros ab alteris affici iniuria: quos tamen potentiores cognouerit, eos imperio ſuo maximè conciliare.*
16. *Nobiles familiaritate; plebem indulgentia, & facilitate ſibi deuincire.*
17. *Magnum neminem vnum facere &c.* { *vt dictum paulo antè eſt in regno.* }
18. *Potentia cuiuſpiam ſi diſſoluenda erit; paulatim hoc facere, non totam auferre ſimul.*
19. *Cauere maximè eos, qui aut ſe, aut alios, qui ſibi curæ ſint, contumelia vexatos exiſtimant.*
20. *Et cætera eiuſdem generis, quæ ex propoſito ſimilium tyrannorum liquent, non tyrannos ſe, ſed reges, & quaſi patres familias, nec interuerſores, ſed procuratores communium bonorum ſuis, quibus imperant, videri ſtudentium.*

Vtriuſque modi commune eſt

Cuſtodiam habere ex peregrinis.

TAB. XVIII.

TABVLA XVIII.

*LEX, ſeu ius ciuile.

- Lex.
  - Eſt lex ciuilis ratio expreſſa veræ, ſimulatæ'ue iuſtitiæ, continens ordinem ciuilis ſocietatis.
  - Diuiditur in
    - Conditam, ſiue ſancitam, & iuſſam: — Quam propriè legem appellant. — Et eſt iuſſum, ſiue præceptum commune maioris poteſtatis ad tuendum ciuitatis ſtatum.
    - Per ſe natam, ſine iuſſu, & ſanctione.
      - Inſita partim à natura, partim ab educatione, & inſtitutione — Aequitas.
        - Hæc per ſe non eſt lex, ſed habitus, quo facilè, benignèque legem interpretamur, corrigentes eam, & moderantes ex præſcripto rationis, iureque naturali, vel addendo, quod ſupplendum eſt; vel demendo, quod minuendum. Duobus autem modis lex dici poteſt: primùm vt adhibetur, applicaturque legi: ſic enim, quum legis ſit interpretatio, eſt lex quædam, quæ iubetur, & obſeruatur. altero modo lex verè dicitur, ſi ſcripto mandata fuerit.
      - Inducta tempore, pedetentim — Conſuetudo.
        - Neque hæc propriè lex eſt; ſed tamen norma, & ratio iuſtitiæ vera, aut opinata in moribus alicuius populi, longo tempore, & communi conſenſu comprobata, qua actiones eius diriguntur.
- Eunomia. — Cuius duæ partes: — Id eſt recta legum conſtitutio.
  - Legibus poſitis obtemperari.
  - Leges eſſe rectè poſitas, — Vel quia ſint
    - Optimæ ſimpliciter. Quod ſolùm contingit in optima republica, & ciuitate beata.
    - Optimæ, id eſt conuenientiſſimæ omnium, quæ in ſubiectum populum cadere poſſint. Quod ſemper obtinget, ſi leges ad reſpublicas, & ciuitates ſubiectas accommodentur, non iſtæ ad leges.
      - § Hinc liquet optimas, cõuenientiſſimaſq; leges in rebuſpublicis rectis neceſſariò iuſtas eſſe; in deprauatis iniuſtas vel oẽs, vel pleraſq;. §

Reliqua alibi. pertinẽt enim partim ad moralẽ, partim ad iudiciariam.

*VNITAS ciuitatis.

Vnam, eandemque permanere ciuitatem; aut diuerſam fieri & non vnam; qua parte eius mutata dicere oporteat.

- *Mutata*
  - *Forma, quæ eſt ipſa Reſpublica:*
    - *Non manet vna, & eadem ciuitas, quæ propriè dicitur; ſed euadit ſimpliciter diuerſa: licet maneat eadem vrbs, & idem populus, quibus attribuitur nomen ciuitatis.*
  - *Materia*
    - *Loco mutato.*
      - *Aedificijs tãtùm mutatis: — Priori ſcilicet vrbe diruta, nouaque eodem in ſolo ædificata:*
      - *Solo quoque mutato: — Si homines migrauerint alium in locum ad habitandum:*
      - } *Manet eadem ſimpliciter ciuitas; & idem populus: vrbs eadem non manet.*
    - *Hominibus mutatis.*
      - *Genere eodem manente: — Quia identidem alij intereant, alij naſcantur:*
        - *Manet eadem non ſolùm ciuitas, ſed etiam vrbs, & populus idem.*
      - *Genere quoque mutato: — Quom alius populus, depulſo priore, vrbem occupat:*
        - *Vrbs eadem manet: non manet eadem ſimpliciter ciuitas, nec ſi quidem inſtitueretur in nouo populo eadem forma reipublicæ, quam prior habebat. Inſtitueretur enim eadem reſpublica ſpecie, non numero; & eſſet eadem ciuitas ſpecie, non numero: proptereaquòd abolito ſimul vniuerſo ſubiecto, in quo verè eſt forma; non poteſt eadem numero forma manere; ſed noua, & ſpecie eadem duntaxat in nouo ſubiecto generari.*
    - *Ambobus mutatis, ideſt loco, hominibuſque quocunque modo:*
      - *Manet eadem ciuitas vel ſimpliciter, ſi idem ſaltem genus hominum maneat; vel ſpecie, ſi etiam hoc fuerit mutatum.*

*

MAGNITVDO ciuitatis.

- *Magna, & parua ciuitas definiuntur.*
  - *Poteſtate.*
    - *Quæ opus ciuitatis, quod eſt bene viuere in communione ciuili, rectè abſoluere poteſt; magna eſt: quæ non poteſt; parua.*
  - *Multitudine habitantium*
    - *Eorum, qui ciues ſint, & è quibus, tanquam è ſuis proprijs partibus, ciuitas conſtet.*
      - *Quorum ſi is numerus fuerit, vt reſpublica inſtitui, muniaque ciuitatis expleri probè, ac facilè poſſint; magna erit ciuitas: ſiu maior, aut minor vſque eò, vt hæc vel non rectè, vel non facilè fiant; parua.*
    - *Non eorum, qui ciues non eſſent, vt ſeruorum, inquilinorum, peregrinorum: quorum multitudo nihil facit ad magnitudinem ciuitatis, niſi fortaſſe vt inſtrumentorum.*

TAB. XIX.

TABVLA XIX.

* BEATA ciuitas.
Informatio beatæ ciuitatis, vt optari, et quæ ſimul exiſtere etiam poſſit.

- Definitio huiuſmodi ciuitatis beatæ.
  - Eſt beata ciuitas illa, quæ optima eſt, agitque rectè, & honeſtè, hoc eſt ex virtute, prudentiaque; bonis fortunæ, & corporis, quatenus conducere ad hæc poſſunt, affatim cumulata. Vel, Eſt beata ciuitas illa in qua, optimo, quantum fieri poteſt, reipublicæ ſtatu adminiſtrata, omnes, qui in ea ſunt, publicam, priuatamque optimè, ideſt maximè ex virtute, prout quiſque virtutis, & felicitatis eſt capax, vitam degunt; externis, corporalibusque bonis vſque eò inſtructi, vt probarum actionum, pro ſuis ſinguli ingenijs, participes eſſe queant.
- Res quæ beatæ ciuitati eſſe debent — — — — — — Pro
  - Materia, & quaſi fundamentis.
    - { Quæ quidem optare à fortuna potius, vt ſint eiuſmodi, quàm ipſe efficere ciuilis philoſophus, & legumlator poteſt. }
    - Multitudo hominum eorum,
      - Qui — — ciues — & — — partes — — ciuitatis — — beatæ — — — futuri — — — — — — — ſunt
        - Quanta — — — — — — — eſſe debeat — — — — — — — Qualis
          - Quanta: Magna multitudo, quę ad beneuiuendū in ciuili ſocietate ſit ſeipſa cōtenta (αὐτάρκης) perſpicique ſine magno negotio poſſit, vt noti inter ſe oēs ciues ſint ad munia ciuitatis probè abſoluenda, hoc eſt ad reddenda iudicia, magiſtratusque creandos, atque exercendos.
          - Qualis: Qui ciues futuri ſunt beatæ ciuitatis, ij animo ſimul, & intelligentia ad libertatem ſuam tuendam, ciuilemque ſocietatem optima ratione adminiſtrandam valere plurimū debent: eiuſmodi quidem ingenia, frigore, caloreque aptè permixta, in medijs, ac temperatis regionibus, veluti in Græcia, naſcuntur.
      - Sine quibus ciuitas beata prorſus non conſiſtit,
        - Sex ſunt hominum genera neceſſaria huiuſmodi ciuitati ob totidem munera, ac res, ſine quibus ipſa eſſe non poteſt.
          - Agricolæ, ob alimentum. { Cum quibus intellige etiam paſtores, vt ſuprà annotaui. }
            - Hos expedit eſſe
              - Primùm Seruos { Publicos in publicis / Priuatos in priuatis } agris.
              - Deinde Barbaros — { Nationum diuerſarum / Animi abiecti, & ſummiſſi } Tales enim ſi fuerint { Vtiliores erunt ad opus conficiendum. / Periculum aberit, ne quid noui moliantur. }
              - Poſtremò Accolas, & vicinos.
            - Duo hæc genera, agricolæ, opificesque nullo pacto ciues, aut partes ciuitatis beatæ eſſe poterunt, ſed miniſteria tantum, & inſtrumenta: — Quia
              - Neutrum fælicitatis, quæ in actione, vſuque perfecto virtutis conſiſtit, eſt particeps.
              - Opificum vita { Ignobilis eſt. / Virtuti ferè eſt contraria. }
              - Agricolis otium non ſuppetit — — Ad { Comparandam frequentibus actibus virtutem. / Munera ciuilia obeunda. }
          - Opifices, ob alia vitæ inſtrumenta. { Annumerare his debemus forenſes omnes, & mercenarios, & maritimam turbam. His verò annumerantur, quia pauci omnino commorari iſtorum trium modorum homines debent in beata ciuitate. }
          - Bellatores, ob imperium domeſticum, & iniurias externas.
          - Locupletes, ob ſumptus neceſſarios in vſus ciuiles, & bellicos.
          - Sacerdotes, cunctis præferendi, ob diuinum cultum.
          - Iudices, ob iudicationem,
            - { Fusè ſumpto hoc vocabulo iudicationis, vt iudicationem omnem publicam notat. quæ vel eſt de iuſtis rebus, cauſiſque, & controuerſijs litigantium. Iudicibus, qui propriè ſic nominantur. demandata: vel eſt de vtilibus, & honeſtis ad ciuitatem attinentibus, propria Conſultorum, & deliberationum publicarum: vel de ijſdem eſt cum certo imperio, aut procuratione, qualem Magiſtratus habent. Cur verò hæc tria coniunxerit Philoſophus hac in parte; & ab ijs tamen ſeparauerit Sacerdotes, qui in Magiſtratibus numerabantur; cauſa eſt in promptu nam his tribus muneribus eadem ætate ciues beatæ ciuitatis funguntur; ſacerdotio, diuerſa. }
          - (Bellatores, Locupletes, Sacerdotes, Iudices:) Quæ quatuor genera ſola, et ab alijs duobus, ex inſtituto antiquorū Aegyptiorum diſtincta, — Eſſe debere
            - Partes beatæ ciuitatis, per ſe liquet: — Quia ſola ſint virtutis, beatitudinisque à virtute manantis capacia.
            - Eoſdē homines in beatā ciuitate, nō eodē tamē, ſed diuerſis tēporib', et prout naturæ ratio poſtulat, expedit ſimul, ac iuſtū, neceſſariumque eſt: — Vt
              - Locupletes ijdem ipſi; quorū ſunt agri, et poſſeſſiones, et q, opib' abū dè inſtructi virtutis, ſelicitatiſque eſſe participes queāt
                - Iuniores dū fuerit, niribus q; corporis valebūt, quæ armis tractādis sūt neceſſariæ, — Sint { Bellatores, & Magiſtrat' etiā quoſdā obtineāt, q iuniorib' cōmitti ſolent. }
                - Seniores facti, & ætate prudentiam adepti, qua indiget iudicatio, — Fiant Iudices, hoc eſt { Conſultores. / Iudices. / Magiſtratus primarij. }
                - Senes lōgeui, & quaſi emeriti, alijs muneribus reipub. functi, in cultu diuino exhibendo, qđ ſolis ciuibus permitti æquū eſt, requieſcant: — Et creētur — Sacerdotes.
  - Forma — Tab. 20.

- **Locus**
  - **Vrbis**
    - **Cuius**
      - **Situs**
        - **Ad**
          - **Mare.** Sit maris particeps,
            - Euehendis, inuehendisque facilè fructibus, lignis, cæterisque rebus ad vitam vtilibus, vsus sui gratiâ tamen, non mercaturæ alijs instituendæ.
            - Auxilijs accipiẽdis, mittendisq; ab omnibus, & in omnia loca.
            - Incõmodis vtrinq; vel ab altera saltem parte in hostes afferẽdis.
            - Copijs naualib' certo numero, et vitæ suæ cõuenienti habẽdis — Ad
              - Res suas tuendas.
              - Vicinos in metu cõtinẽdos.
              - Amicis auxilia etiam hac parte ferenda.
            - Ne verò ex peregrinorum, & turba naualis frequentia detrimenta vlla accipiantur; Naualia, portusq; opportunis locis ædificantor, & muniuntor: vt illi neque oppidum habitent; neque sint valde remoti.
          - **Regionẽ suã.** Sit posita opportunè ad suã regionẽ,
            - Inuehendis facilè vt[illegible] rebus, quæ in agris nascuntur.
            - Auxilijs in quamque partem illius mittendis.
        - **Seipsam.**
          - In orientem Solem; sin minus in septentrionem, ad ventos salubriores vergat. — Sanitatis causâ.
          - Aquarum nascentium, & fluentium intimam copiam contineat
            - Salubrium. Si verò oẽs nõ sunt similes; vel, quæ sunt, nõ sufficiũt; necesseq; est vti collectis, aut alius generis: eas diuidũto; salubrioresq; alimẽtis; minus salubres alijs vitæ vsib' assignãto. — Sanitatis causâ.
            - Sin minus; cisternas imbribus accipiendis magnas, & multarum aquarum capaces, quæ nunquam oppidanos deficiant, extruunto.
          - Exitus oppidanis faciles; accessus hostibus difficiles habeat. — Bellicarum actionum, & tandem custodiæ causâ.
          - Obsideri oppugnarique diffi[illegible]e possit. — Bellicarum actionum, & tandem custodiæ causâ.
          - Vias omnes [illegible] as, angiportus commodos habeat tam inter se, quàm ad quasque alias oppidi partes. — Ciuilium actionum causâ.
      - **Ædificia**
        - **Munita loca.** Quemadmodum arces pauc[illegible] potentiæ, & vnius principatui conueniunt; locique æqualitas statui populari: ita firma loca plura optimatum reipublicæ sunt accommodata.
        - **Domuum priuatarum series, & forma.** Domuum priuatarũ cõstructio im[illegible] eos quos in rebus rusticis ordines vitiũ quidã appellant: vt, ad cõmoditatẽ quidẽ, & gratiã, Hippodamij, recentisq; modi, eas elegãter diuidẽtis; ad securitatẽ [illegible] aduersus hostes, modi antiqui, difficiles exitus, difficilioresq; adit' ijs, qui illos nõ norũt, habẽtis, sit particeps.
        - **Mœnia.** Cincta sit muris vrbs, turres, & propugnacula, locis opportunis disposita habẽtibus, qui & ornatũ ei addãt, & tutã reddãt — Aduersus
          - Improuisas hostium incursiones.
          - Multitudinem multo maiorem hostium, quam sit habitantium multitudo.
          - Tormenta, & machinas bellicas vrbium expugnandarum, nuper excogitatas.
          - Cupiditates, & inuidentias multorum: qui, quos paratos, instructosq; nouerũt, non aggrediuntur.
        - **Ædes diuinæ.** Sint diuinæ ædes, exceptis sacellis, quæ lege separantur, & oraculis Pythicis, honorifico, editoque loco, ac vicinis vrbis partibus munitiori exædificatæ.
        - **Cœnationes, siue Curiæ, et Sedes.**
          - Sacerdotum συσσίτια, idest cœnationes, vel curias iuxta ædes sacras decet esse ædificatas.
            - Vocabuli. συσσίτια, triplex omnino est significatio. aliquando enim notat certas hominum multitudines, in quas populus distribuebatur, quas sodalitates appellant Latini: aliquando loca, ædesque certas, in quas publicè conueniebant ad sua publica obeunda munia, & in quibus publicè epulabantur vel illæ ipsæ sodalitates, vel collegia aut magistratuum, aut sacerdotum: has curias Romani dixerunt. Postremò significat illas ipsas publicas epulas. Primo modo vsurpatum est illud vocabulum suprà in Tabula 4. Secundo [illegible] vsurpatur hic. Tertio vsurpabitur in Tabula proximè sequenti.
          - Magistratuũ
            - Principalium συσσίτια, idest cœnationes, & curias, eodem in loco, quo diuinæ ædes sitæ sunt, ædificatas esse decet.
            - Eorum, qui contractibus, qui [illegible] ripturis litium, & in ius vocationibus, qui rebus fori, vrbis ædificijs, cæterisque similibus rebus præfecti sunt, ἀρχεῖα, idest curias, aut sedes circa forum rerum venalium sitas esse decet.
          - Bellatorum συσσίτια, idest cœnationes, & sedes in [illegible] propugnaculis, turribusque, quibus mœnia distincta sunt, sint exædificata.
        - **Fora.**
          - Forũ liberũ à cõmercijs, et à vulgari turba, seniorum [illegible] rationib' destinatũ, situ sit sub loco ædiũ diuinarũ, curiarumq; magistratuũ principalium.
          - Forum rerum venalium, quod etiam necessarium [illegible], diuersum & separatum à libero, locum habeat opportunum, quò congeri facilè possint & quæ à mari, & quæ à terra mittuntur.
  - A

A

Regio, agerque.

- **Ager.**
  - Quantus.
    - Magnitudine.
    - Multitudine.
      - Tantus ſit, & tam varius,
        - Vt poſſint incolentes in otio liberaliter ſimul, & temperanter viuere.
        - Vt habitatoribus nihil deſit eorum, quæ ad vſus vitæ humanæ requiruntur.
  - Qualis.
    - Fertilitate. — Ferax ſit omnium rerum.
      - (as above: Vt poſſint incolentes… / Vt habitatoribus…)
    - Forma. — Eam habeat formam, — Vt ſit
      - Aditu hoſtibus difficilis.
      - Exitu ciuibus facilis.
      - Perſpectu facilis, hoc eſt, vt in omnes eius partes auxilium ferri facilè poſſit.
      - Exportationi, inuectionique fructuum, & aliarum rerum neceſſariarum commodus.
    - Situ.
      - Oppido ſit aptè ſubiectus, — Ad
        - Securitatem.
        - Communionem vſuum, ac rerum.
      - Mari ſit vicinus ob eaſdem cauſas, ob quas vrbem dictum eſt vicinam eidem mari eſſe debere.
  - Diſtributio. Diuidantur agri — In
    - Publicos. — Atque horum rurſus duæ ſiant partes: Altera ſit deſtinata ſumptibus —
      - Diuini cultus.
      - Concœnationum, συσσιτίων: quas, ab Italo œnotriæ rege primùm inſtitutas, in omnibus bene ordinatis ciuitatibus adeſſe debere omnes conſentiunt.
    - Priuatorum ciuium: quorum ſingulis binæ partes agri aſſignentur; — Altera ad
      - Extremos ſines:
      - Vrbem: — —
        - Vt
          - Pari iure omnes vtantur.
          - Finitimorum ad bella concordes ſint.
- **Aedificia.**
  - Propugnacula, ſiue caſtella quædam, ac munita loca, φυλακτήρια.
  - Sedes, ſiue Cœnationes, συσσίτια. —
    - Agrorum præfectis, quos quidam ὑλωροὺς, quidam ἀγρονόμους vocant, exædificata hæc eſſe in regione ad cuſtodiam oportet.
  - Fana. — Diſtributa per agrum fana eſſe oportet, dicata — Partim
    - Dijs.
    - Heroibus.

{ Pauca hæc de huiuſmodi rebus pro materia, & tanquam fundamentis ciuitatis beatæ ſatis ſunto: quas non intelligere, ſed efficere arduum eſt, atque in fortunæ poteſtate poſitum. Cætera perſequi accuratè; aut in his diutius morari, inane eſſet, ac ſuperuacuum. }

TAB. XX.

TABVLA XX.

Tab. 19ª.

RES, quæ beatæ ciuitati eſſe debent

Pro

- Forma.
  - Adminiſtrationis, ſiue reipublicæ ciuitatis beatæ modus.
    - Melior certè eſſet regni, aut optimatum ſtatus; atque eoſdem ſemper imperare, alios ſemper parēre; ſi vnus, multiúe, quibus imperium cōmitteretur, pro verorum regum, verorumq; optimatum conditione, tantò alijs corpore, & animo antecellerent, quantò Dij, Heroesque hominibus antecellunt: vt illorum excellentia cunctis, qui parērent, eſſet manifeſta.
    - Sed quoniam difficillimè, aut prorſus nullo pacto viri tam egregij reperiuntur; præſtabit, vocatæ reipublicæ modo, ciues omnes viciſſim imperare, & parēre; adhibito in hac viciſſitudine (quandò omnino potiores eſſe, qui imperium tenent, oportet) ordine, & diſcrimine, quod natura facit, & de quo dictum eſt ſuprà; vt pareant iuniores, ſeniores imperent.
    - Eſt autem hæc forma adminiſtrationis
      - Iuſta. / Tuta. / Cōmoda. — Nam
        - Similibus, & paribus æquum eſt tribui ſimilia, & paria.
        - Indignatur nemo, qui propter ætatem pareat; multo minus, ſi ipſe eodem modo prouectiori ætate ſit imperaturus: nec nouis rebus rebus ſtudet.
        - Diſciplina eadem quodammodo erit omnium ciuium, qui omnes imperare, ac parēre debent. tum ex veteri adagio rectè quiſque imperabit, qui priùs fuerit imperio ſubiectus.
  - Probitas ciuitatis beatæ: quod non amplius fortunæ: ſed ſcientiæ, atque conſilij eſt opus.

Eſt porrò ſtudioſa, probaque ciuitas, cuius ciues omnes probi, & ſtudioſi ſunt. Tum verò ad extremum eadem eſt virtus optimi ſimpliciter viri, & ciuis rectè imperantis: omnes autem beatæ ciuitatis ciues priùs parēre, deinde imperare debent, vt poſitum fuit.

Quamobrem neceſſe eſt ciuitatem beatam, &, vt beata ſit, probam inſtituenti,

- Quis ſit optimæ vitæ finis: quem ſanè eundem eſſe ſingulis priuatim hominibus, & vniuerſæ ciuitati; viro optimo, & optimæ reipublicæ, planum eſt.
  - Continetur hic finis multis rebus; alijs magis, alijs minus: Quę sūt
    - Virtutis partium animæ — Per ſe
      - Haudquaquam compotis rationis, ſed quæ tamen rationi parēre queat.
      - Compotis rationis
        - Partis, & rationis actiuæ.
        - Partis, & rationis contemplatiuæ.
    - Actiones illarum virtutum, & animæ partium.
      - Actiones propriè.
      - Contemplationes.
    - Agenda res
      - Neceſſariæ, & vtiles.
      - Honeſtę ſimpliciter.
    - Vita humana. — Quę diuiditur vniuerſa — In
      - Bellum. / Pacem.
      - Negotium: / Otium.

Conſyderate

Ad hæc omnia genera, parteſque cuiuſque generis vtraſque, tanquam ad ſuos proprios ſcopos, ſpectare ciuilis philoſophus, & legumlator debent in condendis legibus, ciuitatibuſque, & hominibus rectè inſtituendis; deníque in pueris, cæteriſque ætatibus, quę eruditione etiamnum indigeant, erudiendis: magis tamen ſpectare ad poſteriores ſemper partes, quæ prioribus meliores ſunt, & in quas illę diriguntur; negotium in otium; bellum in pacem; neceſſaria, & vtilia in honeſta; actiones in contemplationes; virtutes partis animæ rationem audientis in virtutes partis habentis per ſe rationem; & huius illa, quæ ſunt rationis actiuę, in eas, quę ſunt rationis contemplatiuę. In quibus quidem partibus contemplatiuæ virtutibus, rebus ſimpliciter honeſtis, pace, otio. contemplatione, ideſt ad extremum in otio, in quo, ſolidę contemplationis actu frui, nobis datur; ſitus eſt propriè finis optimę vitę, qui eſt perfectiſſima ſumma cum voluptate intelligentia, quam beatitatem appellant. Et quum ad reliqua etiam, ſine quibus fortaſſe hęc haberi non poſſent, atque vt in omnem euentum, aleamque fortunę ſit parata ciuitas noſtra, idoneam eam reddi oporteat: tamen huc maximè vocanda eſt, ac perducenda; vbi, feliciſſimè requieſcens, excellentiſſimis bonis fruatur.

Sit igitur beata ciuitas cumulata

Virtutibus ad otium, iucundamque vitę traductionem facientibus.

Cuiuſmodi ſint illę-

Quibus eſt opus - In:

- *Negotio, & bello:* — { *Fortitudine, & Tolerantia* } QVO- { *Multa ex iis, quę neceſſaria ſunt, requiruntur, vt otioſis eſſe nobis liceat: atq; otium ex veteri adagio ſeruis non ſuppetit: ſiunt autem, qui fortiter pericula ſubire nequeunt, ſerui inuadentium.* }
- *Otio, & pace:* — { *Philoſophia* } NI- { *Propriū eſt philoſophię mun⁹, honeſtiſſ. beatiſſ.mąq; in otio vitā nobis ſuppeditare, vt bonorū oīum copia otioſi, & tranquilli verè fruamur; nec videamur tunc temporis mācipijs ſimiles, ſenſuū voluptatibus, luſionibus, ſomno, & deſidia vitā traducētes.* }
- *Vtroq; tēpore; ſed magis in pace, & otio:* { *Temperantia, & Iuſtitia.* } AM. { *Bellum iuſtos, & temperantes eſſe cogit: otium cum pace, & fecunda fortuna contumelioſos magis reddit.* }

Quo pacto — — quibusque rebus — — viri boni — — fiant, — — & finem — — propoſitum — — aſſequantur.

Tres ſanè cauſę ſunt, quę viros probos faciunt; quaſque conſentire inter ſe ad virtutem colendam oporteret; nam aliquando diſcrepant:

Natura.	Mos, ſiue conſuetudo.	Ratio, ſeu diſciplina.
Naſci hominem oportet; & certo quodam modo corpore, atque animo affectum.	*Mores aliquando certam naturę procliuitatem in contrariam mutant: aliquando ancipitem, & nutantem propellunt in alterutram.*	*Ratione ducitur homo ad multa facienda pręter naturam, & pręter mores; ſi melius id fore ſibi perſuaſum fuerit.*

Quoniam igitur cuiuſmodi natura, atque ingenio naſci deberent, qui maximè omnium viri optimi, beatęque ciuitatis ciues futuri eſſent, antè eſt conſtitutum: ſupereſt, vt quæ ad eruditionem attinent, mores, diſciplinaſque comprehendentem, percurrantur. Antecedit autem generatione appetitus, in quo mores ſuſcipiuntur mentem, & rationem, quę propriè ſuſcipit diſciplinam: & corpus; quod prout variè conſtitutum, affectumque fuerit, ita variè prodeſt, obeſtue vtrique, tum appetitui, tum rationi ad illa ſuſcipienda; vtrunque antecedit. Ergo prius de corpore, vt optimam, quantum adiuuari conſilio poteſt, conſtitutionem nanciſcatur, ideſt de procreatione, & alitura futurorum ciuium; deinde de appetitu, eiuſque aſſuefactione; tandem de ratione, diſciplinaque dici oportet: de corpore tamen, appetitus causâ, de appetitu, rationis gratiâ; propterea quòd etiam naturâ animus corporis, ratio appetitus eſt finis.

Prouideat ergo publicè noſtrę ciuitatis legumlator &c. *Tabula 21.*

TAB. XXI.

Tab. 20ª.

TABVLA XXI.

PROVIDEAT ergo publicè noſtræ ciuitatis legumlator futurorum eius ciuium

- Corporibus, hoc eſt
  - Procreationi; vt optima, quantum fieri poterit, naſcantur; & ſimul matrimonijs: Legibus poſitis
    - Eorum
      - Tempore conueniendi in matrimoniũ,
        - Aetatis ipſorum, qui conueniunt.
          - Circiter ætatem annorum, mulieres decem & octo; viri ſeptem & triginta matrimonio copulantor. — { Quod attinet ad
            - Differẽtiã annorũ circiter viginti, — Vnde ſeditiones, et diſcordię īter eos orirẽt.
              - Ne alteri prius alteris.
              - Sed ſimul vtrique. — Ad ſua ætatũ tempora perueniant, in quibus generandi vires eos deſtituunt.
                - Quę tempora magna ex parte ſunt Annus
                  - Viris: Septuageſimus.
                  - Mulieribus: Quinquageſimus.
            - Definitionem ætatum.
              - Vigent ijs ætatibus vtrorumque corpora.
              - Si iungatur
                - Iuniores:
                  - Procreabũt filios nõ idoneos noſtrę ciuitati ſed imperfectos cũ corpore, q̃ aĩo, fœminei plerũq; gñris, et corporis puſilli.
                  - In partub' laborabũt magis adoleſcẽtulę, et plures īteribũt.
                  - Intemperãtiores mulieres fient, conſuetudini venereę à teneris aſſuetæ.
                  - Incremẽto corporũ virorũ obſtabit coitus inter augeſcendum vſurpatus.
                  - Verecundia honoreq; minori, quã deceat, filij parentes proſequentur.
                  - Domeſtica adminiſtratio plena cõtẽtionũ erit.
                  - } Ob ꝓpinquas ętates filiorũ et parẽtũ.
                - Seniores. – Nõ poterunt
                  - Filij parẽtib. gratiã referre.
                  - Parentes filijs opitulari.
                  - } Ob nimiã diſtantiã ætatũ inter parentes & filios.
        - Anni.
          - Hyberno tempore nuptias faciunto: et procreationi liberorũ magis operam danto. — { Quęrẽda eſt ratio à medicis, & philoſophis naturalibus.
      - Qualitate.
        - Corporum virorum, mulierumque, qui liberis operam ſunt daturi.
          - Habitudine ſunto nec athletica, nec valetudinaria, imbecilla'ue, ſed media inter iſtas; laboribus exercitata, non fracta; & exercitata quidem, idoneaque non ad vnum tantùm opus, vt illa athletarum, ſed ad omnia libero homine digna.
        - Temporis anni, quo nuptias confici, & procreationi operam dari cõuenit.
          - Borealibus ventis potius, quàm auſtralibus hęc ſiunto.
        - } { Petenda ſunt à naturalibus philoſophis, & medicis.
      - De
        - Grauidis mulieribus.
          - Grauidæ mulieres
            - Victu pleniori vtuntor.
            - Ambulationibus exercentor, ſi nõ alijs, cõfecto ſingulis diebus quodã ſpatio Deorũ venerãdorũ gratia, qui generationi præeſſe putãtur.
            - Mentem tranquillam, vacuamque à curis habento.
          - } { Fœtus à prægnante matre ſic bona, & mala ad ſe trahunt; ſicut ſtirpes à terra.
  - Inſtitutioni morũ rectę, ſiue educationi; animũ, appetitũq; attingenti: vt appetitus probis moribus aſſueſcat.
    - Secunda pars huius Tabulæ xxi.
  - Diſciplinæ, & ſtudijs; quę ꝓpriè ad rationẽ, mẽtemq; ptinẽt.
    - Tabula 22.

RA- TI- O- NES HA- RVM LE-

- Exponendis, tollendis'ue natis.
  - N.ihil mancum, læſum'ue alunto. — { Eiuſmodi homines ſunt inutiles reipublicæ. { At plus, quàm vtilitati, charitati, & humanitati tribuendum eſt. }
- Multitudine filiorũ.
  - Definiri procreandorum filiorum multitudinẽ oportet ad ciuitatis, regionisque fortunam, & magnitudinem. — { Ne inops, & egena pro beata, & vberi ciuitas redderetur.
  - Si quibus aliquid vltra preſcriptum numerũ in vtero conceptũ fuerit, vetitũque ſit lege, aut more, filios exponi; abortionẽ eius, quod fuerit conceptum, antequam ſenſum, & vitam accipiat, faciunto. — { Delere fœtum, vbi iam ad ſenſum, & vitam peruenerit; nefarium eſt. { ſed & antequam hæc accipiat, perimere; humanitati, ac naturæ prorſus repugnat, non ſolùm legibus, & ſanctæ religioni noſtræ. }
- Tempore deſiſtendi à liberorum procreatione.
  - Annum quinquageſimum natus vir procreandi ſtudiũ apertè relinquito: atq; in poſterum valetudinis gratiâ, vel ob aliã huiuſmodi cauſam com plexu venereo vti putator. — { Vt iuniorum, ſic ſeniorum filij imperfecti tum corpore, tum mente; confectorum autem ætate etiam imbecilli generantur.
- Fide coniugali, ſiue Adulterijs.
  - Cum alia, vel alio conſuetudinem habere.
    - Dum coniuges erũt & vocabuntur — In rebus turpiſſimis habetor.
    - Intra tempus filios procreandi: — Ignominia notator pro criminis magnitudine. — { Vt honeſtas, iuſtitia, concordia inter coniuges ſeruetur: & ne de filijs patres dubitare poſſint.

O- V- M.

AT-

Alitura, ideſt educationi puerorum, quæ corpus ſpectat.

His, & huiuſmodi alijs iuſſionibus, quas pædonomi obſeruari faciant.

QVE IVS- SI- O- N- V- M.

Pueri in
- Prima ætate, ſtatim ab ortu.
  - Cibo ſibi accõmodatiſſimo, cuiuſmodi eſt lac, ſed vini experte aluntor. — { Vires corporũ auget cibus, qui eſt corporib⁹ accõmodatiſſimus: eſſe aũt eiuſmodi lac, perſpicitur — Ex vſu { Animaliũ reliquorũ. Gentiũ bellicæ habitudini ſtudentium. Vini expers eſſe debet ad cauendos morbos.
  - Inſtrumentis quibuſdam, vt faſcijs, aut alijs etiã magis artificioſis, lege, more'ue definitis, corpora eorum colliganto, & cuſtodiuntor. — { Ne membra propter teneritatem diſtorqueantur.
  - Plorare, clamareque legibus ne prohibentor. — { Sunt hæc quædam corporum exercitationes: ſiquidem ſpiritus contentio vires ſuggerit laborantibus.
  - Motionibus, quæ cadere in eam ætatem poſſint, exercentor. — { Ad diſcutiendos noxios humores: calorem intimũ excitandum: vires firmãdas.
  - Frigoribus ſtatim aſſueſcunto. — { Prodeſt aſſuetum eſſe in poſterũ ad valetudinẽ, & ad munera militaria, aliaſq; vitæ neceſſitates commodè obeundas, & ferendas.
- Sequẽti ætate vſq; ad annũ quĩn.
  - Nec diſciplina, nec laboribus coactis traduntor. — { Quibus incrementa corporum impedirentur.
  - Motionibus quibuſdam, tãtis modò, qui diſpellere deſidiam poſſint, nec obſtare incremento tum per ludos, tum per actiones alias exercentor.
  - Fabulis, narrationibusque quibuſdam permulcentor. — { Valetudinem, incrementumque corporum aſſiquuntur, & animi oblectatio.

{ Galenus de libris de ſanitate tuenda multa perſequitur, quæ ad primam hanc xxi. tabulæ partem pertinent: & in multis conſentit, in quibuſdam etiam diſſentit à Philoſopho noſtro. }

SECVNDA PARS TABVLÆ XXI.

SECVNDA PARS TABVLAE XXI.

Inſtitutioni morum rectę, ſiue educationi animum, appetitũque attingenti, vt appetitus probis moribus aſſueſcat, { *Prouideat noſtra ciuitatis legumlator.* }

Hiſce, atque alijs ſimilibus legibus, quas pædonomi obſeruari curent.

RATIONES HARVM LEGVM.

Pueri

- *Cum ſeruis quam minimum verſantor: atque hac in re magna cura adhibitor vſque ad ſeptimum ętatis annum; quo tempore neceſſariò domi aluntur.* — { *Ne ex illorum conſuetudine teneri ipſorum animi inficiantur.*
- *Ludi, & fabellę, quibus vſque ad annum quintum ętatis exercentur, ac oblectantur, earum rerum, ſtudiorumque, in quę poſtea incumbendum fuerit, imitationes, & indicia quædam ſunto.* — { *Veris functionibus aditum aperient.*
- *Diſciplinarum, quibus inſtitui debent. ſpectatores ſunto duobus annis, qui ſunt à quinto ad ſeptimum.* — { *Animaduerſio hæc, & contemplatio, amorem, deſyderiumq; illarum ipſarum diſciplinarum in pueris, cupidiſque animis excitabit.*
- *Illiberalibus, turpibus, nefarijs auditionibus, proſpectionibusque vniuerſis vſque à prima ętate omnino arcentor.*
  - *Atque hac potiſſimùm de cauſa* { *Prima quæque maximè à nobis diliguntur: & proxima inter ſe eſſe hæc videntur, naſcique alia ex alijs; ſpectare, audire, dicere, facere turpia.*
    - *Sermones turpes, & flagitioſos ęque; ac res cuncti, qui ciuitatem noſtram incolunt, vitanto; maximè autem adoleſcentes ne quid huiuſmodi dicunto, aut audiunto.*
      - *Qui ſecus fecerit è numero ingenuorũ*
        - *Ea ętate, quę ad commeſſationes non admittitur,* — *Punitor* — *Igneminia aliqua, & verberibus.*
        - *Maior ea ętate,* — *Punitor* — *Igneminijs illiberalib⁹: ppterea quòd ſeruiliter viuat.*
    - *Statuæ, & picturæ obſcenæ omnes è ciuitate noſtra exterminantor, preter eas, quę apud Deos quoſdam fuerint, quibus lex etiam laſciuiam tribuit. His verò pro ſe, & liberis, & vxoribus ſacra facere prouectę ętate ius habento.*
    - *Iamborum, comediarum, & ſi quę alię fuerint obſcenę fabulę ſpectatores iuuenes ne ſunto, antequam ętas eos diſcumbendi, & compotationis participes fecerit, reddideritque eruditio tutos à nocumentis, quę ex huiuſmodi rebus naſcuntur.*

{ *Sed ſunt hæc rudimenta, & præparationes quædam morum, viam munientes veris moribus: qui veri mores deſinunt tandem in illas ipſas morales virtutes, quibus contineri primam partem optimi finis, ſuprà propoſitum fuit.* }

TAB. XXII.

TABVLA XXII.

Tab. 21ª.

DISCIPLINAE, & ſtudijs, quæ propriè ad rationem, mentemque pertinent, prouideat publicè noſtræ ciuitatis legumlator;

Iuſſionibus huiuſmodi

- Diſciplinarum, et artium in vniuerſum
  - Vtiles ad vitam
    - Neceſſarias
    - Vtiles tātùm
      - Illiberales, quę obeuntem ipſarum opera ſordidum efficiunt, ideſt quęcunque corpus, aut animum, aut mentem liberorum hominū ad vſus, actionesq́; virtutū minus vtiles reddunt, ſiue neceſſarias, vt piſtoriā, ſiue vtiles tantùm, vt vitriariam, } Ne diſcunto.
      - Liberales, quæ obeuntem ſordidum non efficiunt, tam neceſſarias vt arithmeticam, geometriam, quàm vtiles tantùm, vt paleſtram, rhetoricen,
        - Abſolutè, vt toti illis hæreant, ——— Ne diſcunto,
          - Quod tamen ſi quiſpiam fecerit
            - Sui, vel amicorum, vel virtutis, & beneficentiæ cauſà: Non eſt illiberale.
            - Propter alios, pecuniarum, vel aliarum rerum, quę pecunijs æſtimentur gratià: Mercenarium eſt, & ſeruile.
        - Quadantenus, & vſque ad vigeſimum quintum ætatis annum } Diſcunto.
  - Pertinētes ad ciuiles virtutes, i. ciuilē diſciplinā.
  - Excellētium & eximiarū rerū, ideſt philoſophiam,
    - Perfectè, quoad poterint, & vniuerſo vitę tēpore diſcūto; philoſophiā tamē p ſe cui⁹ in actu cōſiſtit sūm⁹ apex optimi finis. atq; ei, quotieſcūq; otiū ſuppetet, ſe totos tradūto.
- Diſciplinarū illarū; nominatī, quib⁹ erudiri pueri, et adoleſcētes cōſueuerunt,
  - Grammaticam,
  - Pictoriam, ſeu figurādi peritiā,
    - Tanquam vtilē ad vitam multis in rebus,
      - Vt ad
        - Quæſtum,
        - Domeſticam curam,
        - Doctrinas,
        - Ciuiles actiones multas, — Et ob has magis,
        - } Diſcunto.
      - Vt
        - Ne — Fallantur in emendis & vendendis rebus, quæ ἰᾲ ωνὰ Grçcis dicuntur.
        - Ad
          - Iudicandum melius de artificum operibus,
          - Pulchritudinem corporum contemplandam, } Et ob hæc magis
  - Gymnaſticæ, — Habitum
  - & miniſtræ eius Corporis certo quodam modo afficientibus,
  - Pedotribicæ, — Actiones
    - Tanquam vtilibus
      - Nō ad
        - Athleticum corporis habitum, vt multæ ciuitates faciunt,
        - Feritatem, vt faciunt Lacones,
      - Ad
        - Sanitatem
        - Bonum corporis habitum,
        - Robur,
        - Fortitudinem.
      - Operā danto, exercentes ſe
        - A ſeptimo ętatis anno ad pubertatem
          - Lenioribus certaminibus.
          - Remotis victu, laboribusque coactis: — Ne augeſcentibus ſint impedimento.
        - A quarto āno poſt pubertatē, quū ijs trib⁹ annis in alias diſciplinas incubuerint,
          - Laborum & ciborum certa neceſſitate.

  { De pædotribice vide Galenū in lib ad Thraſybulū, & in lib ij. de tuenda ſanitate: nam hic interpretes oēs hallucinantur. }

  - Non vt neceſſariam, vtilem'ue ad vſus vitę communes: nullam enim propriè vtilitatem affert, niſi fiat mercenaria.
  - Vt
    - Liberalem, & honeſtam, Iucūdiſſimam naturâ.
      - Propter ipſam, ideſt hoc ſolùm nomine, quia eſt res honeſta, & liberalis, & maximè iucunda ſine nocumento.
      - Ad
        - Ludum, & requietem medentem moleſtię, quę ex laboribus naſcitur; non tamen ſimilem ei, quam faciunt ſomnus, largior vini potus, & ſaltatio, ſed multo pręſtantiorem.
        - Virtutem ciuilem & probos mores:
          - Quatenus in rhythmis, & cantibus vel ſolis, vel maximè omniū ſenſibilium ſunt verę ſimilitudines affectuum, virtutum, vitiorum, ac denique cunctarum rerum, quę ad mores pertinent.
            - Vnde vim habent rhythmi, & cantus,
              - Aſſuefaciendi nos per has imagines, vt gaudeamus, exindeq́; amemus, odio habeamus, iudicemus rectè, & quemadmodum oportet, de probis moribus, honeſtisque actionibus: quę omnia ſunt virtutum opera.
              - Afficiendi nos ſtatim qualitate quadam ad mores pertinente; Alij aliter pro varietate modorum, ac ſimilitudinum; & alios magis, alios minus, pro ingeniorum varietate.

Vt

- Cantus Olympi — Enthuſiaſmum in animum inducebāt: qui eſt affectio quedā moris in anima.
- Concentuum — gignunt in animo
  - Phrygius — Enthuſiaſmum.
  - Mixolydius — Mœrorem, & luctum.
  - Remiſſiores cõcentus — Languorem.
  - Dorius — Medium et conſtãriſſ. habitū.
- Rhythmorum — alij animum
  - Sedãt & conſtantẽ reddũt. — Importuniores.
  - Concitant in motus — Liberaliores

- Beatitudinem: — Ad { Vitam in otio, beatitudinem continente, liberaliter traducendam, ideſt veluti appendicem quandam neceſſariam, ſi non partem ipſius beatitudinis. | Diſciplinam, ſiue ad intelligendi; & contemplandi actum: in quo propriè beatitudo ipſa conſiſtit. }
  (quæ in ſe cũ dignitate voluptatẽ hĩ)
- Purgationem, & commotionem animorum, Ne diſcunto Sed, alijs, ideſt proprijs muſicæ profeſſoribus operantibus, hæc aliquando remedia, aliquando oblectamenta viliorum vrbis noſtræ hominum adhibentor & permittuntor.

Muſicam Diſcunto

- Eatenus,
  - Vt ſtudium ipſius
    - Impedimenti nihil afferat — Ad actiones futuras.
    - Corpus ſordidum, & inutile non efficiat — Ad exercitationes { Bellicas | Ciuiles } Ad { Vſus ſtatim. | Diſciplinas poſtea. }
  - Quoad honeſtis cantibus, & rhythmis gaudere queant; non ſolùm cõmuni muſicæ gaudio, quo oblectantur etiam quædã belluæ, & mancipia, & pueri.
- Sic, Vt
  - Iuniores operibus fungantur, cauentes etiam ipſi, & inſtrumenta pulſantes, dum fuerint iuniores: — Quo { Occupata in his maneat ætas iunior, quæ quieſcere non poteſt. | Indices meliores euadant earũ rerum, quæ ad muſicam pertinent, indeq; gaudere magis piſſint. }
  - Seniores facti { Operibus fungendis abſtineant. | Vim habeant rectè iudicandi, & gaudendi, ex diſciplina, quã in priori ætate inſtituti fuerint. }
  - Tria hæc ſemper ſpectentur
    - Quid fieri poſſit ab vnoquoque.
    - Quid quenque deceat.
    - Quid ſit medium, aut medio propinquius.
- Operibus fungentes
  - Simplicibus, & honeſtis, quæ probos auditores faciunt.
  - Non { Certaminum artificum proprijs. — — — — — — — — — — | Admirandis, & exquiſitis, quæ in certamina, & ex his in diſciplinam proceſſerunt. } { Cauſa eadem, quæ infrà in inſtrumentis exponetur. }

A

- Inſtrumẽtis vtentes,
  - Illis, quæ probos auditores faciunt — Aut
    - Muſicæ.
    - Diſciplinæ alius.
  - Non
    - Tibijs: — Quia
      - Moribus, & virtuti inducendæ minimè idoneæ, ſed magis concitandis ad iram animis: hacque de cauſa purgationi potius accommodatæ.
      - Intelligentiæ, veræque diſciplinæ omnino inutiles.
      - Orationis vſum adimunt vtentibus.
      - Ora eorum maximè deformant.
    - Citharis:
    - Pectidibus:
    - Barbitis:
    - Heptagonis:
    - Trigonis:
    - Sambucis:
      - Quia ad virtutem, & diſciplinam non conducunt.
    - Reliquis nimis artificioſis, quę ſcilicet ad certamina, & ad audientiũ voluptatem tendunt: Quia
      - Finis prauus eſt, voluptas ſcilicet audientis populi, eaque importuna: non ſua virtus.
      - Vſus hac de cauſa non eſt liberalis, ſed potius mercenarius.
      - Sordidos fieri vtentes contingit: nam auditor, ſi fuerit importunus, muſicam mutat, & cum ea vtentium animos, & corpora deprauat.
    - Iis, quæ manuum pulſationẽ nimis peritam, & ſubtilem requirunt: Quia
      - Occupatos nimis vtentes tenent.
      - Manuum geſticulatio turpis eſt, & ridicula.
- Cantibus, & concentibus, cantuumq; modulationibus { in quas duas partes tota muſica diuiditur. }
- Rhythmis, quibus poeſis continetur,
  - Studentes
    - Moralibus, ἠθικοῖς primo loco; & horum maximè medijs, & ſtabilibus, & virilis moris; cuiuſmodi eſt Dorius inter concentus: { Ad Diſciplinam.
    - Remiſſioribus ſecundo loco: { Ad futuram ætatem.
      - Quando maioribus natu accõmodãtur nõ contenti, ſed remiſſi.
    - Et horum ſi quis deceat puerorum ętatem, cuiuſmodi eſt concentus Lydius — { Ad — Ornatum ſimul, & diſciplinam.
    - Actiuis, πρακτικοῖς:
    - Furorem incutientibus, ἐνθουσιαστικοῖς, qualis eſt Phrygius inter concentus, inter poeſes Dithyrambica, & cæterę Bacchicæ:
      - Atque cum his & eiuſdem generis,
        - Affectus mouendi vim habentibus, παθητικοῖς, qualis eſt concentus Mixolydius:
        - Ira concitandæ accommodatis, ὀργιαστικοῖς, qualis item eſt Phrygius concentus:
          - Minimè omniũ,
          - Et — Ad —
            - Iudicium duntaxat, quom opportuerit, de his ferendum.

FINIS TABVLARVM.

IN POLITICOS, IDEST IN CIVILES ARISTOTELIS LIBROS,

PRÆFATIO.

Ex P. §. vi. Poſtnaturalium et vi. ad Nicom.

IN PRAEFATIONE librorum de Naturali auditu diuiſimus primùm philoſophiam, latè accepto hoc vocabulo, in quatuor partes, quę fuerunt effectrix, actualis, ſpectatiua, rationalis: deinde propria ſignificatione, excluſis extremis, in duas tantùm, quæ ſunt actualis, & ſpectatiua, gręcè ἡ πρακτικὴ, καὶ ἡ θεωρητική. Harum duarum partium philoſophiæ, quę verè, propriéque dicitur, differentiæ multæ erant, quibus inter ſe diſtinguerentur: Vnæ ducebantur à ſubiectis, hoc eſt à viribus animæ noſtræ, in quibus recipiuntur: alteræ ab obiectis, ſeu materijs, & generibus, in quibus verſantur: tertiæ à finibus, ad quos diriguntur: quartæ ab operationibus, & muneribus, quibus funguntur: quintæ à principijs mouentibus eas animæ noſtræ vires in illa obiecta per has operationes iſtorum finium gratiâ. Et in pręfatione Moralium ad Nicom. declarauimus actualis partis, quæ alijs nominibus moralis communis, & communis ciuilis nuncupabatur, proprium obiectum eſſe [illegible] idest vno modo res contingentes, & ſingulares, quæ ſunt extra animam, quatenus afficere nos certa quadã ratione poſſunt, reſpiciuntque actionem noſtram; altero modo affectus animæ noſtræ vt ſunt

Summa eorũ, quę alibi ſunt conſtituta ad hunc locũ ſufficientia.

De diuiſ. philoſophiæ primùm in quatuor, deinde in duas partes.

Differentię actualis, et ſpectatiuæ philoſophia.

Ex initio vi. Poſtnaturalium, initio et extra Primi et multis locis vi. ad Nicom.

Actualis philoſophia obiectum.

nobis

nobis agendi principia, tertio modo, & potiſſimùm, quò cętera referuntur, illa ipſa, quæ aguntur à nobis, & in noſtra ſunt poteſtate, quorum principium in nobis eſt, aut eſſe poteſt ipſa προαίρεσις, hoc eſt electio, ſiue conſilium, omninò actiones ipſas *Subiectum.* noſtras, quę verè ſunt noſtræ, vt dicunt Auerroes, & D. Thomas, voluntarias, atque arbitrarias, pendẽtes à nutu, & electione noſtra. Ob quã cauſam, ideſt quoniã hæ actiones ἀπὸ τῆς προαιρέσεως, ab electione pendent, & manant, & προαίρεσις ipſa mentem, appetitionemque complectitur, eſt enim προαίρεσις ex vi. ad Nicom. *In cap. 2.* vel νοῦς ὀρεκτικὸς, vel ὄρεξις διανοητική, ideſt vel mens appetendi, vel appetitio cogitandi, & intelligendi vim habens, neceſſe erat philoſophiam actualem eſſe habitum, perfectionemque partim mentis, quod ad prudentiam attinet, eius, ſcilicet mentis, quam Ariſtoteles ratiocinariam, atque conſiliariam ſub exitum vj. ad *Cap. 5.* Nicom. & actualem in iij. de Anima vocauit, partim appeten- *Text. com. 49.* *Finis cuius gratiâ.* tis facultatis, quod attinet ad virtutes morales. Hinc verò apparuit finem cuius gratiâ eiuſdem actualis philoſophiæ eſſe bene viuere eo genere vitæ, quòd iſtarum animæ facultatum, mentis inquam actualis, & appetitus eſt proprium, quãtum quiſque noſtrûm huius modi beneuiuendi capax foret, vel eſſe rectam actionem, ſi actionem propriè, hoc eſt vt contemplationi, ef- *Finis cui.* fectionique opponitur, ſumas. Finem verò cui, quem materialem etiam finem vocare ſoliti ſumus, eſſe ipſum hominem, quatenus ad beneuiuendum, agendumque naſcitur idoneus. Et *Primum mouens.* primum mouens, inducenſque nos ad eiuſmodi philoſophiam erat appetitio naturalis beneuiuẽdi hoc modo, & agendi rectè. *Munera propria.* Tandem munera, & operationes eius proprias duas eſſe oſtendimus; vnam perficere eas vires animæ noſtræ, quæ dictæ ſunt; alteram actiones ex ijs viribus, tales producere, & formare, qua- *Diuiſio in moralem, ciuilẽ, domeſticam.* les maximè conueniunt ad beneuiuendum. Diſtribuimus eodem in loco hanc actualem philoſophiam, & facultatem in tres partes, in moralem propriam, in ciuilem propriam, & in domeſticam, quas græcis vocabulis ethicen, politicen, œconomi- *Ratio huius diuiſionis.* cen æque libenter appellamus. Ratio huius diſtributionis ſumebatur potiſſimùm ex fine. Nam, beneuiuere eo genere vitæ, quod ad mentem actualem, facultatemque appetentem propriè pertinet, eſt, vt diximus finis totius actualis philoſophiæ; nemo autem ad beneuiuendum hoc vitæ genere, imò ne ad viuendum quidem eſt ſibi ſatis, ſine aliorum hominum communione, & ſocietate, vnde ea conſequatur, quibus indiget, & quæ,

partim

partim nullo modo, partim vix habere aliter poſſet. Omnium porrho indigentiarum noſtratum aliæ ſpectāt uſum quotidianum; aliæ non quotidianum, ſed perfectiorem, quo vniuerſæ huius vitæ ſufficientia continetur. Ob priorem indigentiam, & vſum, domeſtica; ob poſteriorem ciuilis ſocietas neceſſaria eſt cùm ad beneuiuendum, tum ad viuendum; licet illa magis ad viuendū, hęc magis ad beneuiuendum conducat. Quoniam igitur hæ duæ ſocietates, & hæ duæ ſolæ omnium ſocietatum ob vſum, indigentiamque duplicem noſtram neceſſarię ſunt ad vitam humanam & bene, & ſimpliciter traducendam: opus erit ſanè, vt quicunque beneuiuere ex mente actuali, facultateque appetente ſibi proponit, quod bonum humanum ſæpe ab Ariſtotele vocatur; vtranque harum ſocietatum maximè colat; vtriuſq; ſit particeps, vel potius ſit pars vtriuſque. Quamobrem & philoſophia actualis, cuius finis eſt hoc genus beneuiuendi, vtranque per ſe diligentiſſimè cōſyderabit: inſtituetque vnunquenque noſtrûm, vires, affectusque animæ formans, & actiones effingens ad propoſitum finem, non ſolùm ſimpliciter, vt eſt vnus quidam hominum, in quibus ſunt principia, & poteſtas huius finis aſſequendi, ſed etiam vt eſt pars domeſticæ, & vt eſt pars ciuilis ſocietatis. Hoc modo philoſophia actualis tres partes habuit: quarum vna in ſingulis hominibus ſimpliciter, & per ſe, vt ſinguli, ideſt vt quidā homines ſunt, ad bene agendum, viuendumque idonei, vel in eorum actionibus, & affectibus, quatenus tum agere ipſi, tum certa ratione affici à rebus externis debent, verſaretur: altera verſaretur in domo, & in affectibus, actionibusque hominum ſingulorum ad beneuiuendum, non amplius ſimpliciter, & per ſe, ſed quatenus vnuſquiſque eſt pars domus: tertia verſaretur in ciuitate, ſimiliterque in affectibus, & actionibus ſingulorum hominum quatenus vnuſquiſque eſt pars ciuitatis ad beneuiuendum. Partem ciuitatis hic fusè accipio pro qualibet parte ſocietatis ciuilis, non preſsè pro ea tantùm parte, quæ participatione publicæ poteſtatis definitur. Et quom homines ſingulos per ſe, ac ſimpliciter, & vt quidam homines ſunt, dico; intelligo nō omnino ſolitarios; ſed in ſocietate plurimū temporis viuentes, & in ciuili quidē, ac domeſtica ſocietate, ſine quib[us] ſocietatibus nec bene uiuere, nec bene agere perfectè poſſent: hos tamen intelligo non quatenus domorum, ciuitatum'ue partes ſunt: at per ſe ſumptos, & conſyderatos ex natura duntaxat humana, ex qua ſimpliciter bene viuere agendo ſibi

Concluſio huius diuiſionis actualis philoſophia in tres partes.

Pars ciuitatis et homines ſingulares ſimpliciter, ac per ſe quid hic ſignificent.

do ſibi

Latiſſimè patet pars moralis actiuę philoſophia.

do ſibi proponunt. Sic porrho ſumptus homo, ideſt per ſe, & ex natura humana tantùm ad beneagendum,& uiuendum conuerſus, deniquevt ſibi ipſe, quatenus eſt pars vel domus, vel ciuitatis, opponitur: multa ſecum agit, multa cum aliis: & cum aliis quidem vel in ijs, quæ ad reliquas ſocietates, communionesque hominum pertinent (multæ nanque ſunt præter domeſticam, & ciuilem, atque inter multas illa immenſa, qua hominem homini natura deuincit) vel in ijs,quæ fiunt omnino ſine hominum ſocietate. Similiter & multis modis afficitur,vel per ſe ſolus,vel cum alijs, vel ab alijs. Etenim ſolitudinis, & ſocietatis homo eſt particeps,vt ſcribitur ſub initium P. de Hiſtoria animalium, hoc eſt non ſemper frequentia, & conſuetudo humana eum delectat, ſed aliquando etiam ſolitudo, & receſſus, vtrunque ſecundum naturam. Nec minus neceſſaria eſt ei ſolitario, &in agro vitam agenti temperantia, quæ à ſtimulis, & illecebris libidinum ipſum tueatur, quàm in ciuitate, & domo. Addo iuſtitiam ex Cicerone in ij. Off. addo magnanimitatem, & deſpiciētiam rerum humanarum. Quid verò ſi illi per deuia loca ſine vllo comite iter peragenti trux aliqua bellua occurſauerit? dabit'ne terga, & ſe dilaniandum præbebit? an potius contra eam in ſolitudine pro ſeipſo eodem animo, eademque fortitudine pugnabit, quibus contra hoſtem pro aris,& focis in prœlio pugnat? In omnibus ergo hominum communionibus, ac ſocietatibus, demptis ſolùm ijs,quę ad domum,ciuitatemque propriè pertinent; ruſusque in ſolitudine; atq; in hac tam ipſe ſecum, quàm cum belluis,alijsque terticulis, & incitamentis rerum ſenſu carentium multa admodum agere, multis affici modis poterit & bene,& male homo non vt pars domus, aut ciuitatis, ſed per ſe ſumptus, atque ex natura ſolùm humana tendens ad beneuiuendum. Quamobrem latiſſimè patet illa pars philoſophiæ actualis, quæ hoc modo homines ſingulos, eorumque affectus,& actiones, ideſt ſimpliciter, ac per ſe, non vt ad domum, ciuitatemque referuntur, conſyderat. Et eſt illa pars fundamentum aliarum partium. Prius enim vnaquæque res ſimpliciter conſyderatur, deinde coniunctè: atque eſt prius cuiuſdam modi per ſe, quàm ſit cum alia copulata. Nec poteſt proba eſſe ciuitas, aut domus, niſi probi antea fuerint homines ſingulares, ex quibus illæ conſtant: ſiquidem accedunt, adduntùrque virtutes domuum,ac ciuitatum, ſingulariumque hominum quatenus hi domuum, ciuitatūq; ſunt partes eorum ipſorum

Homo per ſe ſumptus vel in communione hominum, vel in ſolitudine, & in ſolitudine, vel ipſe per ſe, vel in alia & ab alijs agit, & afficitur.

Pars moralis actiua philoſophię eſt fundamentum aliarum partium.

rum hominum ſingulatium virtutibus, quibus ipſi ſimplicitet, ac per ſe, vt quidã duntaxat homines in beneuiuendum, agendumq́ue incumbẽtes, prædici ſunt. Hæc erat cauſa, cur doctrina huius partis, quam moralem, ethicenq́ue propriè uocamus, explicata in libris ad Nicomachum, reliquarũ partium doctrinis anteponeretur. Proximam verò huic eſſe politicen, ideſt ciuilem, quæ his libris traditur, ſtatuit Ariſtoteles multis verbis in exitu x[i]. eorundem librorum ad Nicom. Vt neceſſatiò œconomice, quæ eſt de domo, & familia, vltimum teneat locum. Ratio affertur in exitu P. horum librorum: nempe quòd pro varijs rerumpublicarum, ciuitatumq́ue formis variè inſtituendæ ſint familiæ, & domus, quæ illarum ciuitatum ſunt partes; ac denique formas, & virtutes rerumpublicarum notas eſſe oporteat ei, qui de virtutibus, muneribusq́ue, & omnino inſtitutione perſonarum, ex quibus domus conſtant, eſt verba facturus, de qua re ibi latiùs exponam. Etiam in cap.10.vij[i]. ſcribitur, diſſerendum poſtea eſſe de ſeruis, quo pacto ijs vtendum ſit, quodq́ue præmium omnibus proponendum. Falluntur itaque Albertus, D.Thomas, Egidius, Acciaiolus, & quicunque alij putant domeſticam diſciplinam præire ciuili: quod in P.° lib. Moralis philoſophiæ præclarè oſtendit Franciſcus Piccolomineus vir doctrina, & famę celebritate maximè inſignis. Sed Auctor Oeconomicorum, quom ait in p.cap. P.libri τῆς οἰκονομικῆς priorem eſſe τῆς πολιτικῆς generatione, quia opus illius, ideſt domus ſit prior ciuitate, ſumit œconomicam, & politicam non pro contemplationibus, diſciplinisq́ue, ſed pro operationibus, & praxibus: quo ſanè pacto neceſſe eſt, ſi domus priùs efficitur, vt priùs etiam faciat, & cõſtituat eam ratio domeſtica. At non eſt ſemper idem ordo in contemplatione, qui cernitur in praxi. Capitur enim doctrinæ initium vnde facilè diſcitur. Ego verò in ea pręfatione librorũ ad Nicomachum declaraui, huiuſmodi vocabula græca cùm actualium, tum effectricium artium, & facultatum, πολιτικὴ, οἰκονομικὴ, ἠθικὴ, ἰατρικὴ, ῥητορικὴ, & reliqua aliquando cognitionem, & præcepta, & regulas, & rationes generales, ideſt vno verbo τὸ θεωρητικὸν per ſe ſolum eiuſmodi artis, & facultatis ſignificare: aliquando ſignificare totũ illud quod ἐκ τοῦ θεωρητικοῦ, καὶ πρακτικοῦ, hoc eſt ex cognitione, actioneq́ue conſtat: aliquando etiam ſignificare τὸ πρακτικὸν tantùm ſine cognitione, & ratione, quæ perfecta ſit, ſed ſolis experimentis, vſu, exercitationeq́ue rerum ſingularium nixum cum recta quadam opinione;

Ordo inter tres partes actualis philoſophiæ.

Albertus in proœmio librorũ ad Nicom. D.Thomas et Acciaiol. hic & ibi. Egid. l. P. de Regim. princ. pp. cap. 2.

Nomina græca artiũ actualium, et effectricium tribus modis accipiuntur.

quem tertium modum ἐμπειρίαν, ideſt experientiam, ſeu peritiam appellant. Quanquam enim ſunt, uocanturque propriè à fine hæc genera facultatum ποιητικὰ, καὶ πρακτικά: tamen vt perfecta ſint, & probè ſuum finem aſſequantur; antecedere, contineriqúe in ijs oportet conſyderationem, & θεωρίαν quandam, quę opus dirigat. Nominatim in genere actuali, de quo nunc eſt ſermo inſtitutus, quom dicuntur πρακτικὴ, ἠθικὴ, πολιτικὴ, οἰκονομικὴ, hoc eſt actualis, moralis, ciuilis, domeſtica, addi, ſubaudiri'ue ſolet vel philoſophia, uel facultas, uel ratio, uel ſcientia, uel diſciplina, uel doctrina, uel experientia, & peritia. Et philoſophiæ quidẽ, facultatis, rationis nomina deſignant vnà contemplationem, & operam, ideſt θεωρητικὸν, καὶ πρακτικὸν, quæ ad actiones noſtras, & ad finem beneuiuẽdi huius generis pertinent. Sicut enim qui nulla doctrina, nulla contemplatione antecedente, nulla perfecta ratione eorum, quæ expediunt; ſed ſolùm vel quia aſſuefactus, uel ingenij bonitate, uel fortuna, & ſorte quadam diuina agit; licet rectè agat, non tamen appellatur nec generaliter actualis, nec ſpecialiter moralis, uel ciuilis, uel œconomicus philoſophus, eiuſmodi'ue rationum, aut facultatum compos: ita nec qui illa norunt, contemplati'ue tantummodo ſunt, uocari ſic poterunt, niſi ſimul & virtutẽ habeant agendi, & hac ipſa vtantur virtute, vbi res, ac tempus poſtulauerint. Faciuntque vtrique his ſanctiſſimis nominibus iniuriam, &, qui vacui doctrina, &, qui vitijs imbuti, uocant ſe ciuiles, aut œconomicos, aut morales, aut demum actuales philoſophos, & viros ijs facultatibus, rationibusque abſolutè præditos, illi, quia euenta aliquando reſpondeant, ſuccedantque, ſicuti ſuccederent, ſi ratione peragerentur, iſti, quoniam de virtutibus, & vitijs, affectibus, officijs, actionibus, rebus opportunis, importunis, expetendis, fugiendis, bonis, malis ſubtiliſſimè, & veriſſimè nonnunquã diſſerant, de quibus omnibus dictum eſt in exitu x. ad Nicomach. Adhæc prudentia non ſolam actionem complectitur, non contemplationem ſolam, ſed ambas; eſt enim habitus vera cum ratione actiuus, ex vj. ad Nicom. fit autem perſpicuum conſyderantibus, colligiturque ex eodem vj. ad Nicomachum, præſertim ex cap. eius 8. vnunquodque horum trium uocabulorum, ratio, facultas, philoſophia actualis, eandem rem ſignificare, quam ſignificat prudentię uocabulum: modum tantùm eſſe differentem, quòd prudentia aliquanto plus in actionem; ratio, facultas, philoſophia aliquanto plus in contemplationẽ vergere videantur.

Vocabula, πρακτικὴ, ἠθικὴ, πολιτικὴ, οἰκονομικὴ quot & quibus modis. Philoſophia, facultatis, rationis nomina in genere actuali eiuſque partibus.

Prudẽtia vocabulum, & definitio.

Cap. 5.

tur. Et ſanè illo in loco vj. ad Nicom. eodem tandem modo diuiſit prudentiam Ariſtoteles, quo diuiſa eſt philoſophia, ſeu ratio, & facultas actualis; ideſt in moralem, qua ſibi quiſque, & vni prouidet; in ciuilem, qua ciuitas; & in œconomicam, qua domus regitur: licet alias etiam afferat diuiſiones. At nomen ἐμπειρίας, ideſt peritiæ, ſeu experientiæ, adiunctũ, ſubauditum'ue in uocabulis, ciuilis, œconomica, moralis, actualis, refertur πρὸς τὸ πρακτικὸν, ad actionem ſolam, excluſa contemplatione, & ſcientia. Significat enim virtutem quandam ſine vera ratione, & doctrina, ſed cum quadam recta opinione duntaxat ab vſu, exercitationeque profecta, aut confirmata: qua virtute multi, quos bonos, & peritos uiros, ciueſque antiqui appellarũt, noſtri, neſcio an melius, πρακτικοὺς uocant; ſeipſos, & domos, & ciuitates gubernant ſuas. Ita ſanè Plato in Menone, in Theage, & alijs in locis; Platonemque ſequutus Ariſtoteles in exitu x. ad Nicomachum politicos uiros nominarunt eos, qui in republica ſine doctrina verſarentur: quos non eſſe virtutis, ciuiliumque rerum idoneos magiſtros demonſtrant. Reliqua tria nomina, quæ ſunt ſcientia, doctrina, diſciplina, in actuali genere, eiuſque partibus, morali, ciuili, œconomica, ſignificant τὸ θεωρητικὸν, ideſt cognitionem ipſam, & præcepta, & rationes agendi generales ſine praxi, quæ in ſingularibus rebus, earumq; adminiſtratione, atque vſu tantummodo cernitur. Hæ rationes generales, ſeu ſcientiæ, & doctrinæ τῶν πρακτῶν ſolæ ſunt, quæ meditatione inueniuntur; inuentæ ſermone, ſcripturaque aut alijs traduntur, aut ab alijs hauriuntur. Quapropter hi libri, quibus contineri ciuilem diximus, non prudentiam, aut philoſophiam, aut facultatem, aut rationem continent, poſſunt'ue abſolutè in nobis generare, ſed doctrinam tantùm ciuilem. Et ex hac re nomen habent τὰ πολιτικὰ, ideſt libri ciuiles: quaſi ſcientiam de ciuitate complectantur; efficereque eam in lectoribus, & auditoribus ſuis poſſint: quam ſcientiam de ciuitate Plato aliquando ciuilem, aliquando regiam uocãt, ut notauit quoque Marſilius Ficinus, omnium ſui temporis Platonicorũ veriſſimè princeps, aliquando νομοθετικὴν, ideſt legumlatricem, quo uocabulo etiam vtitur Ariſtoteles. Quæ autem ſit materia, ſeu ſubiectũ, & obiectum horum librorum, ideſt huius ſcientiæ, quæ in his libris traditur; quis ſcopus, vel finis, vel propoſitum, vel inſtitutum; quod proprium munus; quæ præſtantia, & neceſſitas, & vtilitas; quod ſtudij genus; ac tandem quis modus docendi qua-

Prudentia diuiſio.

Nomen ἐμπειρία in genere actuali, eiuſque partibus.

Scientia, doctrina, diſciplina nomina in genere actuali, eiuſque partibus.

Ciuilis quid ſit, quæ continetur his libris.

Titulus horũ librorum.

Nomina huius ſcientiæ.

In argumento Theagis.

Alia capita introductiõis, ad hos libros ciuiles, quæ ex conſtitutis deducuntur.

Subiectũ, ſeu obiectum, ſeu materia ꝓpria huius ſciẽtiæ, horumq́; librorum.

liſq́ue diſcipulus requiratur, facilè intelligi poteſt ex ijs, quæ hactenus ſunt conſtituta. De ſubiecto planè dictum eſt. nam in quo propriè verſatur philoſophiæ pars ciuilis, illud idem eſt genus ſubiectum, ſeu obiectum, ſeu materia propria, in qua verſatur hæc ciuilis ſciẽtia, quę in his libris exponitur. Erit itaque ciuitas ſubiectum, & obiectum proprium huius ſcientiæ: vel, quod idem eſt, proprium eius ſubiectum erunt actiones, affectionesq́ue hominum, ut iſti ſunt partes ciuitatum, hoc eſt ut ad ciuitatem, felicitatemq́ue, ac totius ſufficientiæ ſummam, quam ciuitas continet, referuntur. Sunt in hac ſententia Explanatores Peripateticæ philoſophiæ ferè omnes, Græcus interpres, D. Thomas, & alij. Auctor Oeconomicorum in principio primi libri ſcribit expreſſis verbis, ciuitatem philoſophiæ, ac diſciplinæ ciuilis ſubiectum eſſe. Philoſophus noſter hoc idem ſtatuit in toto p. cap. P. horum librorum. Et in 2. cap. P. ad Nicomachum, & in nouiſſimo x. præſertim in extremis eius verbis, quibus proponebatur, quod deinceps erat conſyderandum, idem ſtatuitur. Idem quoque affirmant Platonici, vt Proclus in P. lib. commenr. in Timæum, Alcinous in Iſagoge ad Platonis decreta, Marſilius Ficinus in argumento Theagis, & alij alijs in locis. Tandem in hiſce libris quæcunque tractantur, omnia vel principia ſunt, vel partes, vel affectiones ciuitatis, vel ad vnũ aliquod iſtorum referuntur. Quapropter nullo pacto audiendus eſt Auerroes, qui, nulla auctoritate, niſi ſua, nulla ratione fultus, in paraphraſi Reipublicæ Platonis ait, communia, & quaſi τὸ θεωρητικὸν tradi in libris ad Nicomachum; propria, & quaſi τὸ πρακτικὸν explicari in Politicis: vt illi libri ad hos perinde ſe habeant, ac ſe habent libri medicorum qui ſunt de morbo, & ſanitate, ad eos, qui ſunt de ſanitate tuenda, & de morbis curandis. Hæc de ſubiecto. Scopus verò, ac finis, quò omnia diriguntur, eſt beatitudo, & ſummum bonum ciuitatis, ſeu commune, & publicum; atque hac de cauſa omnium bonorum longe præſtantiſſimum, quemadmodum oſtenditur in 2. cap. P. ad Nicom. & in principio P. horum Politicorum. Poſita eſt autem beatitudo, ſummumq́ue hominis bonum, quod item ex 2. cap. P. ad Nicom. & ex 2. & 3. vij. horum librorum à ſummo ciuitatis bono nõ eſt diuerſum; omnino in virtute, & in actione uirtutis: vt multis in locis fuit demonſtratum; potiſſimùm verò in cap. 7. P. ad Nicomachum. Itaque ſcopus ad extremum erit, vt viri boni, legibusq́ue obedientes efficiamur, inſtituti vir-

In princip. P. ad Nicom.

Scopus ſeu finis.

tutibus,

tutibus & ad pacem, & ad bellum; quandò in hæc duo tota vita noſtra diuiditur, & alterum neceſſarium, alterum honeſtum eſt, magis tamen ad pacem: quæ quidem declarata ſunt in cap. vltimo x. ad Nicom. & in 13, 14, 15. vij. horum librorum, & à Platone in exitu libri de Regno. Hic eſt ſupremus, communiſque finis ſcientiæ ciuilis, ac totius actualis philoſophiæ, ad quem, tāquam ad cynoſuram, perpetuò reſpiciunt. Quoniam igitur eò peruenire nemo poteſt, ideſt quoniam non poſſumus boni, ac verè felices fieri, niſi in ciuitate bene inſtituta, optimiſque legibus decorata educemur, & viuamus, quod oſtenditur in tex. 28. primi horum librorum, & adhuc vberius in ultimo cap. x ad. Nicomachum; huius rei ſatagit ciuilis ſcientia: eſtque hoc proprium eius officium, ac munus, ſcrutando principia, & partes, & affectiones ciuitatis tradere præcepta, & rationes, quibus leges optimæ condi, ac per eas optimè inſtitui ciuitates poſſint; nec ſolùm ſimpliciter optimæ, ſed etiam optimæ, ideſt accommodatiſſimę ad ſingulas formas rerumpublicarum in vnoquoque loco, & in vnaquaque hominum multitudine. ſemper enim ſecunda nauigatione, vt prouerbio fertur, minima de malis: præſtat autem omnino, aliquam rempublicam habere, quàm nullā & ad uiuendum, & ad beneuiuendum. At Plato in Politico, philoſophiæ, & prudētię ciuilis, quæ ad ſcientiam, ptæceptaque operam adiungit, hæc ait munera eſſe: Primùm conſtituere, quot, & quæ nobis neceſſaria, cōducibiliaq; ſint, præſertim ad bene, beateque viuendum; & quibus, qualibuſque artibus, ac facultatibus parari illa poſſint, vt liceat bene uiuere in pace, in bello, in otio, in negotio, in proſpera, in aduerſa fortuna, in dicendo, in agendo, tandem in omni re, & cauſa tam publica, quàm priuata: deinde, his artibus, & facultatibus in ciuitatem introductis, prouidere per eas illa omnia, & ptæparare, vt omnium adſit poteſtas & copia: adhæc non agere ipſam, ſed ijs, quæ agere poſſunt, imperare, perpendentem, diſponentemque vim, & impetium cuiuſque, potiſſimùm eorum, quæ maximam in ciuitate auctoritatem habent, vt oratoriæ, iudiciariæ, militariſque facultatis, ac quid decorum, quid opportunum ſit, quid contrà, in ſingulis conſyderantem: poſtremò conciliare, ac commiſcere, & quaſi contexere in animis noſtris duas virtutes, è quibus probè temperatis, ac concinentibus aliarum omnium virtutum chorus exultans naſcatur; fortitudinem, ſcilicet, & temperantiam; hanc magis ad pacem, & otium

Officium.

Officia philoſophiæ ciuilis ex Platone.

otium,& in rebus ſecundis vtilem; illam magis vtilem in aduerſis, & ad negotium, ac bellum, ſicut etiam tangitur in 15. cap. vij. horũ librorum. *Præſtantia ſcientia et philoſophia ciuilis.* Ex his elucet pręſtantia. Nam quia ſcopus, quò collineat philoſophia ciuilis, eſt virtus, ac ſummum bonum ciuitatum, & gentium, *A fine.* quod cæteris bonis humanis plurimùm pręſtat, cætera omnia continens, & ad quod cætera omnia diriguntur: neceſſe eſt hanc philoſophiam præſtantiſſimam eſſe, vt colligitur ex primo textu Primi horum lib. & ex cap. 2. Primi ad *A muneribus.* Nicomachum. Rurſus idem ſequitur, conficiturque in eodem 2. cap. P. ad Nicomachum ex eo, quòd non ſolùm in res, & corpora noſtra, ſed etiam in animos, in ſcientias, artes, facultatesque vniuerſas hæc philoſophia imperium teneat: de cunctis quidem tam contemplantibus, quàm agentibus, & efficientibus præſcribens, & ſtatuens, quæ admittendæ, quæ minime, & quas quiſque diſcere debeat, & quo loco, & quo tempore, & quatenus, & quandiu: agentibus autem, & efficientibus nominatim vtens præterea tanquam ancillis, & miniſtris; atque inter alias ijs, quæ ſummo in honore habentur, oratoria, imperatoria, iudiciaria, œconomica. vnde intelligitur omnia regere hãc philoſophiam, omnia prouidere, omnia moderari. Ita ex fine, & muneribus liquet præſtantia ſcientiæ, & philoſophiæ ciuilis. *Ab euentis.* Adde huc euenta ex tex. 28. Primi horum librorum, & ex cap. vltimo x. ad Nicomachum. Vbi enim optimis legibus inſtituta fuerit ciuitas, quod eſt opus ciuilis rationis, continuò exurgit ἡ καλοκαγαθία, & iuſtitia illa, quæ, globo virtutum inſidens, *Ex p. cap. 9. ad Nicom.* veſpero, & lucifero eſt relucentior. Sine ſocietate verò, & inſtitutione ciuili feritas, atque immanitas cum omnibus vitijs bacchantur. Et quoniam putare aliquis poſſet, ſemel ſancitis legibus nulla amplius ad rectam hominum inſtitutionem ciuili philoſophia opus eſſe: refutat hunc errorem Plato in Politico, docens tum rationibus, tum imaginibus magnas nobis imminere calamitates, ſi ſolis legibus, præſcriptiſque immutabilibus regamur, nec ſcientiam, & rationem eiuſdem adhibeamus, quæ illas regat: præſertim quum legibus pręfici aliquando poſſint & qui imperitia rerum, & qui auaritia, aut libidine aliò *Ab origine.* illas detorqueant. Adde etiam primam originem, & fontem huius ſcientiæ. nam Plato ſępenumero eſſe ipſam donum diuinum ait; & in Protagora à Ioue per Mercurium hominibus de cœlo miſſam; & in Politico, Saturno regnãte, Deum hominum paſtorem, cuſtodemque fuiſſe, mundanæ autem huius ciuitatis *In Theage, in Menone, in Protagora. in Politico, & in alijs in locis.*

& tunc

& tunc,& poſtea omni tempore regem,ac gubernatorem. vnde Proclus in ij. Reipublicæ, & in primo Timæi commentario ciuilem rationem primùm eſſe in Ioue opifice mundi ſcribit; qui ſit ciuilis, ideſt ὁ πολιτικὸς in vniuerſo. Adde adiuncta: quoniam artium, & facultatum omniũ quadantenus peritus ſit oporteat, qui ciuilem habet, vt declarat idem Proclus etiam in ij. Reipublicæ. Tandem adde attributa, ſiue appellationes. Ariſtoteles κυριωτάτην, καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν, καὶ πάσας περιέχουσαν, ideſt longe principem, & dominam, ac magiſtram, cæteraſque continentem appellat: Plato ſapientiarum omnium,atque artium principem,& reginam. Ex quibus omnibus intelligitur, veriſſimum eſſe id, quod ſcribitur in extrema parte x. ad Nicom: nihil melius, præſtabilius'ue hac facultate aut relinqui ciuitatibus, aut amiciſſimis hominibus exoptari poſſe. Attamen quom dicitur præſtantiſſimam omnium facultatum,ſcientiarumq́ue eſſe ciuilem, excipienda eſt diuina philoſophia. Hac enim, vt ait Ariſtoteles in exitu vj. ad Nicomachum, ciuilis non vtitur: quapropter nec ei imperat; ſed de ea, eius ipſius cauſſa, vt exiſtat, & adſit; quemadmodum medicus de ſanitate, & eadem ciuilis de rebus ſacris. Ad hoc qua ratione, ex fine ducta, oſtendebatur ciuilem facultatẽ alijs præſtare: eâdem ratione oſtenditur præſtare ei diuinam philoſophiam, ideſt theologiam noſtram, vt declarat D. Thomas in pp. q.p. ar. 5. ſiquidem finis, & ſcopus, quem petit ſcientia diuina, eſt beatitudo cæleſtis: hæc autem longè præſtat terrenæ beatitudini; & ad eam, tanquam ad ſummum finem, diriguntur verè omnes fines noſtri & actionum,& electionum, & facultatum, & artium,& ſcientiarum. De genere ſtudij, diximus eſſe ciuilem rationem partem philoſophię, & philoſophiæ quidem actualis. Sed multi alij præter philoſophos & antiquis ſeculis profitebantur,& noſtris profitentur res, & ſcientiam ciuilem. Commemoraui in præfatione librorum ad Nicom. quinque præter philoſophos hominum genera, qui de actionibus noſtris varijs modis loquerẽtur; eaq́ue de cauſa, niſi cura adhiberetur,limites aliquando turbarent totius actualis philoſophiæ. Hi fuerunt olim Oratores,& Sophiſtæ,& quos Politicos, peritoſque propriè uocabant: noſtra ætate ſunt Theologi noſtri, & qui recenti uocabulo appellantur Doctores iuris, antiquo iuriſconſulti. Ac Sophiſtæ quidem, homines peruerſi,& inepti, cuiuſmodi etiã ætate noſtra multos reperias, pro ſapientibus, ac philoſophis ſe venditabant; omnia ſe ſcire, ac do-

Ab adiunctis.

In 1. cap. P. ad Nicom. & ex p. tex. Politicus.

Ab attributis.

Diuina ſcientia ſola præſtat ciuili.

Cuius ſtudij ſit pars ſcientia, & ratio ciuilis.

Quot & quæ facultates de actionibus noſtris loquantur.

Harũ quinque facultatũ diſcrimina, vt de actionibus noſtris loquãtur.

Sophiſta.

ac docere poſſe profitebâtur, præſertim quæ ad virtutem, τὰ πρὸς τὰ πρακτὰ attinerent: quos Plato, acris eorum caſtigator, vbique damnat, vbique reos agit improbitatis, & inſcitiæ. Spectra enim, & laruas, & præſtigia pro veris, ſolidisq́; rebus obtrudebant. *Oratores.* Oratores, in delinimenta populorum, & adulationem conuerſi, τῶν πρακτῶν figuras, & colores tãtùm, vel potius vmbras, & imagines, neglectis corporibus, repræſentabant: aduerſus *Politici.* quos idem Plato tum alibi, tum præcipuè in Gorgia. Quanquam verò multi oratorum, ob maximam in liberis populis eloquentiæ vim, publicas res ijs ſeculis adminiſtrarent, vt Demoſthenes, Demades, Antiphon: tamen Politici propriè nominabantur ij, qui, nec rhetoricen, nec ſophiſticen profitentes, ciuitatum ſuarũ rectores, ac principes erant, vt Miltiades, Cimon, Themiſtocles. Et hos ſapientia rerum agendarum plurimùm excelluiſſe aliqui arbitrati ſunt, ad euenta, & ad id, quod fieret, reſpicientes. Verùm Ariſtoteles in exitu x. ad Nicomachum, & Plato in Theage, in Menone, & alijs in locis gubernatas ab ijs ciuitates, & res præclarè geſtas vi quadam naturali, vſuq́ue potius, quàm mentis agitatione, & ratione, duobus argumentis docent: primùm quòd περὶ τῶν πρακτῶν nec ſcripſerint quicquã illi, nec dixerint: deinde quòd nec amicos, nec filios ſuos in his inſtituerint: quorum tamen illo nihil pręſtabilius humano ge- *Theologi.* neri; hoc nihil optabilius ſuis relinquere potuiſſent. Theologi noſtri vitia, virtutes, ſocietates, & generaliter τὰ πρακτὰ non per ſe, & mundanæ felicitatis causâ conſyderant; ſed vt ad beatitudinem, & gloriam cæleſtem referuntur. quamobrem affectus noſtros non temperant, ſed extirpant quantum poſſunt: quidam etiam, vt Lactantius, ſummè adaugent, in Deum dirigen- *Lactãtius lib. vi. Inſtitutionum diuinarum cap. 17.* tes. Verùm de his omnibus, theologis, politicis, oratoribus, ſophiſtis, quorum alij ex æquo res ciuiles, & morales tractare ſolent, vt politici, oratores, ſophiſtæ, alij magis etiam morales, vt Theologi; quæcunquę dici par erat, ad diſputationes eorum de actionibus noſtris diſtinguendas, dicta ſunt in illa præfatio- *Politice verũ pertineat ad iuriſcõſultos, an ad philoſophos.* ne librorum ad Nicomachum. Iuriſconſulti autem, moralibus ferè in totum prætermiſſis, vendicant ſibi ciuilia. Solos ſe huiuſmodi rerum, ciuitatumq́ue regendarum ſcientiam, ac rationem habere; ſolos dignos, qui ſint in magiſtratu, qui humanum genus gubernent, aſſeuerant. Quę cõſyderatio eſt propria huius loci, vtrum, inquam, ad iuriſconſultos, an ad philoſophos politice, ideſt ſcientia, & ratio ciuilis pertineat. Intentant

litem

litem iuriſconſulti propemodum his argumentis. Primùm inquiunt hoc palam eſſe, & conſenſione hominum, præſertim ſummorum regum, atque Pontificum, comprobatum, ſolis iuriſconſultis credi gubernacula rerumpublicarũ, ſolos ad honores, & magiſtratus uocari: philoſophos præteriri tanquam inutiles, & nullius pretij. Deinde legibus fundari ciuitates, legibus gubernari, nihilque in illis æque dominari oportere, atq; ipſas leges, quod conſtanti ore etiam affirment philoſophi: iuriſconſultos autem eſſe, qui leges cuſtodiant; qui leges interpretentur; qui penè in leges, quæ ciuitatum ſunt dominæ, imperium habeant; qui denique & de philoſophis, & de alijs omnibus ſtatuant, quod iuſſerint leges. Adhæc bonos, beatoſque ciues ſuos efficere ſtudent iuriſconſulti partim pœnarum metu, partim præmiorum exhortatione, vt Vlpianus ait: id autẽ erat proprium munus rationis ciuilis. Præterea iuriſprudentia, definiente eodem Vlpiano, diuinarum, humanarumque rerum notitia eſt: ergo tum alia contineat oportet, tum præcipue rationem ciuilem, quæ in humanis rebus, & actionibus propriè verſatur. Adde, quæ etiã dicuntur ab Vlpiano, ipſos iuriſconſultos boni, & æqui ſacerdotes eſſe; notitiam eius profiteri; ac veram philoſophiam, non ſimulatam affectare: quę ſi vera ſunt; nulla alia præter ſcientiam legum eſſe poteſt ciuilis philoſophia. Tandem reperiuntur qui ingentem librorum iuris multitudinem allegent in illis contineri omnia, omnia explicari non ſolùm ciuilia, moralia, œconomica; verumetiam naturalia, & diuina, &, ſi Deo placet, mathematica, & medica, & pictorum, fullonumq; propria. ita de omni propoſita re confidenter diſputant quidam iuriſconſulti, ac ſi non iuriſconſulti, ſed dialectici, ſophiſtæue forent. His reſpondẽt philoſophi. Primùm eleuant. Nihil aliud ad extremum eſſe iuriſconſultos, niſi iudices, cuſtodeſque, ac miniſtros legum illarum, quas philoſophia, boni humani deſiderio accenſa, peperit. Cæterum quia in iure dicundo maxima ſemper auctoritas eos, qui illud dicerent, ſequuta ſit, à neceſſitate, & improbitate hominũ manans; aſpirare, repereque paulatim in ſumma iuriſperitos cœpiſſe, conniuentibus, ac deſpicientibus id magno animo philoſophis, imò verò cum Deo illo Platonico, qui ſupremus eſt mentis apex, in altiſſimam ſpeculam redeuntibus. Quum autem hos ſolos impedimento ſibi eſſe illi animaduerterent ne, quemadmodum ipſi ſibi, ac pleriſque alijs prudentiſſimi, & ad reſpublicas geren-

k das

Iuriſcõſultorũ argumenta. Primum à teſtimonio.

Secundum à materia iuriſprudentiæ.

In iij. horũ librorũ cap. 7. & Plato in iiij. de legibus.

Tertium à fine.

l. j. de iuſtitia & iure.

Quartum à definitione iuriſprudentiæ.

l. 10. §. 2. eod.

In eadem leg. §. eod. tit.

Quintum ab attributis quibuſdam.

Sextum ab adiunctis.

Euerſio ſuperiorum argumentorum. Primi.

In Politico.

das aptiſſimi videbantur, ita vniuerſis viderentur; in animum induxerunt, opinionem hanc de philoſophis, quaſi ignaui, & ad nullam rem vtiles eſſent, diſſeminare: quod etiam feciſſe aliquando Rhetoras tradit Plato in exitu Euthydemi. Sed neque illud, quod ſumebatur, eſt ſimpliciter verum: ſedete ad clauos rerumpublicarũ iuriſconſultos. Sedent enim vt naucleri, quos Deus dederit, puta reges, & pontifices: miniſtri autem eorum ſunt aliquando, & alicubi, & aliquibus in rebus iuriſconſulti; aliâs, & in alijs regionibus, & ad alias res philoſophi, vel vſu rerum periti. Et iuriſconſultis quidẽ proprie iudicatus tribuuntur: conſilijs autem, & rebus gerendis domi, foris'ue præficiendi ſunt philoſophi, vel peritia, & vſu valentes. Ad ſecundum argumentum concedunt philoſophi dominari in ciuitatibus leges debere; eſſeque cuſtodes, miniſtros, exequutores legum ipſos iuriſconſultos: addunt etiam, quod illis denegat Iuſtinianus, quadantenus interpretes: vbi ſcilicet veri politici non affuerint; aut principes, quorum proprium eſt leges interpretari, condere, abrogare, corrigere, ciuili ſcientia ſint deſtituti. Hæc à ſe quoque poſita eſſe dicunt philoſophi eadem ratione, qua leges introduxerunt. Sed non eſſe cuſtodiam, & adminiſtrationem, & exequutionem legum, quaſi dicas pediſequam, & miniſtram, ipſam politicen: imò eatum eſſe parentem, & dominam. Tertium diluitur eodem modo. Faciunt enim bonos, beatosq; ciues ſuos iuriſconſulti, vt miniſtri, & adiutores, non vt principes, & architecti. Definitio illa iuriſprudentiæ, quæ quarto loco adducebatur, eſt prorſus inepta, niſi verbis ſequentibus exponatur, determinenturque antecedentia, hoc modo: Iuriſprudentia eſt diuinarum, atque humanarum rerum notitia; iuſti, atque iniuſti ſcientia: ideſt iuriſprudentia eſt diuinarum, atque humanarum rerum notitia, quatenus hæ res ad iuſtum, iniuſtumque referuntur, cuius iuſti, & iniuſti proprie ſcientia eſt ipſa prudentia iuris. Cur enim dicamus cum Accurſio alteram harum duarum uocum, vel notitia, inquam, vel ſcientia, eſſe ſexti caſus? ſi nemo antiquorum iuriſconſultorum linguam Accurſianam nouit. aut cur affirmemus cum eodem contra veritatem, nihil opus eſſe theologiæ ſtudio ad diuinas res cognoſcendas, quæ omnes in libris iuris affatim tradantur. At ſi eo modo, quo diximus, explicetur illa definitio; iam liquet non eſſe iuriſprudentiam ipſam politicen. ſiquidem conſyderat politice ciuitatem, resque vniuerſas, quæ ad ciuitatem pertinent,

Secundi.

Conſtitutione quæ pandectis præfixa eſt, legiturq; in Codice de Veteri iure Enucl.

Tertij.

Quarti.

non

non ſolùm vt ad iuſtum, & iniuſtum, tandemq́ue vt ad iudicia referuntur; ſed etiam ſimpliciter. In quinto argumento manifeſta eſt fallacia, quam Dialectici petitionem principij appellant. ſumitur enim, iuriſprudentiã notitiam boni & ęqui, veramq́ue philoſophiam eſſe: quorum vtrunque à nobis negatur. Vbi verò, quæſo, in toto corpore iuris boni, & æqui notitia traditur? aut quî tradi poteſt, ſi æquum, & bonum eſt iuris legitimi partim fons, partim emendatio, vt in v. ad Nicom. declaratur; nihil autem docemur in corpore iuris, niſi ius legitimum? Et quam veram, quam ſimulatã philoſophiam uocant? num eſt ſimulata naturalis? diuina? mathematica? ciuilis tantummodo vera? An huius ciuilis vera eſt ſola illa pars, quam tractant iuriſconſulti; ſimulata altera, vnde hęc manauit? Multitudo librorum nõ ſcientiæ ſolidæ, ſed inanis loquacitatis plerunque eſt ſignum. inſanabile enim ſcribendi cacoethes multos inuaſit. Et, ſi ſequamur ſingularia, quę infinita, nulliusq́ue artis ſunt, vt faciunt recentes iuriſconſulti, conſcribendorum librorum vel de pauciſſimis rebus nullus vnquã erit finis. multum autem, non multa ſcribere oportet. Denique quicquid commentariorum, gloſſematum, & interpretationum cuiuſuis generis, præter ea, quæ παράτιτλα, & ea, quæ κατὰ πόδας gręcè appellantur, ſcriptum eſt in iura, & leges editas à Iuſtiniano; id totum contra legem eſt ſcriptum; debetq́ue aboleri, & auctores eius omnes crimine falſi damnari. ſic enim ſanxit ipſe Iuſtinianus, ſoli regi permittens facultatem legum interpretandarum in conſtitutione quadam ſua, quæ bis legitur, ſemel ante Pandectas, iterumq́ue in Codice de Veteri iure enucleãdo. Quamobrem Pandectæ tantùm, & Codex, & Nouellæ, & Inſtitutiones Iuſtiniani, cum tribus conſtitutionibus Friderici ij, & Henrici vij retinenda erunt. Quòd ſi ex illis quoque, quæ ſuperuacua ſunt, reſecentur; penè ad leges xij. tabularum res redigetur: quibus olim Romæ in æs inciſis, & in foro propoſitis abſolutum eſſe perfectè veluti corpus totius publici, priuatiq́ue iuris homines exiſtimarunt. Vt minimè mirari debeamus uocem illam Ciceronis in oratione pro Muræna: *ſi mihi*, inquit ille, *homini vehementer occupato ſtomachum moueritis; triduo me iuriſconſultum eſſe profitebor*. tam arctis finibus continetur vera iuris ſcientia.

Quinti.

Cap. 10.

Sexti. Multi libri an probandi.

Pauciſſimi libri deberẽt eſſe iuriſprutia.

Liuius lib. iij.

Sunt & philoſophis ſuæ rationes contra iuriſconſultos. Primùm enim, iuris peritia non ſcrutatur primas cauſas eorum, quæ tractat; ſed leges tantùm, quæ obſeruandæ ſunt, docet,

Philoſophorũ rationes. Prima à munere Politici.

cauſa non adhibita. quòd ſi aliquando aliquarum aliquas proponit rationes; nõ tamen primas, ſed poſteriores; & paucarum, non omnium: & præter conſilium, inſtitutumq́ue ſuum proponit. At politice rationes, & cauſas primas ediſſerit omnium rerum, quæ ab ipſa conſyderantur. Ergo politice diuerſa eſt à iuris peritia. Adhoc ſi politice rationes, & cauſas primas ſui generis quærit; ſequitur eam eſſe partem quandam philoſophiæ. Eſt enim hoc philoſophiæ proprium, omnium rerum rationes, & cauſas primas inueſtigare, vt conſentiunt omnes philoſophi, declaraturq́ue in principio P. Poſtnaturalium. Deinde interrogentur noſtri iuriſconſulti, quam iuriſprudentiam, vel peritiam intelligant, quom dicũt politicen ad iuriſprudentiam pertinere? Reſpondebunt ſanè illi, ſe intelligere prudentiam eius iuris, quod ſuis libris continetur, ideſt iuris Romani. Omnes ergo regiones, & gentes, quæ Romano iure non vtuntur (ſunt verò iſtæ multo plures, quàm quæ vtantur, atque inter eas nonnullę artibus moribus, legibus politiſſimę) omnes, quę in poſterum non vtentur, omnes, quæ hactenus non ſunt vſæ, denique ante hoc ius conditum omnino omnes caruerunt, carebunt, carent politice omni, & omni ciuili ratione. Ergo nec ciuiles ſocietates vllas, quæ ſine ciuili ratione prorſus eſſe non poſſunt, habent, aut habuerunt, aut habituræ ſunt. Vel ſi reſpondeant, prudentiam iuris uocarià ſe prudentiam cuiuſuis iuris, ideſt legum quarunuis, vbicunque ſint, & ſeruentur; oportere enim, ſi ſint ciuitates, teneri legibus: næ illi, quom poſtea aſſeuerãt, non differre politicen à iuriſprudentia, innumeras politicas faciunt, at verò vna ſola eſſe politice ſimpliciter debet, quanquã multæ formæ ſunt ciuilium ſocietatum, ac rerumpublicarum: quemadmodum vna ſola ſimpliciter eſt medicina; licet multæ ſint rationes medendi, variatæ locis, variatæ temporibus, ætatibus, temperaturis. Si probatas reſpublicas præterea, & celebres legumlatores, qui eas conſtituerunt, memoria repetant iuriſconſulti, planè inuenient non iuriſperitos illos, ſed philoſophos fuiſſe, Mercuriũ Triſmegiſtum, Epimenidem Phæſtium, Rhadamantum, Zaleucum, Lycurgum, Solonem, cuius potiſſimùm leges Romani pro ſuis deſcripſerunt, & alios. eſt enim philoſophi, & intelligentiæ proprium munus rectè iudicare, ac perſpicere, quæ quibus conueniant, quæ diſcrepent, quo pacto, quibus rebus, locis, temporibus, ex quibus initijs, ad quos fines vnumquidque probè efficiatur. Itaque quod dicũt quidam iuriſ-

Secũda à proprio philoſophiæ.

Tertia à generalitate, & natura politicæ.

Quarta per inductionem.

Quinta à teſtimonio.

iuriſconſultorum, & olim dicebant ſophiſtæ, facile eſſe ferre leges ei, qui probatas leges collegerit, proptereaquòd optimas earum eligere poſſit; apertè oſtēdit, nec quid ſit politice, nec quibus in rebus verſetur, eos ſcire; ſicut de ſophiſtis in exitu x. ad Nicomachum Ariſtoteles cōcludebat. Ex qua inſcitia etiā natus eſt error, quo ſimiliter vtrique, ſophiſtæ rhetoricen, iuriſconſulti ſcientiam legum eandem eſſe atque politicen, vel eſſe politices parentem, & magiſtrā aſſeruerunt. Qui enim, obſecro, iſthæc affirmarent, præſertim iuriſconſulti, ſi quid eſſet politice, & quot, quantaque nobis proponeret, quę & quo pacto perageret, vnquam cogitaſſent? Sedet illa in ſublimi, maximarum, fulgentiſſimarumque rerum circundata varietate, quas inter ſe componit, & librat. Scientia legum in exiguæ cuiuſdam, & degenerantis rerum earum partis miniſterio tota occupata eſt: cætera nō attingit. Planum hoc erit, ſi capita rerum ciuilium, quas politice conſyderat, explicata his libris, ſuperiorique hypotipoſi comprehenſa, cum titulis, capitibusque noſtrarum legum conferantur. Hac enim collatione facta perſpicuè liquebit ſola iudicia propriè ad iuris prudentiam pertinere; & quę de dominis & ſeruis conditione, de viro & vxore, de parentibus & filijs, de quibuſdam partibus pecuniariæ, de artificibus quibuſdam, alijsque nonnullis in Pandectis, Codice, Nouellis, Inſtitutionibus dicuntur, ad iudicia referri; nihilque prorſus in vllo eorum librorum exponi, quod huc non dirigatur. Quoniam igitur iam eſt, vt arbitror, manifeſtum, ipſam politicen, quę eſt ratio, & ſcientia, & prudentia ciuilis, ſeu ciuitatis, rerumque ad ciuitatem pertinentium, nec iuriſprudentiam eſſe, eam, qua fulgent noſtri iuriſconſulti, nec eius partem; omnino tamē aliquà coniunguntur hæc iuriſprudentia, & politice: age videamus quis ſit inter ipſas cōiunctionis modus, & vtrum iuriſprudētia ſit politicæ finitima, ac ſubalternata, vt in ſcholis loquuntur, an pars eius, an miniſtra. Cernitur in ſuperiori hypotipoſi, quod in iv. horum librorum fusè declaratur, tres eſſe partes rerumpublicarum, magiſtratus, conſilia, iudicia. Pro his tribus rerumpublicarum partibus in tres partes ſimiliter diſtribuitur politice: quarum vna attineat propriè ad ſummum magiſtratum, qui vel Princeps, & dominus eſt ciuitatis, vel eius exhibet vicem; altera ad conſilia, tertia ad iudicia. Prior νομοθετικὴ, καὶ νομοθεσία, quaſi legū inſtituendarum, & legumlatricem vim ac rationem dicas; media βουλευτικὴ, ideſt cōſiliaria; tertia δικαστικὴ, hoc eſt, iudi-

Sexta à rebus ſubiectis.

Iuriſprudentia verū finitima, an pars, an miniſtra politices.

Politica diuiſio in tres partes.

Cap. 14. et iii.

iudiciaria nomen habet. Nec ſolùm ex numero partium rerumpublicarum apparet politicen hoc modo eſſe diuidendam: etiã Ariſtoteles,& Plato eam ſic diuiſerunt; ille in vj.ad Nicom; hic in Politico,& in Gorgia. quanquam enim differre in diſtribuendo videntur: tamen ad extremum,& reipſa non differunt. Duę differẽtię inter eos notari poſſunt; vna rerũ,altera verborũ. Differentia rerũ eſt, quòd cõſiliariam Plato ſeparat à iudiciaria, & coniungit cum legumlatrice: Ariſtoteles cõtrà,diſiungit eam à legumlatrice, & copulat cũ iudiciaria. Differentia verborum eſt, quòd Ariſtoteles nomine communi uocat propriè ciuilem, ideſt politicen iſtanc copulatam ex conſiliaria, & iudiciaria, in quas poſtea ipſam partitur: Plato hoc uocabulum ciuilis, & alterum regiæ traducit ad ſignificandam eam, quæ iungitur ex conſiliaria,& legumlatrice. Verùm,quod ad hanc poſteriorem differentiam attinet, Ariſtoteles vulgarem ſequutus eſt appellationem,vt ex eo loco intelligitur. vulgus enim iudices,& conſiliatios, quòd ſolos agere quaſi operarios, & in ſingularibus reipublicæ negotijs verſari videat; ſolos rempublicam ait adminiſtrare, & ſolos ferè hac de cauſa ciuilium nomine dignatur. Plato κατ' ἐξοχὴν legumlatricem, & conſiliariam, quoniam in ciuitate regenda,inſtituenda, conſeruenda primas obtineant; ciuiles, & regias uocauit. Quod verò attinet ad differẽtiam priorem, Plato actuum, Ariſtoteles obiectorum, temporumq́ue ſimilitudines,ac differẽtias ſpectauit. Siquidem legumlatrix magis in generalibus; iudiciaria, conſiliariaq́ue in ſingularibus magis vertuntur: & legumlatrix etiam ante conditam ciuitatem in ea inſtituenda locum habet; conſiliaria, iudiciariaq́ue penè non cernuntur, niſi condita, in adminiſtratione, & curatione reipublicæ. itaque obiectis, temporibuſq́ue ſimiles ſunt inter ſe cõſiliaria, & iudiciaria; diſſimiles legumlatrici. Contrà actibus hæc, & conſiliaria ſimiles ſunt; differunt ambæ à iudiciaria. Conſiliaria enim, & legumlatrix, ipſæ quidem non agunt actione vlla corporea, vt ait Plato: quippe ſi prorſus non agerent, eſſent facultates purè contemplatrices, ſcientiæq́ue, non prudentiæ, & in genere rationum actualium. ac quanquam Ariſtoteles conſiliariam propriè πρακτικὴν, agereq́ue dixerit ex ea parte,quatenus decretum, quod vltimum eſt conſilij, ſub actionem venit: tamen reuera nõ agunt nec conſiliaria, nec legumlatrix; ſed meditantur tantùm, atque imperant, quod eſt opus, & actio ipſarum propria; meditantur, inquam, ea, quæ ſunt agenda;

Cõſenſus Ariſtotelis,et Platonis de tribus partibus politica.

Cap. 8.

Differentiæ duæ, quæ de his partibus politicę vidẽtur eſſe inter Ariſtotelẽ & Platonem.

Sub exitum Politici.

Conſiliatio.

Trium politicarum ſimilitudines et differẽtiæ ex obiectis, temporibus, actibus ipſarum.

Plato ſub initium Politici.

Ariſt. in loco antè citato vi.ad Nicom.

agenda; atque imperant illis, quæ agere eadem poſſunt, cognoſcentes imperium,& vim illarũ rerum, quæ in ciuitate maximæ ſunt, & quid fieri oporteat, quid minimè, quemadmodũ ſcribitur in eodem loco Politici. Iudiciaria autem ex cõmuni ſententia Platonis,& Ariſtotelis perſpicuè agit, & imperia exequitur; ita ſe habens ad duas ſuperiores, ſicut ſe habet ſeruus ad dominum, operarius ad architectum. Hinc idem Plato ſub initium eiuſdem libri Politici regiam, ſeu ciuilem, quorum vtroque vocabulorum ſignificantur ipſi,quemadmodum dicebam,legumlatrix,& conſiliaria,propiorẽ eſſe docet ſpectatiuæ,quàm actuali facultati; ſpectatiuæq́ue imperanti ſpeciei potius, quàm duntaxat diſcernenti. Et in exitu, iudiciariam non ſuijpſius dominam eſſe; ſed miniſtram ciuilis,mãdata eius peragere. Omnino igitur triplex eſt politica, ſeu ciuilis tam doctrina, quàm ratio, & prudẽtia, vt hæc nomina à nobis antea diſtincta ſunt, nempe legumlatrix,cõſiliaria, iudiciaria. Legumlatrix, græcè νομοθετικὴ, quàm Ariſtoteles ἀρχιτεκτονικὴν,ideſt principem,& dominam aliarũ eſſe ait, indagans, cognoſcens, contemplans cauſas & rationes primas, & partes, & affectiones ciuitatum, rerũq́ue publicarum cuiuſuis generis, idoneos nos reddit ad leges ferendas, hoc eſt ad rectè imperandũ hominibus, quæ ipſius eſt propria muneris functio,& opus, quod peragit,quatenus homines in ciuilem ſocietatem ſunt cõgregati. Lex enim politica ad extremum nihil eſt aliud, quam iuſſum maioris poteſtatis ad tuendum ciuitatis ſtatum ex æquo, & bono cõſtitutum. Hæc verò politicæ legumlatrix eſt illa, cuius propriè ſcientia traditur in his libris. Huius comes eſt conſiliaria: quæ ad ſimilitudinem legumlatricis,nihil agit corpore, ſed imperat tantùm. differt tamẽ ab illa, quòd hęc ſemper verſatur in ſingularibus,& eius extremũ,quod decretum appellatur, cõtinuò excipitur actione corporea. cæteroqui non eſſent diuerſæ. nam ambæ maximè meditantur: ambæ imperant; & quicquid agunt,eſt imperare ea,quę ſunt agenda:ambę eaſdem meditãtur regulas, rationesq́ue;& iiſdem regulis, iiſdem rationibus ambę iuſſa,imperiaq́ue dirigunt ſua. Quamobrem dum legumlatricis præcepta dantur, vnà dantur præcepta conſiliariæ. &, ſi quę priuatim ad hanc ipſam attinent, opportunis locis horum librorum partim indicantur, partim etiam exprimuntur. Atque iſtas quidem ambas partes, ex quibus iungitur dominãs,ac princeps politice,ſimplici politices uocabulo complexi,quęſiuimus ſuprà,vtrum politice philoſophis,an iuriſconſultis

In locis antè citatis.

Duo Platonis dicta, hac, quę de alt. trib. politicarũ expoſita ſunt, cõfirmantia.

Concluſio de tribus politicę partibus, & earum ſimilitudinibus ac differentijs.

Legumlatricis politicæ cõditio, actiones obiecta, finis.

In vi. ad Nicom. cap. 8.

Vbi tradatur ſcientia huius politicæ legũlatricis.

Cõſiliaria politica cõditio, munera, obiecta, terminus.

Vbi tradatur ſcientia huius politica conſiliaria.

Hæ duæ politica, legumlatrix, & conſiliaria ſunt partes philoſophię.

ſultis concederetur: oſtendimusque multis argumentis eſſe philoſophis aſſignandam. Et in iij. quoque de Anima declaratum eſt à nobis, verè philoſophos optimos conſiliarios eſſe. *In cõment. 51 iij. de Anima.* Tertia politice eſt iudiciaria, non amplius comes, aut domina, ſed miniſtra aliarum: de qua ſic Plato ſub exitum libri de Regno: *Iudiciaria non amplius patet, quàm vt acceptis à legumlatore rege legibus omnibus, quæ ab eo iuſtarum, iniuſtarumque rerum poſitæ ſunt, iudicet, in eas reſpiciens, de contractibus cuiuſuis generis.*

Iudiciariæ politicæ conditio munera obeũda, finis.

Hæc igitur iudiciaria politice legumlatricis iuſſa ſemper, aliquando etiã decreta conſiliariæ obſeruari curat. Nouit ea perfectè, ac perſpecta habet ad ciuium actiones dirigendas: non tamen rationes, & cauſas eorum exquirit. Tandem, ſicut ſeruus ad domini, miniſter ad architecti formulam, & præſcriptum agunt, nulla ab ijs petita præceptorum ratione: ſic iudiciaria agit ad præſcriptum, & formulam cõſiliariæ, ac legumlatricis, illarum partes eſſe ſciens, vt proſpiciant, & imperent; ſuas, vt pareat, & exequatur.

Iudiciaria politice non eſt pars philoſophiæ: eſt miniſtra cum legumlatricis, tũ aliquatenus conſiliariæ: & eſt eadem quæ iuriſprudentia.

Ex quibus intelligitur primùm iudiciariam politicen, quoniam cauſas, & rationes non conſyderat, non eſſe partem philoſophiæ: deinde, quoniam agit, quemadmodum diximus ex præſcriptione aliarum duarum, eſſe pediſequam, & miniſtram ſimpliciter quidem legumlatricis, aliquatenus autem & conſiliariæ: poſtremò, quoniam verſatur in legibus, & contractibus omnis generis, eſſe ipſam iuris prudentiam, ac ſcientiam legum, quam iuriſconſulti profitentur.

Definitio quæſtionis propoſitæ quomodo iuriſprudẽtia ſe habeat ad politicen.

Quodammodo igitur iuris prudentia eſt pars, & quodammodo non eſt pars, ſed miniſtra, ac ſatellles politicæ. Eſt pars, ſi politicen fusè accipias pro omni facultate verè de rebus ad ciuitatis, & reipublicæ formam attinẽtibus conſyderante; nam eſt vna trium politicarum, quæ ſunt huiuſmodi facultates: eſt miniſtra, non pars eſt eminentis atque eximiæ politicæ, quæ κατ' ἐξοχὴν politice nominatur, ad philoſophos pertinẽs, cuius fontes aperiunt hi libri, quos præ manibus habemus. Ita definitur quæſtio propoſita.

Triũ quarundã aſſertionũ Plat. in Gorgia, in iij. et in v. de Republica illuſtratio.

Quoniam verò hæc politice iudiciaria nõ eſt pars philoſophiæ, aliæ duæ ſunt philoſophiæ partes; & illa neceſſaria ob hominum improbitatem, hæ per ſe expetendæ ad bene, beateque viuendum; perſpicuum euadit cur dixerit Plato in Gorgia iudiciariam medicinæ proportione reſpondere; & in iij. de Republica medicorum, ac iudicum copiam in ciuitate deprauatæ in ea reipublicæ, corruptęque, ac turpis educationis maximum τεκμήριον eſſe; & in v. ac vj. nunquam futuram rempublicam, ac ciuitatem fœlicem, nunquam

nunquam humano generi malorum requietem vllam fore, niſi aut philoſophi regnent, aut reges, principeſque ſyncerè philoſophentur, concurrentibus in vnum poteſtate ciuili, & philoſophia. de quibus tribus aſſertionibus aliàs vberius. Iam quoque liquet, ſi hi libri, hæcque ſcientia ſunt pars philoſophiæ actualis; cuiuſmodi doctrina, eorum futura ſit, qualiſque auditor depoſcatur. hæc enim communiter de tota philoſophia a nobis declarata ſunt ab Ariſtotele in primo libr. ad Nicomachum. *P. ad Nicom. cap. 3 & 7.* Nimirum docendi modus adhibendus eſt non exquiſitus, accuratuſque ille, qui eſt proprius mathematicorum, ſed rudior, ac pinguior, in res, quæ tractantur, optime conueniens: *Quis docendi modus, et qualis auditor horum librorum.* quæ quidem res plurimùm eueniunt, non ſemper, nec neceſſariò: vnde & de ijs, hoc, an illo pacto fieri debeant, magnæ exiſtere controuerſiæ, magni errores naſci ſolent; tandemque principium earum eſt τὸ ὅτι, hoc eſt rem ita ſe habere. In auditore autem duæ conditiones requiruntur: vna, vt probè educatus moribuſque inſtitutus ſit; ne affectibus animi huc, illuc impellatur: altera, vt ſit peritus actionum vitæ; ne ob imperitiam non intelligat, aut non aſſentiatur ijs, quæ ſunt intelligenda, & quibus, eſt aſſentiendum. quapropter iuuenem, & nouum eſſe eum non decet certè moribus, forte nec ætate. Verùm de his omnibus dictum eſt ibi copioſè. Qua autem methodo, ideſt qua via quoue ordine propriè vtendum ſit in diſpoſitione rerũ politicarum dicetur in textu tertio lib. primi. *Qua methodus, ſeu via, & ordo doctrinæ.*

Auctorem horum librorum recentiores omnes conſentiunt fuiſſe Ariſtotelem Stagiritem philoſophum, Nicomachi filium. *τὸ γνήσιον.* à quibus planè non diſſentio. proponam tamen, quæ mihi ſcrupulos aliquando iniecerunt. Primùm non memini apud vllum antiquum ſcriptorem me quicquam legiſſe de his octo libris Politicis Ariſtotelis. *Scrupuli quidam à Teſtimonio.* Diogenes Laertius eodem numero, titulo differenti reponit in Ariſtotelicis ſcriptis octo libros περὶ τῆς πολιτικῆς ἀκροάσεως. & rurſus eodem titulo, numero diuerſo duos πολιτικῶν. Præter hos autem conſimilis argumenti eidem Philoſopho attribuit duos de Republica libros, & Reſpublicas vrbium centumquinquagintaocto, & de Platonis legibus tres, & de Platonis republica duos, & de populari, paucorumque, & optimatum, & tyrannorum republica epiſtolas ad Philippum. Ammonius in præfatione Categoriarum agnoſcit πολιτείας, forte illos duos commemoratós à Diogene potiùs, quam hos octo, & τὰς πολιτείας Reſpublicas. E quibus Rebuspublicis citat Athe-

næus iſtas: Tyrrhenorum, quanuis hanc legum nominatim citet, & Troezeniorum in primo libro. Locrenſium, in vj. Deliorum, in vij: Syracuſanorum, in x Theſſalorum, in vj: Maſſilienſium, in xiij: Colophoniorum, in xvj. nunquam horum Politicorum mentionem facit. Scribit Cicero in iij de Legibus locum omnem ciuilem de Magiſtratibus illuſtratum ab Ariſtotele fuiſſe. hoc autem quid dicere attinebat, ſi hos libros vidiſſet, putaſſetque eſſe illius? magis ne locus de magiſtratibus, quàm reliqui ciuiliũ rerũ in his libris illuſtratur? & cur nõ potius id dixerit de Platone, qui adeo copioſe, ea quæ attinent ad magiſtratus, in vj legum tractauit? Auerroes autem, quum Politicos libros Ariſtotelis citet; teſtatur tamen eos ſe minimè vidiſſe, & ob hanc cauſam paraphraſin illam ſuam conſcripſiſſe in Rempublicam Platonis. Adhoc ſeruari adamuſſim in his libris ordo ille mirificus rerum tradendarum non videtur, qui in reliquis Ariſtotelis commentarijs tãtopere enitet. Redundant etiam hiſtoriarum exemplis præter Ariſtotelis morem libri poſteriores, ac maxime ſeptimus. Et in cap. quarto eiuſdem ſeptimi libri fit mentio medici Hippocratis: cuius, quum multas ſentẽtias in ſcripta ſua, præſertim problematũ Ariſtoteles tranſtulerit, nullo tamẽ alio in loco, quod equidem in mentem veniat, eum nominauit. Aureum orationis flumen, quod Cicero Ariſtoteli attribuit, ideſt pura, & ſimplex loquutio nõn æque cernitur in his, & in alijs eius ſcriptionibus. Stylus contortus eſt, non diſtinctus: & conciſus, mancusque potius, quàm breuis. quippe prolixior eſt verbis oratio ſæpius, quàm oporteret: repetitionesque adſunt frequentes earundem ſententiarum, ac rerũm, quemadmodum ad propria loca annotabo. Eſt autem duplex differentia inter mancam orationem, & breuem, ſicut & duplex communio. Cõmuniones ſunt, quod in vtrâque aliquid deeſt: & ob id ipſum, quia deeſt aliquid in vtraque, vtraque obſcura eſt, & ſenſu ricoſa: Differentiarum vna eſt, quod in breui oratione, quæ non ſit manca, ſubaudiri quicquid deeſt ex ijs ipſis, quæ dicuntur, poteſt, quia in ijs recondi[illegible]er, & ex ijs pendet. contra in manca ſubaudiendum, & ſupplendum eſt, non ex ijs, quæ dicuntur, ſed aliunde, & ex auditoris, lectoris ve ingenio potius, quam ex vi orationis, hoc eſt id extremum magis ex rerum, quam ex verborum ſerie, ac connexione. Altera differentia eſt, quod in oratione breui nullum eſt verbũ ſuperuacaneum, aut inane: in manca nihil repugnat eſſe aliqua otioſa vel in tautologia, vel ex iteratione,

lib. 7. cap. 18, & [illegible] cap. 7. vij cap. 16. x cap. 12 xi cap. 17. xiij. cap. 13. xvi. cap. 6.

In principio illius paraphraſis.

à Methodo.

à Proprietatibuſdã notis.

à Loquutione.

à Stylo.

Orationis imperfectæ, ac breuis ſimilitudines, & differentia.

Tautologia et iterationis cauſa communes.

tione; quę per ſe nihil operantur, adhibentur autem aliquando ab imperitia, aliquando ab arte dicentis vel ad oblectandos, alio'ue quopiam affectu commouendos animos auditorum, vel ad eoſdem meliùs & faciliùs docendos. Loci, qui in his libris ex Moralibus citantur, ſicut non conuincunt libros ad Nicom. nec ab Ariſtotele conſcriptos fuiſſe; quod Franciſcus Patritius ætate noſtra philoſophiæ Platonicæ maximus cultor, rerumque ac ſcriptionum omniũ abſtruſarum vſque à Nino, & Zoroaſtre ſcrutator obſeruantiſſimus in iv. Diſcuſſionum ſuarum declarauit; nec conſcriptos fuiſſe ab alio, quod nos oſtendimus in pręfatione eorũ librorum: ita ſanè non demonſtrabunt hos libros Politicos eſſe, aut non eſſe Ariſtotelis. Sunt ij loci numero quinque: vnus, annotatus in ij. horum politicorum, de talione; alter, in iij. de iuſto, quod in geminis rebus, geminiſque perſonis conſiſtit; tertius, in iv, & quartus in vij. de beatitudine; quintus item in vij. de ſtudioſo, cui bona ſint, quæ ſunt ſimpliciter bona. Nec locus quidem de purgatione, de qua clariùs in lib. de Poetica differendũ eſſe ſcribitur ſub exitum huius operis, quenquam cogit, vt hanc, illam'ue ſcriptionem Ariſtoteli aut deneget, aut tribuat. Quanquam enim in libro de Poetica nuſquam purgationis fit mentio, niſi in definitione tragœdiæ: tamen quia liber ille de ſententia omniũ interpretum eſt mutilus, & imperfectus; poteſt, vt pleraque alia in eo deſyderãtur, ſic pars iſta, in qua de purgatione agebatur, deſyderari. Sed hęc poſtho omnia, quæ hactenus tacta ſunt, dubitationem tantummodo aliquã afferunt. Doctrinæ aũt ſubtilitate, multitudine quęſtionum, rerum pulcherrimarum copia, ſententiarum frequentia, decretorumque firmitate, & conſenſu ita vniuerſum hoc opus refert Ariſtotelici ingenij fœcunditatẽ, & acumen, vt alium non potuerit, pręterquam Ariſtotelem, auctorem habuiſſe. Quibus omnibus accedit: proponi manifeſtè in poſtrema parte x. ad Nicomachũ, quæ in his libris traduntur. Quòd ſi omnino aliũ eos habuiſſe auctorẽ mordicus tenere quis velit: age habuerint, non minorẽ tamen Ariſtotele, & de eius ſchola ſapientiſſimum aliquem, ſubtiliſſimumque philoſophum. parum enim refert quis eos conſcripſerit: dummodo optima ſit eorum doctrina, & optimè tradita.

A locis citatis.

Frãciſcus Patritius.

Lib ij. cap 5. lib iij. cap. 6. lib iv. cap. 11. lib. vij. ca. 13.

Determinatio.

Diuiditur totum hoc opus politicum, ideſt de ciuitate, ſeu de actionibus, affectionibuſque hominum, vt ad ciuitatẽ referuntur, in quinque partes. Prima pars, in quam primus, liber con-

Diuiſio huius operis in partes.

ſumitur, ipſam vniuersè ciuitatem, materialeque eius principium, quod ad homines pertinet, docet: idest diſputat de ciuitate per ſe, & de vico, ac domo, domusque partibus, quę ſunt ciuitatis materia; omnino de hominibus, quatenus ſociabiles ſunt, domos, vicos, ciuitatesque poſtremò cõſtituentes. Quamobrem, quoniam materia vel non eſt pars quiditatis, vel, ſi eſt pars, non eſt pars ſimpliciter, ſed neceſſaria, & ex hypotheſi; fortè non vſquequaque erraret, qui diceret hunc primum librum neceſſitate quadam à Philoſopho fuiſſe compoſitum, nec propriè, primoque ad ciuilem diſciplinam attinere, quæ ciuilis diſciplina vere initium capiat à libro ſecundo: pręſertim quum primum octo librorum de naturali Auditione, in quo agitur de materia, ſimiliter quidam exiſtimauerint alijs ſeptem neceſſariò præfixum fuiſſe, nec eſſe operis illius partẽ; verùm incipere opus Phyſicorum, naturalemque ipſam philoſophiã à ſecundo libro. Atque hæc fortaſſe cauſa fuit, cur in exitu librorum ad Nicom. proponens philoſophus ea, quæ in his Politicis erãt pertractanda, tacuerit de primi, & exorſus ſit à ſecundi libri argumento. *Primùm, inquit, ſi quid præclare hac de re à veteribus dictum eſt, id perſequi conemur: deinde ex rebuſpublicis vndique collectis &c.* Secunda pars, quę comprehenditur in ij. libro, varias reſpublicas, quę, aut ſapientiſſimorũ virorum ſcriptis informatæ, aut reapſe inſtitutæ, vſuque rerum illuſtratæ, tempore Philoſophi erant celebriores; proponit, & examinat: vt (quod quidem eſt moris Ariſtotelij) falſa, vitioſaque decreta refutentur: & quicquid probi ex ijs elici, cogitari, emendari poſſit, diſpiciatur. Tertia pars de principijs formalibus ciuitatis, republica, ciue, lege, imperio, ſpeciebusque, differentijs, & partibus rerumpublicarũ occupat tertium, & quartum librum. In quinto, & ſexto, quartam continentibus partem, de rerumpublicarum ſeditionibus, mutationibus, conſeruationibus, inſtitutionibus generaliter, ſpeciatimque diſſeritur. Quinta, & vltima pars in ſeptimo, & octauo libro optimam rempublicam, ciuitatemque beatam inſtituit. Has quinque partes in minutiores identidẽ partes diſtribuemus, donec ad minima, & indiuidua deueniatur; ſed alias quidẽ quatuor poſtea, vnamquanque ſuo loco; primam autem, ideſt primum librum, qui eam comprehendit, in pręſentia: cuius partitionem more noſtro deductione apodictica oculis ſubiectam, accipe.

Nec primus Politicorum, nec primus de naturali Auditione ſunt proprie partes iſtorũ operũ, ſed neceſſariò præfixi alijs eorundẽ operũ libris, qui vere ſunt partes.

Partitio primi libri.

TYPVS

TYPVS PARTITIONVM PRIMI Politici,

De ciuitate per ſe, & principio eius materiali, quod quidem ad homines, vt ſociabiles ſunt, pertinet.

- *Proœmij locum obtinentia*
  - *De*
    - *Ciuitate, ſeu ſocietate ciuili* (*ad ſignificandum fructum, & dignitatem huius ſcientiæ*)
      - *Conclusiones principales de Bono & fine*
        - *Bonum quoddã — Spectat — Bonũ præſtantiſſimũ eorũ oĩum, q̃ ſocietati ꝑ ꝓponũt.*
          - *Conficitur ex p. & 2. quatuor preceptorũ ſequentiũ.*
          - *Conficitur ex 3. & 4 preceptorum ſequentium.*
      - *Præcepta alia De*
        - *Fine et bono.* — *Boni alicuius cauſa inſtituta eſt.* — *Nam oĩa omnes agũt eius, quod bonum opinantur, gratiâ.*
        - *Genere.* — *Eſt ſocietas quædam.*
        - *Præſtãtia* — *Eſt p̃ſtãtiſſima omniũ ſocietatũ.* — *Confirmatur ſeq̃nti præcepto.*
        - *Amplitudine ſiue cõprehenſione* — *Continet omnes alias ſocietates.*
    - *Scientia ciuili. Eius*
      - *Fructus. Dignitas.* — *Ex concluſionibus, & preceptis proximè deſcriptis*
      - *Methodus*
    - *Sententia quadam falſa* — * *pag. 26*

Tex: i.

- *Diſputatio*
  - *Domus.* * *pag. 26.*
  - *Vicus.* * *pag. 27.*
  - *Ciuitas.* * *pag. 28.*
  - *Domeſticæ curæ partes, quæ eadẽ ſunt & partes domus.* * *pag. 30.*

Methodus:

- *Quæ ſit* — *Eſt methodus diuiſiua, vt diuiſione partes, initiaque ciuitatis vſque ad minima, atque indiuidua accipiantur, et conſyderẽtur.*
- *Rationes cur ea vtendum*
  - *Specialiter in hac ſcientia, à Genere* — *Nã hæc eſt methodus totarũ, & compoſitarum rerum.*
  - *Vniuerſè in ſcientia rerum compoſitarum, à Simili* — *Nam ſimilis eſt ex hac methodo cõſyderatio, ac ſi q̃s eius res naſcẽtes à primo ortu cõſyderaret.*
- *Fructus ex ipſius vſu in hac ſcientia percipiendi,*
  - *Initiorũ, partiumq; omniũ ciuitatis, in quib' sũt & gubernationũ formę, differentias, naturas, ac ꝓprietates optimè proſpiciemus.*
  - *Ciuitatis ſcientiam ijs initijs cognitis perſpectã habebimus.*
  - *Falſitas ſentẽtię in ꝓximo textu expoſitę nota euadet.*
  - *Vera eſſe præcepta primi text: planum fiet.*

Text: iij.

*

Sententia quædam falſa, repugnans antè poſitis.

Reipublicæ adminiſtratorem, & regem, & œconomum, & dominum inter ſe

- *Non differre*
  - *Specie.*
- *Differre*
  - *Multitudine & paucitate*
    - *Hominum ſubiectorum*
      - *Dominum, & Oeconomum tam inter ſe, quàm ab alijs duobus.*
    - *Authoritatis, & temporis*
      - *Regem, & reipublicæ adminiſtratorem.*

Text: ij.

*

Domus, & partes eius primæ, ac neceſſariæ.

- *Partes domus primæ, ac neceſſariæ*
  - *Definitio generalis.*
    - *Societatis primæ in vniuerſum definitio quędā generalis*
      - *Eſt prima ſocietas coniugatio eorum hominum, quorum alter ſine altero eſſe non poteſt.*

      Textus iiij.
  - *Definitiones ſpeciales.*
    - *Coniugalis ſocietatis*
      - *Eſt ſocietas prima ac neceſſaria maris, & fœminæ in hominum genere ad procreationem filiorum, ex naturali deſyderio primùm, nō ex electione facta.*
        - *In qua definitione continentur*
          - *Genus.* *Materia.* *Finis ſummus.* *Efficiens primum.*

        Tex. v.
    - *Dominicæ ſocietatis naturalis Ex*
      - *Genere.* *Materia.* *Fine.* *Efficiente.*
        - *Eſt ſocietas prima, ac neceſſaria domini & ſerui, quam in hominum genere natura facit, ſalutis, & vtilitatis amborum communis causà.*
    - *Perſonarum eam conſtituentium, Ex*
      - *Officijs,* *Partib',* *Facultatibus,*
        - *Imperātis, & dominantis naturā.*
          - *Eſt illud qđ cogitatione proſpicere*
        - *Parētis & ſerui naturā.*
          - *Eſt illud quod corpore exequi*
        - *Poteſt eadem, quæ vtriq; conducunt.*

    Textus vi.
  - *Diſtinctio.*
    - *Fœminæ & ſerui Ex*
      - *Finibus eorum, procreatione, ſaluteq́ue, qui fines inter ſe ſunt diuerſi.*
      - *Genere. quoniā fœmina & ſeruus ſunt inſtrumēta naturæ; natura autē inſtrumenta facit, & deſtinat diuerſis operibus diuerſa.*
    - *Coniugalis & dominicæ ſocietatis. Ex*
      - *Partibus: quoniā fœmina, & ſeruus, qui ſunt partes harum ſocietatum, inter ſe diſtinguuntur.*

    Tex: vij.
  - *Dubitatio* * *pag. 27.*
- *Domus* * *pag. 27.*

26.
*

Dubitatio

Contra theorema textus antecedentis de diſtinctione fœminæ & ſerui.

Origo, & fundamentum —— *dubitationis* —— *Diſſolutio*

Apud Barbaros fœmina, & ſeruus eodem gradu habentur.

Cauſa, cur habeantur eodem gradu, eſt, quia B[illegible] nõ habent imperans naturâ, ſed idem eſt naturâ Barbarus & ſeruus: quod etiam confirmatur teſtimonio Poetarum.

Tex: viij.

26.
*

Domus

Domus prima

Definitio

Eſt domus prima. quæ conſtat ex duabus primis ſocietatibus iam expoſitis, coniugal[i], & dominica. — *Ex Materia.*

Confirmatur hæc definitio per locum à pronunciatis, citato quodam Heſiodi carmine.

Text: ix.

Domus generaliter

Definitio

Eſt domus, quæ verè propriéque dicitur, ſocietas ſecundum naturam in quotidianum vſum conſtituta.

Ex

Genere.

Differentijs

à Fine. — *ab Efficiente cauſa.*

Confirmatur hæc differentia

Authoritate

Charondę — ὁμοσιπύους

Epimenidis — ὁμοκάπους

Appellantiũ eos, qui in eadem domo viuunt.

Text: x.

25.
*

Vicus

Vici in vniuerſum

Definitio

Eſt ſocietas [illegible] domibus, p[illegible] naturalis in [illegible] minime quotidianum

Ex

Genere.

Differentijs

Ex

Materia. Cõponis gradu. Efficiẽte cã. Fine.

Tex 11.

Formæ primæ ac maxime naturalis vici

Definitio.

Ex

Materia pp[illegible]. Modo originis. Vocab. qbuſdã.

Eſt propagatio, ſeu ſoboles, & veluti colonia ab vna domo profecta, à qua vna in multas exierunt, quum ea amplius capi non poſſent, qui ὁμογάλακτες à quibuſdam, & nati natique natorum vocantur.

Tex: 12.

Confi[illegible]r hæc definitio per locum ab euentu. Nam cur ab initio regnatũ ſit in ciuitatibus, & adhuc regnetur in gen[illegible]us [illegible] ſola cauſa afferri poteſt [quod] vici ſint ἀποικίαι domorum: in quarum domorũ vnaquaque regnat qui eſt maximus natu, & ab iis per vicos regia gubernatio primùm ad ciuitates, exinde ad gentes peruenit.

Tex: 13.

Confirmatur effatum.

Quòd in domo vnaquaq; regnet is, qui ſit maximè ſenex:

Ex Auctoritate Homeri in Cyclopum fabula.

Dubitationis contra hunc locum Homeri diſſolutio: quia voluer[it] Homerus vitam, & mores habitandi priſcorum hominum nobis repræſentare.

Tex: xiiij.

Quod ciuitates ab initio, de[inde] etiã gẽtes ſub regib' fuerint:

Ex Conſenſu communi omnium hominum a[ntiquorum] in Dys eſſe regium imperium ob hanc ipſam cauſam:

Quoniam homines, vt formas, ſic vitas & actiones ſuis ſimiles attribuant Dijs.

Tex: xv.

25
*
Ciuitas

Definitio ciuitatis

Eſt ſocietas ex multis vicis, perfecta vſq; eò, vt omnis ſufficientię ſummam habeat, atque [illegible]alis, conſtituta quidem viuend[illegible], permanens autem beneuiuendi causà.

Ex

Genere — *Differentijs*

Materiā. Forma. Cauſa [illegible]te. Finali cauſa prima. Fine vlt. accreſcēte.

Tex. 16.

Ciuitatem exiſtere & eſſe natura

(ad confirmandam differentiam, quę in definitione proximè trad[illegible]a [illegible]baudieba-tur

Hocipſum theorema,

Ciuitatem ex[illegible]re, & eſſe naturà,

Probatur

Ratione ducta à

Deſtinatis.

Nam ſocietates ciuilē antecedētes (quæ ſunt partes ipſius, aliæ primæ, aliæ proximæ, & tandem deſtinata in eam tanquam in ſummum ſuum finem) ſunt ipſæ per ſe ſecundum naturam.

Tex: xvij.

Formali parte, qua eſt αὐτάρκεια.

Nam αὐτάρκεια, quę ex tex: 16. eſt tanquā perfectio & ratio formalis ciuitatis; eſt ſummus finis, & optimum in genere ſocietatum, actionumq; humanarū: ſummus aūt finis, et optimu in vnoquoque genere eſt, exiſtitque natura.

Tex: xviij.

Concluditur

Tex: xix.

C[illegible]rmantia & [illegible]uſtrantia hoc theorema.

Hominem eſſe ciuile animal naturà

Probatur

Simpliciter

Ex

Conſtitutis ſuprà

Quia vicus, & domus, partesq; d[illegible]t naturales ſocietates, directę in ciuitat[illegible]m [illegible]anquam in [illegible]um [illegible]ę ius-tas hac de cauſa [illegible] nec[illegible] quę [illegible]turà.

Tex. [illegible].

Nam [illegible]i eſt ἄπολις, hoc eſt ſocieta-t[illegible] c[illegible]t exp[illegible] ſuo proprio in[illegible]nio, non vi fortunæ,

[illegible]t eſt homine

Inferior, [illegible] tanquam fera.

[illegible]uet hoc, ideſt eſſe qu[illegible]am apolides homine inferiores,

Ex

Au[illegible]ri[illegible] improbu hominem, quaſi [illegible] di[illegible] improbū, his tribus [illegible]us [illegible]is, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀ[illegible], quoru n[illegible]m: vnūquodq; expen[illegible]tatis [illegible]dis ſignificat.

[illegible]io huiuſmodi apolidis. quod belli cupidum eſſe

Oſtenditur

[illegible] Cauſa

Quippe huiuſmodi apolis nullo aſtri[illegible]us eſt iugo, coniunctione'ue.

A Simili

Nam volucres etiam quæ ſ[illegible]æ ſunt, ſunt violentæ, & ſanguinariæ.

Text: xxi.

Superior & tanqua Deus.

Inferri hoc poteſt ex altero membro per locū ab oppoſit[illegible]: quia [illegible] ſuperatur aliquado ὁ ἄπολις, vt inferior homine; laudabitur, [illegible]oties laudabit[illegible], vt ſuperior.

Comparatè

*

pag. [illegible]9.

Ciuitatem eſſe rem naturà priorem domo, & vnoquoque noſtrûm.

*

pag. 29.

Concluſio & ex primo huꝰ theorematis.

*

pag. 29.

Fructus ampliſſimus ſocietatis ciuilis

*

30.

28. *

Comparatè

- *Propoſitio* —— *theorematis* —— *Demonſtratio.*
  - *Propoſitio*: T. xxij.
  - *Demonſtratio* — *Ex*
    - *Senſu iuſti, iniuſti, cōmodi, incōmodi, oīo boni, & mali.*
    - *Oratione, quæ ſola eiuſmodi ſenſum declarat.*

Nam vtrunque iſtorum ſolis hominibus à natura tribuitur: & deſtinatum eſt, dirigiturque vtrunque ad vſum, & communicationem iuſti, iniuſti, commodi, incōmodi, omnino boni, & mali tanquam ad ſuum propriū et ſupremum finem: huiuſmodi, aūt cōmunicatio facit ciuitatē conſtantē ex domibus, quę verè propriéq; ciuitas dicitur.

T. xxiij.

28. *

Ciuitatem eſſe rem naturâ priorem domo, & vnoquoque noſtrum.

- *Propoſitio*: T. xxiiij.
- *Demonſtratio* — *Ex*
  - *Proprijs ſubiectorū attributis, quæ ſunt totum, & pars.*
    - *Nam ciuitas totū; domus, & ſinguli noſtrūm partes ſūt: totū aūt eſt priꝰ naturâ parte. Vtrunq; oſtēdit ex definitione eius, quod eſt prius naturâ; ſecundum quidem ſimpliciter; primū aūt vt ab hac definitione ſumuntur conditiones totius, & partis.*
  - *Definitione prædicati, ideſt eius, quod dr̄ naturâ prius.*
    - *Ciuitas manet, vt ſit ſibi ſatis, alijs, atque alijs ciuibus, domibusque, ex quibus conſtat, pereuntibus: hæc non ſunt ſibi ſatis; nec manere diu poſſunt ſine illa.*
  - T. xxv.
- *Dubitatio*
  - *Emergens*
    - *Contra id, quod proximè dictū fuit, ſeparatos à ciuitatibus ſingulos homines non eſſe ſibi ſatis.*
    - *De illis, qui*
      - *Nō poſ ſunt ob prauitatem* — *Viuere in cōmunione*
      - *Nō indigent ob præſtantiam* — *Viuere in cōmunione*
  - *Soluitur,*
    - *Neutri ſunt pars vlla ciuitatū, ſz vtriq; apolides: et ꝑ doctrina apolidū ex tex: 21. alteri minus, q̄ hoīes, et quaſi feræ; alteri plus, q̄ hoīes, & quaſi Dij.*
  - T. xxvi.

28. *

Concluſio, & expoſitio, quomodo ciuitas ſit & exiſtat naturâ.

Quòd ex appetitu naturali, qui in omnibus nobis, & ſemper ineſt ad ciuilem ſocietatem.

T. xxvij.

28. *

Fructus ampliſſimus ſocietatis ciuilis, primo eius conſtitutori aſcribendus.

- *Virtutes, & iuſtitiam vniuerſam*
  - *Adipiſci homines ex conſtitutione ciuilis ſocietatis*
    - *Probatur per locum à cauſa.*
      - *Nam iura, & leges, quibus ciuilis ſocietas continetur, adducunt homines, in eo quòd ſunt quædam ſententiæ de rebus iuſtis, ad iuſta opera, & tandem horum exercitatione ad iuſtitiam.*
  - *Adeptos homines eſſe optimos omnium animantium.*
    - *Oſtenditur*
      - *Expoſitione*
      - *Ex Contrario*
        - *Nam infecti iniuſtitia deterrimi ſunt.*
        - *Et hoc oſtenditur loco ab inſtrumentis.*
        - *Quoniam ſoli homines arma habeant data ſibi à natura ad prudentiam, & ad virtutem; quibus armis vti in contrarium maximè poſſunt.*
        - *Confirmatur hoc*
          - *Expoſitione*
          - *Loco ab effectis*
            - *Vbi virtutes, ac prudētiæ expertes homines fuerint; ſceleratiſſima, immaniſſimaq; oīum animaliū euadūt in omni genere vitioſitatis; tandē verò in rebus venereis, & cibatu, quæ illis cū belluis cōmunia ſunt, deterrima.*
- *Vnde intelligitur, quomodo, & quatenus ciuitas, quum ſit naturâ, proficiſcatur etiā à ratione, & prudentia humana.*

T. xxviij.

*

Domeſticæ curæ partes, quæ eædem ſunt & partes domus

Propoſitio — *Diſputatio*

Dominica ratio * *pag. 31.*

Pecuniaria ratio * *pag. 38.*

Coniugalis, et, Paterna * *pag. 48.*

De quibus deinceps, & cur, & quatenus, & quo ordine dicendum.

De

Domeſtica cura, ideſt de partibus eius, quæ eædem ſunt & domus partes, deinceps dicendum.

Cur

Nam ciuitas omnis ex domibus componitur: & notitia rerum compoſitarum pendet ex partium notitia.

T. xxix.

Harum partium curę domeſticæ, ſeu domus

Quædam — *Dominica*

Maiores vt Liberi, & ſerui.

Primæ, ac minimæ, de quibus dicendũ.

Quæ ab omnibus conceduntur — *De qua ambigitur.*

Quot & quæ ſint — *Cur de ijs dicendum.* — *Quæ ſint de ijs conſyderanda.* — *Nomina*

Sunt tres appellatæ ſocietates

Quia compoſita oĩa hoc modo cognoſcũtur, perqſitis antè eorũ primis, ac minimis partibus.

Quid – vnaquęq; earũ – Qualis

Domini et ſerui. — *Mariti et vxoris.* — *Patris & filiorum.*

T. xxx

Nomina harum partium, ſeu ſocietatum.

Δεσποτικὴ, *Dominica antiquo, & proprio vocabulo.*

Γαμικὴ, *Nuptialis, detorto vocabulo ab initio in totum coniugium, Latini melius Coniugalem.*

Τεκνοποιητικὴ, *quaſi filiorum effectricem dixeris, confiĉto vocabulo à Philoſopho, noſtri Paternam vocant.*

T. xxxi.

De qua ambigitur.

Pecuniaria, ἡ χρηματιστικὴ.

Eius

Nomen. — *Controuerſiæ capita.* — *Quid in primis conſyderandum.*

T. xxxij.

Dominica

Eſt primo loco cõſyderanda

Cuius diſputationis cauſæ, & vtilitates duæ:

Vſus, & πρᾶξις. — *Notitia, &* εἴδησις.

T. xxxiij.

Dominica ratio, & ſocietas, pars domus, & curæ, rationiſque domeſticæ.

Sententiæ duæ falſæ.

Prima ſententia duarũ partium

Dominicam rationẽ, dominationẽ'ue eſſe ſciẽtiam quandam.

Idem eſſe dominicam rationẽ, et curã domeſticam, & ciuilẽ, & regiam.

Tex:xxxiiij.

Secunda ſententia trium partium.

Dominos, & ſeruos eſſe non naturâ, ſed lege duntaxat.

Dominari totum Eſſe

Preter naturã, et hac de cauſa violẽtũ, ac dãnoſum.

Iniuſtum.

Tex:xxxv.

Fundamẽta totius diſputationis, & rationis dominicæ

Secũdæ ſentẽtiæ diſquiſitio.
*
pag. 32.

Primæ ſentẽtiæ cõfutatio
*
pag. 36.

Fundamenta totius diſputationis, & rationis dominicæ:

Quæ ſunt attributa ſerui quiditatiua, ſed quædam domini, quædam ſeruilis, dominicæq́; rationis etiam communia.

Pars domus

Partẽ domus eſſe ipſũ ſeruũ,

Quoniam res, in qua, tanquã in toto, ſeruus continetur, ſit pars domus. ſiquidem ſine neceſſariis, id eſt ſine re viuere, & beneuiuere, quæ ſunt opera, finesq́ue domus, nemo poteſt.

Et, Partem curæ domeſticæ eſſe rationẽ ſeruilẽ.

Quoniã ratio rei procurandæ, cuius pars eſt ratio ſeruilis, ſit pars domeſticæ curæ. Et hoc probatur ex eo, quòd res ſit pars domus, per locũ à coniugatis.

T.xxxvi

Inſtrumentũ.

Inſtrumẽtũ dom'.

Inſtrumentũ dom' ad viuendũ et bene viuendum eſſe ipſum ſeruum

Cõfirmatur ex ſimili relatione artium, & curæ domeſticæ ad propria opera.

T.xxxvij.

Inſtrumẽtũ aĩatũ.

Inſtrumẽtũ ante inſtrã.

Inſtrumẽtũ actiuũ non factiuum.

Res domini.

Natura, et Poteſtas
*
pag. 32.

Inſtrumentum animatum in domo ad viuendum, & bene viuendum eſſe ipſum ſeruum.

Eſſe inſtrumentum oſtẽditur adhuc ex genere, & ex toto

Quoniã ſeruus κτῆμα quiddam, & pars κτήσεως ſit: quorum illud eſt inſtrumentum, hæc multitudo inſtrumentorum.

Eſſe animatum inſtrumentum

Confirmatur diuiſione τῶν κτημάτων, & inſtrumẽtorũ; quorũ alia inanima, alia aĩata eſſe declaratur in artibus exẽplo artis nauticę: ſeruus enim numerari inter inanima non poteſt.

T. xxxviij.

Inſtrumentum ante inſtrumenta naturâ, ordine & dignitate eſſe ipſum ſeruum,

Demonſtratur

à Simili

Quoniã huiuſmodi ſit omnis miniſter.

Et hoc confirmatur ex opere inſtrumẽti muti, ſemiuocaliſq́;, et ꝓprietate vocalis, vt ĩ mẽbro oppoſito.

ab Opere inſtrumenti muti, ſemiuocaliſque, & proprietate vocalis, in quo vocali ſeruus, miniſterque continentur.

Nam opus illud fieri non poteſt niſi antecedat id, quo iuſſa exaudiũtur, præſentiũsur'ue: id verò ſola vocalia inſtrumẽta in ſe habere cõfirmatur inductione duorũ abſurdorum; quorũ vnum eſt contra hypotheſin; alterum contra euidentiam.

T. xxxix.

Inſtrumentum actiuum, non factiuum eſſe ipſum ſeruum: & hac re diſtare ab ijs, quæ ſimpliciter vulgus hominũ inſtrumẽta vocat.

Probatur

Ex Genere.

Nam τὸ κτῆμα, cuius ſpecies eſt ſeruus, eſt inſtrumentum actiuum, non factiuum.

Confirmatur, hoc finibus, differentiaq́; finiũ actiuorũ, factiuorũq́; inſtrumẽtorũ; quorũ illa vſũ tãtùm ꝑſtant; hęc ꝑter vſũ aliud qppiã in exteriori et corporea mã, vt declarãt exẽplis.

T. xl.

Ex Fine.

Nam vita, in quam ſeruus, & κτήματα omnia diriguntur, & cuius ſunt inſtrumenta, actio eſt: differuntque actio, & effectio inter ſe quiditate.

T. xli.

Rem domini omnino, & ſimpliciter eſſe ipſum ſeruũ, non ſolùm ſeruum; dominum verò eſſe ſerui dominum tantùm, non etiam ſimpliciter.

Argumentum ex genere: Nam τὸ κτῆμα, quod eſt genus ſerui, & ὁ κτή-σεως, quod domini, hoc modo inuicem ſe habent; & hæc hoc modo, quia pars, & totum hoc modo.

T. xlij.

31.
*

Natura

Naturam, ſiue eſſentiam, & actum primum ſerui naturà eſſe, vt ſit, homo non ſuiipſius naturà, ſed alius.

Poteſtas

Poteſtatem, ideſt vim operandi cum operatione, & operandi modo ſerui naturà eſſe, vt ſit inſtrumētū actiuū, et ſeparabile.

Vtrunque

Infertur ex ſuperioribus.

Conficitur rurſus ex genere.

Nam τὸ κτῆμα, qđ eſt genus ſerui, & ſit alius, et ſit inſtrūm actiuū ſeparabile.

Tex: xliij.

31.
*

Secundæ ſententiæ diſquiſitio

Approbatio trium theorematum aientium: quæ tribus partibus eius ſecundæ ſententiæ opponuntur.

Quatenus verum attingāt oppoſitorū theorematū .i. ei' 2. ſētētię aſſertores * *pag. 35.*

Cōcluſiones ſeptē de rebus, quæ in duob' ſupiorib' cap. sūt cōſtitutæ. * *pag. 36.*

Propoſitio

Proponit

Quæſtiones tres quę ſimul ſunt diſſoluendæ

Prima — *Naturà ſeruus vllus an ſit.*

Secunda — *Cōducat ne alicui, et meli' ſit ſeruire.*

Tertia — *Iuſtum an ſit aliquem alicui ſeruire.*

Vias geminas ad earum quæſtionum diſſolutionem perducentes

Prior — *Contemplatio vniuerſalium.*

Poſterior — *Obſeruatio ſingularium.*

Tex: xliiij.

Argumentatio

Probat rationibus decem & ſeptem tria theoremata aientia, quibus quæſtiones in tex: 44. propoſitæ definiuntur.

Pronunciata quatuor de imperantibus & parentibus

Conditiones ſeu finitiones & differentias eſſentiales &c. * *pag. 34.*

Conſilium conatūq; naturæ &c. * *pag. 34.*

Comparationē faciens animæ cū corpore etc. * *pag. 35.*

Aſſumit

Aſſumit quatuor hæc pronunciata, confirmanda deinceps expoſitione: ex quorū vnoquoq; cōfici poſſunt tria theoremata quæſtiones propoſitas definientia.

Primum — *Imperandi, & parendi differentia eſt nō ſolùm neceſſaria, verùm etiam vtilis, vbicunque ex multis fit vnum aliquod commune.*

Secundum — *Statim ab ortu quadam illorum, quæ vnum ex multis fiunt, ſic diſtinguuntur, vt alia ad parendum, alia ad imperandum ſint idonea.*

Tertium — *Multæ ſunt ſpecies et imperantium, & parentiū illis in rebus, quæ ex pluribus vnum fiunt.*

Quartum — *Quo meliora ſunt quæ parent, eo ſemper imperium eſt melius*

Probatur

Exemplo

Ratione ab opere ducta; quod tāto eſt meli', quāto à meliorib' pficiſcitur.

Tex: xlv.

Declarat, confirmatque &c. * *pag. 33.*

Conclufio

Concludit tria theoremata, quæ fuerunt demonſtrata, quæſtiones in textu 44. propoſitas definientia.

Text: lvi.

32.
*

Declarat, confirmatque expoſitione, vel potius inductione, multas expoſitiones continente, aſſumpta pronunciata: vnaque oſtendit ſex alijs argumentis eadem tria theoremata.

Proponit generaliter in omnibus tam animatis, quàm inanimis, quæ ex multis cōiunctis, diſiunctis'ue vnum fiunt, eſſe perſpicuè naturà imperantia, & parentia; imperantia meliora, parentia deteriora.

Et hoc quod dici ferè quintum pronunciatum poteſt, ex quo illa eadem tria theoremata conficiantur,

Probat verum eſſe in reb' inanimis, exemplo harmoniæ.

Contrahit vnà cum quatuor ſuperioribus pronunciatis ad aīalia, addita cauſa contractionis, nempe quia hoc ſolùm modo ad præſens inſtitutum pertineant.

T. xlvi.

Declarat quatuor priùs aſſumpta pronunciata, & quintum, quod nunc propoſitum eſt: vnaque oſtendit tria illa theoremata.

In ijs, quæ vnum fiunt ex multis coniūctis, ideſt in animali, & homine vno

Docet in animali, & homine vno eſſe id, quod imperet, & id, quod pareat naturà; illud animam, & præſtabilius; hoc corpus, & deterius.

Ex quo eueniunt

Expoſitorijs rationibus — *Pronunciata quatuor duorum textuū antecedētiū: v. ij, P. iij.*

Ratione à ſimili — *Theoremata illa tria propoſiti principalis.*

T. xlvij.

Occurrit obiectioni

Obiectio — *In hominibus, prauum corpus, prauam'ue animam aut ſimpliciter, aut naturà nactis vel ab ortu, vel ex educatione, inſtitutione'ue, ſæpe videtur corpus animæ imperare, contra id, quod proximo in textu ſumebatur.*

Reſponſio — *Quicquid naturà ſit alicuius modi, cōſyderandū eſſe non in corruptis, ſed in habentibus ſe magis ſecundū naturā: id genus autem homines malè; et quia malè, præter naturā ſe habere.*

T. xlviij.

In ijs, quæ vnum fiunt ex multis diſiunctis
*
pag. 34.

Infert per locum à ſimili ſuperiorum argumentationum concluſionem communem, hoc eſt eſſe in genere hominum alios imperantes, alios parentes naturà; quibus etiam proſit, vt ab alijs ipſis imperetur.

Vnde eueniunt tria theoremata propoſiti principalis.

T. lij.

Procedit docendo in animali, & homine vno

Eſſe imperia meliorum in deteriora:

Animæ in corpus — *Dominicum.*

Mentis in appetitum — *Ciuile & regium.*

Vtrunque eſſe

Secundum naturam

Commodum ijs etiam, quæ parent

Notum eſt per ſe.

Notius euadit ex inſpectione contrariorum.

Ex quibus eueniunt

Expoſitorijs rationibus — *Pronunciata omnia ante propoſita. P. v. ij. iij. iv.*

Ratione à ſimili — *Theoremata illa tria propoſiti pricipalis.*

T. xlix.

33.
*

In ijs, quæ vnum fiunt ex multis diſiunctis

Ideſt in diuerſis animalibus efficientibus vnum quoddam commune, vt inuicem ex munere actionis, & vitæ, de qua loquimur, referuntur

In animalibus

Specie diuerſis

Docet in homine, belluisque

Melius eſſe ob ſalutẽ ijs etiã, quæ pareant, vt alia imperent, alia pareant; imperet homo, pareant belluæ manſuetæ, quæ feris ſunt meliores.

Eſſe imperãtia, et parẽtia naturà; illa hoĩes, hęc belluas. Et cõficiũ hoc ex mẽbro oppoſito, ſi non ſumatur vt notum.

Ex quibus

Eueniunt

Expoſitorijs rõnib. — *Pronũciatia omnia antè propoſita.* — *P. ij. iij. v. iv.*

Ratiõe à ſimili — *Theoremata illa tria ꝓpoſiti prĩcipalis.*

Tollitur dubitatio

Quę naturæ humanæ excellentia non repugnet ſeruituti naturali quorundã hominum.

T. l.

Sexu diuerſis

Docet in eadem ſpecie animalium, diſtincta ſexibus, eſſe imperans, & parens naturà; illud marem, hoc fœminam; & illud melius, hoc deterius.

Ex quo eueniunt

Expoſitorijs rationibus — *Pronunciata quatuor ante propoſita* — *P. ij. iij. v.*

Ratione à ſimili — *Theoremata illa tria propoſiti principalis.*

Indicat aliud argumentum, quod eſt numero decimũ ad concludenda tria theoremata propoſiti principalis ex cauſis formalibus imperantis, & parentis: quarũ cauſarum, quæ imperãtis eſt, eſt præſtare, ac melius eſſe; quæ parentis, eſt eſſe deterius.

T. li.

32.
*

Conditiones, ſeu finitiones, ac differentias eſſentiales dominorum, ac ſeruorum naturâ exponit numero quinque

Quarum

Prima — *Ex comparatione illorum cum anima, et corpore; homine & bellua.*

Secunda — *A muneribus & partibus proprijs: quæ ſunt ſeruorũ vſus corporis, et corp' dominorũ mẽtis vſus, et mẽs.*

Tertia — *Ex forma & quiditate; ſerui, vt ſit ali'; domini, vt ipſius ſit alius.*

Quarta — *A parte hominis præſtantiſſima, .i. à ratione; quam perfectè habẽt domini, imperfectè ſerui.*

Quinta — *A fine, et functione muneris, .i. ab auxilio, qđ corpore pręſtañ ad res corpori neceſſarias dominis à ſeruis.*

Ex quibus

Cõmoſtrantur quinque alia argumenta: quorum ſingulorũ maiores propoſitiones ſint cõditiones ſingulæ ad oſtendenda tria theoremata propoſiti principalis.

Planũ fit, in hoĩum genere eſſe naturà alios meliores, & aptos ad dominationem; alios deteriores, & aptos ad ſeruitutẽ: quę erat minor propoſitio decimi argumẽti indicati in textu 51.

T. liij.

32.
*

Conſilium, conatumque naturæ in efficiendis corporibus

Seruorum — *Robuſtis, ad vſus neceſſarios*

Liberorum, dominorumque — *Rectis, & vtilibus ad ciuilem vitam: quæ diuiditur in munia*

Belli. — *Pacis.*

Proponit

Confirmat — *Excluſa dubitatione cur permutari hæc ſæpe videãtur.*

Ex quo conſilio, conatuque naturæ exoritur argumẽtum decimumſextũ, probãs tria theoremata propoſiti principalis.

T. liiij.

32.
*

Comparationem faciens animæ cum corpore

- *Probat argumẽto decimoſeptimo tria theoremata ꝓpoſiti principalis, ratiocinando per locum à minori ex ſola corporum diſſimilitudine de diſſimilitudine animarum, & animarum ac corporum.*
  - *Nam qui ſola corporis pulcbritudine maximè reliquis præſtarent, eos tantùm dominari, reliquos ijs ſeruire naturale eſſe, & iuſtum, & melius etiam ſeruientibus vniuerſi diceremus.*
- *Tollit emergentem dubitationem,*
  - *Cur non ſimiliter hõies cõſentiant de dominatione, et ſeruitute, vbi aĩa aĩæ ꝓſtat; quẽadmodũ vbi corp⁹ ꝓſtat corpori.*
  - *Indicata cauſa*
    - *Quia nõ tã facile aĩę, q̃ corporis pulcbritudo, et ꝓſtãtia cognoſci poteſt.*

Tex: lv.

32.
*

Quatenus verum attingant oppoſitorum theorematum, ideſt ſecundæ ſententiæ aſſertores:

Nempe, ſi in parte ſumãtur, qua ſumebãtur vniuersè: hoc eſt eſſe aliquas ſeruitutes ꝓter naturã, aliquas dãnoſas, aliquas iniuſtas

- *Propoſitio*
  - *Eos quoque, qui contraria theoremata recipiunt, dicere quodammodo rectè.*

  T. lvij.
- *Declaratio*
  - *Ex tractatione celebris controuerſiæ, vtrum ſeruitus legitima ex bello, & lex eam faciens ſint iuſtæ: ad cuius ſeruitutis exemplum de alijs quoque omnibus, quibus reipſa homines ſeruiunt, ſtatuendum erit.*
    - *Initium, & fundamentum cõmentationis propoſitæ:*
      - *Serui, ſeruientiſque partitio*
        - *In talem*
          - *Naturà:*
            - *De quo dictum fuerit in ſuperiori capite.*
          - *Lege:*
            - *Qua lege per quendam conſenſum ſtatuuntur bello capta victorum eſſe.*

        T. lviij.
    - *Conſtitutio controuerſiæ, & expoſitio trium in ea opinionum cum ſuis cuiuſque principijs & rationibus.*
      - *Duæ opiniones cõtrariæ in hac controuerſia: altera legem, iuſque ſeruitutis ex bello*
        - *Accuſantiũ tanquam omnino iniquum.*
          - *Ratio & in quo accuſent:*
            - *Quia grauè exiſtiment;*
        - *Laudantium tanquam omnino æquum.*
          - *Ratio, & in quo laudent:*
            - *Quia decens exiſtiment, & minimè grauè;*
        - *Si eius, quod vim inferre potuit, præſtatque poteſtate, ſeruum, ſubiectumque imperio fiat id, cui vis eſt illata.*

        T. lix.
      - *Cauſa, & origo prima huius cõtrouerſiæ, opinionumque, & rationum oppoſitarum*
        - *Duæ propoſitiones, quibus hæc cauſa continetur.*
          - *Violẽtia et coactus nõ poteſt eſſe ſine virtute.*
            - *Probatur Ex*
              - *Cõiugatis: Generes*
              - *Nam*
              - *Virt⁹ vi afferre maximè põc.*
          - *Quod præſtat virtute imperare ac domi nari debet.*
            - *Sumitur hæc ꝓpõ vt manifeſta.*
              - *Quicquid vincit exbuberat aliquo bono.*
        - *Deriuatio ab hac cauſa proprij principij opinionis*
          - *Legem*
            - *Dãnãtis, Laudãtis,*
              - *Quòd*
                - *Dominatio & imperiũ iuſtum nitatur beneuolentia.*
                - *Iuſtum ſit potiorem imperare.*
        - *Eiectio dubitationis, Cur quæratur tantùm de iuſto, nõ de eo, quod oportet*
          - *Ab infirmitate rationũ, quæſtionumq; huius modi, & robore aliarum.*

        T. lx.
      - *Tertia opinio media, & ob id propior veritati,*
        - *Statuentium ſeruitutẽ ex bello*
          - *Iuſtã quodãmõ, et, ideſt ob ſuam cauſam*
            - *Quia lex, à qua cõſtituitur, ſit quodam iuſtum.*
          - *Non iuſtam ſimpliciter, & per ſe*
            - *Ob*
              - *Initia et cauſas bellorũ, q̃ poſſũt iniuſtæ eſſe.*
              - *Euentũ repugnãtiũ: qm̃ accidere poſſit, vt indigni hac fortuna, & cõsẽſu oĩum nobiliſſ^i. fiãt, ſerui et bis ſerui*

        T. lxi.
    - *Corollarium tertiæ opinionis*
      * pag. 36.
    - *Sedatio controuerſiæ*
      * pag. 36.

33.
*

Corollarium tertiæ opinionis :

Tollens inſtantias de iniuſtitia ſeruitutis ex bello, —*Ac*— *Viam præbent ad veram contouerſiæ deciſionem :*

Barbaros tantùm, non Græcos bello captos ſeruos dicunt tertiæ opinionis auctores, ne illam ſequantur abſurda, quæ proximè inducebantur.

T. lxij.

35.
*

Sedatio cōtrouerſiæ per ea, quæ in decimo cap. de dominis, & ſeruis naturâ ſunt declarata; initium ſumensà corollario tertiæ opinionis proximè expoſito.

Auctores tertiæ opinionis

(Affirmantes bello captos, ſi Barbari forent, ſeruos eſſe; ſi Græci, nequaquam)

Quærunt ad extremum ſeruos naturâ, & natura liberos; ſimiliter nobiles, & ignobiles: atque alios vbique, alios nuſquam; alios ſimpliciter, alios non ſimpliciter tales ponere neceſſe habent.

Qua libertatis ſeruitutisque, ſeu nobilitatis & ignobilitatis in duas formas diſtributio illuſtratur, confirmaturq; teſtimonio Theodečtis.

T. lxiij.

(Dum aiunt Græcos vbique, ac ſimpliciter nobiles, & liberos eſſe; Barbaros vbique, ac ſimpliciter ſeruos, & ignobiles)

Definiunt, ſeparantq; liberum, & ſeruum; nobilem & ignoblem virtute tū, ac vitio naturali, animi potiſſimū, deinde etiā corporis

Cuius rei ratio

Iudicatum eorū, quo cenſent ex bonis bonū ita neceſſariò generari; quemadmodum ex homine hominem, & ex beſtijs beſtiam.

Hoc tamen iudicatū non eſt vſquequaq; verum: nam licet iſtud ſemper natura velit; ſæpe tamen non aſſequitur.

T. lxiiij.

32.
*

Concluſiones ſeptem de rebus, quæ in duobus ſuperioribus capitibus ſunt conſtitutæ, vel eas, quæ conſtituræ ſunt, proximè ſequuntur.

Prima generalis	*Secunda*	*Tertia*	*Quarta*	*Quinta*	*Sexta*	*Septima*
de	*de*	*de*	*de*	*de*	*de*	*de*
Controuerſia, quæ expoſita eſt, probabilitate.	*De Naturali ſeruitute, & dominatione.*	*Vtilitate eiuſmodi dominationis, ac ſeruitutis.*	*Iuſtitia earundem.*	*Inutilitate, et iniuſtitia dominōis et ſeruitutis pter naturā.*	*Amicitia ſeruitutē & dominōnem nālē comitante.*	*Inimicitia ſeruitutē et dominōnē pter nām ſeq̄nte.*

T. lxv.

31.
*

Primæ ſententiæ confutatio

Refutatio poſterioris partis.

Non eſſe idem, ſed eſſentia differre

Dominationem, & rationem ciuilem, cæteraque imperia.

Argumentū ex ſubiečtis generibus ſeruorum, & liberorum naturâ, quæ inter ſe ſunt diuerſa viribus inſitis, in certos fines, & per certas operationes, modos, inſtrumenta neceſſariò directis.

Domeſticam rationem, cuius pars eſt dominatio, & ciuilem nominatim.

Argumentū à ꝓprietate præſtātioris in vtraq; termini. nam in domo vnus tantùm, & idem, quoad vixerit, imperiū habet: in republica, quia oēs liberi, & æquales ſunt, multi imperant ſimul, neque ijdem ſemper, ſed viciſſim alij, & alij.

Omnia imperia inter ſe.

Inducitur ex membris oppoſitis.

T. lxvi.

Refutatio prioris partis.

*

Pag. 37.

Refutatiò prioris partis:

- *Neque dominicam, neque ſeruilem rationem ſcientiam eſſe. (quæ erat prior pars illius primæ ſententiæ)*
  - *Dominus, liber, & ſeruus dicuntur non ex ſcientia, ſed ex poteſtatibus naturalibus.*
    - *Conficitur bifariam ex textu antecedenti:*
    - *Ex*
      - *Priori principio ſuprà cõſtituto: quòd ſint domini, liberi, ac ſerui naturâ.*
      - *Altero principio, ac penè theoremate antecedentis textus: quòd differat dominica ratio à ciuili, cæteriſque imperijs non ſolùm ſubiectis generibus, verùm etiam finibus, operationibus, modis, inſtrumentis, viribus inſitis, genera illa variantibus.*
  - *Dominatio, ſeruitusq́; nõ ſũt ſciẽtię, ſed rationes actuales.*
    - *Cõficitur ex oppoſito membro per locũ à cõiugatis.*

T. lxvij.

- *De ſcientia dominica, & ſeruili:*
  - *Eſſe ſcientiam quandam dominicam, & quandam ſeruilem: licet neque dominationis, neque ſeruitutis perfecta ratio in ſcientia conſiſtat.* — *T. lxviij.*
  - *Seruilis ſcientia quæ, & qualis,*
    - *Ex duplici diuiſione eius in miniſteria*
      - *Obuia, communiaque, plus crebritatis habentia, minus artis.*
      - *Plus artis, minus crebritatis obtinentia.*
        - *Confirmatur hæc diuiſio exemplis, & teſtimonio Syracuſanorum.*
      - *Honoratiora.*
      - *Neceſſaria magis.*
        - *Confirmatur hæc diuiſio expoſitione, & auctoritate cuiuſdam prouerbij.*

    T. lxix.
  - *Dominica ſcientia quæ, & qualis*
    - *Definitio ſcientiæ dominicæ:*
      - *Ex actu perfecto ipſius, qui eſt vſus ſeruorum.*
        - *Confirmatur argumento ex coniugatis, per expoſitionem, & quaſi oppoſitionem duorum actuum, poſſidendi ſeruos, & iiſdem vtendi, in quibus duobus actibus domini ratio conſiſtit.* — *T. lxx.*
    - *Magni, aut pręclari nihil continet hæc ipſa ſcientia.*
      - *Probatur ex*
        - *Obiectis rebus, quarum ſcientia eſt, quæ ſunt demum opera ſeruilia.*
        - *Indicio boñum de ea: nam, quicunq; poſſunt, vicariũ ſibi conſtituunt in munere iubendi ſeruis; ipſi verò reipublicæ, aut philoſophiæ vacãt.*

      T. lxxi.
  - *Dominica, & ſeruilis ſcientia ſunt diuerſæ à ſcientia rei procurandæ.*
    - *Declaratur expoſitis duabus ſpeciebus huius ſcientiæ, ſeu rationis procurandæ rei.* — *T. lxxij.*

30
*

Pecuniaria ratio, pars domus, & curæ, ac rationis domeſticæ:

b. Caput Vigeſimumſecundum. Epilogus per enumerationẽ quorundam capitum, ad quæ poſſunt omnia, quæcunque de duabus pecuniarijs hactenus expoſita ſunt, reuocari. Textus vnus, qui eſt cxi.

b. Caput Vigeſimumtertium. Appendix è duabus quæſtionibus, quæ ex conſtitutis deciduntur. Vna harũ quęſtionum eſt principalis, propoſita, & deciſa etiam ſuprà, quæ hîc decidetur abſolutiùs. Altera eſt proxima, non principalis, & cuius propriè non eſt facta mentio. Partes duæ.

Pars Prima. Quæſtionis propoſitæ, & deciſæ etiam ſuprà (Quo pacto ſe habeat pecuniaria ad domeſticam, & ciuilem rationem) ex qua quæſtione ducta eſt tota diſputatio de re, & ratione pecuniaria, deciſio abſolutior. Textus quatuor: cxij. cxiij. cxiv. cxv.

Pars Secunda. Alterius quæſtionis, cuius propriè non eſt facta mentio (De comparatione formarum pecuniariæ inter ſe ad expetendum, & fugiendum, bonum, & malum) deciſio ſimplex. Textus duo cxvi. & cxvij.

a. *CAPITA QVATVOR*, à Vigeſimoquarto ad Vigeſimũoctauum. Conſideratio rei, & rationis pecuniariæ ad vſum, & praxin. A textu cxviij. ad cxl.

Caput Vigeſimumquartum. Propoſitio, continuatio, & cauſa reliquæ tractationis de pecuniaria, ad vſum ſpectantis. Textus vnus, qui eſt cxviij.

Caput Vigeſimumquintum. Pecuniariæ in ſuas formas, & partes diuiſio. Partes tres.

Pars Prima. Pecuniariæ maxime propriæ, maximeque familiaris hominibus, quæ à Latinis ſcriptoribus res ruſtica dicitur, atque eius partium expoſitio. Textus quinque, à cxix ad cxxiv.

Pars Secunda. Pecuniariæ commutatricis, ſiue cauponiæ, eiusque partium expoſitio. Textus tres; cxxiv. cxxv. cxxvi.

Pars Tertia. Pecuniariæ mediæ, eiuſque materiæ, ac partium pro modis materiæ differentium expoſitio. Textus vnus, qui eſt cxxij.

Caput Vigeſimumſextum. Specialis, & perfecta cognitio ſingularum partium pecuniariæ, quæ hactenus generaliter explicatæ ſunt, vtilis ad quæſtus, vnde, quoque modo peti debeat, & vnde minimè, ac cur. Partes quatuor.

Pars Prima. Specialis, & perfecta conſyderatio de vnaquaque iſtarum partium pecuniariæ, quæ generaliter expoſitæ ſunt, quum ſit vtilis ad quæſtus, & operas, non eſt huius loci, & quare. Textus vnus, qui eſt cxxviij.

Pars Secunda. Differentiæ quædam accidentariæ partium pecuniariæ ad operas. Textus vnus, qui eſt cxxix.

Pars Tertia. Vnde primùm petenda ſit cognitio perfecta ſingularum partium pecuniariæ ad praxin: Quòd è certis ſcriptis, quæ de illis multi, alij de alijs, compoſuerunt. Textus vnus, qui eſt cxxx.

Pars Quarta. Vnde, & qua ratione petenda ſit ſecundo loco cognitio perfecta ſingularum partium pecuniariæ ad praxin: Quòd ex hiſtoria, colligendo exempla ſparſim tradita inuentorum, quibus varij homines rem auxerunt, efficiendoque de illis præcepta generalia. Textus octo, à cxxxi. ad cxxxix.

Caput Vigeſimumſeptimum. Vtilem eſſe perfectam cognitionem ſingularum partium pecuniariæ ad praxin non ſolùm domeſticę rationi, & œconomis, verumetiam ciuili, ciuitatumque moderatoribus; & adhuc his magis, quàm illis. Textus vnus, qui eſt cxxxix.

*SECTIO SEPTIMA. Coniugalis, & Paterna ratio, duæ reliquæ partes domus, & curæ, rationisque domeſticæ, ſeu familiaris. Capita quatuor, Vigeſimumoctauum, Vigeſimumnonum, Trigeſimum, & Trigeſimumprimum.

a. Caput Vigeſimumoctauum. Præter dominicam, de qua ſuprà eſt dictum, eſſe has duas alias principales, & ab omnibus conceſſas domus, domeſticæque rationis partes, inter ſe differentes, de quibus iam ſit dicendum, vt initiò propoſitum fuit: & quæ, ac qualis ſit vtraque earum. Textus quatuor, à cxl. ad cxliv.

a. Ca-

a. CAPITA DVO, Vigeſimumnonum,& Trigeſimũ. Quæſtio incidens multarum partium, quæ naſcitur exverbis textus proximè antecedentis, de virtutibus moralibus ſerui, mulieris, pueri, generaliterque parentis,& imperantis ſecundum naturam. A textu cxliv. ad clxij.

Caput Vigeſimumnonum. Proponitur quæſtio cum omnibus ſuis partibus, & dubitationibus, hinc inde negotium facientibus. Textus tres: cxliv. cxlv. cxlvi.

Caput trigeſimum. Perſoluitur tota quæſtio cum omnibus partibus ſuis. Partes quinque.

Pars Prima. Caput ſolutionis: Seruum, mulierẽ, puerum, oĩno parentem, & imperãtem naturà eſſe participes moraliũ virtutum: ſed illas morales virtutes, quarum ſunt participes, non eſſe eaſdem. Textus vnus, qui eſt cxlvij.

Pars Secunda. Demonſtrationes duæ ſecundæ partis ſolutionis, quibus ſcilicet oſtenditur, virtutes morales, quę in ſeruo, puero, muliere, omnino in parente naturà nominantur, eſſe differentes tam inter ſe, quàm ab illis, quæ exiſtunt in viris perfectis, & quæ ſunt etiam naturà imperantiũ. Textus ſex, à cxlviij, ad cliv.

Pars Tertia. Confirmationes tres eiuſdem theorematis, quod eſt hactenus demonſtratum, de differentia virtutum moralium, cadentium in ſeruum, puerum, mulierem, & imperantem naturà, qui idem eſt vir perfectus, & probus. Textus tres, cliv. clv. clvi.

Pars Quarta. Dubitationes emergentes tres, de pueri, de ſerui, de artificis virtute: & earum oppreſſio. Textus tres, clvij. clviij. clix.

Pars Quinta. Corollaria duo: vnum de auctore virtutis moralis in ſeruo: alterum de errore illorum, qui priuant ſeruos ratione. Textus duo, clx. & clxi.

a. Caput Trigeſimumprimum. Cõcluſio diſputationis de his duabus domus partibus, coniugali, paternaque; quarum perfecta conſyderatio ſit propria facultatis domeſticæ, ciuili ponè adhęrentis: & cõtinuatio huius cũ ſequẽtibus politicis libris. Textus quatuor, clxij. clxiij. clxiv. clxv.

IN

IN PRIMVM
POLITICORVM,
SEV
CIVILIVM LIBRORVM ARIST.
COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

De Ciuitate per ſe, & principio eius materiali, quod ad homines, vt ſociabiles ſunt, pertinet, ex quibus hominibus domus, vici, ac tandem ciuitates conſtituuntur.

- *Proœmij locum obtinentia. Cap. primum. tex. primus.*
- *Diſputatio.*
  - *Domus. Cap. ij. tex. iiij.*
  - *Vicus. Cap. iij. tex. xi.*
  - *Ciuitas Cap. iiij. tex. xvi.*
  - *Domeſtica curæ, ſeu œconomiæ partes, quæ eædem ſunt et partes domus. Cap. vij. tex. xxix.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*

PROOEMII LOCVM ·OBTINENTIA.

I

CAPVT PRIMVM
Inſtar Procemlj.

De fructu, dignitate, & methodo huius ſcientiæ; atque, in ijs, fine, genere, præſtantia, compoſitione ſocietatis ciuilis.

Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν &c. Text. j. ij. iij.

ARGVMENTVM TEXT. I.

SCOPVS, ſeu finis, & bonum, atque vnà genus, præſtantia, & amplitudo ſocietatis ciuilis, ſeu ciuitatis: ex quibus huius ſcientiæ fructus, & dignitas eluceant, maxime autem ex primo. Societas ciuilis, ſeu ciuitas, quia ſocietas quædam eſt, & quia boni alicuius gratia inſtituta, quoddam bonum; tum quia præſtantiſsima eſt ſocietatum, ac quia omnes alias complectitur, bonum omnium præſtantiſsimum ſpectat. Loci principales, à genere, à proportione, & à toto: Loci adiuncti, item à genere, à proportione, & à proprio.

[a] Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν, [b] καὶ πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινὸς ἕνεκεν συνεστηκυῖαν [c] (τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες) [d] δῆλον ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινὸς στοχάζονται· [e] μάλιστα δὲ καὶ τοῦ κυριωτάτου πάντων ἡ πασῶν κυριωτάτη, [f] καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας· [g] αὕτη δ' ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις, καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτική. Textus j. *Simile initiũ Librorum de Anima.*

 [a] Quo-

e. g. Ciuilis ſocietas ſpectat bonũ præſtãtiſſimum. f g Ciuilis ſocietas omnes alias continet ſocietates. e. f g Similia primo ad Nicom cap. 2 vide ibi.

[a] Quoniam omnem ciuitatem videmus ſocietatem quandam eſſe, [b] & omnem ſocietatem boni alicuius causâ conſtitutam [c] (eius enim, quod eſſe bonum putatur, gratiâ omnia omnes agunt) [d] planum eſt, omnes bonum quoddam veluti collineando petere; [e] maxime autem & quod eſt præſtantiſſimum omnium, quæ omnium præſtantiſſima eſt, [f] atque omnes continet; [g] hæc autem eſt, quæ vocatur ciuitas, & ſocietas ciuilis.

b. vide cap. ix viij. ad Nicõ. a. b. Elicitur ciuitatem conſtitutam eſſe boni alicuius gratia. g qua ꝑpoſitione vide etiã infra tex 16. & 28. c. Simile in prin. primi ad Nicom. f. idem viij. Nicom. cap 9 e f. Elicitur, eõdẽ cũ? præſtãtia rei eſſe, vt ea contineat, quibus præſtat: atq; maxime communẽ, & præſtãtiſſimũ in bonis ſe inuicem ſequi.

EXPLANATIO.

Scopus, & concluſiones principales huius text.

DVO ſunt theoremata, vel, vt noſtri appellare ſolent, cõcluſiones, vt Cicero, complexiones, quæ hoc loco in primis à Philoſopho oſtenduntur; ambæ quidem de ciuitatis bono, & fine; vnde huius ſcientiæ, ciuitatem conſiderantis, fructus, & dignitas intelligi poſſint. Harum duarum concluſionum [d] vna eſt huiuſmodi: Ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis bonũ quoddam ſpectat, id eſt veluti collineando petit. [e] Altera eſt huiuſmodi: Ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis ſpectat bonũ pręſtantiſſimum eorum omnium bonorũ, quę cunctis ſocietatibus propoſita ſunt. Præter has duas concluſiones quatuor alia pręcepta tradit Philoſophus, ad ciuitatem pertinentia: ex quibus concluſiones cõficiantur, eluceatq; magis fructus, & dignitas huius ſcientiæ. [b] Primum, & [a] ſecundum horum præceptorum, illud etiam de fine, & bono, hoc de genere ciuitatis, ſunt talia: Ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis boni alicuius causâ conſtituta eſt: Ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis eſt ſocietas quædam. & vtroque horum præceptorum prior illarum concluſionum demonſtratur. primum verò, quum fiat aſſumptum huius prioris cõcluſionis, demonſtratur ipſum per locum à genere. [g] Tertium præceptum de ciuitatis præſtantia, quod conficitur ex quarto, & ex quo conficitur concluſio ſecunda, eſt tale: Ciuitas eſt præſtantiſſima omnium ſocietatum. [g] Quartum præceptum, quo probatur tam concluſio ſecũda, quàm præceptum tertium; ad ciuitatis amplitudinem, ſiue compoſitionem attinet, & eſt huiuſmodi: Ciuitas omnes alias ſocietates in ſe complectitur. [d] Prima itaque concluſio, vt dixi, oſtenditur dupliciter: primùm ſic per locum à genere. [d] Omnis ſocietas bonum quoddam ſpectat: [a] omnis ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis eſt quædam ſocietas (quę propoſitio ſumitur vt nota) ergo &c. Iterum eadem prima cõcluſio vnà cum maiori propoſitione antecedẽtis ſyllogiſmi oſtenditur ad hunc modum: [b] Omnis ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis, & omnis in vniuerſum ſocietas boni alicuius causâ conſtituta eſt: [d] ergo omnis ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis, & omnis in vniuerſum ſocietas bonum quoddam ſpectat. Connexum firmum per locum à proportione. nam qualis eſt ratio conſtitutionis ciuitatis, vel generaliter ſocietatis in cõſtitutione eius ad finem, ob quem conſtituit

Quatuor alia præcepta de ciuitate, præter concluſiones principales.

Probationes primæ concluſionis. Prior. Poſterior.

d. g. e. g. b. a. g a. g. f. d. d. a. b. d.

ſtituit; talis eſt ipſius quoq; ſeu ciuitatis, ſeu in vniuerſum ſocietatis ad fi-
nem & ſcopum ſimpliciter, quem ipſa petit, & quò dirigitur: vt ſi illud ſit
bonum, propter quod ciuitas, ſocietasue primo eſt conſtituta; etiam hoc
bonum eſſe oporteat, quod illa ſimpliciter petit. Aſſumptum confirma-
tur argumento ex genere. [e] nam eius, quod bonum opinantur, cauſa e.
agunt omnes omnia, quęcunque agunt, ex initio Primi ad Nicom. nec
poteſt contingere error, vbi omnes ita opinantur: continentur autē in eo-
rum, quæ aguntur genere, ciuitas, & omnis ſocietas; ſiquidem conſtituun-
Secunda conclusio & eius probationes. tur. [g] Secunda concl. erat hæc: Ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis ſpectat bonum g. e.
prçſtantiſſimum eorum omnium bonorum, quæ cunctis ſocietatibus pro
Prior. poſita ſunt. Et hæc quoque dupliciter oſtenditur. Prior probatio eſt hu- d.
iuſmodi. [d] Societas vnaquæque bonum quoddam ſpectat: [e] ergo, per lo- e.
cum à proportione, quæ præſtantiſſima eſt omnium ſocietatum, prçſtan-
tiſſimum ſpectabit eorum omnium bonorum, quæ cunctis ſocietatibus
proponuntur: vt enim ſocietas ad ſocietatem ſe habet; ſic ſe habere opor
tet bonum ad bonum, in quæ diriguntur illæ ſocietates. [e] Præſtantiſſima e.
ſocietas ſpectat bonum præſtantiſſimum eorum omnium, quæ cunctis
ſocietatibus proponuntur: [g] ·iuitas, ſeu ſocietas ciuilis eſt præſtantiſſima g.
ſocietas: ergo &c. Confirmatur minor huius propoſitionis argumento
ducto à proprietate prçſtantiæ. eſt namque proprium præſtantis rei, vt
eam, cui præſtat, contineat vel re ipſa, vel virtute quapiam; [g] ciuitas g. f.
verò, ac ſocietas ciuilis, vt per ſe notum eſt, clariusq; apparebit ex ijs, quæ
deinceps dicentur; cōtinet omnes alias ſocietates tam reipſa, quia omnes
fiunt in ciuitate, & ſunt ferè partes ciuitatis, quàm virtute imperādi, effi-
Poſterior. ciendi, conſeruandi, diſſoluendi illas. [f] Altera probatio eiuſdem ſecundæ f. g.
concluſionis ducitur à toto & partibus, ad hunc modum. [f] Societas, quæ f.
omnes alias ſocietates complectitur, bonum ſpectat præſtantiſſimum eo-
rum omnium, ad quæ ſpectāt ſocietates: [g] ciuitas eſt ſocietas, quæ omnes g.
alias ſocietates complectitur: ergo &c. Minor fuit etiam minor antece-
dentis ſyllogiſmi. Maior probatur hoc modo. Bonū, quò communius eſt,
eò eſt præſtantius; & maxime commune, maxime præſtans, vt colligitur
ex primo & ſecundo cap. Primi ad Nicom. ſocietas, quæ omnes alias ſocie
tates complectitur ſpectat bonum maxime commune eorum omnium,
ad quæ ſpectant ſocietates; nam quæ omnes complectatur, eſt maxime
communis, & maxime communis ſpectare bonum maxime commune
debet per locum à proportione; quoniam ſicut bona inter ſe, ſic inter ſe
ea, quæ ad illa bona diriguntur, ſe habent: ergo &c. Sumitur hæc poſte-
rior probatio ex verbis illis [atque omnes alias continet,] & ex pri-
(Partes textus.) mo & ſecundo capite Primi ad Nicom. exponiturq; hoc loco à D. Tho.
Partes textus ſeptem. Prima (a) eſt ſecūdum prçceptum, ſeu enuntiatum
de genere ciuitatis: quod efficitur minor propoſitio in priori probatione
concluſionis primæ. Secunda (b) in qua continetur enuntiatum primū de
fine, & bono ciuitatis, quatenus primò conſtituta eſt; ſubminiſtrat aſſum-
ptum poſteriori probationi eiuſdem concluſionis primæ; quæ eſt etiam
probatio maioris propoſitionis ſyllogiſmi antecedētis. Tertia (c) eſt ma-
ior propoſitio probationis huius aſſumpti. Quarta (d) unà continet prio
rem concluſionem, maiorem propoſitionem primæ ratiocinationis, qua
illa demonſtratur, & aſſumptum prioris probationis concluſionis ſecun-
dæ. Quinta (e) eſt concluſio primi ſyllogiſmi, & maior propoſitio ſecun-

di eiuſdem prioris probationis concluſionis ſecundæ. Sexta (f) præbet maiorem propoſitionem primo ſyllogiſmo poſterioris probationis huius concluſionis ſecundæ. Septima (g) habet duo reliqua enuntiata, de præſtantia, & de comprehenſione ciuitatis: quorum hoc de comprehenſione efficitur propoſitio minor tam in primo ſyllogiſmo poſterioris probationis concluſionis ſecundæ, quàm in ſyllogiſmo oſtendente minorem propoſitionem ſecundi ſyllogiſmi probationis prioris eiuſdem ſecundæ concluſionis; illud verò de præſtantia eſt hæc eadem minor illius ſecundi ſyllogiſmi probationis prioris.

SCHOLIA.

Similitudo huius & initij lib. de Anima.

Quoniam omnẽ ciuitatem videmus, &c. Simile eſt hoc initium initio Librorum de Anima: niſi quod ibi propriè de ſcientia, hic propriè de re ſubiecta fit ſermo: ex qua tamen re ſubiecta ita hìc ſcientiæ vtilitas, & præſtantia colligi debent; quemadmodum ibi colligebatur nam iſte in vtroque loco eſt ſcopus, & conſilium primum ad animos auditorum excitandos, atque inflammandos. Dicebatur ibi, omnes ſcientias eſſe bonas, & honorificas, in primis autem eam, quæ de Anima eſt: & hic dicitur, ſocietatem omnẽ bonum quoddam ſpectare; maxime autem, & præſtantiſſimum bonum ipſam ciuilem ſocietatem.

Ciuitas omnis eſt ſocietas.

Omnem ciuitatem videmus, &c. Omnis ciuitas eſt ſocietas quędam. Euidens propoſitio: quam euidentiam Philoſophus vt declararet; adhibuit verbum, ὁρῶμεν, videmus: quod notat P. Victorius, vir maximę eruditionis. Ciuitas autem non mœnibus non loco, aut multitudine hominum, ſed genere ſocietatis, ſiue re-

Ciuitatis vocabulum qd.

publica, & forma imperij definitur, vt oſtenditur in ſecũdo cap. Tertij horum librorum. quamobrem ciuitas etiã ex multis vrbibus cõſtare poſſet: ſi idem in omnibus imperium, eadẽ conſilia, ijdem eſſent ſummi magiſtratus. omnis ergo omnino ciuitas, ſeu ſocietas ciuilis eſt quædam ſocietas. De ſocietate, & de modis eius, modorumq́ue proprietatibus dictum eſt affatim in viij. ad Nicom. præſertim cap. 9. Sed in vniuerſum ſocietas definiri ſic poteſt: Societatem eſſe coniunctionem ex communitate, & conſenſione quadam permanente multorum in vnum ad aliquid agendum, aut tolerandum, alicuius veri opinatiue, aut boni aſſequendi, aut mali vitandi gratia. Latiſsime patet hæc coniunctio, & a quibuſdam ponitur etiam in rebus inanimis, ſed impropriè. ſine cognitione n eſſe prorſus non poteſt, quapropter animarum tantùm, & ſubſtantiarum cognoſcentiũ erit, ideſt vel brutorum animalium, vel dæmonũ, vel mentium cœleſtium, uel ipſorum hominum: in quibus certè ſocietas maxime propriè nominatur. Mittamus reliqua, de quibus hic ſermo, niſi vt ad nos referuntur, eſſe non debet: Sanè hominis ſocietas, aut cum homine eſt, aut cum Deo, aut cũ Angelo, aut cum dæmone, aut cum beſtia. Et ſic diuidũtur ſocietates ex ſubiectis rebus. Ex cauſis autem efficientibus, hominum ſocietates vel ſunt naturales, vel non naturales: rurſusque non naturales vel ſupra, vel pręter naturam. Naturales voco in præſentia, quas natura facit vel ipſa per ſe ſola, vel cum affectu, aut habitu, aut ſimplici vſu, quæ ipſam ſequantur, & cum ipſa conſentiant, coniuncta. Ac conciliat quidem, coniungitq́ue homines his modis natura ex ſimilitudine vel cum animalibus quibuſdam manſuetioribus, vt cum cane, & cum equo; vel cum alijs hominibus: & cum alijs hominibus vel vniuersè totius generis humani, vel ſpecialiter ciuſdem aut nationis; aut linguæ; aut ciuitatis; aut ingenii; appetitioniſuè, quod eſt caput ſocietatis ſodalitię, latè patentis, & in multos modos diſtributæ pro varijs modis appetitionum, commerciorumq́ue, ac veluti pactionum, quibus inter ſe ſodales iunguntur, communiter nunc ſumpto ſodalitatis uocabulo; aut denique propinquitatis & ſanguinis; vnde exiſtunt ſocietates ſingulis nobis cum coniugibus, cum liberis, cum parentibus, cum agnatis, cum cognatis, cum affinibus. Tot namq́ue, ac talia prima genera, gradusq́ue ſunt ſocietatis naturalis hominũ inter ipſos,

Ex viij. ad Nicom. Cap. 9. & infra.

Societatis diffinitio.

Modi, & gradus ſocietatis

Sodalitia ſocietas, & eius ambitus.

Propinquitas & ſanguinis gradus.

de quibus

dequibus etiam Cicero in Primo, & in iij. Officiorum, & in Lelio ſatis copioſè. Vocantur ſocietates ſupra naturam illę, quæ afflatu diuino fiunt vel cum quibus iam hominibus ſanctis & religioſis vel cum Angelis, vel cum Deo. Tandē præter naturam dicuntur quę vel vi externa, vel affectu, habitu, conſuetudine vitioſa, & ferina. naturęq; noſtræ repugnante iunguntur aut cum hominibus, vt in violento dominatu, vbi ſeruus natura euadit dominus conditione, vt in conſpirationibus latronum, & pyratarum; aut cum ijs belluis, quas natura nobis non conciliat, ſed ſubijcit tantùm; aut cum dæmonibus malis, hoſtibus noſtris naturaliter. Ex finibus etiam diſtinguuntur ſocietates. quippe aliæ in vtilitatem tendunt, vt mercatorum; aliæ in voluptatem, vt adoleſcentium; alię in honeſtatem, vt ſtudioſorum. Sunt & aliæ diuiſiones, à cęteris ductæ circumſtantijs temporis, loci, modi, inſtrumentorum, rerum, quibus ſociamur: diſtribuunturq; tam hę formę, quam ſuperiores, quæ ex finibus ſunt, & quæ ex cauſis efficientibus naturales, & non naturales ſocietatum humanarum in alias formas minutiores ſimplices, ac mixtas. verùm de his omnibus, vt dixi, alio loco. *Κοινωνίαν* multi vertunt ſocietatem, quos ſequuti ſumus, alij communionem, communitatem alij, alij conuentum, alij cœtum.

Societatis vocabulum.

Omnis ſocietas boni alicuius cauſa eſt conſtituta.

Et omē ſocietatē. Omnis ſocietas boni alicuius causà conſtituta eſt. Hæc propoſitio ſimiliter nota eſt, ac ſuperior: cui etiā deſeruit verbum videmus. Si quis de ea maiorē accipere fidem velit, accipiat inductione. Bonum autem intellige, vt declarant verba ſequentia, quādo non ſolidū, ſaltem opinatum. Porrhò quanq̃ de omni omnino ſocietate veriſsime hoc dicitur: inſtitui boni alicuius causà: & Philoſophus omnē ſocietatem pronūtiat: tamen eum loqui propriè de illis ſocietatibus opinor, quæ hominū ſunt cum hominibus. continentq; aliquod imperium aut domeſticum, aut ciuile, de quibus in hoc libro eſt ſermonem habiturus. In hac propoſitione neceſſe eſt alteram ſubaudiri. conficitur .n. ex hac & ſuperiori, neceſſaria ratiocinatione, omnem ciuitatem boni alicuius causà cōſtitutam eſſe. de qua altera propoſitione infrà in tex. xvj. & xxviij.

De quibus ſocietatibus loquatur Philoſophus.

Omnis ciuitas boni alicuius cauſa eſt conſtituta.

Vocabula idē ſignificantia.

Boni alicuius causâ, & eius, quod eſſe bonum putatur, gratiâ. Hęc idem ſignificant: ſuntq; omnino idem bonum, & finis, & ſcopus, & cuius gratià, ſiue cuius causà: quod liquet præcipuè ex cap. 1. & 2. Primi ad Nicom.

στοχάζεσθαι, & collineare.

Omnes bonum quoddam veluti collineando petere. Omnis ſocietas bonum quoddam quaſi collineando petit: & quia omnis, etiam ciuilis. στοχάζεσθαι Gręcis propriè eſt ſcopum propoſitum petere, emiſſo in id iaculo veluti recta linea: quod ſagittarij, & iaculatores ſolent. idem ſignificat Latinis verbum collineare. Vtrumq; autem per tranſlationem eſt ſpectare, & tendere rectà in aliquem finē. Cæterum quid differant inter ſe hęc duo, inſtitutum eſſe boni alicuius causà, & bonū aliquod ſpectare, quorum hoc ex illo cōficitur, diximus in explanatione.

Maxime.

maxime autem & quod eſt &c. vox maxime ſtudium vehemens ſignificat huius pręſtantiſsimæ ſocietatis in perſequendo id, quod quærit: vt non ſolum maius, & honeſtius bonū expetat; ſed etiā maiori ardore ad ipſum feratur. P. Victorius.

Bonū hoc quo modo omnium pręſtatiſſimū.

Et quod eſt præſtantiſſimum omnium. Non ſequitur neceſſario, ratiocinatione huius loci, vt illud bonum, in quod tendit pręſtantiſsima ſocietas, ſit præſtantiſſimum omnium bonorum humanorum, ſicut exponit D Thomas: ſed ſat eſt eſſe præſtantiſſimum omniū, quæ ſocietatibus propoſita ſunt: quanuis ex his, quæ in 2. cap Primi ad Nicom. traduntur; adhuc confici poteſt præſtantiſſimum eſſe, & ſummum omnium bonorum agendorum.

Inter ſocietates eſt quædā pręſtatiſſima.

Quæ omnium præſtantiſſima eſt. Quia infinitum Natura reſpuit; hac de cauſa nec aſcendi, nec deſcendi poteſt vllo in genere in infinitum; ſed inuenitur vtrinque hinc imum, inde ſummum, vltra quę progredi non datur: vt declaratum fuit in ij. & in x. Poſtnaturalium. Itaque etiam in ſocietatibus neceſſe eſt ad vnam quandam peruenire, quæ ſit pręſtantiſſima.

Ciuitas & ſocietas ciuilis idem ſunt.

De 2 & 4 ... nuntiato.

Hæc autem eſt, quæ vocatur &c. Si vllum eſſet dubium, an ciuitas, & ſocietas ciuilis inter ſe diuerſę eſſent, tolleretur ex hoc loco. Ait, quæ vocatur ciuitas, & ſocietas ciuilis, eſſe hanc ſocietatem, quę ſit omnium pręſtantiſsima, & quæ omnes alias contineat. Duæ igitur propoſitiones ſunt, quarum vtraque ex altera

confici

confici poſſet, vt intelligitur ex tex. com. decimotertio Decimi Poſtnaturaliũ. ibi .n. maximum, quod à præſtantiſsimo non differt, & perfectum, & continens ſe mutuo ſequuntur. Hoc tamen loco prior conficitur ex poſteriori, quemadmodũ in Explanatione induximus. Quidam exponũt ciuilem ſocietatem præſtantiſsimam eſſe. & alias complecti, cum vico, ac domo comparatam: attamen regnum eſſe ea præſtabilius, ipſamque cum reliquis continere. Quaſi verò regnum, de quo iſti loquuntur, ideſt plures vrbes, in vnum quaſi corpus redactæ, conſtituant ſocietatem forma, & eſſentia differentem à ciuili; quemadmodum à vico, & à domo ciuitas differt. quod dici profectò non poteſt: quidquid .n. coniunctionis, & vnitatis eiuſmodi regnum habet, id totum habet ab eo, quod vnam facit ciuitatem .i. à forma reipublicæ: regnumque antiquis dicebatur, vel contraria huic tyrannis, quom vnus omnium rerum poteſtatem haberet tam in uno, quàm in multis oppidis, & ciuitatibus. Sed utrũ de qualibet ciuitate hæc intelligenda ſunt: præſtare quamlibet ciuitatem cunctis aliis ſocietatibus, & alias cunctas in ſe continere? an de ciuitate perfecta, optimeque legibus inſtituta? an potius de genere ciuitatis?

Egid. iij. de Regimin prin cip. p. p. cap. 1.

Quæſtio de ſubiecto horũ enunciatorũ.

ARGVMENTVM. TEXT. II.

Sententia quorundam falſa, repugnãs præceptis proxime traditis: Eundem eſſe dominum, & œconomum, & reipublicę adminiſtratorem, & regem: nec ſpecie differre, ſed multitudine ſolùm, & paucitate; duos quidem primos & inter ſe, & ab alijs multitudine, paucitateque hominum ſubiectorum, quòd pauciſſimis dominus, œconomus pluribus, & pluribus adhuc adminiſtrator reipublicæ, rexque præſideant, vt nulla re tandem diſtent magna domus, & parua ciuitas; hos verò duos multitudine & paucitate auctoritatis, & temporis; quòd ex ſe ipſe, acſemper rex pręſit; adminiſtrator reipublicæ non ſemper, & ex rationibus huius ſcientiæ, imperans viciſſim, ac parens.

[a] Ὅσοι μὲν οὖν οἴονται πολιτικὸν, καὶ βασιλικὸν, καὶ οἰκονομικὸν, καὶ δεσποτικὸν εἶναι τὸν αὐτὸν, οὐ καλῶς λέγουσιν. [b] πλήθει γὰρ καὶ ὀλιγότητι νομίζουσι διαφέρειν, [c] ἀλλ' οὐκ εἴδει, τούτων ἕκαστον: [d] οἷον ἂν μὲν ὀλίγων, δεσπότην [e] ἂν δὲ πλειόνων, οἰκονόμον [f] ἂν δ' ἔτι πλειόνων, πολιτικὸν, ἢ βασιλικὸν [g] ὡς οὐδὲν διαφέρουσαν μεγάλην οἰκίαν, ἢ μικρὰν πόλιν: [h] καὶ πολιτικὸν δὲ, καὶ βασιλικόν· [i] ὅταν μὲν αὐτὸς ἐφεστήκῃ, βασιλικόν [k] ὅταν δὲ κατὰ λόγους τῆς ἐπιστήμης, τῆς τοιαύτης, κατὰ μέρος ἄρχων, καὶ ἀρχόμενος, πολιτικόν.

** πολιτικὸν reipublica adminiſtratorẽ.*
** οἰκονομικόν.*

[a] Quicunque igitur putant * ciuilem uirum, & regium, & * curæ domeſticæ aptum, & dominicum eumdem eſſe; non rectè dicunt. [b] multitudine .n. & paucitate differre cenſent vnumquemque iſtorum, [c] ſed non ſpecie: [d] vt ſi paucorũ quidem, dominum; [e] ſi verò plurium, œconomum; [f] ſin adhuc plurium, ciuilem, aut regium: [g] tamquã nihil differãt magna domus, & parua ciuitas: [h] & ciuilem verò, & regium; [i] quãdo ipſe quidem præfuerit, regium; [k] quando autem ex rationibus[l] ſcientię[m] huiuſmodi, viciſſim imperãs, & parens, ciuilem.

Vide etiam infrà te. 34. 66.

i.k. Has conditiones regis, & ciuilis viri inuenies in libro iij. ca. 3. et 7. & alijs in locis.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Quæ ſit propria de hac re Socratis & Platonis ſententia, et conciliatio earũ cum Philoſopho.

SOCRATES, & Plato in Politico, in Amatoribus, & alijs in locis voluerunt vnam tantùm eſſe ſcientiam, ex qua reipublicæ adminiſtrandæ idonei, & regij, & dominici, & curæ domeſticæ apti nominentur, ſiue ſuo vnuſquiſque eorum munere fungatur, ſiue minime. nanq; vnum, idemq; eſſe genus ſubiectum, & materiam, in qua cũcti iſti verſentur, nempe homines quatenus imperari, regiq; ab alijs poſſunt: tum in hoc genere reſpectu ſcientię, & τοῦ θεωρητικοῦ, unum eſſe, eũdemq; finem, vnamq;, & eandem operationem, illum cognoſcendi, hanc contemplandi quo pacto ijs ſit imperandum, & vtendum; qui quidem finis, & quæ operatio nunquam varient, ſeu multi, ſeu pauci regantur, ſeu volentes, ſeu inuiti, ſeu ſcriptis, ſeu non ſcripris inſtitutis: ac tandem eſſe eadem iſtorum, generis, finis, operationis principia, ex quibus pręcepta tradantur, & concluſiones demonſtrentur. Proinde eundem etiã eſſe, qui & adminiſtratoris reipublicę, & regis, & domini, & œconomi munia implere, & ciuilis, & regius, & dominicus, & œconomicus verè appellari queat; ſcientia, inquam, iſta præditum, & propter eã: nihilq; intereſſe, quod ad hoc principium & ſcintiã regendi attinet, vtrum amplam domum gubernes, an anguſtam ciuitatẽ. Sed hanc ſcientiã per ſe vnã in multas poſtea partes diſtingui, variaq; aſſequi nomina, ex varijs præſertim operationũ formis reſpectu τοῦ πρακτικοῦ, propria ſibi genera rurſus, & fines, & modos, & inſtrumẽta, & vires etiam innatas determinantibus. Atque hęc quidem rectiſſime & ex arte Socrates, & Plato. cũ quibus conueniũt quæ infrà ſcribuntur à Philoſopho in exitu tertij libri: eandem diſciplinam, & eoſdem mores fermè eſſe, qui faciunt ciuilem, & regiũ virum. Cęterum quidã fuerunt, qui perperam hęc intelligentes, quę de ſcientia, & parte ſcripta ſunt, ad totum, & praxim traduxerint: prodiderintq; illa, quę à Philoſopho in hoc textu referuntur: [a] nempe eundem eſſe ſimpliciter reipublicę adminiſtratorẽ, & regem, & œconomum, & dominum; [b] nec vllo modo differre inter ſe ſpecie, ſed accidentibus quibusdam, ideſt multitudine, & paucitate: [d] nam multitudine tantùm, & paucitate eorum, quibus pręſideant, diſtare à domino œconomum, & ab vtroque regem, ac reipublicę adminiſtratorem; [g] adeo vt nihil ad extremum interſit inter magnam domum, & paruam ciuitatem; [h] diſtare reipublicę adminiſtratorem à rege multitudine & paucitate tẽporis, & auctoritatis; quia rex [i] ſua auctoritate, [k] ſẽperq; pręſit; adminiſtrator reipublicæ [k] ex huius ſcientię rationibus, quę leges ſunt, nõ auctoritate ſua, nec ſemper, ſed quodam tempore, viciſſim imperans, & parens. Hęc porrhò interprętatio verborũ Socratis repugnat pręceptis ſuperioribus. nam ſi ſpecie, & formaliter, vt dicunt Scholaſtici, dominus, œconomus, reipublicę adminiſtrator, & rex haud quaquam differunt; iam non eſt amplius ſocietas, quemadmodum de ea nunc loquimur, ciuitatis genus: quippe quę nullas fortaſſe ſpecies contineat, ſed ipſa ſit ſpecies vna, & indiuidua. quapropter nec pręſtantiſſima ſocietatum ciuitas erit, quum vna ſit tantùm huius generis ſocietas: nec alias in ſe comprehendet ſocietates: nec bonum, & finem pręſtantiſſimum eorum omnium, qui ſocietatibus proponuntur, ſpectabit. quinimò nec verum erit, diſtingui ipſas ſocietates; & alias pręſtantiores eſſe, alias minus pręſtantes pro finium, & bonorum magis, minuſque prefectorum diuerſitate.

Quæ ſententia ab alijs attributa fuerit Socrati & Platoni quã philoſophus impugnat.

a. — b.c. — d. e. f. — g. — h. i. k. — i. ipſe quidem — k. viciſſim. — k.

Hæc ſententia repugnat præceptis text. ſuperioris.

Hos

Confutatur hæc ſententia. Quomodo idẽ ſint, quomodo quã diuerſi Dominus, œconomus reipublicæ adminiſtrator, & rex.

Hos igitur corruptores ſentẽtię Platonicę Philoſophus caſtigat: & meritò quidem. nam quanquam ſi τὸ ἑξωμαλικὸν ſpectes .i. ſi ſpectes ſcientię habitum,& genus,quò refertur,atque in eo genere ex eo habitu finẽ, & operationem, & principia; vna,eademq́; ſcientia eſt regia,& reipublicę adminiſtratoria,& œconomica, & dominica, vt dicebant Socrates & Plato: non tamen non differunt inter ſe forma, & ratione dominus, & œconomus, & reipublicę adminiſtrator, & rex, ſi ſpectes τὸ πρακτικὸν, ideſt ſi propriam cuiuſque çorum ſpectes in primis actionem, & praxin, tum ea determinatam materiam,& finem, & vſum, & modum, & inſtrumenta. Quippe ſcientia,& ars omnis, non ſolùm practica,ſed pręcipuè practica, quum ſit ipſa ſimpliciter,& per ſe vna, potiſſimum propter genus ſubiectum,cuius ſcientia eſt, exinde verò etiam ob finem, & actionem, & principia illius generis: diſtribuitur poſtea in varias partes, deducta ad praxin, pro varijs primùm actionum praxeωnq́; formis; deinde pro varijs finibus, materijs, modis,atque inſtrumentis earum operationum. quod fuſius docet Galenus in libro ad Thraſybulum de genere Artis tuendæ ſanitatis. Exemplo medicina erit: quæ vna profectò eſt ars, quanuis latè patens: eius autem partes tres ab omnibus numeratæ, & inter ſe forma, ac ratione diuerſæ, διαιτητική, φαρμακευτική, χειρουργική. Quid dico medicinam? ipſa œconomice, quę eſt pars ſcientiæ rerum agendarum,adhuc multas habet partes,& ſpecies: nam modo, & ratione alia œconomus utitur ſeruis; alia vxorem regit; alia filios gubernat. quocirca, licet vnus, idemq́; ſit homo ſimpliciter, qui tria hæc munera implet; tamen ex ipſorum horum munerum comparatione, & reſpectu non idẽ ſunt, ſed diuerſi ſpecie, dominus, maritus, & pater. Et Politicæ partes ſunt forma, & quiditate differentes, legiſlatrix, & iudiciaria. Adde huc ex prudentia quoque, quæ vnus eſt ſimpliciter habitus, licet multas partes contineat ſexto ad Nicom. eundem virum eſſe oportere, qui ſit reipublicæ adminiſtrandæ idoneus, & qui regius, & qui œconomicus,& qui dominicus. Nam ſi virtutes morales ſeparari inter ſe minime poterant,ſed neceſſe erat omnes aptas,& cõnexas eſſe,ita vt qui vnam haberet,haberet omnes; propter eãdem prudentiam,quæ apex illarum erat: multò magis has facultates,quę nihil aliud ſunt ad extremũ, quam partes prudentiæ, ex quibus ſerui, domus, reſpublica regnũ probè gubernantur,in eodem homine ineſſe oportebit, nec poterunt ſeparari. Sic igitur ex habitu tum ſcientiæ, quæ rerum ſpecie diuerſarum, & eiuſdem generis vna eſſe debet, tum prudentiæ, quæ eſt ſimpliciter vna;eundem eſſe cum Socrate affirmabimus dominum, & œconomum, & reipublicæ adminiſtratorem,& regem: ſpecie tamen vnumquemque eorum ab alijs diſtare ex actionibus, finibus, materijs, inſtrumentis & modis varijs gubernandi.

Scientia et ars ois quomodo vna quomodo multa.

Alius modus, quo idẽ ſunt dominus, œconomus, reipublicæ adminiſtrator, et rex.

Partes textus. Partes textus quinque. Prima (a) generaliter proponit ſententiam: putari has quatuor formas gubernantium inter ſe non differre. Secunda (b c) explicat quomodo accipiendum ſit verbum non differre: nimirum nõ differre ſpeciem has formas;differre tamẽ accidentibus,quibuſdam, ideſt multitudine,& paucitate. Tertia (d e f) declarat quã multitudine, & paucitate differãt dominus, & œconomus tàm inter ſe,quàm à rege,& reipublicæ adminiſtratore: differre ſcilicet multitudine, & paucitate hominum ſubiectorum. Quarta (g) inducit quiddam conſequens hanc ſententiam, quod videtur abſurdum,& tamen conceditur libentiſſime ab eius auctoribus: Nullũ eſſe inquã diſcrimen inter magnę domus,

&

&, paruæ ciuitatis gubernationem. Quinta (h i k) docet multitudinem, & paucitatem, qua differant rex, & reipublicæ adminiſtrator, eſſe multitudinem, & paucitatem auctoritatis, & temporis.

S C H O L I A.

Quicunque igitur putant, &c. Vox, *igitur* demonſtrat pendere hæc ex ſuperioribus, ideſt falſam eſſe hanc ſententiam, ſi ſuperiora ſint vera, quemadmodum in Explanatione declaraui. Omnino autẽ qui negat formas gubernationum, ſocietateſque, quibus illæ omnes continentur tam domeſticæ, quàm ciuiles, differre ſpecie; non ſolum euertit iacta initio fundamenta; ſed etiam tollit vniuerſa, quę in his libris deinceps dicenda erunt, hac tota ſcientia labefactata.

Contra hanc ſententiam.

Quicunque putant ciuilem virum, & regium, &c. Plato ſub initium Politici ſic proponit quæſtionem: *Vtrùm ciuilem virum, regem, dominum, & œconomum tanquam vnum quiddam eſſe ſtatuemus, an tot artes eſſe iſtas, quot nomina dicuntur?* Et infra: *Si quis, priuatus quum ſit, regem populis imperitantem admonere valet; planè regiam ſcientiam habet: qui autem regia ſcientia eſt prœditus, ab ea regius rectè vocatur.* Et paulo poſt: *œconomus & dominus idem eſt.* Tandem concludit his verbis: *Itaque quod modo diſquirebamus, manifeſtum eſt, vnam in his omnibus ſcientiam eſſe: eamque ſiue regiam, ſiue ciuilem, ſiue œconomicam quis nominauerit, nihil referre:* His ſimilia ſcribit in Amatoribus, & alibi. Ex quibus ſanè liquet, quod dixi: Platonem περὶ τοῦ θεωρητικοῦ proprie ibi ſermonem habere, non περὶ τοῦ πρακτικοῦ. Xenophon in Tertio de dictis, & factis Socratis addit ad hęc: Bonos Imperatores, & duces belli etiam eſſe, qui boni ſunt œconomi: vt vnus idemque vir ſit, qui vtrunque munus probè obire poſsit, ducendi exercitus, & domus regendæ: demùm vnam, eandemq; eſſe gubernandi ſcientiam, qua prœſidere vtique hominibus ſciamus. Et Paulus Aemilius apud Liuium libro 55. conuiuium inſtruere, & ludos parare eiuſdem eſſe, qui vincere bello ſciret, dixit. Idem autem & in bello gerendo, quo Perſea deuicit, & in prouincia ordinãda, & in legibus dandis prudentiam ſuam oſtenderat: vt, ſi ex vllo hiſtoriæ loco, ex hoc maxime appareat, unum eſſe prudentiæ habitum, cuius partes, ubi perfectę uerę que ſunt, nequeant ſeparari.

Idoneus eſt vnus, & idem vir ad has oẽs formas gubernationis ex vno ſcientia atque prudẽtia habitu.

Locus Platonis in Politico.

Locus Xenophontis.

Locus Liuij.

Ciuilem virum, & regium, & œconomicum, & dominicum. Duæ ſunt pręcipuę, perfectęq; cõmunitates, & conſociationes humanę; vna domus, altera ciuitatis: ſiquidẽ uicus, quod ad formã conſociationis attinet, nulla re differt à ciuitate, & planè exigua quędam eſt ciuitas. In ciuitate uel vnus perpetuò, abſolutèq; imperat, uel alternant imperantes, & parẽtes. Illud imperium eſt regis, & tyranni, qui regi opponitur: hoc eſt reipublicę adminiſtratoris, ſiue optimatũ, ſiue paucorũ, ſiue reipublicæ, quæ propriè dicitur, ſiue popularis fuerit ſtatus. In domo autem eſt vnus œconomus, uel paterfamiliàs, qui perpetuam, abſolutamq; in ea auctoritatem habet. Et hic idem paterfamiliàs in eadem domo, non in diuerſis, quemadmodum diuerſę erant ciuitates, in quibus rex, adminiſtratorque reipublicæ gubernarent, tres alias ſocietates domeſticas, quæ domus partes ſunt, facit: paternam, dominicam, cõiugalem. Verùm dominica ſocietas non eſt propria domus: ſed ſimiliter cernitur in ciuitate: quandò ſunt etiam, aut ſaltem olim fuerunt aliqui publici ſerui. Hæc cauſa cur ad œconomicum dominicus adiungatur. Et ex his liquet, omnia imperia, omnes gubernationes, omnes ſocietates tam ciuiles, quàm domeſticas quatuor iſtis nominibus ſignificari, vt antea dixi. Sed in gubernatione, & imperio uel actus ſpectatur, vel poteſtas regendi, & gubernandi. Ex actu, quom reipſa gubernant, nominantur reipublicę adminiſtrator, & rex, & paterfamilias, & dominus. Ex poteſtate, quæ ſcientiæ, prudentiæque habitus eſt; dicuntur dominicus, œconomicus, regius politicus, ideſt ad ſeruum, domum, regnum, rempublicam regendam idonei. πολιτικὸν verto virum ciuilem: nam in eodem ſignificatu utuntur hac voce aliquando Latini auctores, vt Quintilianus in præfatione Oratoriarũ inſtitutionũ. Eſt tamen Gręca vox efficacior, & viuidior: fre-

Gubernationum & ſocietatũ tàm ciuiliũ quàm domeſticarũ numerus.

Vocabulorum actum & poteſtate ſignificantium differentia.

Vocabula πολιτικοῦ & ciuilis.

B quen-

quentiusq; nomen ciuile mores, actumq; poſſeſsionis ſignificare ſolet, quàm vim & poteſtatem imperij. Non eque potui οἰκονομικὸν domeſticum vertere. nuſquam .n. memini me legiſſe domeſticū pro idoneo ad regendā domum.

Vocabula οἰκονομικοῦ & domeſtici.

Diſcrimen, quo ſpeciem variat, et quo minime.

Multitudine .n. & paucitate differre, ſed non ſpecie. Quæ differunt tantùm inter ſe multitudine, & paucitate, non differunt ſpecie. diſcrimen .n. quod eſt ex maiori & minori, ſpeciem non variat, vt alibi eſt declaratum. At non differunt ſolùm multitudine, & paucitate dominus, œconomus, reipublicæ adminiſtrator, & rex: verùm, ſi praxin ſpectes, multò magis actionibus, finibus, modis, materijs, inſtrumentis; quę res vbi fuerint diuerſę, diuerſas planè ſpecies efficiunt.

Subaudienda.

Si paucorum quidem, dominum, &c. Subaudiri oportet: ſi paucorum quidem ſit gubernator, dominum eſſe cenſent, &c.

Magnam domum & paruam ciuitatē nihil differre quomodo.

Tanquàm nihil differant magna domus, &c. Plato ſic eodem in loco: Τί δὲ; μεγάλης χῆμα οἰκήσεως, ἢ σμικρᾶς αὖ πόλεως ὄγκος μῶν τι πρὸς ἀρχὴν διοίσετον; οὐδέν. Hoc eſt: *Quid autem? refert'ne quidquam ad imperandi rationem, & principium magnæ domus modus vel paruę ciuitatis moles? nihil.* Ex quibus verbis ſumebant iſti nullo modo prorſus differre magnam domum, & paruam ciuitatem. At Plato hoc dixit ſolùm: nihil differre illa, ſi principium imperandi, id eſt ſi ſcientiam ſpectes. Xenophon in iij. de dictis, & factis Socratis penè idem; Cura rerum priuatarum, inquit, multitudine ſolùm à reipublicæ gubernatione differt; in reliquis verò ſunt ſimiles. Magnam autem domum, & paruam ciuitatem intellige reſpectu hominum, non ædificiorum. quapropter Calcagninus vertit frequentem domum, & in frequentem ciuitatem. In nouo orbe Hiſpanorū multas eſſe vrbes aiunt, ab ipſis conditas; in quibus pauciores homines numerentur, quàm in quibuſdam, non dicam vicis, ſed domibus noſtris.

Locus Xenophontis.

Magna domus, et parua ciuitas quarū verū reſpectu.

Ciuitates noui orbis.

Supplenda in textu.

Et ciuilem verò, &c. Supplenda eſt hæc pars ex verbis ſuperioribus *differre cenſent multitudine & paucitate: eſſe putant*, atque hoc modo ordinanda: *Et politicum verò, & regium differre cenſent multitudine, & paucitate; vt, quando ipſe quidem pręfuerit, regium eſſe putent; quando autem, &c.*

ARGVMENTVM. TEXT. III.

Methodus huic doctrinæ conueniens; & propterea vtilis cùm ad falſitatem ſententiæ proximè expoſitæ conuincendam, tum ad ea confirmanda, quæ in primo textu ſunt tradita. Eſt autem hæc methodus διαιρετικὴ, quæ cœpta eſt adhiberi etiam in ſuperioribus textibus: vt diuiſione, diſſolutioneque accipiantur, conſiderenturq; partes, & initia ciuitatis uſque ad minima, & indiuidua. Cur hac methodo vtendum, rationes duæ: una à genere, ſaltem proportionis; nam hæc eſt methodus propria totarū, & compoſitarum rerum: altera à ſimili, quę eſt etiā ratio, cur generaliter hāc methodum in omnibus compoſitis adhibeamus; nam ſimilem conſiderationem, qui ipſa utitur, facit tam in ciuitate, quàm in alijs rebus compoſitis, atq; ſi quis eas à prima origine naſcētes ordine ſpectaret, quo ſpectaculo nihil vtilius ad perfectam ſcientiam cogitari poſſet. Et hac methodo igitur melius differentias partium, initiorumq; ciuitatis obſeruabimus; & ſi quid proprij artificij obtineāt ſingulæ gubernationes, quę proximo textu tangebantur, perſpiciemus: vnde & falſam eſſe ſententiam in eodem proximo textu expoſitam, & vera præcepta, quæ in primo tradita ſunt, planum fiet.

ταῦτα

[a] ταῦτα δ' οὐκ ἔστιν ἀληθῆ. [b] δῆλον δ' ἔσται τὸ λεγόμενον ἐπισκοποῦσι κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον. [c] ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ σύνθετον μέχρι τῶν ἀσυνθέτων ἀνάγκη διαιρεῖν, [d] ταῦτα γὰρ ἐλάχιστα μόρια τοῦ παντός· [e] οὕτω καὶ πόλιν, ἐξ ὧν σύγκειται, σκοποῦντες, ὀψόμεθα καὶ περὶ τούτων μᾶλλον, τί τε διαφέρουσιν ἀλλήλων καὶ εἴ τι τεχνικὸν ἐνδέχεται λαβεῖν περὶ ἕκαστον τῶν ῥηθέντων. [f] εἰ δή τις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα φυόμενα βλέψειεν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, καὶ ἐν τούτοις κάλλιστ' ἂν οὕτω θεωρήσειεν.

d. elicitur minima primùm eſſe cõſideranda quod diſertè ſcribit Auctor œconomicorũ cap. 2. lib. Primi.

[a] Hæc autem non ſunt vera. [b] planum autem erit quod dicitur conſiderantibus rem qua cœpimus methodo. [c] quemadmodum enim in alijs compoſitum vſque ad incompoſita neceſſe eſt diuidere; [d] hæ nanque ſunt minimæ partes totius: [e] ſic & ciuitatem, ex quibus compoſita eſt, conſiderantes, videbimus & de his magis quidque differant inter ſe, & ſi quidpiam artificioſum accipere licet in vnoquoque eorum, quæ dicta ſunt. [f] ſi quis demum ab initio res naſcentes ſpectaret, quemadmodum in alijs, etiam in his pulcherrimè ſanè ita contemplaretur.

e. Elicitur ciuitatẽ eſſe totum, ac compoſitũ quoddam.

c.d e. Elicitur qua ſit methodus conſyderandi tota & compoſita. Simile infrà tex. 30 & in principio libr. iij. 11 in primo Phyſico tex. com. primo.

f. Simile quoddã primo Cœli tex. com. 4.

e.

EXPLANATIO.

Compoſitarũ & totarũ rerũ doctrina qua methodo tradenda.

[c] SI QVID totum, ac compoſitum ſciri, & cognoſci perfectè debet; neceſſe eſt ante omnia diſſoluendo, diuidendoq; illud in partes, initiaq́; ex quibus conſtat, vſque ad minima, [d] & quæ diuidi ampliùs nequeant, quia non ſint compoſita, [e] eorum omnium differentias, & proprietates cõſyderare. Omnino enim totum, & cõpoſitum ſunt partes, & elementa ſua, ex quibus ſunt, & facta ſunt. quamobrem niſi hæc nota fuerint; illa non cognoſcentur. ſicut namque ſunt res; ſic cognoſcere eas oportet. Et hæc ſanè cauſa fuit, cur tum in Poſteriorum analyticorum, tum in Poſtnaturalium lib. Primo definiuerit Ariſtoteles ſcientiam ex cauſæ cognitione; atque in principio Auditionis naturalis pronuntiauerit, noſſe tunc homines vnumquodque arbitrari, quom cauſas nouerint primas, & principia prima, & vſque ad elementa. [f] Accedit, quòd ſiquis huiuſmodi res totas, ac compoſitas, dum paulatim fiunt, à primordijs ſuis ad exitum ſpectare continenter poſſet; optimum ſpectaculũ haberet; optimaq́; ei ſuggereretur contemplatio ad ſcientiam, & veritatem: cui planè ſimilis eſt quæ fit ope mentis per diuiſionem, reſolutionemq́; iam compoſitarum. [e] Erit igitur hæc propria, & conueniens methodus, ac ratio cognoſcendi, & conſyderandi res totas, compoſitasq́; diſſoluere, inquam, ac diuidere illas cogitatione in partes, & initia ſua vſque ad minima, & indiuidua; [e] tum horum initiorum, atque partium differentias, & proprietates, diligenter intueri. Sed ciuitas eſt totum, & cõpoſitum quoddam, vt per ſe notum eſt, notiusq́; adhuc fiet ex ſequentibus. [e] Ergo doctrinæ de ciuitate, quæ nunc habetur in manibus, conueniens eſt methodus iſta, & ratio conſyderandi, [b] quæ adhiberi iàm cœpta eſt à libri primordio, [c] diſſoluendo, diuidendoq́; ipſam ciuitatem cogitatione in partes, & initia ſua vſque ad minima, & indiuidua. [e] Qua quidem ratione, & methodo horum ipſorum initiorum, & partium, a ſe inuicem ſic ſeiunctarum differentias, & naturas optimè perſpiciemus: ex ijsq́; [e] tum ſcientiam ciuitatis aſſequemur; [e] tum, ſi quid proprij artificij cadat in vnamquanque earum

Cur hac methodo vtendũ ſit in totis & compoſitis.

Vtendum eſſe hac methodo in ciuitatis doctrina.

Fructus percipiẽdus ex hac methodo in hiſce libris.

d. ex e. quidque differant, &c. f. e. ex e. quidque differant, &c. e. b. qua cœpimus methodo e. ex quibus compoſita eſt. e videbimus & de his &c. e. ciuitatem. e et ſi quidpiam, &c.

gubernationum, quæ tangebantur in textu proximo,& quæ inter partes quoque ciuitatis numerantur, liquebit; [a] tandem verò & falſam eſſe ſententiam,de qua in eodem proximo textu, [b] & vera præcepta primi notum euadet. Partes textus tres. Prima (a b) proponit methodum, qua vnà cum primo inſtituto, quod eſt efficere ſcientiam ciuitatis, notum etiam euadet, ſentẽtiam narratam in proximo textu repugnare, & præcepta tradita in primo congruere veritati. Secunda (c d e) affert priorem duarum rationum ductam ex genere: quoniam hæc ſit methodus, quæ adhibetur in totis,& compoſitis rebus. Tertia (f) continet poſteriorem rationem ex ſimili, ſi quis ab initio res naſcentes ſpectaret, confirmantem non ſolùm ſpeciale iſtud theorema, quòd in ciuitatis, ſed etiã generale, quòd in rerũ compoſitarum doctrina hac methodo vti oporteat.

a. b. *b.*

Partes textus.

S C H O L I A.

Propoſita philoſophi in hoc textu prima & ſecunda.

Hæ autem, &c. Primum propoſitum Philoſophi in hoc textu eſt methodum, ideſt viam, & rationem docendi aperire, huic ſcientiæ congruentem, qua ipſe, deinceps vtatur. Hac methodo partes, principiaque omnia ciuitatis vſque ad indiuidua (numerantur verò in partibus etiam formæ gubernationum proximo textu deſignatæ) perſpectiſsima euadent, patefactis ipſorum differentijs, naturis, & conditionibus. quibus quidem declaratis, ac planè cognitis, ſcientia de ciuitate ſuum finem aſſequuta erit: quod in toto hoc opere eſt inſtitutũ, & conſilium Philoſophi. Cùm his verò vnà elucebit, falſam eſſe ſententiam enarratam in tex. proximè antecedenti; & vera præcepta tradita in altero, qui eum anteceſsit. Sed hæc ſunt propoſita ſecundaria.

Expoſitio verborum.

Hæc autem non ſunt vera. Hæc, ideſt quæ pertinent ad ſententiam expoſitam in textu proximè antecedenti.

Planum erit quod dicitur. Sic expono: Planum erit, quod dicitur: hoc eſt, planum erit falſam eſſe ſententiam proximè notatam, & ex conſecutione, vera ea, quæ in primo textu dicebantur. hæc .n. duo inter ſe pugnabant, præcepta tradita in primo, & ſententia enarrata in ſecundo textu, quamobrem etiam neceſſe eſt, ſimul fieri manifeſtam falſitatem huius, & illorum veritatem, Sic autem expono, vt complectar vniuerſa,& congruant præſentibus, quæ poſtea dicentur. Alioquin poſſem cum alijs exponere: planum erit quod dicitur, ideſt hæc vera non eſſe: referendo ſolum ad ſententiam ſuperiorem.

Methodus diuiſiua qua vtetur philoſophus, & cur ceptam addat.

Qua cœpimus methodo. Nam ſtatim incœpit in primo text. à ſocietatibus, quas omnes contineri in ciuili dixit.& in ſecundo recenſuit formas gubernationum quæ etiam ciuitatum ſunt partes. Deinceps verò diuidet ciuitatem in vicos & domos; domos in partes quatuor, coniugalem, paternam, dominicam, pecuniariam; coniugalem in maritum,& vxorem; paternam in patrem, & filios; dominicam in dominum,& ſeruos; pecuniariam tum in dominum,& rem, quæ τοῖς χρήμασι continetur, tum in multas formas, & rationes, pro varijs χρήμασι, & modis parandi ea: & hæc de materialibus ciuitatis. In formalibus ſimiliter duo capita ſtatuet, ciuẽ,& rempublicam. Ciuem dupliciter dici oſtendet, vel ſimpliciter, vel ex hypotheſi. Reipublicæ ſex præcipuas faciet ſpecies, regnum dominationem optimatum, rempublicam propriè appellatam, tyrannidem, paucorum potentiam, ſtatum popularem; ſingulas in multas diſtribuet. Adhæc partes reipublicæ tres ſummas ponet: conſilia, magiſtratus, iudicia; quarum vnaquæque in alias minutiores partes diuidatur, modoſque, & formas plures contineat. Horum omnium naturę, affectioneſque tam propriæ ſingulorum, quàm multorum communes explicabuntur: ex quibus etiam elucebunt ipſorum inter ipſa ſimilitudines, ac differentiæ. Hæc eſt methodus diuiſiua, quam Plato tanti fecit, vt eam In Philebo eſſe ignem dixerit, quem Prometheus cum ſapientia Dijs ſuffuratus ad nos detulit.

Quemad-

Quemadmodum in alijs compoſitum, &c. Hoc planè modo intelligimus res compoſitas, diuiſis ipſis primùm mox compoſitis cogitatione, græcè *διανοίᾳ*: cuius propria eſt intelligentia poſterior, ſiue compoſita, & rerum compoſitarum. Alio modo intelliguntur, vel potius attinguntur res ſimplices per ſimplicem mentis actum; que prior & ſimplex appellatur intelligentia. De vtraque intelligentia dictum eſt abundè in cap. 6. Tertij de Anima: & de priori, ac ſimplici, qua attinguntur ſimplicia, iterum ſub exitu Noni Poſtnaturalium.

De intelligentia rerũ ſimplicium et compoſitarum.

Compoſitum: & paulo poſt: *totius*. Sumenda hæc ſunt *ἐκ παραλλήλου*. Omnino autem omne totum eſt compoſitum ex partibus ſuis: & omne compoſitum eſt totum reſpectu eorũ, ex quibus compoſitum eſt, quæ principia & elemẽta vocantur, ſed nihilominus ſunt partes. Propriè tamen totum, & partes dicuntur, vbi partes diſtinctæ apparẽt, ac penè digito poſſunt demonſtrari: compoſitum, & elementa ſiue principia, vbi eiuſmodi partes, quæ principia appellamus, ſunt ita permixtæ, confuſeque, vt nullo modo per ſe cernantur, ſpectentur tantummodo cogitatione.

Compoſitum et totum quomodo idem, quomodo diuerſa, ſimiliter elementa & partes.

Vſque ad incompoſita: & infrà: *minima partes.* Incompoſita ad compoſitum; partes ad totum referũtur: incompoſitum autem, & indiuiduum idem: propterea quòd compoſitio, & diuiſio cõtraria ſunt. Et minimę partes propriè elementa. Sic .n. definitur elementum in tex: com. quarto Tertij Poſtnaturalium: Elementum eſt, quod eſt indiuiduum in aliam ſpeciem, ex quo primùm componitur res, & in quod vltimum diuiditur. Simile huic, quod dicitur, *vſque ad incompoſita*, eſt id, quod ſcribitur in tex. com. primo Primi de Auditu naturali, *vſque ad elementa*.

Incompoſita partes minima.

Ciuitatem, ex quibus compoſita eſt, conſiderantes. Ea, ex quibus ciuitas conſtat, id eſt principia & elementa ipſius duplicia ſunt: quędam materiæ ſpeciem habẽtis; quædam formæ. De formalibus lib. Tertio dicere incipiet Philoſophus. Materialia rurſus duplicia: nempe homines, ex quibus domus, vici, ac tandem ciuitates conſtituuntur, & *χώρα*. De hac pauca dicenda erunt loco cõmodiori. De hominibus, vt ex ijs ſocietates fiunt, quæ ſunt materia domuum, vicorum, & ciuitatum, in hoc libro diſputatur. Vtrum ergo ſignificat his verbis omnia principia tam formalia, quàm materialia, an hæc tantum, & ex his ſolùm homines? Vtrunque dici poteſt.

Ciuitatis elementa.

Videbimus & de his magis, &c. De his, intelligo, partibus, & initijs, ex quibus ciuitas conſtat. Alij exponunt, de his, quę dicta ſunt in proximo textu, vt idem ſignificetur, quod verbis ſequentibus, *in vnoquoque eorum quæ dicta ſunt*.

De his.

Quare primo Cœli tex: com. 104.

Si ab initio res naſcentes ſpectaret. Hanc fuiſſe cauſam Platoni inquiunt, vt, quanquã animam, & mundum æterna, ac ſine ortu eſſe arbitraretur, nihilominus de ortu vtriuſque in Timæo fusè diſputauerit, facilioris ſcilicet, perfectiorisque doctrinæ gratia.

Cur Plato de ortu Animę et mundi, quorũ vtrumq; æternum eſſe arbitratur.

DOMVS

CAPVT II.

De Domo, & primis eius, neceſſarijsq́; partibus, ac ſocietatibus, ex quibus conſtat.

Ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι &c. Tex. IIII. ad XI.

Partes Domus primæ, ac neceſſariæ. — *Pars 1. Tex. iiii.* *

Ipſa Domus. — *Pars 2. Tex. ix.* *

Pars Prima ſecundi capitis. De primis, neceſſarijsque partibus, ac ſocietatibus, ex quibus domus conſtat.

Ἀνάγκη δὴ πρῶτον, &c. Text. IIII. ad IX.

SCHOLIVM.

Cõſilium Philoſophi, & diuiſio partium domus in quoſdam modos.

TRes omnino ſunt partes domus, quę ſunt etiam ſocietates; coniugalis, dominica, paterna. nam pecuniariam, de qua dubitatur vtrum ſit pars; certum eſt ſocietatem non eſſe. Illarum verò trium, quę ſimul ſunt partes, & ſocietates; duæ ſunt primæ; & quia primæ, neceſſariæ ad domum perfectam. Siquidem vtralibet defuerit, non eſt domus ſimpliciter, ſed quædam domus. Tertia .i. paterna perfectiorem ſanè domum facit: ſed ſine ea tamẽ eſt domus perfecta: quapropter nec prima dicitur, nec neceſſaria, ſed naturalis tãtum: quod vocabulũ cõmune eſt ei cum alijs duabus, & cũ certo genere pecuniariæ. De duabus itaque primis, neceſſarijsque partibus, ex quibus prima domus cõſtat, & ſine quibus domus planè non exiſtit, nec nominatur, niſi quodammodo; exponit Philoſophus in hoc capite; dicturus paulò pòſt de omnibus copioſiùs, & diligentiùs.

ARGV-

ARGVMENTVM TEXT. IIII.

Definitio quædam generalis primarum ſocietatum. Prima ſocietas eſt coniugatio eorum hominum, quorum alter ſine altero eſſe non poteſt.

Ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι:

Neceſſe eſt igitur primùm coniugari eos, qui non poſſunt eſſe alteri ſine alteris.

EXPLANATIO.

METHODVS doctrinæ ciuitatum conueniens hæc erat: vt ciuitatem diuideremus, diſſolueremusq; cogitatione in partes, & elementa prima, ac minima, ex quibus conſtat: tum naturas, proprietatesq;, & differentias iſtorum inter ſe elementorum, ſeu partium diligenter contemplaremur. Conſtant autem ciuitates ex vicis; vici ex domibus; domus ex quibuſdã primis, neceſſarijsq; ac naturalibus hominum coniunctionibus, quę ſocietates appellãtur. Hinc igitur initiũ ſumendum: & de his primis ſocietatibus primo loco cõſiderandum. Quamobrem primo etiã loco vtile erit cõſtituere, definireq; generaliter ſocietatẽ primam. Porrhò autem quemadmodũ reipſa euenit, vt neceſſe ſit primũ eos coniugari, quorũ alteri nõ poſſunt eſſe ſine alteris: ita oratione definiri debet ſocietas prima hoc modo: Prima ſocietas eſt cõiugatio hominũ neceſſaria. Vel clariùs: Prima ſocietas eſt coniugatio eorum hominum, quorum alter ſine altero eſſe non poteſt. Vel perfectiùs, addendo quæ deinceps dicentur in duobus ſubſequẽtibus textibus; Prima ſocietas eſt coniugatio hominum naturalis, & neceſſaria vel ad generationem, vel ad ſalutem. Nam verba huius textus copulanda ſunt cum verbis duorum ſequentium, vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ in vtroque illorum ſic repetenda: in quinto *neceſſe eſt primùm coniugari eos, quorum alteri non poſſunt eſſe ſine alteris, vt fœminam & marem generationis cauſâ*: & in ſexto *neceſſe eſt primùm coniugari eos, quorum alteri non poſſunt eſſe ſine alteris, vt imperans naturâ, & parens propter ſalutem.*

Cur de primis ſocietatibus dicẽdum primo loco.

Cur definiatur prima ſocietas.

Societatis primæ definitio.

SCHOLIA.

Neceſſe eſt igitur primùm coniugari, &c. Societatum hæc prima differentia, & diuiſio, vt aliæ ſint neceſſariæ, aliæ non neceſſarię: Secunda, vt aliæ naturales, aliæ non naturales. Plus .n. ponderis habet in ſocietatibus neceſſarium, quàm naturale; tametſi vtrunque latiùs patere altero videtur: & quædam ſocietates eſſe naturales quę neceſſarię non ſint; quædam rurſus neceſſarię, ſaltem ad tempus, quę non ſunt naturales. Naturalis & non neceſſaria ſocietas eſt parentis & filij; neceſſaria non naturalis, quæ domini & ſerui, qui non ſunt tales natura, ſed vi, & lege.

Societatum differentia ex naturali et nõ naturali, neceſſario & nõ neceſſario.

Coniugari. Coniugatio eſt quaſi genus ſocietatis, ὁ συνδυασμὸς τῆς κοινωνίας. nam hęc eſt ſubſtantiarum cognoſcentium, &, ſi maximè propriè loqui uelimus, vt deinceps Philoſophus eſt loquuturus, hominum tantum. Quas autem hìc συνδυασμὸν maris & fœminæ, imperantis & parentis appellat Philoſophus,

Coniugatio et ſocietas quam rationẽ inter ſe habeant.

infrà

Quæ coniungantur, ſocietatemq; partim ſimilia, partim diſſimilia. infra κοινωνίας vocabit. Et συνδυασμὸς, ſocietasque omnis, quemadmodum etiam & amicitia, & effectio, & perpeſsio, eſt duorum, quæ partim ſimilia ſunt, partim diſsimilia.

Duarum primarum ſocietatum neceſſitas. ᵃ *Qui non poſſunt eſſe alteri ſine alteris.* Non ſolùm quà oppoſita ex relatione; quę inuicem referuntur, & ſunt, ac nō ſunt ſimul naturà; ſed nec quà ſubſtantię eiuſmodi. Quanquam enim ad quoddam tempus, & quoſdam cernamus eſſe, viuereque viros ſine vxoribus, mulieres ſine maritis, dominos naturà ſine ſeruis, ſeruos naturà ſine dominis: tamen hoc perpetuū non eſt, nec in toto genere hūmano. D. Thomas refert hæc verba ad coniugalem duntaxat ſocietatem: probatque mares & fęminas alteros ſinę alteris eſſe non poſſe. At non minus neceſſaria eſt ſocietas dominica: nec minus propter ſalutem, id eſt, propter mutuum auxilium ad vſus vitæ, facit natura alios dominos, alios ſeruos, quàm faciat mares, & fœminas propter generationem.

Duo tantùm ſunt termini coniugationis cuiuſlibet. *Alteri ſine alteris.* Gręce ἄνευ ἀλλήλων. In vnaquaque coniugatione duo tantùm ſunt termini: licet vterque eorum, vel alter ex pluribus partibus conſtare poſsit. Exempli gratia, in dominica ſocietate poſſunt eſſe multi ſerui, qui ad vnum dominum referantur; & in paterna multi filij, qui ad duos parentes: tamen duo termini ſunt vtrobiq; hic parens & filius; ibi dominus & ſeruus. Huc ſpectat etiam vox συνδυασμός. nam ſi vim nominis attēdas, ſignificat propriè coniunctionem ex duobus, vel combinationem, ſi dici poſſet latine.

ARGVMENTVM. TEXT. V.

Coniugalis ſocietatis definitio, in qua genus, materia, ſummus finis, & primum efficiens eius exponuntur. Coniugalis ſocietas eſt ſocietas prima, ac neceſſaria maris, & fœminę in hominū genere ad procreationem filiorum, ex naturali deſyderio primùm, non ex electione facta.

ᵃ Οἷον θῆλυ μὲν, καὶ ἄῤῥεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν. ᵇ καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως. ᶜ ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτό, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον.

ᵃ Vt fœminam, & marem generationis cauſa; ᵇ & hoc non ex electione; ᶜ ſed quemadmodum etiam in alijs animalibus, & plantis naturale eſt appetere, quale ipſum eſt, tale relinquere alterum. *Similia inuenies in iiij. de legibus Platonis, & in primo œco: cap. 3. c Vide primo de Anima tex. com. 34. & 35.*

EXPLANATIO.

Definitio, & partes definitionis ſocietatis coniugalis. Repetenda ſunt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, quemadmodum dixi, verba ſuperioris textus: vt perfecta definitio habeatur. * Eſt autem in hac definitione genus proximum (quod ita in rebus ciuilibus denotare formam ſolet, quemadmodum materiam in naturalibus) prima & neceſſaria ſocietas. ᵃ Materia huius primæ ſocietatis ſunt mas, & fœmina in hominum genere. ᵃ Summus finis procreatio liberorum, * propter quā iſta ſocietas eſt neceſſaria: ſunt enim & alij fines ſocietatis coniugalis; ſed hic ſummus. ᶜ Primum efficiens eſt naturalis appetitio, communis animalibus, & plantis, poſt ſe alia eiuſmodi, qualia ipſa ſunt, relinquendi. ᵇ Atque hæc quidem appetitio naturalis coniugationem, & ſocietatē, conuictumq; maris & fœminæ ita in hominum genere, ſicut in alijs animalibus, & plantis perfectis, quæq; non ſponte orirentur, generauit; ei verò adiuncta

** neceſſe eſt primum coniugari. a. fœminam & marem. a. generationis cauſa. * neceſſe eſt coniugari. c. b.*

[illegible] etiam matrimonium, quod legibus, & conſuetudinibus variè apud varias gentes inſtitutum eſt. Partes textus duę. Prima (a) materiam, & ſummum finem proponit, indicato vnà genere. Secunda (b c) proponit primum efficiens.

SCHOLIA.

Maris & fœminę deſcriptiones.

Lib. primo ca. 2. Libro quarto cap primo.

Vt fœminam & marem. Subaud. ex textu ſuperiori: hæc coniugari oportere, & alterum ſine altero eſſe nō poſſe. Marem, & fœminam ſic definiuit Ariſtoteles in Primo, & in Quarto lib. de generatione Animaliū: Mas eſt quod in altero generare poteſt, & generat, tenens principium in generatione motus, & formę: Fœmina eſt quod in ſeipſo generare poteſt, & generat, tenens principium materię. In plantis, quę nullum aliud munus, niſi generationis, habituræ erant, miſcuit natura has facultates; ſexumque ijs tribuit indiſcretum maris, & fœminæ: animalium quibuſdam prorſus denegauit; qui eſſent penè ambigui generis inter animalia, & plantas: in cęteris, quorum multæ futuræ eſſent actiones & munera, perfectè diſtinxit, ac ſeparauit: vt docet Ariſtot. ſub exitum eiuſdem Primi de Animalium generatione. Sed quanquam commune hoc eſt humano generi cum multis animalium, vt habeant diſtinctum ſexum maris, & fœminę: tamen quum hic ait Philoſophus coniugari hos oportere; intelligit propriè in genere hominum, in quo iſtud oſtendit per locum à ſimili, ex alijs animalibus.

Maris & fœmina ſexus in quibus reciprocatur, in quibus minime, et in quibus diſcretus, in quibus indiſcretus.

Loquitur proprie hoc Philoſophus in humano genere de maris, & fœminę coniugatione.

Finis ſummus coniugationis maris, & fœminę in humano genere, ſiue coniug.

Generationis cauſa. Verus, ac proprius, perfectusque finis coniugationis maris, & fœminę in humano genere, quò natura ſpectat, & quò ratio, iuſſumque diuinum impellunt, eſt procreatio liberorum vnà cum educatione, vt ſimiles ſibi alios relinquant. Nam in ſacra Geneſi Deus mari, & fœminæ, quos creauerat ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, antequam peccaſſent, benedixit, & ait, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* iterumque poſt diluuium, Nohę, & filijs eius, *creſcite, & multiplicamini ſuper terram*. D. etiam Auguſtinus exponens illa verba: *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ipſi*, declarat nullam aliam ob rem potuiſſe fieri mulierem adiutorium viro, ſi generandi, educandiq; filios cauſa ſubtrahatur. Talem igitur naturà fieri oportuit & ipſam, & virum, vt ad huius muneris functionem copularentur. Ergo liberorum generatio, adiuncta ſibi educatione, ſine qua inutiliter generarentur, eſt verus, ſummusque finis coniugationis maris, & fœminæ in nobis tum ex natura, tum ex iuſſu diuino, tum ex humana ratione, quæ vtrumque illorum, ideſt naturam, iuſſumque diuinum ſequitur, niſi ſit deprauata. Fides, & ſacramentum ſunt quidem bona coniugij, ſed fines non ſunt. nec omne bonum eſt finis, ideſt cauſa finalis: licet omnis finis neceſſariè ſit bonum. Remedium ad vitandam Intemperantiam nō poteſt eſſe ſummus finis. hic enim in omni re naturali eſt bonum ſimpliciter: remedium autem non eſt bonum, niſi quodam modo, ex mali, inquā, aut maioris mali cōparatione. Sunt quidam, qui voluptatem concubitus ſpectent in matrimonio, atque in ea conquieſcant: pro fine amplectentes illecebram, & incitamentum veri finis. Si quis putet conuictus, conſuetudiniſq; quotidianę iucunditatē, aut rerum ad vitā pertinentium cōparationem, & conſeruationē, cōmunicationem'ue officiorū in regēda domo eſſe ſummum, ac verum finem matrimonij; quæ Ariſtot. & Xenophon. & Auctor Oeconomicorum Primus in viij. ad Nicom. alter in Oeconomico, tertius in Primo Oeconomicorum commemorant tanquam adiunctos fines; vrgebimus cum D. Auguſtino: Viro virum hæc præſtare potuiſſe, quædā adhuc melius, congruentiuſq; quam mulierem. ſiquidem amicus ad conuiuendum, colloquendumq; eſt vxore ſuauior: & ſeruo atrienſi cura domus committi ſolet: rem etiam maximè amplificamus, ac tuemur ſeruorum operà. Vt verò, qui in matrimonium cōueniunt, habeant à quibus ſenectus eorum alatur, atque ne genus humanum deficiat, quæ adduntur à Xenophonte, & ab Auctore Primi Oeconomici, non ſunt fines

Cap. 1.

Cap. 9.

Libro 9. de Geneſi ad literam cap. 3. & infra.

Bona & fines alij coniugij.

Fides.

Sacramētum.

Remedium ad vitandam intemperantiam.

Voluptas concubitus.

Conuictus iocunditas, rei familiaris cōparatio, et cōſeruatio, ſeu communicatio officiorum in domo regenda.

Lib. 8 ad Nicom. cap 12. In primo oeconom. cap. 3.

Lib. 9. de Geneſi ad literā cap. 6.

Vt Senes falti alantur.

Vt genus humanū ſit perpetuum.

propriè matrimonij, ſed ſobolis procreandę, hic quidem ſimpliciter, ille antem non ſimpliciter, ſed quidam finis, vt paulò poſt liquebit. Quamobrem eorum, qui fines coniugij ponuntur, nullus ſanè eſt ſummus, & verus illius finis præter procreationem, educationemq; liberorum.

Et hoc.

Et hoc, Referri poteſt hoc pronomen vel ad generationem, vel ad coniugationem maris & fœminæ, vel ad hanc propter illam: quod magis probo: vt huiuſmodi ſententia reddatur: *& hoc* Ideſt coniugatio maris & fœminæ propter generationem *non ex electione* exiſtit; ſed ex naturali deſyderio *quemadmodum etiam in alijs, &c.*

Appetitionis formæ.

Non ex electione, ſed quemadmodum, &c. Quatuor ſunt in ſumma appetitionis formæ: à quarũ aliqua neceſſe eſt proficiſci quęcunq; exiſtit in quouis genere actio, & effectio. Vna forma eſt naturalis: quæ eſt appetitio plantarum, & aliarum rerum nõ cognoſcentium. altera eſt appetitio ex ſenſu: quam vna cum facultate ſentiente animalia obtinuerunt. tertia appetitio eſt προαίρεσις; quę eſt ex conſilio, ac ratione appetitio; atque hac de cauſa propria hominum, quorũ illa ſunt propria. quarta & ſumma appetitio eſt voluntas, mentem ſequens, & hominum, ſeparatarumque ſubſtantiarum, quibus mens ineſt, communis.

Cauſa efficiẽs ſocietatis maris & fœminæ in hominũ genere.

Coniugatio igitur, ſocietasq; maris, & fœminæ in humano genere, inquit Philoſophus, quoniam ad generationem tendit, non exiſtit ex electione, & quà homines ſumus: eſſet enim hominum tantùm generatio. Multo minus oritur à voluntate, & quà ſumus angelis ſimiles; quippe non generant angeli. Nec ex ſenſus quidem appetitione naſcitur, cõmuni nobiscum beſtijs: nam plantas etiam videmus, non ſolùm beſtias, generare ſibi ſimiles. Reſtat ergo, vt ab appetitu quodam naturali proficiſcatur, inſito animalibus, plantisque, quo vnumquodque eorum deſyderat alterum ſimile ſibi ad perpetuitatem efficere, & relinquere. Plantæ aſſequuntur ſimpliciter hoc ipſum, quod petunt, nec egent coniugatione eorum, quæ in ipſis non ſunt, aut non ſunt diſcreta. Beſtiarum illis, in quibus ſexus ſeparatur, opus eſt corporum commixtione: &, ſi filij naſcantur, qui ſtatim nati victum ſibi quærere valeant, vt in piſcium genere ferè vniuerſo; vel ad quos nutriendos mater ſit ſatis, vt in pleriſque terreſtribus; opus eſt ſola commixtione corporum, non etiam vitæ ſocietate. At ſi filios edant, quorum educationi alter parentum minus ſufficiat, ſitque amborum cura ad aliquod tempus neceſſaria, quod cernitur in quibuſdam auibus: tantiſper, dum hoc fiat, manent coniugatæ, & ſimul uiuendi innatum deſyderium habent. In hominum autem genere, vt alios nobis ſimiles relinquamus, tria ſunt neceſſaria, nempe procreatio, educatio, inſtitutioque liberorum: quæ omnia, præſertim inſtitutio, multo indigent tempore. quapropter ad plurimũ tempus inter omnia animalia coniugantur mares & fœminæ humani generis: & huius coniugationis ad plurimum tempus præ omnibus animalibus virorum mulierumque principium & cauſa perfecta eſt naturale illud deſyderium, quod diximus, relinquendi alterum ſibi ſimile.

Quibus neceſſaria, quibus minimè ad relinquendũ ſibi ſimile, coniugatio, vel cõiuctius et ſiue uel ad paucũ vel ad plurimum tempus, & cur.

Ex cap. 12. viij. ad Nic.

Matrimonij ius an, et quomodo ſit naturale.

Neque tamen eodem modo illud idem deſyderium eſt perfecta cauſa veri matrimonij, quod matrimonium definiunt eſſe coniunctionem idonearum, legittimarumque perſonarum, viri, ac mulieris, retinentem vitæ conſuetudinem indiuiduam. Illud namque deſyderium non perpetuam vitæ ſocietatem expoſcit, ſed tanti temporis duntaxat, quantum eſt ſatus ad effectionem, perfectionemque liberorum: quod quidem plurimum eſt, ſi cum aliorum animalium temporibus comparetur. Hanc verò indiuiduam vitæ conſuetudinem, quam matrimonium appellamus, vt nobis iuſſum diuinum commendauit; ita in ethnicos politiores, quales fuerunt Græci, & Romani, induxit conſilium adiunctum illi deſyderio. conſilio enim prudentium virorum excogitatæ, inſtitutæque ſunt certę leges coniugationum inter viros mulieresque efficiendarum; quibus abſolutiores, honorificentioresq; redderentur: & has coniugationes, eiuſmodi ornatas legibus, propriè coniugia, matrimoniaque nominarunt. Hoc ita eſſe, nec ius matrimonij propriè eſſe naturale, ſed a ratione, conſilioque profectum, quanuis initium ipſius, hoc eſt coniugatio viri & mulieris ad generationem liberorum tota ſit naturalis, li-

quet

quet ex eo, quòd alia apud alias gentes & olim fuerunt,& in preſentia ſunt matrimoniorum iura. Quibuſdam vxores erant communes, vt Hyrcanis, & Maſſagetis; quidam plures ducebant, vt Numidæ, Thraces; quidam, vt Britani, deni, duodeniq́ue ſingulas: Perſæ matres; Parthi filias, Aegyptij ſorores habebant in matrimonio: & ſexcenta alia aliarum gentium inſtituta prodita literis, monſtroſa, nefanda, vel leuia, & ridicula. Scribit Vlpianus deſcendere ex iure naturali coniugationem maris,& fœminæ: quam nos matrimonium appellamus. Ius naturale vocat inſtinctum, & deſyderium naturæ. quod notauit etiam Accurſius. Ex hoc iure, & deſyderio naturali deſcendere ait non matrimonium, ſed coniugationem maris,& fœminæ, quæ à nobis dicitur matrimonium: à nobis, inquam, & in nobis; vbi certis legibus definita fuerit eiuſmodi coniugatio, adiuncto ad deſyderium naturę prudentium virorum conſilio,& animaduerſione. Rectè Vlpianus diſtinguit matrimonium tam à coniugatione maris & fœminæ, quæ in cunctis animalibus cernitur, quàm à iure inſtinctuque naturali: & ex hoc, quod naturam omnia animalia docuiſſe ait, id eſt ex appetitu omnibus inſito relinquendi ſibi ſimile; oriri maris & fœminæ coniugationem; oriri etiam matrimonium, qua parte eſt coniugatio maris,& fœminæ, non autem qua eſt huiuſmodi coniugatio, decorata legibus prudentiæ, & rationis. Alij quidam Iuriſconſulti confundunt hæc, nec diſcernere quidem poſſunt cauſam ab effectu; intelligentes matrimonium, coniugationemq́ue maris, & fœminæ eſſe ius naturale. At Vlpianus, quem nonnulli ex iſtis iniuria repræhendunt, non eſſe illa ius naturale, ſed ex iure naturali deſcendere inquit. In viij ad Nicom. coniugationem maris,& fœminæ eſſe naturalem animalibus ex eo oſtenditur, quòd filiorum procreatio, in quã illa tendit, ſit naturalis: quia verò ſit naturalis animalibus, id eſt ſimiliter ob filiorum procreationem eſſe etiam hominibus naturalem. Adduntur ibidem tres aliæ rationes, oſtendentes propriè hanc coniugalem ſocietatem hominibus naturalem eſſe: vna per locum à minori: nam ſi homo eſt naturà animal ciuile; multò magis erit naturà animal coniugale; proptereaquòd domus, ad quã hæc ſocietas attinet, ſitrum prior, tum magis neceſſaria homini, quàm ciuitas; quæ autem priora ſunt, neceſſariaque magis, ſint magis quoque ſecundùm naturam. altera ratio ducitur à fine: quoniam dirigatur hæc ſocietas in comparationem, conſeruationemq́ue rerum ad vitam pertinentiũ; hæc autem homini ſint naturalia. tertia ratio iterum ex fine: etenim tam viri, quàm mulieris ſunt quædam propriæ, naturaleſq; virtutes, quæ perfici,& in actum exire ſine hac ſocietate omnino non poſſunt. De quarum rationum firmitate aliàs dicam. Plato etiam in iiij. de legibus connubiorum conuenium,& communitatem eſſe naturalem ait; quia ſit primum omnibus ciuitatibus generationis principium, & quo naturæ efficacia humanum genus immortalitatem conſequitur, filiorum filios relinquendo: cuius immortalitatis adeo cupidi naturà ſumus, vt nemo ſit, qui non peroptet ſaltem nomen apud poſteros perpetuum habere. At ſi coniugium eſt homini ſecundum naturam; erit'ne præter naturam unicuique,& ſemper cœlibatus? ac quia præter naturam, ſimul odio,& vituperatione perpetua dignus? Sanè præter hominis naturam ſemper: non tamen ſemper vituperandus. diſtinguitur n. quod eſt præter naturam humanam in id, quod eſt præſtabilius,& in id, quod eſt deterius ea, vt videbimus in textu 21. quamobrem ſi ex parte præſtabiliori eſt aliquis cœlebs, meliorem ingreſſus viam, laudem meretur.

ff. de Iuſtitia & iure l. prima.

Vlpiani de hac re ſententia.

Ioan Bodinus in prima Tabula iuris. Cap. 10.

Coniugatio maris & fœminę in animalib⁹, & coniugalis ſocietas in hominibus eſt naturalis.

Cœlibatus omnes an præter naturam & vituperandus.

In alijs animalibus, & plantis naturale eſt &c. Parem huic propoſitioni,& quæ ipſã ſequitur, ſcribit Ariſtoteles in ij. libro de Anima. *Maxime naturale*, inquit, *opus omnium, quæ adſunt viuentibus, quæ quidem viuentia perfecta ſint, non læſa, nec ſponte genita, eſt facere tale alterum, quale ipſum eſt*. ibi opus exponitur, quod eſt generare ſimile ſibi: hìc principium operis, quod eſt inſtinctus, & appetitio naturæ relinquendi ſibi ſimile. Et tres illæ exceptiones, quas ibi adiungit Ariſtoteles, Perfecta eſſe, non læſa, nec ſponte genita viuentia, quorum ſit iſtud opus, eximunt omnes ſcrupulos, qui in vtraque propoſitione inijci poſſent, vt eo loco declaraui. Nec dubitaſſet Accurſius aduerſus Vlpianum, ſi hac animaduertiſſet, qui

Tex. com. 34.

Propoſitiones de appetitu et opere generãdi, relinquendique ſimile ſibi.

ff de iuſtitia, & iure l. prima §. Nã iuſ iſtud.

quidem Acurſius quid ſibi velit, cuculi exemplum afferens, viderint iuriſconſulti. Omnium igitur huiuſmodi viuentium commune eſt hoc opus, commune deſyderium faciendi, & relinquendi ſibi ſimile; non animalium tantùm, nec omnium ſimpliciter animalium; vt quidam exiſtimant, hinc dilatantes, inde coarctantes has propoſitiones magis, quam deceat. D. Tho. tam hic, quàm in ij. de Anima opus, & deſyderium iſtud naturale concedit etiam rebus inanimis: ſed quia viuentia habeant ſpecialem modum generandi ex ſeipſis, & ex ſemine interno; hinc propriè ipſis attribui, quæ omnium rerum naturalium, ortui, & interitui ſubiectarum, ſunt communia. Cur huiuſmodi viuentia generẽt, & cur a natura adipiſcãtur appetitum generandi, & relinqnendi ſibi ſimile; cauſam hanc tradit eodem in loco Ariſtoteles, ex iiij. de legib. Platonis deſumptam: Propoſitum eſſe omnibus rebus, quę ſecundum naturam agunt, vnum finem, vt permaneant quanto diutiùs, & quanto meliùs poſſunt, efficianturq; hoc modo ęternitatis, diuinitatiſque, pro ſua vnaquæque natura, participes, alię magis, alię minus: quoniam igitur eorum, quę ortui, & interitui ſunt obnoxia, nihil vnum, & idem numero durare perpetuo poteſt; ad perpetuitatem ſpeciei naturam cõfugiſſe, dediſſeque omnibus, quibus non ſponte ortus contingeret, & quę oblationes non eſſent vim, appetitionemque, generandi ſibi ſimilia: vt, poſtquam illa ipſa non poterant; ſimilia ſaltem permanerẽt; ac veluti renouatione ſtabiliretur ęternitas in mortalibus. Ergo deſyderium perpetuitatis, ac permanentię eſt cauſa alterius deſyderij, relinquendi ſibi ſimile; hoc, operis generandi; opus generandi, coniugationis maris, & fœminæ, & differentiæ ſexus.

Cauſa deſyderij. & operis generandi, relinquendique ſibi ſimile.

Series cauſarum coniugationis maris et fœminæ.

ARGVMENTVM. TEXT. VI.

Societatis dominicæ, & perſonarum eam conſtituentium, quæ ſunt eiuſmodi naturâ, diffinitiones; ſocietatis quidem, ſicut ſuperior, ex genere, materia, fine, & efficiente; perſonarum verò, ex officijs, partibus, facultatibus. Imperans & dominans, parens & ſeruum, vtrunque naturâ; illud eſt, quod cogitatione proſpicere; hoc, quod corpore exequi eadem poteſt, quæ vtrique conducunt: quapropter ſocietas dominica ſecundum naturam eſt prima, & neceſſaria ſocietas imperantis, & parentis, ſeu domini, & ſerui, quam in hominum genere natura facit, ſalutis, & utilitatis amborum communis causâ.

[a] Ἄρχον δὲ φύσει, καὶ ἀρχόμενον, διὰ τὴν σωτηρίαν. [b] Τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει, καὶ δεσπόζον φύσει: [c] τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον, καὶ φύσει δοῦλον. [d] διὸ δεσπότῃ, καὶ δούλῳ ταὐτὸ συμφέρει.

[a] Imperans autem naturà, & parens, propter ſalutem. [b] quod .n. poteſt cogitatione prouidere, eſt imperans naturà, & dominans naturà: [c] quod autem poteſt corpore hæc facere, eſt parens, & naturà ſeruum. [d] quapropter domino, & ſeruo idem conducit.

d. Elicitur prodeſſe illis, ad quos pertinet, quicquid fit concurrentibus in vnũ ſcientia & poteſtate.

Pro his quæ in hoc tex. dicuntur, vide text. 33. et quæ ibi. a. Adiunctis verbis textus quarti cõtinet definitionem ſocietatis dominicæ.

EXPLANATIO.

Perſonarũ antecedentis ſocietatis, et huius differẽtia.

IN PERSONIS proximæ ſocietatis natura, & cõditio; actus, & potestas non ſeiungebantur: ſed qui erat mas actu; idem etiam erat mas naturâ,

turâ, & poteſtate; ſimiliter fœmina: nec conditio, ſtatus, fortuna in his reperiebantur; quibus nomina, & vices mutarẽt. Neque enim à fortuna, ſed à natura, quæ eſt immutabilis, totum pendet ſexus, & actus generandi in ſe, & in alio diſcrimen. Ad ſeruiendum verò, & dominandum, imperandum, & parendũ; quibus muneribus diſtant inter ſe perſonę ſocietatem dominicam conſtituentes; interdum quos natura idoneos procreauit, eoſdem confirmat fortuna: interdum hæc ſeſe illi opponens dominationi natos tradit in ſeruitutẽ, extollitq; ad imperium, quos parẽre ęquum fuerat: vt in ſeruitute dominatus, in dominatu ſeruitus conſpiciatur. Hinc domini, & ſerui alij conditione tantùm, alij etiam naturâ. Ex domino igitur, & ſeruo, qui conditione ſunt, non naturâ, iungitur quidem ſocietas; ſed violenta, & præter naturam: quæ hac de cauſa etiam poſterior, non prima eſt. Siquidem quod eſt præter naturam, & violentum, poſterius eſt, atque exit ab eo, quod eſt naturâ, ij. cœli tex: com: 17. Quamobrem violentam hanc ſocietatem prætermiſit hoc loco Philoſophus, in quo loquitur de ſocietatibus primis, & ex quibus domus prima conſtat: dicturus de ea paulò pòſt, vbi generaliter de domo, & de omnibus eius partibus verba faciet. Alteram verò exponit, primam, & naturalem; quæ iungitur ex domino, & ſeruo, vtroque ſecundum naturam. [b] Sunt domini, & ſerui, ſeu imperantis, & parentis, qui naturâ eiuſmodi ſunt, partes præcipuæ, quibus ipſi munera ſua implent; [b] illius quidem διανοίᾳ .i. mens, aut cogitatio; [c] huius verò corpus: quamuis ſeruus animo etiam mandata percipiat; & dominus corpus menti idoneum habeat oportet, ſine quo nec mens eiuſmodi in eo exiſteret. [b] Sunt facultates, & officia domini, poſſe prouidere cogitatione, & reipſa prouidere; ſerui, poſſe corpore efficere, & efficere reipſa [d] eadem, quæ vtrique conducunt, [a] & ſunt ſalutaria. quotieſcunque enim ſcientia, & opera coniunguntur, ſiue ab eodem ambæ, ſiue à diuerſis præſtentur; rectiſſimè fit quicquid fit; nec poteſt non prodeſſe illis, ad quos pertinet. Et ſocietatis, quæ ex his conſtat, [*] genus proximũ eſt prima, & neceſſaria ſocietas; repetendo rurſus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verba textus quarti: materia [b] ſunt dominus naturâ, & naturâ ſeruus: [a] finis eſt ſalus, & vtilitas ex iiſdem rebus amborum communis: [*] efficiens cauſa eſt ipſa natura.

Partes textus quatuor. Prima (a) ſocietatis dominicæ; Secunda (b) domini, & imperãtis naturâ; Tertia (c) ſerui, & parentis naturâ definitiones continet. Quarta (d) concludit ex ſecunda, & tertia, tanquam ex cauſa, id, quod dictum fuit de fine huius ſocietatis.

Dominorũ, & ſeruorũ diuiſio in tales naturâ & tales cõditione vnde: & quæ ſocietates ex his fiant.

De vtris ſeruis dominisq; hic loquatur Philoſophus & cur.

Dominorũ & ſeruorum natura partes. poteſtates, officia.

Societatis dominica ſecundũ natura, genus, materia, finis, efficiens.

Partes textus.

b. imperãs naturâ et dominans.
c. parens & naturâ ſeruum.
b. cogitatione.
c. corpore.
b. quod n. poteſt. c. quod autem poteſt.
d. quapropter domino, &c.
a. propter ſalutem.
** Neceſſe eſt primùm coniugari ex tex. quarto.*
b. Imperans naturâ et dominãs, parens et naturâ ſeruum.
a. propter ſalutem d quapropter domino, &c.
** naturâ, quater.*

S C H O L I A.

Imperans naturâ, & parens. Latius patent hęc uocabula, quàm alia duo domini, & ſerui. nam dominus, & ſeruus certa imperij forma definiuntur. Addit igitur hęc uocabula, quaſi v ſurpans argumentũ à genere: quod ſi imperans, & parens; etiam dominus, & ſeruus eiuſmodi ſint oporteat. Quanquam enim in ciuilibus imperijs iidem homines imperent, pareantque viciſſim; ex quo non poſsint ita diſtingui: tamen naturaliter alij ad imperandum, alij ad parendum perpetuò ſunt idonei; qui ſic diſtinguuntur aut ſimpliciter, aut quodam modo. Vel accepit Philoſophus hęc uocabula ἐκ παραλλήλου; vt poſteriori prius determinaret: *imperans naturâ, & dominans naturâ:* id eſt illud imperans natura, quod eſt dominans naturâ: *parens, & naturâ ſeruum:* parens naturâ, quod eſt natura ſeruum. Nec huic repugnat id, quod ſcribit Cicero in primo officiorum: infitam nobis

Imperans & parens. dominans et ſeruũ.

Dubitatio ex verbis Ciceronis an poſſit eſſe aliqs imperans & ſeruus naturâ.

nobis eſſe appetitionem quandam principatus, vt nemini parere animus bene informatus à natnra velit. tollunt enim dubitationem omnem verba illa, quæ ſubiunguntur: *niſi præcipienti, & docenti, aut vtilitatis cauſa iuſtè, & legitimè imperanti.* ſiquidem hę conditiones adſunt imperantibus naturà, dominiſque potiſsimum, vt ex hoc rexru liquet, clariuſque liquebit ex ijs, quę infrà de hac re dicentur.

Verba Ciceronis in primo officiorum.

Ex D. Thom.

Cauſa ſocietatis coniugalis, & dominica.

Propter ſalutem. Conſeruationem rerum ſuarum natura exoptat, &, quantum poteſt, ſingularum. Vbi verò amplius tueri has nequir; tùm, ſaltem ſpecie permaneant, laborar. Ad hanc ſpecierum ęternitatem molita eſt generationem; generationiſque causà coniugationem maris, & fœminę ita in hominibus, quemadmodum in pleriſque belluarum, vr ſuprà dixi. Ad conſeruationem verò, & ſalutem hominum ſingulorum, quandoquidem mutuis egent officijs, nec vnus præſtare omnia poteſt; inſtituir ſocietatem domini, & ſerui.

Vtra harum duarum ſocietatũ ſit prior, & magis naturalis.

Primo œconom. cap. 3.

Egidius de Regimine Principum lib. ij. pp. cap. 5.

Vtra igitur prior harum duarum ſocietatum? & vtra magis naturalis? Ferè omnes, in quibus eſt etiam Auctor œconomicorum, anteponunt coniugalem. Ciceronem quoque idem ſentire aliquis credere poſſet: quia in primo officiorum ſcribat, primam ſocietatem in ipſo eſſe coniugio, proximam In liberis, &c. Sed Cicero ibi de propinquorũ tãtùm ſocieratibus loquebatur. Ridiculi ſunr, qui huius ordinis cauſam eam afferunt, quòd generatio vniuſcuiuſque rei conſeruationem anrecedat. Allud enim eſt generare, aliud generari: hoc antecedit, illud ſequitur conſeruationem: & qui matrimonio iunguntur, ex coniunctione iſta non generantur, ſed generant. Quamobrem hac ratione potius anteirer dominica ſocieras, quę conſeruationem ſpectat. Et adhuc quia prius & rempore, & naturà nutriuntur animalia, quàm ſobolem procreenr. referuntur nanq; ſeruus, & dominus pręcipuè ad victum, & alimenta. Ego igitur ambas has ſocierates eodem loco ſtatuo. Tam enim eſt neceſſarius vnicuiq; ad ſuum ęuum vitamque degendam ſeruus, vel qui ſir pro ſeruo, bos, aut mulier, aur puer, aut denique inſtrumentum aliquod inanimum (ſiquidem & hoc pro ſeruo eſſe egentiſsimis hominibus ijdem illi, qui eam cauſam afferebant, uolunr:) quàm eſt neceſſaria mulier ad ſpeciei ęterniratem. Atque viuunt quidã cœlibes etiam in ciuitatibus: nemo viuit ſine ſeruo aliquo, ſuo, aut alieno, id eſt ſine ſerui miniſterio, niſi ſir planè ſylueſter, & ferus. Natura tamen, magis ſolicita de ſpecie, acerrimos nobis veneris, ſocietatiſqne coniugalis indidir ſtimulos. Ad extremũ domus perfecta non eſt; niſi habeat ambas has ſocietates: vt ex ijs, quę deinceps dicentur, planius fiet.

Sententia Interpretum D. Thom. Fabri Acciaioli.

Quod enim poteſt cogitatione, &c. Hęc omnia, quæ ſequuntur vſque ad finem textus, eſſe probationem illius, quod dictum eſt, *propter ſalutem coniugari imperans & parens*, volunr Explanatores.

Dominorum, ſeruorũq; naturâ etcõditione differẽtia.

Quod poteſt cogitatione prouidere, &c. Euenir ſępe contrarium in dominis, & ſeruis conditione: ita vt ſeruus animo, dominus corpore magis valeat. quod deplorar ſeruus Ariſtophanis in principio Pluti.

Optimè tributũ ſeruis corpus, dominis animus valens.

Cogitatione: corpore. Corpus eſt inſtrumentum animi; & ſeruus domini inſtrumentum; quamobrem optimè hęc diſtribuuntur a natura: vr dominus animo, corpore ſeruus præſtet.

Eſſe dominos & ſeruos naturâ.

Dominans naturâ, & naturâ ſeruum. Eſſe dominos quoſdam, & quoſdam ſeruos naturà, non ſolùm conditione, & lege, declarabit infrà Philoſophus cap. x. & ſequentibus: & nos ibi hac de re plura dicemus.

Finis huius ſocietatis eſt vtilitas communis domini & ſerui.

Ex D. Thoma.

in primo Anthologia.

Quapropter domino, & ſeruo idem conducit. Idem opus, quod proſpicit dominus animo, & exequitur ſeruus corpore, vtrique prodeſt. Nam quod rectè fit, non poteſt non prodeſſe: rectè verò fit quicquid fit cõcurrentibus in vnũ ſcientia, & poteſtare. Atque ille quidem, qui mentis acie valet ad præuidendum, deſtitutus uiribus corporis ſeruari Interdum nõ poſſet, niſi haberet ſeruum perficientem ea, quæ ab ipſo eſſent pręuiſa. Eodem pacto iſte, qui pollet corporis viribus, niſi regeret eum alterius prudentia, incolumis diu non permaneret. Vt in hos aptè quadrenr Gręca illa epigrammara, Philippi, Antiphili, Platonis iunioris de cęco, & claudo: quorum ſententiam Latinè ſic expreſsit Auſonius.

Auſonius epigram. 183.

Inſidens cæco graditur pede claudus vtroque:
Quo caret alteruter, ſumit ab alterutro.
Cæcus nanque pedes claudo, greſſumque miniſtrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Ex Fabro.

Cap. 10. & ſequẽtibus præcipue ſuper tex. 65.

Lib iij. cap. 4. & lib. vij. cap. 13.

Et quemadmodum ſingulis nobis opus eſt animo ſimul, & corpore: quorum altero alterum adiuuatur: ita in genere humano, qui corpore, & qui animo præſtant, inter ſe coniungi, opitularique ſibi mutuò debent. Adhæc, effectus huius operis, quod imperat dominus, ſeruus exequitur, reſpondet proportione proli in altera ſocietate: nam quod ibi ortus prolis; hic operis exequutio, & effectus: eſt autem in altera ſocietate proles vtriusque coniugatorum bonum, & finis. Sed infrà etiam loco magis idoneo videbimus vtrum finis huius ſocietatis ſit ſalus, & vtilitas cõmunis ambarum harum perſonarum, vt hic dicitur, ſequentique confirmabitur diſputatione; an propria domini, cuius causà fiant vniuerſa, quod dici videtur in libris poſterioribus.

ARGVMENTVM TEXT. VII.

Diſtingui naturâ fœminam, & ſeruum: vnde eueniat diſtingui ſimiliter duas expoſitas ſocietates. Ratio ex finibus illorum, traditis in duobus ſuperioribus textibus; qui inter ſe ſunt diuerſi, & ſunt procreatio, & ſalus; adiuncto ad hæc more naturæ, ſemper id, quod melius eſt, efficientis, hacque de cauſa non ad multa, vt fabri ærarij gladium Delphicum, ſed ad ſingula opera ſingula inſtrumenta molientis. Loci principales, à fine, à genere, à partibus. Loci adiuncti, à cauſa efficiente, à fine, à compara tione.

[a] φύσει μὲν οὖν διώρισται τὸ θῆλυ, καὶ τὸ δοῦλον. [b] οὐθὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον, οἷον χαλκοτύποι τὴν * Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς, ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. [c] οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον, μὴ πολλοῖς ἔργοις, ἀλλ' ἑνὶ δουλεῦον.

* Legitur hæc vox Δελφικὴν in oībus exẽplaribus latinis, & in quibuſdã græcis, in quibuſdam non legitur.
b. ſimile in de partib. cap 6.

[a] Naturâ igitur diſtincta ſunt fœmina, & ſeruus. [b] nihil enim natura facit tale, quale fabri ærarij Delphicum gladium ob paupertatem; ſed vnum ad vnum. [c] ſic enim optime conficeretur inſtrumentorum vnumquodque, non multis operibus, ſed vni ſeruiens.

b. c. Elicitur. Natã facere qđ melius eſt: qua propoſitio ſcribitur in tex. com. 34. ij. de cœlo. & alijs in locis. Elicitur quoq; fœminam, & ſeruum eſſe inſtrumẽta naturæ.

EXPLANATIO.

Sententia textus.

Sententia huius textus paucis ſic comprehendi poteſt. Fœminam, & ſeruum eſſe diſtincta naturâ inter ſe, ex eo liquet; quòd fœminam procreationis liberorum, ſeruum vtilitatis, & ſalutis causá natura facit, qui ſunt fines diuerſi; natura autem, ſemper moliens quod optimum eſt, contrà ac fabri ærarij Delphicũ gladiũ fabricarẽtur, multis aptum miniſterijs, ipſa in ſingula opera ſingula condit inſtrumenta: hæc .n. optime ſic conficiuntur, ſi vnumquodq; eorũ vni tantùm operi ſit deſtinatum. Quam ſententiam hoc modo explicamus. [c] Inſtrumenta omnia ad vſus, & actiones parantur, quocirca varias formas; & in varijs eas materijs habeant oportet, pro earum actionum varietate. Serra ex ferro, & dentata eſt, ad ligna

Inſtrumenta optime conficiũtur, ſi ſingula ſingulis operibus deſeruiant.

&lapides deſecandos: penicillum ad pingendum, ex animalium ſetis, oblongum, atq; orbiculatum: & alia ſimiliter. Optime igitur (per locum à fine) conficientur inſtrumenta, ſi vnumquodque eorum non multis operibus, ſed vni tantùm deſignetur, ac deſeruiat; preſertim ſi diuerſa penitus opera ſunt, ac ſe mutuo impediunt, nec obeſt multitudo inſtrumentorum. [b] id quod etiam (optime, in quam, ſic confici inſtrumenta) magis liquet ex comparatione illius gladij, quem Delphicum appellabant, à fabris ærarijs [b] ob inopiam, id eſt vel ad vſum pauperum, uel inopia ferri, vt multis miniſterijs inſeruiret, elaboratum. ille enim gladius multorum quidem inſtrumentorum munera explebat, quum alia ſui parte, puta pro gladio eſſet, alia pro ſerra, alia pro furcula, aut cochleari: ſed pro ſingulis imperfectè; hoc modo inutilitatē cum vtilitate coniunctam habens. quapropter & egeſtate coacti; non libero adducti conſilio, ueteres eum excogitarunt. [b] Natura autem quod melius, quodq; optimum eſt, ſemper facit. Ergo (per locum à cauſa efficiente) & inſtrumenta fabricatur, ac deſtinat ſingula ſingulis operibus, non multis vnum: quemadmodum fabri illi ærarij gladium Delphicum fabricabantur multis operibus deſtinatum. Porrhò fœmina, & ſeruus ſunt inſtrumēta naturæ; hic ad ſalutis, & conſeruationis, illa ad procreationis opus, vt ex ſuperioribus duobus textibus liquet; quæ opera ſunt diuerſa. Ergo (per locum à fine, & à genere) fœmina, & ſeruus vnum eſſe non poſſunt, ſed neceſſariò naturâ inter ſe diſtincta ſunt. Ergo etiam (per locum à partibus) duæ expoſitæ ſocietates, quarum primæ fœmina; ſecundæ ſeruus eſt pars; ſunt naturâ inter ſe diſtinctæ. Partes textus tres. In prima eſt theorema de maris, & fœminæ diſtinctione: in ſecunda maior probationis huius theorematis: in tertia cauſa eius maioris.

b. quale fabri ærarij &c.

b. ob paupertatem.

b. id eſt, optimè, conficientur.

Natura hoc obſeruat, vt ſingula ſingulis operibus inſtrumenta deſtinet.

Fœmina & ſeruus ſūt naturâ inter ſe diſtincti.

Coniugalis et dominica ſocietas ſunt naturâ inter ſe diſtincta.

Partes textus.

SCHOLIA.

Scopus huius textus.

Naturâ igitur diſtinguuntur, &c. Cur probat Philoſophus hoc loco diſtingui fœminam, & ſeruum? P. Victorius: ne putaret aliquis eos non diſtingui; tum quia mulieres ſint conſilij imbecilli; & ſeruos conſilio nihil valere dictum ſit paulò antè; tum quia apud Barbaros mulieres loco ſeruorum haberentur, vt ſtatim dicetur. Sed quæ eſt hæc diſtinctio ſerui & mulieris? D. Thomas; fœmina eſt idonea ad generādum ex alio; corpus robuſtum non habet, quod requiritur in ſeruo. An verò multæ ſunt differentiæ tam in corporibus quàm in animis mulierum, & ſeruorum; ſed præcipue in corporibus, quorum temperaturas ſequuntur animorum mores, & conſtitutiones, vt docet Galenus libello huius tituli. corpus fœminæ eſt molle, vt aptum ſit ad generationem; ſerui durum, vt ad laborem. At ſi firma eſt ratio Philoſophi; ſuntque naturà diſtincta fœmina, & ſeruus, proptereaquòd fines eorum ſunt diſtincti: cur non eodem modo diſtincti ſunt mas, & dominus; quando alius maris, alius domini eſt finis? An dominus inſtrumentum non eſt, ſed vtens inſtrumento ſeu mas, ſeu fœmina fuerit: non diſtinguuntur autem naturà, & ſubſtantia ex finibus cauſæ efficientes, ſed inſtrumenta tantum. Ex hoc verò loco; quia diſtincta ſint naturà fœmina, & ſeruus; intelligitur peccare illos, naturæque aduerſari, qui vxoribus ſuis pro ſeruis vtuntur, vt fuſe nonnulli docent.

P. Victorius.

Serui & mulieris differentia.

D. Thomas.

Dubitatio contra rationem Philoſophi, et eius diſſolutio.

Vide Egidiū in ij. de Regimine Principum, pp. cap. 15.

Nihil enim natura facit tale, &c. Idem ſcribit Ariſtoteles in 6. cap. lib. iv. de Partibus animalium: Nihil tale naturam facere niſi coactā, quale per inopiam ars æraria obeliſcolychnium ex veru, lucernaque componit. Contrarium legitur frequentiſsime in toto illo opere de partibus, & in libris de Vſu partium Galeni: quædam, inquam, membra eſſe in animalibus, quorum ſingulorum non

V. natura inſtrumēta ſua faciat, & adhibeat ſingula ſingulis operibus.

ſingula,

ſingula, ſed multa ſint munera; habereque hunc morem naturam, vt iiſdem partibus ad plura officia abutatur. quod nominatim de proboſcide elephanti, & de lingua tam hominis, quàm aliorum animalium docet Ariſtoteles multis

cap. 16. & 17.

verbis ſub exitum ij. de Partibus; & de gula, & de membris generationis, & de alijs quibuſdam alijs in locis. Et Auerroes generaliter in comentatione 45. xij. Poſtnaturalium: *quod poteſt natura facere vno inſtrumento, non facit duobus.* Concilientur tamen hæc per ea, quæ ſcribuntur ab Ariſtotele in eodem 6. cap. iv. de Partibus. *Vbi licet*, inquit, *duobus vti inſtrumentis ad duo opera, nec aliud impeditur, nihil tale natura facere ſolet, quale per inopiam ars æraria obeliſcolychnium: attamen ſi id fieri non poteſt, eodem ad plura opera abutitur.* Reſponſio igitur, & præceptum erit huiuſmodi: Si poteſt natura facere, atque vti factis ad ſingula opera inſtrumentis ſingulis; facit, & vtitur: ſi non poteſt; facit & vtitur eodem ad multa, vel potius abutitur ad reliqua, quum ad vnum tantùm vtatur. Non poſſe autem facere, & vti ſingulis inſtrumentis ad ſingula opera natura dicitur; ſi aut inter ſe plura illa inſtrumenta, aut alij rei officerent. Inter ſe officerent vel ex loci anguſtia, ſi forent nimis propinqua; uel ex contrarijs conſtitutionibus, puta ſi alterum durum, alterum fragile; quæ occurrere ſibi mutuo in ſuis muneribus obeundis oporteret. Officerent alij rei, id eſt vel proximo alicui inſtrumento ob eaſdem cauſas, ab anguſtijs, conſtitutionibuſque contrarijs ductas; vel toti illi rei, cuius ſunt inſtrumenta, ſi onus ipſi, aut impedimentum ad officia celſiora allatura eſſent. Hæc ex Ariſtotele.

Prima reſponſio quæ eſt Ariſtotelis.

D. Thom. Acciaiolus. Victorius. — *Secunda reſponſio.*

Alij ratione maximè differenti, & contraria ſedare volunt repugnantiam. Nam quum dicat Ariſtoteles ſingulis ſemper inſtrumentis ad ſingula opera naturam vti, ſi poteſt; ſi non poteſt, eodem ad multa: iſti è contrario; malle vti naturam eodem inſtrumento ad multa opera, ſi poſſit; ſin minus, vti ad ſingula ſingulis. Non poſſe autem naturam vti ad multa opera vno inſtrumento inquiunt, quotieſcunque illa multa opera in eodem inſtrumento inuicem ſe eſſent impeditura aut ſimpliciter, quia eſſent motus contrarij, contraria hac de cauſa inſtrumenta requirentes; aut quia crebrò, aut quia ſimul ijs fungi oporteret, cui crebritati, & actionum varietati eodem tempore præſtandæ vnum inſtrumentum non ſufficeret.

Acciaiolus. — *Tertia reſponſio.*

Quidam paulò melius: Deſtinare naturam vnumquodque inſtrumentorum uni operi primùm, & principaliter; ſecundo loco etiam ad alia. quod Ariſtoteles vocat abuti. Sic linguam datam eſſe hominibus, multiſque alijs animalibus primùm ad ſapores percipiendos; exinde uerò ad vocem explanandam.

Quarta reſponſio.

Plauſibilius fortaſſe reſponderetur: Verum eſſe quod hic affirmat Philoſophus; vni operi ſemper vnum à natura inſtrumentum deſtinari; ſi de eiuſmodi inſtrumentis loqueremur, cuiuſmodi erat gladius Delphicus, nimirum quæ diuerſis partibus ſui diuerſis operibus inſeruirent; ſic enim ad ſingula eſſent minus idonea ex adiunctione inutilium partium: at ſi talia fuerint, vt tota ſimul ad vnumquodque eorum operum, in quæ diriguntur, vſum habeant; optimè naturam vno ad multa vti.

Delphicus gladius.

Delphicum gladium. Varijs vſibus accomodatum hunc gladium fuiſſe, cognoſcitur ex hoc loco. quibus autem vſibus, & quali omnino forma, & vnde appellatum, non memini me legiſſe apud claſsicum vllum auctorem. Diuinat hic Cælius & ad mactandas victimas, & ad ſumendum de ſontibus ſupplicium antiquos eo vti ſolitos. ſed quiuis gladius, non ſolùm Delphicus, vtrunque præſtaret: nec variatur vſus ex accidentibus: eſtque idem opus ferire animal uel punctim, uel cæſim.

Ob paupertatem.

Ob paupertatem. Quidam, propter pauperes, vt vno ſumptu multa ſibi pararent inſtrumenta, id eſt multorum vtilitatem in vno. Alij ob ferri, ſeu æris inopiam; cuius indigi parce eo uterentur, artificium adhibentes in materiæ tenuitate.

V instrumenta optimè conficiantur, ſi vnū quodque eorū vni tantùm operi aſſignet & deſtruatur.

Sic enim optimè conficeretur, &c. Optimum ſanè, ac nobiliſsimum inſtrumentum illud eſſet, quod multis vſibus eodem tempore inſeruiret; & tam commodè, perfectèque, quàm multa, & diſtincta inſtrumenta, quorum ſingula ſingulis ijs vſibus eſſent deſtinata. Sed fieri omnino non poteſt, vt vnum inſtrumentum aptum ſit ad multa opera æque, ac ſunt inſtrumenta multa. id quod cerni-

D tur

tur in ijs inſtrumẽtis, quę modo gladij Delphici, & obeliſcolychnij noſtra quoque ętate fabricantur. eiuſmodi enim inſtrumenta alijs, & alijs ſui partibus, non ſolida, & tota, varijs operibus deſeruiunt; ob eamque cauſam minus perfecte: ac ſi tota etiam ijs omnibus operibus deſeruire poſſent; non omnibus tamen poſſent eodem tempore. Hinc, ideſt ex neceſſitate, quoniam non poteſt inſtrumentum vnum, totum, & eodem tempore multis operibus deſeruire; optime conficiuntur inſtrumenta, ſi ſingula ſingulis vſibus tribuantur.

ARGVMENTVM. TEXT. VIII.

Dubitationem contra theorema ſuperioris textus naſcentem ex eo, quòd apud Barbaros fœmina, & ſeruus eodem ordine habeantur; tollit κατ' ἀντίθεσιν *expoſita cauſa: nempe quia Barbari non habeant imperans naturâ; ſed idem ſit naturâ Barbarus, & ſeruus: hoc autem confirmat teſtimonio Poetarum. Loci principales; dubitationis quidem, per expoſitionem; ſolutionis verò, per cauſam materialem. Locus adiunctus à teſtimonio.*

[a] Ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ, καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. [b] αἴτιον δ' ὅτι τὸ φύσει ἄρχον οὐκ ἔχουσιν. [c] ἀλλὰ γίνεται ἡ κοινωνία αὐτῶν δούλης, καὶ δούλου. [d] διό φασιν οἱ ποιηταὶ, [βαρβάρων δ' Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός:] [e] ὡς ταὐτὸ φύσει βάρβαρον, καὶ δοῦλον ὄν.

[a] Apud Barbaros autem fœmina, & ſeruus eodẽ ordine habentur. [b] cauſa verò huius eſt, quòd naturâ imperans non habẽt; [c] ſed ſocietas ipſorum eſt ſeruæ, & ſerui. [d] quapropter aiunt Poetæ, *Barbaricæ genti æquum eſt imperitare Pellaſgos:* [e] tanquam idem ſit naturâ Barbarus, & ſeruus.

b i. e. Quære etiam infra tex. 62 & 63. & cap. 10. lib. vij.

EXPLANATIO.

Sententia textus.

APVD Barbaros fœmina, & ſeruus pari gradu habentur: ergo videtur falſum, quod traditum fuit in textu ſuperiori, diſtingui naturâ fœminam, & ſeruũ. Sed ſoluitur: nam cauſa huius differentiæ inter Barbaros, & Græcos eſt, quòd Barbari non habent naturâ imperans, imò idem eſt prorſus naturâ Barbarus, & ſeruus: proinde etiam conficitur omnis ſocietas maris, & fœminæ apud ipſos ex ſeruo, & ſerua. Confirmaturque hæc ſolutio teſtimonio Poetarum, dicentium par eſſe, vt Græci in Barbaros imperium habeant. Hæc eſt breuiter ſententia huius loci, quæ fuſius ita explicatur. Conſtitutum eſt in textu ſuperiori, diſtincta eſſe naturâ fœminam, & ſeruum. Nec repugnat, quanquam fortaſſe videtur repugnare, [a] quòd Barbari fœminas, & ſeruos eodem prorſus habeant loco, fœminis ſuis vtentes vt ſeruis. Non [b] repugnat, inquam, quia non eſt apud Barbaros dominus; & imperans naturâ; [c] ſed ſolùm ſeruus, & cui eſt imperandum. Liquet hoc ex definitionibus antea traditis in tex. 6. domini, & ſerui naturâ. quippe dominus naturâ is erat, qui cogitatione proſpicere; ſeruus naturâ, qui exequi corpore eadem poterat, quæ vtrique conducerent: quarum definitionum, conditionumque hæc penitus, illa nullo modo in Barbaros cadit. [d] Et confirmatur teſtimonio Poetarum, canentium,

Dubitatio exoriés et eius diſſolutio.

Non eſt apud Barbaros, imperans naturâ ſed ſolùm ſeruus.

Ex D. Thom.

a. b. Græcos Barbaris dominari æquum eſſe. [e] ex quibus Poetarum verbis intelligitur, putare illos idem eſſe naturâ Barbarum, & ſeruum. [b] Non eſt imperans naturâ apud Barbaros, ſed tantùm ſeruus: [a] idemq́ue eſt naturâ Barbarus, & ſeruus: [c] ergo apud illos non ſunt duplices ſocietates primæ; unæ ex liberis, dominisq́ue; alteræ ex ſeruis maribus, & fœminis; ſicut ſunt apud Græcos: ſed omnis eorum ſocietas prima, ac naturalis fit ex ſeruo, & ſerua. Ergo nec mas, nec fœmina ſeparari poſſunt apud Barbaros nec in ſocietatibus, nec ſimpliciter a ſeruo naturâ; quemadmodum apud Græcos ſeparantur: ſed vtraque ſunt eadem ſemper; mas, & ſeruus naturâ; fœmina, & naturâ ſerua. Ergo, ſi fœminæ apud Barbaros, quæ liberæ, ac dominæ videntur eſſe conditione, quum ſeruæ naturâ ſint, pro ſeruis putantur; id rectè fit: & rectè itidem fieret, ſi mares pro ſeruis putarentur. Sed quod plus pollet; in alterum imperium ſumit; violentiâ ſanè, non naturâ. Quanquam verò apud Barbaros coniuncta ſunt, & eundem tenent locum fœmina, ac ſeruus ob cauſas expoſitas: non tamen ſimpliciter ſunt coniuncta; ſed poſſunt ſeparari; & reuera ſeparantur apud Græcos. Quamobrem hæc natura, hocq́ue inſtitutum Barbarorum, quod partim eſt naturale, partim violentum, vt conſtat ex ſuperioribus; non tollit vllo modo præceptum textus antecedentis, nec pugnat cum eo: imò magis illud confirmat, ſi dicamus Barbaros tam mares, quàm fœminas à natura editos, vt ijs, qui Barbari non ſunt, ſeruitutem ſeruiant. Partes textus tres. Prima (a) originem dubitationis exponit, quòd apud Barbaros fœmina, & ſeruus eodem loco habeantur. Secunda (b c) tollit dubitationem, narrata cauſa, cur ſint apud Barbaros fœmina, & ſeruus eodem gradu. Tertia (d e) confirmat teſtimonio Poetarum hanc cauſam: ideſt apud Barbaros non eſſe naturâ imperans.

Non ſunt duæ apud Barbaros primæ ſocietates ſed vna tantùm.

Conſentit, nõ pugnat natura & inſtitutum hoc Barbarorum cum præcepto tex. antecedentis.

Partes textus.

S C H O L I A.

Apud Barbaros. Hìc multa de Barbaris D. Thomas. Ad extremum Barbaros alios ſimpliciter, alios quibuſdam dici ait. Barbaros ſimpliciter eſſe eos, quibus ratio ſit imperfecta vel ob cœli intemperiẽ, ſub quo inhabitent, vel ob prauam aliquam regionis ſuæ conſuetudinem. Ex qua demum imperfecta ratione tùm diſciplinarum, artiumq́ue liberalium expertes ſint; tùm legibus aut omnibus, aut rectis careant. Quibuſdam autem Barbaros dici, quorum ſermo illis non intelligatur, quibus dicuntur Barbari. Atque hoc loco Philoſophum de Barbaris ſimpliciter ſermonem habere. Cæterum Græci, alios omnes populos præ ſe nihili ducentes, quaſi rudes, & agreſtes, uel immanes, & feros hoc vocabulo notabant.

Barbari ſimpliciter, et quibuſdam.

Barbari a Græcis omnes alij populi.

Apud Barbaros fœmina, & ſeruus, &c. Plato etiã in vij. de legibus narrat Thracas, compluresq; alias nationes ſuis mulieribus, perinde ac ſeruis, vti ſolitas in agris colendis, bobus, pecudibusq́ue paſcendis, & id genus alijs ſeruilibus miniſterijs. Noſtris temporibus maximè Germanæ, atque Heluetiæ mulieres uiris ſuis ſeruiunt, peregrinantes quoque cum illis, & onera ferentes, quaſi ſerui, aut potius quaſi iumenta eſſent. immania enim geſtant pondera. Lex Mahumeti, eiusq́ue cultores non pro ſeruis ſed pro belluis mulieres habent.

Mulieres pro ſeruis.

Naturâ imperans non habent. Et infra. *tanquam idem ſit naturâ Barbarus & ſeruus.* Si ſeruus omnino eſt τῶν πρός τι, quæ ſimul ſunt, & non ſunt; quomodo poteſt eſſe, vbi non eſt dominus? An Barbari, non quidam, ſed omnes ſerui ſunt; & ſerui quidem habitudine, naturâq́ue, non actu, & conditione; ſerui autem naturâ, & habitudine Græcorum: apud quos duntaxat, prudentiæ, & conſilij verè participes, inueniuntur id, quod eſt aptum naturâ ad imperandum. Itaque ſimul

Serui quô eſſe poſſunt ſi non ſunt domini apud Barbaros.

ſunt naturà, & tempore ſerui Barbari, ac domini Græci, ad quos illi referuntur, licet non eodem ſint loco: quo ſanè pacto ideſt tempore, & naturà, non loco oportet eſſe ſimul, quæ inuicem referuntur.

Vna tantùm eſt prima ſocietas apud Barbaros.

Societas ipſorum eſt ſerua, & ſerui. Ergo apud Barbaros vna eſt tantùm prima ſocietas, quę eſt maris, & fœminæ. nam quæ eſt domini, & ſerui apud eos eſſe prorſus non poteſt, qui non habent dominum, & imperantem naturà.

Laudat quiſque ſuos naturaliter.

Barbaricę genti æquum eſt &c. Euripidis verba ſunt ex Iphigenia in Aulide. Quum autem naturale ſit unumquemq; ſuos laudare, Græci potiſsimum hoc faciunt. Etiam apud Platonem in Menexeno legitur oratio Aſpaſiæ de laudibus Athenienſium.

TEXTVS IIII.

*

Ipſa Domus.

PARS SECVNDA SECVNDI CAPITIS.

De Domo: Domus prima, & domus in vniuerſum definitiones.

Ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο, &c. Tex: ix. & x.

ARGVMENTVM TEXT. IX.

Quaſi definiens ex materia domum primam; declarat conſtare eam ex duabus expoſitis ſocietatibus, coniugali, atq; dominica: tum Heſiodi teſtimonio confirmat, quodam carmine hanc fidem facientis; in quo carmine poſuerit ille bouem pro ſeruo, quia ſit bos, uel alia ſimilis bellua pauperibus loco ſerui.

[a] Ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο κοινωνιῶν, οἰκία πρώτη. [b] καὶ ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας [οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.] [c] ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστι.

[a] Ex his igitur duabus ſocietatibus domus prima cōſtat. [b] & rectè Heſiodus carmine cecinit: *Ædes principiò, vxoremque, bouemque aratorem.* [c] bos enim pro ſeruo eſt pauperibus.

b. Hoc idem carmen Heſiodi citat & eodē modo interpretatur Auctor Oecon. lib. 1. cap. 2. quod carmen legitur in principio ij. libri operum & dierum.

EXPLANATIO.

Domuū modi & ſpecies.

DOMVS quædam propriè, quædam impropriè. Earum, quæ propriè dicuntur, aliæ ἁπλῶς, & perfectæ; aliæ κατά τι, & imperfectæ. Perfectarum rurſus aliæ perfectæ tantùm, & primæ; aliæ perfectiores; aliæ perfectiſsimæ. Domus impropriè nominantur, quom ſolitarii homines habitant, vel vir, vel mulier, ſine ſocietate vlla domeſtica ob paupertatem, aliamue aliquam cauſam: quales non ſolum extra vrbes, ſed etiam in vrbibus multi reperiuntur. aptiori enim vocabulo cellæ, & heremi nuncuparentur.

Domus impropriè appellatę.

Domus

Domus κατάλ. et imperfecta.

Domus κατάλ. & imperfectæ ſunt omnes illę, in quibus cernitur vtralibet expoſitarum ſocietatum, aut dominica, aut coniugalis; & ea vel ſola, vel ſimul cum tertia non adhuc expoſita, quę paterna nominatur. Huiuſmodi fuerunt cunctę domus Romanorum, antequam illi vicinas fœminas raperent: & ſunt omnes cœlibum, ſeu omnino, ſeu poſt nuptias maneant in cœlibatu, & ſeu filios habeant ſeu minime. carent enim altera ex ſocietatibus neceſſarijs, nimirum coniugali. Tales etiam ſunt omnes Barbarorum domus, in quibus non eſt naturâ imperans; & omnes pauperum, ſeruos non poſſidentium. nam quanuis bos eſſe pauperibus pro ſeruo dicatur; non tamen abſolutè implet ſerui miniſteria. Domum primam, & perfectam vocamus eam, quæ cõtinet ambas ſocietates primas, ac neceſſarias. Siquidem duarum potiſsimum rerum causâ inſtituta eſt domus; primùm ſalutis, & vtilitatis eorum, qui in vnam habitationem conueniunt; deinde perennitatis prout illam aſſequi poſſumus, & hac de cauſa procreationis liberorum, in quibus quodammodo ęternitatem nanciſcimur. Proinde etiam perfectiorem appellamus domum, in qua liberi iam ſunt ſuſcepti, & paterna ſocietas iuncta. Perfectiſſimam autem, cui pręter hęc adeſt pecuniarum, & inſtrumentorum ad omnem vitę vſum ubertas, & copia. Hic de prima domo, quę tamen ſimpliciter, ac perfecta domus eſt; loquitur Philoſophus: quandò (ex textu iij.) partes, & elementa prima, ac minima ciuitatis quæruntur. [a] Iure igitur conſtare eam ait ex duabus ſocietatibus: quarum vna procreationis, altera ſalutis gratia iungitur. Atque eſt hęc quidem veluti definitio primę domus, à materia ducta: Domus prima eſt illa, quę conſtat ex duabus primis ſocieratibus, coniugali, & dominica. [b] Hoc autem, quia ſatis eſt notum, vno Heſiodi teſtimonio confirmat. qui Heſiodus in quodam carmine, loquens de domo, vxoris ſimul, bouiſque meminit. & ſanè per bouem ſeruum deſignauit: nam bos in pauperum domibus, pręcipuèq; agricolarum vicem ſerui pręſtat: quippe in opere ruſtico illorum eſt ſocius, ac miniſter. Eadem autem eſt ratio de boue, & de alijs iumentis, ac ſimilibus belluis, quibus homines ad opera ſibi conducibilia vtuntur. Partes textus tres. Prima proponit primę domus quaſi definitionem materialem. Secunda eam confirmat Heſiodi auctoritate. Tertia declarat quiddam, quod in hac auctoritate Heſiodi continebatur.

Domus prima & perfecta. — *Domus perfectior.* — *Domus perfectiſſima.* — *De qua domo hic Philoſophus.* — *Definitio primæ domus.* — *Partes textus.*

SCHOLIA.

Primæ ſocietates, & prima domus.

Ex his igitur duabus ſocietatibus domus prima. Primæ ſocietates ſunt coniugalis, & dominica: ex quibus ſolis fit prima, & perfecta domus. Adiuncta ad has paterna non primam, & perfectam, ſed ſecundam, & perfectiorem domum facit. Diuitiæ tandem omnibus tribus accedentes faciunt perfectiſsimam. Ex quibus intelligitur, errare eos, qui primam domum ex coniugali, paternaque ſocietate primùm conſtituiſſe aiunt ſine vlla ſeruorum opera; deinde laboris ſocium bouem aſcitum, quo ad arandos agros vterentur. ſiquidem paterna ſocietas eſt poſterior dominica: & ſine illa perfecta domus eſſe poteſt; ſine auxilio ſeruili non poteſt: quod quidem auxilium præſtat vel homo, vel bellua, vel, vt aliqui dicunt, etiam inſtrumentum inanimum. quibuſdam enim valde egenis ligo deſeruit pro boue, aut quid aliud tale.

Franciſcus Commanus lib. 3. comment. cap. 4. n. 3. — *Ægidius de Regimine princip. pp. cap. 5.*

Vera interpretatio carminis Heſiodi, & dubitatio cõtra Philoſophum.

Aedes principiò, &c. Legitur hoc carmen in principio lib. ij. operum, & dierum. Docet ibi Heſiodus quæ habere patrem familias oporteat, rei ruſticæ operam daturum: atque hæc tria primo ſtatuit loco; domum, mulierem, bo-

uem

uem aratorem; mulierem autem non acceptam matrimonio, ſed ære emptam, quæ etiam boues ſequi poſsit. Verba ſunt hæc.

> Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα,
> Κτητὴν, οὐ γαμετὴν, ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο.

> *Sit domus in primis, mulierque, & taurus arator,*
> *Non nupta, aſt empta hæc, ita quæ iumenta ſequatur.*

Quæ verba exponens Ioannes Tzetzes, domum primùm quærendam ait, quoniam hæc & ipſum patrem familias, & omnia, quæ reponenda erunt, debeat continere: deinde ancillam, ideſt mulierem non ad liberos procreandos; ſed ad res villæ cuſtodiendas, atque aptandas. Valde igitur violenta eſt quæ hoc in loco, & in 2. cap. primi Oeconomici affertur Heſiodij huius carminis interpretatio; quod ante nos Leonardus Aretinus notauit: vanumque & inutile hac de cauſa argumentum, quod inde ſumitur ad confirmandam primæ domus ſubſtantiam. Niſi dicamus, ſpectaſſe Philoſophum noſtrum non ad id, quod voluit Heſiodus; ſed ad id, quod reipſa cecinit; numine diuino afflatus. hoc enim corripi Poetas, & factos Deorum interpretes, linguam, mentemque illis commodare, vt aliquando ſenſa eloquerentur, quæ ipſi non intelligerent, ſtulta credidit Antiquitas, de qua re Plato multis in locis. Sed hæc non ſunt Ariſtotelia. Non eſt tamen Ariſtoteli inſolitum, ſumere ex dictis aliorum eam tantum partem, quę ad ſuam ſententiam faciat, licet aliò dirigatur.

Declaratio præcepti Heſiodi. *Bos enim, &c.* Interpretatur poſtremam partem pręcepti Heſiodi. Prior enim ſocietas viri, & vxoris in eo eſt manifeſta: poſterior egebat declaratione. Quamobrem docet, Heſiodum, quum bouem aratorem dixit, ſeruum ſignificaſſe; atque hoc quidem congruenter: eſſe enim bouem pauperibus, pręſertim colonis, quaſi ſeruum, & miniſtrum. *Ex P. Victorio.*

οἰκέτης, καὶ δοῦλος. *Bos pro ſeruo.* Grçcè ἀντὶ οἰκέτου. Differunt δοῦλος καὶ οἰκέτης, quod in ſecondo de Concordia Chryſippum prodidiſſe teſtantur Athæneus, & Explanator quidam Theocriti: nam eſt οἰκέτης ille, qui adhuc ſeruit ſeruitutem: δοῦλος autem etiam libertum ſignificat, atque, vt ait Ammonius miniſtrum, & ſubditum omnem. *Athæneus lib. 6. cap. 7.*

ARGVMENTVM. TEXT. X.

Definitio domus, quæ verè proprieque dicitur, in vniuerſum, ex genere, & duabus differentijs; quarum differentiarum vna ab efficiente, altera à fine ſumitur: atque huius poſterioris differentiæ confirmatio ex nominibus ὁμοσιπύους, καὶ ὁμοκάπους, *quibus Charondas, & Epimenides perſonas eiuſmodi ſocietatis appellarunt. Eſt domus, quæ verè proprieque dicitur, ſocietas ſecundum naturam in quotidianum vſum conſtituta. Quam partem de vſu quotidiano confirmant appellationes Charondæ, & Epimenidis.*

[a] Ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν, οἶκός ἐστιν· [b] οὓς Χαρώνδας μὲν καλεῖ * ὁμοσιπύους. Ἐπιμενίδης δὲ ὁ Κρὴς * ὁμοκάπους.

[a] Quæ igitur in omnem diem conſtituta eſt ſocietas ſecundum naturam domus eſt: [b] quos Charondas quidem ὁμοσιπύους vocat, *quaſi ex eadem arca panem ſumentes;* [c] Epimenides autem Cres ὁμοκάπους *veluti veſcentes ad idem præſepium, & de eadem menſa.*

b. Huius Charonda & eius legum fit etiā mentio infrà ſub exitu libri ij. & cap. 11. & 13. libri iiij.

** ὁμοσιπύους Caltag. & alij quidam legunt: alij ὁμοσίτους: D. Thomas homoſyphices*

** In quibuſdā exemplaribus legitur ὁμοκάπνους.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Post Expositionem, & definitionem quandam primę domus, quę huius generis analogi prima forma eſt, atque, vt vocát in Scholis, primum analogatum; definiendum eſt ipſum genus tali definitione, quæ in ſingulas formas, illi ſubiectas, conuenire poſſit: qualis quidem eſt quæ hoc loco *Domus in vniuerſum cur, & quali definitione definiatur.*
a. ſocietas. traditur. [a] Eſt autem in hac definitione genus ſocietas, quæ amplectitur & domum, & pagum, & ciuitatem, & alias omnes hominum, vt de iis tãtùm in præſentia loquamur, communiones, & cœtus tam naturales, quam non
In ſcholiis primus textus. naturales ſeu præter, ſeu ſupra naturam fuerint. Vocabamus ſupra naturam ſocietates, quęcunque afflatu diuino efficerentur vel ipſorum inter ſe hominum, vt cœnobitarum, & aliorum, quos coniungit diuinus amor in cultum, & venerationem creatoris; vel cum angelis; vel cum Deo. Pręter naturam verò dicebantur illæ, quibus aut cũ bellu is agreſtibus; aut cum malis dæmonibus; aut cum aliis hominibus homines coniungerentur vel ſua ſponte, ideſt aut habitu, aut affectu, aut vſu vitioſo, & naturæ repu- *Societatis formę & modi.*
a ſecundum naturam. gnante; vel vi externa. [a] Et ab his omnibus communionibus, ſeu ſocietatibus non naturalibus ſeparat domum, quæ verè, proprieq; dicitur, diffe- *Prior differentia ſumpta à cauſa efficiente.*
a. in omnem diem conſtituta. rentia hæc, *ſecundum naturam*, ſumpta à cauſa effectrice. [a] Altera, quæ à fine ſumitur, propoſita his verbis, *in omnem diem conſtituta*, ideſt in quotidianum *Altera differentia ſumpta à fine.* vſum, ſeparat eandem domum non ſolùm ab aliis ſocietatibus remotioribus, verùm etiam à pago, & ciuitate: quæ quidem duę ſocietates, vt ex ſequenti textu, & ex primo & ex 16. liquet, in perfectiorem, nobilioremq;
b. c. vſum, quàm ſit is, qui appellatur quotidianus, inſtituuntur. [b] Hanc poſteriorem differentiam confirmant vocabula, quibus Charondas, ciuis, legumlatorq; Catanæus, atque Epimenides Cretenſis, pari vterque notatio- *Confirmatio differentię poſterioris.*
b. ne, homines, qui in eadem domo viuerent, nuncuparunt. [b] Nam Charondas ὁμοσιπύους eos nominauit, quaſi ex eadem arca panem ſumentes: eſt
c. enim σιπύη arca panaria: Epimenides [c] ὁμοκάπους, quaſi veſcẽtes ad idem pręſepium, & de eadem menſa; nam κάπη pręſepium ſignificat. Hæc autem ad vſum quotidianum pertinent: ſuntq; actus quotidiani, & neceſſarii, ſumere cibum, ac veſci; item excalfacere ſe, ac ſomnum capere: quos duæ aliæ voces deſignant, pro ſuperioribus in quibuſdam libris ſubſtitutæ, nempe ὁμοσύπνους, καὶ ὁμοκάπνους, ceu tu eodem loco dormientes, & ad eundem fumum, ſeu ignem degentes dixeris. harum namque aliarum vocum poſteriores partes ſomnum, & fumum ſignificant. Pręter mittitur hoc loco materia domus: tum quia ſine illa perfecta eſt definitio, explicans totam domus eſſentiam, & à reliquis rebus ſeiungens: tùm quia ſubindicari in fine materia videtur; vſus enim quotidianus ſocietates, & perſonas huiuſmodi requirit: tum quia ex ſuperiori textu etiam ſumere materiam poſſumus, ſi pro coniugali, & dominica ſocietates ſimplices ac neceſſarias dicamus. Textus habet duas partes. In prima (a) definitur generaliter domus, quę verè, proprieq; dicitur, ex genere, & duabus differentiis. In ſecunda (b c) appellationibus quibuſdam Charondę, & Epimenidis confirmatur poſterior illarum differentiarum.

σιπύη. κάπη. Actus quotidiani & neceſſarii. ὁμοσύπνοι. ὁμοκάπνοι. ὕπνος. καπνός. Cur pręter miſſa materia in hac definitione. Partes textus.

SCHOLIA.

Ex D. Thoma. *Quæ igitur in omnem diem &c.* Omnis communio, ſocietaſque humana ad actus quoſdam dirigitur, tãquam ad ſuum finem, Humanorum autem actuum *Differentiarũ ex quibus conſtitur hæc definitio, rationes.*
quidam

quidam ſunt quotidiani, vt cibum, & ſomnum capere: quidam non quotidiani, vt mercari, bellum gerere. Atque hominibus naturale eſt, in vtroque genere actuum communicare inter ſe, & participare alium ab alio, inuicem ſe adiuuantes. Ad actus igitur hominum quotidianos, vt in ijs alius alium adiuuet, communicando inter ſe, & participando; inſtituitur ſocietas domeſtica: quæ hac de cauſa eſt nobis maxime naturalis.

In omnem diem. *Inomnem diem.* Ideſt ad actus, & vſum vitę quotidianum: vt prompta, & parata habeantur omnia, quæ ad eiuſmodi vſum, actusque pertinent.

Conſtructio. *Quos Charondas.* Non eſt, quo referamus pronomen, quos, niſi ad domum: quare aut per regulam relatiui tuendus eſt locus, aut eſt ἔλλειψις in oratione.

Charondas Catanæus. *Charondas.* Hic ex Catana vrbe Siciliæ oriundus, non ſolum ciuibus ſuis leges dedit, ſed etiam alijs ciuitatibus Italiæ, & Siciliæ, quę Chalcidenſium coloniæ eſſent: vt ſcribitur ſub exitum ij. horum librorum. Fuiſſe autem mediocrium facultatum ciuem traditur in cap. ij. iv. Et in 13. eiuſdem iv. recitatur quędam lex eius, paucorum ſtatui accommodata. Valerius lib. vj. cap. 5. Charondæ Thurij, & legiſlatoris mentionem facit: ſiue hic idem fuerit, ſiue alter. Thurij .n. Calabriæ, Catana Siciliæ vrbs eſt: ſed tamen has prouincias ſolum interiacet fretum.

ὁμοσιπύους. ὁμοσιπύους Faber vertit compenuarios: eſſe enim σιπύην, teſte Suida, ἀρτοθήκην, ideſt panariam thecam: pro qua ipſe penu dicit; & inde compenuarios.

Varia lectio. Quidam ὁμοσιπύους legunt, in quibus eſt Calcagninus, ceu tu eodem loco dormientes dixeris. Alij ὁμοσίτους, ideſt conuictores, & vnà veſcentes. D. Thomas habuit in ſuo exemplari homotyphices: quam vocem, nihil ſignificantem, ipſe ſic interpretatur, *quaſi vnius pulmenti, quia communicant in cibo*.

Epimenides Cretenſis. *Epimenides autem Cres.* Huius Epimenidis Phæſti filij, tanquã prudentiſsimi, ac penè diuini viri, meminerunt Plato in primo, & in tertio Legum, & Plutarchus in vita Solonis. cui etiã Soloni ad leges condendas maximam opem tuliſſe teſtantur Suidas, & Apuleius in ij. Floridorum.

ὁμοκάποι. *Ομοκάπους.* Quædam exemplaria habent ὁμοκάπους, quędam ὁμοκάπνους. Priorem lectionem probarunt Faber, & Victorius. Ille vertit contubernales: nam κάπην tabernam, & diuerſorium ſignificare. Victorius ſic dici, quia cuncti eodem cibo vtãtur: eſſe enim κάπην cibum, vnde alimur: à quo nomine ductos καπήλους, qui latinè caupones ſunt, veteres grammaticos putaſſe, quòd vendant ea, quæ alendis nobis ſunt neceſſaria. Vetus interpres, D. Thomas, & Calcagninus legunt ὁμοκάπνους, quaſi ad eundem fumum, ſeu ad eundem ignem degentes dixeris. eſt enim καπνὸς fumus, & κάμινος caminus.

CAPVT III.

De Vico: Vici, & forma eius prima, ac maxime naturalis definitiones.

Ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν &c. Tex. xj. ad xvj:

ARGVMENTVM TEXT. XI.

Definitio vici in vniuerſum, ex genere, & quatuor differentijs: quarum differentiarum vna à materia; altera à conſtitutionis gradu; tertia à cauſa efficiente, quæ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *repetenda eſt ex textu ſuperiori; quarta à fine ducitur. Vicus eſt ſocietas ex multis domibus, prima, & naturalis, in vſum minime quotidianum.*

Ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη, χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου, κώμη.

Quæ autem ex pluribus domibus ſocietas ptima iungitur, vſus causâ non diarij, vicus eſt.

EXPLANATIO.

Ordo doctrinæ in analogis.

GENERA analoga ſunt domus, & vicus. In cap. ſuperiori, in quo de domo diſputabatur, definitum fuit genus poſt formam primam. in hoc, in quo de vico diſſeritur, ante primam formam definitur genus. Ex quibus intelligitur, in diſputationibus, quę de analogis fiunt, aliquando ipſa genera, aliquando primas earum formas primùm definiri, & conſyderari, non has ſemper primùm: vt declaraui cõtra Zimaram, & Albertum in principio ij. de Anima. Hoc quidem ſpectatur ſemper tam in analogis, quàm in vniuocis, vt inde capiatur doctrinæ initium, vnde facilius diſci poſſit. Verùm de toto ordine doctrinæ, & quomodo ſimplex, idemq; in omnibus, quomodo in ſingulis multiplex, & varius; diximus affatim ſub initium primi Phyſici. In * hac vici definitione adhuc ſumitur ſocietas pro genere. eſt enim, quemadmodum domus, ita etiam vici verũ genus ſocietas. * Sed non eſt vtrobique eadẽ materia: nam in domo ſimplices ſocietates, ex perſonis cõſtantes; in vico cõpoſitæ ex illis ſimplicibus, ideſt ipſæ domus materiæ proprię locum implent. * Adiungitur ad hęc, ideſt ad ſocietatem ex multis domibus, vox, *prima*, deſignans gradum compoſitionis, conſtitutioniſq; vici ex huiuſmodi materia. quippe ex domibus vici primùm conflantur; deinde ciuitates, quæ primùm ex

Partes definitionis.

** Societas.*

** Ex pluribus domibus.*

** Prima.*

vicis. Atque hac quidem conditione, quia prior ſit, ſeiungitur vicus à ciuitate: ſicut ſuperiori, quia ex domibus eſſet, à domo ſeiungebatur; & genere, quoniam eſſet ſocietas, vtrique erat ſimilis. His addenda eſt tertia differentia, quę ſumitur à cauſa efficiente, repetendo *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*, ex textu proxime antecedẽti, vocem, *ſecundum naturam.* vt diſtinguãtur vici à cœtibus latronum, ac pyratarum ſimul habitantium cum liberis, & vxoribus; ab aliijsq; ſimilibus præter naturam ſocietatibus. * Nouiſſimo loco ponitur, quod finem deſignat, his verbis, *vſus cauſa non diarij.* & hoc rurſus ſeparat à domo vicum: nam vicus non quotidianam, ideſt non neceſſariam, & priuatam vtilitatem ſpectat; ſed publicam; &, quò minus neceſſariam, minusq; frequentem, eò magis perfectam, & magis nobilem. * *Vſus cauſâ non diarij.*

SCHOLIA.

Domus origo vici, ciuitatis, reipublicæ.

Quæ autem ex pluribus domibus, &c. Docet Plato in lib. iij. de legibus, quo pacto ex domibus vici, & ciuitates oriantur. Cicero autẽ in primo Officiorum domum vocat principium vrbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ.

Vſus, et actus, quò vicus ſpectat.

Vſus cauſâ non diarij. Non ſpectat vicus quotidianos, & priuatos vſus, & actus; ſed publicos, & rariores, qđibus quotidie non eſt opus. In vico nanque eſt quædam forma reipublicæ: ſunt item opifices variarum artium: &, ſi non tot, nec ita periti, vt in ciuitatibus; quorum tamen opera, quom indiguerit, vnuſquiſque vti poteſt. At menſa, & ignis, & reliqua, quæ ad vſum quotidianum pertinent, eiuſdem viciniç habitatoribus non ſunt communia; ſicut ſunt communia habitatoribus vnius domus.

Diarium.

Diarij. Sic verti *ἐφήμερον.* ſignificat autem hoc loco quotidianum, & quod in ſingulos fit dies.

κώμη.

Vicus eſt. τὴν κώμην latinè alij vicum dixerunt; alij pagum: Nos, quia Philoſophus infrà definiturus eſt ciuitatẽ, quòd ſit ſocietas è multis comis, hũc, vicum vertimus. Siquidem vici tam in vrbe eſſe poſſunt, quam extra vrbem; pagi non niſi remoti ab vrbe. Calcagninus vertit viciniam.

ARGVMENTVM. TEXT. XII.

Definitio formæ maxime naturalis, &, ob id, primæ ipſius vici, ex propria eius materia, origine, ac modo originis: adiunctis vocabulis, quibus nuncupati ſunt à quibuſdam homines illi, ex quibus materia, & tandem ſpecies hac vici conſtat. Vicus maximè naturalis, &, ob id, primus eſt propagatio, ſeu ſoboles, ac veluti colonia ab vna domo profecta, à qua vna in multas exierunt, quum ea amplius capi non poſſent, qui ὁμογάλακτες, ideſt collactanei à quibuſdam, & nati, natique natorum vocantur. Vel alijs verbis ſenſu eodem: eſt vicus, qui ex propagatione vnius domus in multas efficitur, in quas quidem multas, tanquam in colonias, ab illa vna exierunt, &c.

[a] Μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι: [b] οὓς καλοῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας.

Tracta ſunt hæc ex verbis Platonis in iij. de legibus paulo poſt principium, quanquam ille nec vicũ, nec ἀποικίαν appellat.

[a] Maximè autem ſecundum naturam videtur vicus propagatio, ſeu ſoboles, ac veluti colonia domus eſſe: [b] quos quidam vocant *ὁμογάλακτας*, ideſt collactaneos, [c] natoſque, & natorũ natos.

EXPLA-

EXPLANATIO.

DVOBVS modis vici efficiuntur, quod etiam indicat Plato ſub initium iij. de legibus. *Modi generationes vicorũ quot, & qui.* ª Aut .n. quum vna domo amplius capi non poſſunt, nati, & nati natorum, conſobrini, ſobriniq́; vt Cicero ait, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt: *Primo officiorum.* vnde paulatim multæ fiunt domus; & tandem vicus exiſtit; conſtans ille quidem ex hominibus, præſertim liberis, qui omnes ſanguine cõiuncti ſunt, ac penè idem lac hauſerunt, ab eodem ſtirpis initio profecti, ᵇ quos ὁμογάλακτας, latinè collactaneos, & natos, natoſque natorum quidam nominant. Aut ſtatim è varijs locis homines, nullam inter ſe cognationem habentes, in vnum conueniunt ſimul habitandi gratia: illicq́ue domicilia ſibi extruunt, iam tot numero, vt vicus nuncupari queat. Hic porrhò modus ſecundam formam vici facit: *Vici forma Secunda & naturalis.* quæ etiam eſt naturalis; hominem nanq; homini natura conciliat: & ad ſocietatem, conuictumq́ue nati omnes videmur. ª Ille autem generat formam primam, & maximè ſecundum naturam. *Prima & maxime naturalis.* *a. maxime ſecundum naturam.* eſt enim maxime ſecundum naturam prolis generatio, & multiplicatio, vt annotatum eſt ſuprà, ſcribiturq́ue in ij. de Anima: *Suprà ad tex. 5. & in ij. de Anima tex. com. 34.* atque ob eam rem arctior, magiſq́; naturalis eſt colligatio, & ſocietas propinquorum, quàm alienorum. ª Hanc igitur primam, & maximè naturalem formam vici, *a. & iii.* *Definitio primæ formæ vici.* quæ alteram patefacit; definit Philoſophus hoc in loco ex materia, materię origine, ac modo originis, adiunctis nominibus, quibus nonnulli vtebantur ad eam materiam ſignificandam. *a. ἀποικία οἰκίας.* ª Etenim materia propria huius formæ vici ſunt domus cognatorum eo numero, & ſitu, quæ vicum poſſint conficere. *a. domus.* ª origo huius materiæ eſt prima illa domus, à qua iſtæ profectę ſunt. *a videtur ἀποικία.* ª modus originis; vt profectę ab ea ſint tanquam colonia; & profectę quidem, quia tot homines capi illa amplius non poſſent. Cuncta hęc deſignauit Philoſophus aptè his duabus vocibus ἀποικία οἰκίας. *a. ἀποικία.* ª quarum vocum primam ego tribus reddere tentaui, nimirum propagatione, ſobole, & colonia: nec tamen ſatis vim illius expreſſi. ſignificat enim nunc Philoſopho ἀποικία non ſolùm, quæ dixi, verumetiam multitudinem domorum tantam, atque talem inter ſe ſitum habentium, vt vici nomen mereantur. Sed opponet quiſpiam: vocabulum, ἀποικίαν, ideſt coloniam, propriè ciuitatem, quæ à matrice ciuitate deducta ſit, ſignificare: *Dubitatio de vocabulo ἀποικία.* quapropter malè vſurpari detorqueriq́ue hoc in loco ad domum, & pagum, pręſertim pro genere, & in definitione poſitum; in quę cõueniunt, ſintq́; adhibenda maximè propria ex Ariſtotelis pręceptis. *Solutio.* Huic dubitationi ſatisfactum eſſe arbitraremur, ſi reſponderetur: vocabulum iſtud, licet deſignet noſtro tempore propriè ciuitatem, tamen initiò fortaſſe à domo, habitationeq́; ad ciuitatem fuiſſe traductum. dici .n. ἀποικίαν, quaſi ἀπὸ τῆς οἰκίας exitum; & migrationem. Verùm & in hac definitione ἡ ἀποικία, *Genera materialia & formalia.* vt ex ſuperioribus liquet, eſt genus materiale, non formale, ideſt à materia, non à forma definiti tractum. huiuſmodi autem genera nõ ęque proprijs ſignificari vocabulis neceſſe eſt, atque ea, quæ a forma ducuntur: & quum in ijs ſubaudiri oporteat vera genera, ſi modò verę futurę ſunt definitiones; exponi etiam debent, quemadmodum nos iſtud expoſuimus in exitu argumenti, & quemadmodum ſimile genus, uocabulo uocis notatum in definitionibus nominis, & verbi ſub initium libri de Interpretatione expoſuerunt Ammonius, & alij Explanatores: *Locus ex primo de Interpretatione.* ἀποικία .i. vicus ἐκ τῆς ἀποικίας; vox .i. nota ex voce. *a. domus.* ª Eſt autem hic vicus, vicus ex propagatione,

& tanquã colonia, non ſimpliciter, ſed vnius domus; à qua vna in multas exierunt, qui ὁμογάλακτες, & nati, natique natorum à quibuſdam appellantur. [b] Quæ vocabula, ὁμογάλακτες, & natos, natoſque natorum adiunxit Philoſophus: vt ex ijs ſimul confirmaretur, hanc formam vici eſſe maximè *b.*
Altera definitio primæ formæ vici. ſecundum naturam: ſimul quaſi alteram definitionem traderet itidem ex materia, & nominibus, talem; Forma prima vici eſt illa, quæ conflatur ex hominibus, quos ὁμογάλακτας, tanquam eodem lacte altos, & natos, natoſq; natorum appellant. [a] Hęc autem omnia oſtendunt, quom οἰκίαν nominat hoc loco Philoſophus, non loqui eum de prima domo, de qua ix. textu loquebatur. neque enim primæ domus, ſed perfectioris, & perfectiſſimæ *a. domus*
Partes textus. ſunt ἀποικία, & ὁμογάλακτες, & nati, natique natorum. Partes textus duæ. Prima (a) habet definitionem primæ formæ vici, ex materia, origine, & modo originis. Secunda (b c) adiungit vocabula, quibus nuncupati ſunt à quibuſdam homines illi, qui ſunt materia huius formæ: & penè tradit alteram definitionem ex materia, & nominibus.

SCHOLIA.

Vicus ἀποικία. *Propagatio, ſeu ſoboles, & veluti colonia.* Qui vult exempla huius rei, quomodo vicus ſit ἀποικία, & quomodo ab vna domo, quum ea amplius capi non poſſint, exeant in multas; legat ſacram Geneſim, & inſpiciat domos colonorum noſtrorum. Hunc autem locum expreſsit Cicero in primo officiorum libro: quemadmodum in explanatione annotaui.

ὁμογάλακτες. *Ομογάλακτας.* Hoc nomine tradidit Philochorus appellatos olim fuiſſe, qui poſtea γεννῆταὶ, ideſt genetis, & gentis eiuſdem ab Athenienſibus dicti ſunt, non ratione quidem cognationis, & ſanguinis, ſed propter familias in curias diſtributas: de qua re Suidas in verbo γεννῆταὶ. At Philoſophus hic vim, & etymon vocabuli magis ſpectauit.

Natiq; & natorum nati. *Natoſque, & natorum natos.* Verba ſunt Homeri in xx. Iliados.

Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quem locũ Virgilius ſic expreſsit in iij. Aeneidos, vt Macrobius annotauit. *Lib. v. Saturnal. cap.*

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Plato quoque ſic loquitur in iij. de legibus:

Εἰς τοὺς παῖδας, καὶ παίδων παῖδας.

ARGVMENTVM. TEXT. XIII.

Confirmatio definitionis proximè traditæ, per locum ab euentis: Nam cur ab initio regnatum ſit in ciuitatibus, & adhuc regnetur in gentibus, ſola hæc cauſa afferri poteſt; ſi vici ſint ἀποικίαι domuum; quarum domuum propria, propter cognationem, regia gubernatio, vicorumque, quatenus hi domuum ἀποικίαι ponuntur, à domibus per vicos defluxerit primùm ad ciuitates, quæ ex vicis coaluerunt, deinde ad gentes, quæ ex ciuitatibus. Locus principalis, ab euentis. Loci impliciti; ab adiunctis, à materia, à proprijs, à cauſis.

Διὸ

[a] Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις. καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. [b] ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. [c] πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου: [d] ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι, [e] διὰ τὴν συγγένειαν.

Etiam hęc ſumuntur ex eodem loco Platonis, & ad hac alludit Philoſophus infrà in cap. ij. lib. iij. vbi de quinta regni ſpecie loquitur.

[a] Quapropter & primùm regnabantur ciuitates, & nunc etiam gentes: [b] ex regię nanque gubernationi ſubiectis coiuerunt. [c] in omni enim domo regnat ille, qui eſt maximè ſenex; [d] itaque & ἐν ταῖς ἀποικίαις, in colonijs, *ideſt in vicis inde propagatis,* [e] propter cognationem.

Elicit ex hoc tex. Regiam gubernationẽ in domibus, & vicis prima forma à natura eſſe: in ciuitatib' autem initiò, & poſtea in gentibus à cõſuetudine extitiſſe.

E X P L A N A T I O.

Breuis ſententia huius textus.

In qvavis domo regnat is, qui eſt maximus natu: ſanè quia oẽs ſanguine, & charitate deuincti ſunt. quare & vici primæ formæ, quos ἀποικίας, ideſt propagationes, ſoboles, colonias, vnunquemque vnius domus, eſſe diximus; ob eandem cauſam cognationis eundem morem ſeruant, vt in vnoquoque ſit regia gubernatio. Ex vicis autẽ primę formę, primis vtique, & maximè naturalibus, neceſſe eſt primas ciuitates extitiſſe: ex quibus poſtea, per vnius vel colonias, vel victoriam, conflatæ gentes. hęc igitur cauſa fuit, nec alia fortaſſe afferri poteſt, cur in primis illis ciuitatibus regiam gubernationem delegerint; & nunc etiam regnetur in gentibus: nempe conſtitutę ſunt illę primæ ciuitates ex hominibus, qui regio imperio aſſueti erant, id eſt ex vicis primæ formæ. ex quo intelligitur probè definitam fuiſſe hanc primam formam vici in proximo textu. Hæc eſt ſententia huius loci, quę vberius ita explicabitur.

In ciuitatibus ab initio regia gubernatio & quomodo.

a. primum.

[a] Regia gubernatio instituta eſt ab initio in ciuitatibus, vt vnaquæque ſub regis imperio eſſet. [a] Ab initio autem, gręce τὸ πρῶτον, vel rei, ideſt generaliter cuiuſq; ciuitatis, quom primùm quæque ędificatur; vel temporis, ideſt primo tempore, quo cõditæ ſunt ciuitates: atque hoc vel ſimpliciter in vniuerſo orbe, ſi principium temporis, & cœli hic Auctor nouiſſet, vt nouimus nos ex literis ſacris, & ſpiritus diuini afflatu; vel in aliqua regione, ac parte orbis, uaſtatis viciſſim aliquãdo eluuione, aliquando exuſtione, aliquando terræmotu, aliquando peſtilentia, aliquãdo bello, aliquando ſterilitate, rurſumq; reſtauratis alijs, & alijs mundi partibus, vt docent Ariſtoteles in exitu primi Sublimium, & Plato in Timęo, in Critia, & in iij. de Legibus. Prima interpretatio repugnat non ſolum veritati; nam vrbs Venetiarum, & alię multæ ſtatim, ac conditæ fuerunt, diuerſam à regia ſuſceperunt gubernationem, & imperium: ſed etiam uoci ἐβασιλεύοντο. pro hac enim βασιλεύονται dixiſſet Philoſophus, ſi talis eſſet eius ſententia. Secunda interpretatio conſentit cum veritate, & quadraret aptè uerbis huius textus; modò cum doctrina Peripatetica conſentiret. Siquidem legimus in ſacra Geneſi, & apud Ioſephum, & Beroſum, in Henochia ciuitate, quę prima poſt mundum creatum condita eſt, Chaimum Protoplaſti filium regnaſſe; & in Babylonia Nemrodem; & in alijs alios. Tertia interpretatio ſola optimè conueniens cum oratione, & cum doctrina Peripateticorum, Platoniſque, etiam congruit cum hiſtoria. In Attica enim regione, Athenis exædificatis Theſeus rex imperauit: Palanteo Euander, & Romæ Romulus in Latio. Hoc igitur ſenſu dicamus, regnatum fuiſſe ab initio in ciuitatibus. [a] Secundum quas ciuitates etiam gentes ex ciuitatibus factę, ſingulæ

Cauſa vaſtitatum.

a. & nunc etiam gentes.

In gentibus regia gubernatio.

De cauſa ob quam ciuitates ab initio & ſecundum eas gentes reges habuerint.

In domibus eſt regia gubernatio.

a. quapropter.

c.

e. regnat.

ſingulæ quarum multas amplectuntur ciuitates, & loca; ſub regibus fuerunt. [a] Porrhò autem huius rei, cur, inquam, initiò ciuitates; & ſecundum eas, gentes reges habuerint; quam cauſam afferemus, niſi antea ſit conſtitutum, vicos primæ formæ eſſe ἀποικίας, vt poſuit textus ſuperior? Hoc verò conſtituto, cauſa eſt in promptu: quod ſic declaratur. [c] Domorum ritus, & propria quædam conditio hęc eſt, vt in quauis earum ὁ πρεσβύτατος, ideſt maxime ſenex, ſiue antiquiſſimus [e] ſit inſtar regis, & regio dominetur imperio: liberè omnia gubernet, & familiam, & res familiæ; ad communem ſpectans vtilitatem: libenter ab omnibus ei pareatur; qui in eo, quòd pareant, proſpici ſibi ipſis, ac cõmodis ſuis arbitrantur: tenente, ac moderante vtrinque cuncta ipſorũ inter ſe officia, ac munera nõ timore, ſed amore, & reuerentia. Amat ſenior iuniorem: amat vnà, & reueretur ſeniorem iunior. [d] ſanguine enim coniuncti ſunt: ſanguinisq; coniunctionem charitas ſequitur: ex qua charitate, ac neceſſitudine naturali exoritur obſeruãtia, & ingenuus quidam pudor in minoribus erga maiores: dum naturam hominis non exuerint, ferinas, aut etiam peiores ferinis induendo, vt quidam aliquando ſolent. Hæc reuerentia, atque obſeruantia, qua iuniores teſtificantur cedere ſe grandioribus natu, pręſtantioresq; eos putare, vt quantum ætate, tantum virtute, ac prudentia proceſſerint: tum altera opinio, quòd viciſſim ab illis amẽtur, quos amant; quam opinionem res ipſa comprobat, magis enim etiam amantur tanquam opera illorum: hæ, inquam, opiniones, & hæc reuerentia obſequentes hos illis faciunt; perſuadentque, melius ſibi eſſe parêre, quam imperare: quæ omnia ſunt regiæ gubernationis. [e] Et quanquam nomen ὁ πρεσβύτατος, quod latinis eſt maximè ſenex, vel antiquiſſimus, non ſolùm ſignificat maximum natu, ſed etiam maximè verendum, & honoratiſſimum: tamen hîc in prima ſignificatione accipi velim; quum videam in domibus iſtud obſeruari, & præcipue colonorum noſtrorum, quos ſpecula huiuſmodi rerum vocare ſoleo, vt maximus natu familiam regat, Rector (Regitore) hac de cauſa ab ijſdem colonis nuncupatus. Maximum autem natu intelligo non omnium omnino, qui in domo ſunt, ſed liberorum duntaxat, ex quibus domus conficitur. ſeruus enim, licet ponatur pars domus, inſtrumentum tamen eſt magis, quam pars: nec de prima domo hîc loquitur Ariſtoteles, vt in antecedenti explanatione annotauimus, ſed de perfectiori. Sic igitur regnat in vnaquaque domo antiquiſſimus, docente, & impellente omnes, qui partes ſunt illius domus, natura per ſanguinis coniunctionem, & per charitatem, ac reuerentiam, quæ ex ea cõiunctione naſcuntur. [d] Ergo etiam in vicis primis, maximeq; naturalibus, [d] quos poſitum eſt eſſe ἀποικίας, ſingulos domuum ſingularum; quum ſit in illis eadem cauſa, ideſt coniunctio ſanguinis, & ob eam charitas, ac reuerẽtia, quæ ipſam ſequuntur; neceſſe eſt ſimiliter regiam gubernationem naturâ exiſtere. Nec iſtud nobis ſolùm perſuadet ratio, eandem cauſam eodem effectu ſemper comitante, niſi quid impediat: ſed reipſa eueniſſe legimus in literis ſacris, quom genus humanum multiplicaretur propagareturque in domos, vicos, & ciuitates; euenireque etiamnum aliquo modo in pagis noſtris videmus. quippe maximus natu in tota vicinia ſanguine coniunctorum ſummo in honore velut rex habetur; & ad eum, tanquam ad prudentiorem, præſtantioremque, deferũt omnes quicquid oritur inter ipſos diſceptationum, aut iniuriarum;

Cauſa cur in domibus ſit regia gubernatio.

d. propter cognationem.

Quid hic ſignificet nomen πρεσβύτατος.

e. maximè ſenex.

In primis vicis eſt regia gubernatio & à qua cauſa.

d.

d. ἀποικίας.

tum

In vicis ſecundi modi vtrũ ſit regia gubernatio & à qua cauſa.

tum ſi quæ fortè imminent pericula, ab eodem opem,conſiliumq́; petunt; ille autem mulcet motus animorum,ſolaturque, & res componit. At in vicis ſecundæ formæ, qui non ſunt ἀποικία vnius domus, conſtantque ex hominibus non eiuſdem generis,& ſanguinis, ſed diuerſorum; deficiente eos naturali cauſa huius euenti, quæ erat cognatio ; nec regiam quidem gubernationem adeſſe naturâ oportet. quòd ſi adſit, ex aſſuetudine adeſt ; nimirum quia illi homines, ſinguli in domibus ſuis, regio imperio aſſueti fuerint, non ex natura. [b] Exiſtit in vicis primæ formæ, id eſt in vicis primis, & maxime naturalibus regia gubernatio ſecundum naturam: & [a] primas ciuitates, quæ ab initio conſtitutæ ſunt vel in toto orbe terrarum, vel in qualibet eius regione, ex vicis huius formæ eſſe conſtitutas, non modo eſt conſonum rationi, verùm etiam liquet ex hiſtorijs tum ſacris, tum prophanis: ergo [b] cœtus illarum primarum ciuitatum, ipſæque congregatę ſunt, & conſtitutæ [b] ex vicis, hominibusque, in quibus fuerat regia gubernatio ſecundum naturam. [a] Quicquid autem conſueuerunt homines facere, aut pati ; id porrhò nullo alio impulſu, ex ſola conſuetudine faciunt, & patiuntur. quare homines, ac vici illi, ex quibus congregabantur, conflabanturque eiuſmodi ciuitates ; quum regiæ gubernationi ex natura aſſueti eſſent, hãc quoque in ciuitatibus illis conſtituerunt, creatis regibus, quos ob ętatem, vitamque anteactam optimos,ac prudentiſsimos arbitrarētur. [a] Iàm igitur cauſa apparuit, ob quam ciuitates ab initio reges habuerunt,ſingulę ſingulos. Et hęc quidem cauſa multis gradibus continetur: quorum ſummum, & primum natura tenet; infimum,& proximum conſuetudo: tota autem progreſsio, vt paucis rem complectamur, eſt talis. In vnaquaque domo eſt regia gubernatio ſecundum naturam ob coniunctionem ſanguinis : & ob eandem, ac quia eſt in domo, eſt etiam in vicis primę formæ; quorum vnuſquiſque, ex textu proxime antecedenti, eſt ἀποικία, vnius domus, conſtans hac de cauſa ἐξ ὁμογαλάκτων, & natis, natisq́; natorum. quoniam verò in huiuſmodi vicis homines ſecundum naturam aſſueuerunt regiæ gubernationi; ex hac aſſuetudine extitit etiam regia gubernatio ab initio in ciuitatibus. Non ponimus autem naturam cauſam in ciuitatibus regiæ gubernationis, ſicut ponimus in domibus, & vicis primæ formæ: propterea quòd maior hominum multitudo ad ciuitatem conſtituendam eſt neceſſaria, quàm vt omnes ſanguine coniuncti eſſe poſſent, & ex vna domo migrare: niſi quidem tot anno ſuiueremus, quot uixiſſe primos illos patres ſacris literis proditum eſt. Et illis quoque temporibus ob hanc cauſam ciuitates conſtitutas eſſe ex hominibus vnius familię, ac regibus paruiſſe legimus. nec dubiũ quin naturâ hoc fieret tunc in ciuitatibus, quod poſtea, imminuto uiuendi ſpatio, fieri in vicis tantummodo naturâ potuit: ſiquidem ſola ſanguinis coniunctio huiuſce rei cauſam naturalem præſtat. [a] Ex ciuitatibus deinde natę gentes vel per vnius victoriam, quæ alias vicinas ſuperauerit, & quaſi in prouinciam redegerit; vel per colonias aut ciuitatum, aut pagorum, quas vna in vicina miſerit loca ſibi imperium retinens. his enim duobus modis gentes efficiuntur: aut alios vincendo, finitimos tamen; aut ſuos in coniunctam regionem mittendo. & vtroque modo qui reges ab initio ſingulis ciuitatibus dominabantur ; in totas gentes imperium cœperunt; imperabantq́; adhuc quidam ętate Philoſophi, & noſtra imperant. Quòd ſi aliquando reges non fuerint ijs ciuitatibus, quæ aut per miſſionem colonia-

b. regia gubernationi ſubiectis.
a. primùm.

Ciuitatũ primarum cõſtitutio ex quibus & qualibus.

b. coiuerunt.
b. ex regiæ gubernationi ſubiectis.
a.

a. Quapropter.

Cauſa, ob quã ab initio ciuitates reges habuerunt.

Cauſa regiæ gubernationis in domibus et vicis primi modi natura eſt, in ciuitatibus aſſuetudo; & quare.

a. & nunc etiam gentes.

In gentibus regia gubernatio, vnde et quomodo. Gentium origo, & conſtitutio.

loniarum, aut per bellum gentes efficiunt; ac nihilominus ſurgat in iјs gentibus primùm regia gubernatio: ob eandem cauſam hoc illis continget, ob quam ciuitatibus contingebat; nempe quia homines, aut maior pars eorum, ex quibus vnaquæque gens conſtat, huiuſmodi gubernationi naturaliter conſueuerint aut in vicis primę formę, aut ſaltem in domibus. *Scopus huius textus.* Hæc ſunt, quæ in hoc textu ponuntur ad id confirmandum, quod in ſuperiori traditum eſt; aperiendamque cauſam, cur ab initio ciuitates, *Iudicium de iјs quæ hoc textu continentur.* & ſecundum eas gentes regibus paruerint. Sed quod ſentimus, diſſimulare haud oportet: cauſa, & confirmatio hęc nõ habent robur Ariſtotelitum. Quid enim ſi aliquis hoc modo reſpondeat ad quęſtionem? maximè fieri æquum eſſe, prę́ſertim in initijs rerum, quod eſt maximè ſecundum naturam: eſſe autem maximè ſecundum naturam regium imperium; id quod & in xij. Diuinorum probatum fuerit; *in extem.* & teſtatum relinquat conſenſio omnium gentium, vnam tantùm primam cauſam, & vnum Deum cunctorum regem affirmantium, vt paulo pòſt dicturus eſt etiam in hoc libro Philoſophus. *in textu 18. & 142.* Hinc igitur euenire, vt ab initio in ciuitatibus, & ſecundum eas in gentibus hoc imperium extiterit. *Partes textus.* Partes textus duæ. Prima (a) habet principium confirmationis; regiam gubernationem, inquam, fuiſſe ab initio in ciuitatibus, & eſſe etiamnum in gentibus; cuius rei hæc ſola cauſa afferri poſſit, quòd vicus ſit ἀποικία domus. Secunda (b c d e) hoc ipſum declarat; ideſt conſtituto hoc, quòd vicus ſit ἀποικία, facile cauſam afferri, cur regia gubernatio ab initio fuerit in ciuitatibus, & ſit etiam nunc in gentibus: ſiquidem in omni domo regnari propter cognationem: & in vicis quoque propter eãdem cognationem regnari, ſi vici ſunt ἀποικίαι domuum, vt ponitur: hinc itaque & ciuitates, quæ cõſtantur ex vicis aſſuetis regiæ gubernationi; & gentes, quę ex ciuitatibus fiunt, regiam gubernationem ſuſcepiſſe.

SCHOLIA.

Regum gubernatio quã antiqua & cur. *Quapropter & primùm regnabantur &c.* Liquet hoc ex hiſtoriis; ciuitates, genteſque primùm à regibus gubernatas. Trogus, cuius hiſtorias Iuſtinus in Epitomen contraxit, ſic orſus eſt:

Principio rerum gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad faſtigium huius maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat: populus nullis legibus tenebatur; arbitria principum pro legibus erant.

Et hoc quidem quod Trogus ait, regum conſtitutionem legum inſtitutioni anteceſſiſſe, ſcribunt etiam alii; & inter alios M. Cicero in ij. officiorum; & Cornelius Tacitus in iij. Annalium. cum quibus conſentit Plato in iij. de legibus paulo poſt initium. Cur reliquas gubernationes ciuiles regia ſit antegreſſa, traditur hîc à Philoſopho hæc cauſa, deſumpta ex eodem loco Platónis in iij. de legibus: quod qui primi homines ad communicandas, participandaſque inuicem vtilitates vitæ non quotidianas vnum in locum congregabantur, ſocietateſque iungebant, quæ ſocietates, congregationeſque ciuitates, & gentes appellatæ ſunt; uiuere cuncti ſub regio imperio conſueti forent in domibus, & vicis primæ formę. Et ad hanc causã altera adiungetur in cap. 13. libri iv: nẽpe homines illos, ex quibus primùm ciuitates ſunt conſtitutæ, paucos fuiſſe; quocirca à paucis etiam, regibuſque gubernari facilius tuliſſe. Quidam neceſsitatem iniuriæ repellendæ regum prius creandorum cauſam fuiſſe inquit: vt ne ab hoſtibus externis vniuerſi; ne'ue inopes ab iis, qui maiores opes haberent, opprimerentur. E' quorum numero Tacitus loco paulò antè citato ita ſcribit.

Vetuſtiſ-

Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eóque ſine pœna, aut coercitione agebant: neque præmijs opus erat, quum honeſta ſuopte ingenio peterentur: & vbi nihil præter morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia, ac pudore, ambitio, & vis incidebat; prouenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere: quidam ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum, leges maluerunt. Et Cicero in ij. Officiorum. *Mihi quidẽ nõ apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed apud etiam maiores noſtros fruendæ iuſtitiæ causâ videntur olim bene morati reges conſtituti. nam, quum premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant; ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem: qui, quum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. quum id minus contingeret, leges ſunt inuentæ &c.*

Imperij ciuilis in vniuerſum cauſa finalis.

Locus Herodoti eſt in primo libro hiſtoriarum eius. At hi cauſam attulerunt, nõ cur prius regia dominatio, ſed cur ſimpliciter dominatio fuerit inſtituta in ciuitatibus. Omne enim ciuile imperium hoc ſpectat, & ad hoc primò inſtitutum eſt, vt ius retineretur, iniuria propulſaretur & à ſingulis, & ab vniuerſis. Nos, niſi fallimur, veriſsimã in exitu explanationis cauſam attigimus.

Gentis vocabulum.

Et nunc etiam gentes. Quæ ſit differentia inter gentem & ciuitatem, diximus in explanatione, tangiturque à Philoſopho infrà in cap. primo. ij & in 4. vii. libri. Fortaſſe tamen hîc per gentes, vt annotat P. Victorius, intelligit propriè Philoſophus Barbaras nationes; quæ vſque ad ipſius tempora ſub regum imperio permanebant; Græcorum vrbes eiectis regibus ſe in libertatem vindicarant.

Verborum expoſitio.

Ex regiæ nanque gubernationi ſubiectis coiuerunt. Ex ſubiectis regiæ gubernationi, interpretatur P. Victorius, ex iis locis, qui in poteſtate vnius erant, ideſt ex domibus: Calcagninus, ex primis illis ciuitatibus regiæ dominationi aſſuetis: D. Thomas, ex iis hominibus, qui in domibus, & vicis primæ formæ regio imperio gubernabantur. Et coiuerunt, conflatæque ſunt, Calcagninus inquit, gentes ex iis ciuitatibus: cæteri ciuitates, & gentes ex domibus, & vicis primæ formæ, ſiue ex hominibus, qui in illis erant.

Regna in domo quomodo.

In omni enim domo regnat &c. Regnat in omni domo, non quia propriè in domo ſit rex, aut propriè regium imperium; hæc enim ad ciuitates, genteſque attinent; non ad domos: ſed quoniam ex auctoritate, beneficentiaque, vt infrà declarabitur, pater eſt ſimilis regi, regioque more filios gubernat. Hic autem eſt ſatis inuenire in domibus regiam gubernationem patrum in filios: licet fortaſſe non ſint regiæ, qua illi vxores, & qua ſeruos regunt. ſunt nanque nati, & nati natorum, qui è domibus in alias domos tanquam in colonias exeunt; non ſerui, aut vxores patrum familiâs. Et in hac quidem regia gubernatione patrum in filios continetur patria poteſtas: de qua dicam loco oppurtuniori.

tex: 142.

infrà in ſcholij: tex: 140.

Vici primæ formæ nomine coloniarum.

Itaque & in colonijs. Certum eſt coloniarum nomine ſignificari hîc vicos primæ formæ, ob cauſam expoſitam in textu antecedenti.

Cauſa cõmunis, vt in domibus, et in vicis primæ formæ ſit regia gubernatio.

Propter cognationem. Ex æquo hæc cauſa eſt, vt & in domibus, & in vicis primæ formæ exiſtat regia gubernatio, quemadmodum in explanatione declaraui.

ARGVMENTVM. TEXT. XIIII.

Alterius duorum effatorum in textu proximè antecedenti adhibitorum, quod erat, Regnare in quauis domo eum, qui ſit maximè ſenex; confirmatio ab Homeri teſtimonio in ix. lib. Odyſſeæ, vbi de Cyclopum domibus loquitur, veluti argumento à minori: exorienteſque contra cum Homeri locum dubitationis, cur non æque dicat de vicis, & ciuitatibus; oppreſſio ex eiuſdẽ Homeri conſilio; qui voluerit fabula, atque imagine Cyclopum vitam, moremque habitandi priſcorum hominum nobis repræſentare. Locus principalis, ab auctoritate. Loci adiuncti, à minori, à fine.

Καὶ τοῦτ' ἐστὶ ὃ λέγει Ὅμηρος· [b] θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων, ἠδ' ἀλόχων. [c] σποράδες γάρ· καὶ οὕτω τὸ ἀρχαῖον ᾤκουν.

Homerus in ix. Odyſſea. Hanc eandem auctoritatem Homeri citāt Ariſtoteles in exitu x. ad Nicom. & Plato ſub initium iij. de legibus.

d Plato in Protagora & in iij. de legibus & alibi.

[a] Et hoc eſt, quod dicit Homerus, [b] *Iura dat quiſque natis & vxoribus.* [c] ſparſi namque: [d] & ſic antiquis temporibus habitabant.

EXPLANATIO.

a. & hoc eſt.

a. quod dicit Homerus.

b Iura dat etc.

Prima expoſitio de loco argumētationis.

Altera expoſitio.

[a] SVMPTVM eſt proximo in textu, domorum adminiſtrationem eſſe regiam; & regnare, qui antiquiſſimi ſunt: ex qua ſumptione cætera ſunt deducta. Hanc igitur ſumptionem [a] confirmat in præſentia Philoſophus teſtimonio prudētiſſimi poetæ Homeri: qui in ix. Odyſſeæ de Cyclopibus inter alia hęc ſcribit. [b] *Solet ius dicere quiſque Coniugibus, natisque ſuis.* Quòd ſi Cyclopes, gens immaniſſima, & magis feræ, quam homines, hunc tamen ritum à natura, & humanitate, vt ex ſuperioribus liquet, manātem, eâdem ipſa natura cogente, in domibus ſuis ſeruant; regnatque in vnaquaque earum, qui eſt maximus natu, hoc enim ſignificat θεμιστεύειν, ideſt iura dare natis, & vxoribus: multò magis ſeruabunt illum homines mitiores, qui ratione, & diſciplina naturā adiuuant. Dicet fortaſſe quiſpiam, trahi argumentum non à minori, ſed à ſubiecto, & prima ſubiecti forma. Oſtendi enim, hunc ritum eſſe maximè ſecundum naturam ex eo, quòd Cyclopes, qui naturâ, non ratione vixiſſe fingantur, eum coluerint. At cauendum, ne ſequatur, ſi qui naturâ contra rationem uiuunt, morem iſtum retinent; abijcere eum alios, qui ratione naturam temperant: cæteroqui interpretatio eſt haud ſpernenda. Inducit autem hæc Philoſophus nō quòd ipſe putet, aut Homerum putaſſe credat fuiſſe Cyclopas: ſed vt palàm faciat, ſecum cōſentire de hoc pronunciato maximum, celebratiſſimumq; poetam; qui ſub fabula, ac perſona Cyclopum, doceat regnare, in ſua quemque domo, qui ſit maximus natu, etiam apud magis ſylueſtres, & magis inconditos homines. [c] Verùm dubitabit aliquis cōtra hunc locum, & hoc teſtimonium Homeri. nam ſi apud Cyclopas Homerus ait regnaſſe in quauis domo, qui eſſet maximus natu: cur non ſimiliter ait, apud eoſdem, in ciuitatibus regnatum, aut ſaltem in vicis? quum tamen primo poſito de domibus, vt liquet ex textu antecedenti, alia ſequantur de vicis, & ciuitatibus? quinimò ait contrarium: ſcribit enim ibidem, non ſe mutuò curare Cyclopas, nec conciones conſiliarias, nec leges habere.

Cuiuſdā dubitationis ſolutio. Philoſophi & Homeri propoſitum.

Dubitatio cōtra Philoſophum, & Homerum.

c. ſparſi enim.

τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες:
οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Concilium us nullum forenſe eſt, nullaque iura:
Nilque hos aliena negotia tangunt.

Reſponſio Philoſophi. Cyclopum fabula ſignificatio. Priſcorum hominum vita & mores. Habitationes hominum primū diſperſa, deinde cōiuncta.

d. & ſic antiquis &c.

Et reſpondet Philoſophus huic dubitationi: Voluiſſe Homerum in Cyclopibus vitam, moresq; barbaros, & agreſtes priſcorum hominū deſcribere; quos è terra natos hac de cauſa, vt tangitur etiam in cap. 6. ij. horum librorum, multi dixerunt, Poetæ præſertim. [d] Hunc autem inter reliquos morem priſcos illos homines habuiſſe, vt diſperſi, diſſeminatique per agros, non vnum in locum congregati, quod poſtea factum eſt, habitarent; tradunt hiſtoriæ tam profanæ, quàm ſacræ; atque rationi quoque eſt

maximè

maximè conſentaneum: ſiquidem primùm veriſimile eſt, varias paſſim caſas, & tuguria constructa fuiſſe, vnoquoque ſibi propriè prouidēte; deinde metu ferarum, mutuiq; adiumenti, ac miniſterij, tum ad neceſſitatem, tum ad voluptatem, causâ, collata in eundem locum, & propinqua, continentiaq; erecta ædificia. ᶜVt igitur hunc morem Poeta nobis repræſentaret, introduxit Cyclopas ſparſim habitantes:

Viciorũ & ciuitatum cauſa prima rationem finis habentes.

c. ſparſi enim.

Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα,
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι.

Soli habitant cæcum ſed in altis montibus antrum.

Quom autem ſic habitatur: nec ciuitates: nec vici eſſe poſſunt. vt enim ſit aut vicus, aut ciuitas; neceſſe eſt habitationes aliquo modo coniunctas eſſe. Quapropter de ſolo domorum regno loquutus eſt ibi Homerus; non de vicorum, aut ciuitatum.

Partes textus duæ. Prima (a b) confirmat propoſitum auctoritate Homeri. Secunda (c d) dubitationem cōtra eum locum Homeri exorientem ſoluit.

Partes textus.

S C H O L I A.

Et hoc eſt. Regnari, inquam, in domibus ab ijs, qui ſunt natu maximi.

Quod dicit Homerus, Iura dat &c. Hoc eodem teſtimonio Homeri vtitur Plato in iij. de legibus, & penè ad idem propoſitum, nempe vt confirmet, regiè, & ab iis ſemper, qui ſunt ætate prouectiores, domos gubernari: ita ſtatuens, fuiſſe hoc initium omnis diſciplinæ ciuilis, atque reipublicæ. Exiſtimat etiam Cyclopas apud Homerum eſſe imaginem priſcorum, ſylueſtriumque hominum: quod nos admonuimus. hoc tantùm intereſt, quòd hominum illorum, qui nouo ſeculo rudem, & ſylueſtrem ante conditas ciuitates vitam degebāt, Plato mores ſimpliciſsimos, modeſtiſsimos, iuſtiſsimos fuiſſe inquit; nos barbaros, & crudeles, quales Homerus Cyclopum fingit. Ariſtoteles ſub exitu x. ad Nicomachum citat alio hæc carmina Homeri, accuſans publicas leges; quæ nihil de educatione, nihil de ſtudiis, & diſciplina ciuium iuberent: ex quo viueret vnuſquiſque, proſpiceretque priuatim familiæ ſuæ, prout ei liberet, more Cyclopum. Id verò ſi conquerebatur Ariſtoteles de ſuis legibus; quantò iuſtius conquereretur de noſtris, ciuilibus, & municipalibus?

Locus Homeri de Cyclopibus.

Priſcorum hominum mores.

Leges publicæ reprehenduntur.

Sparſi enim. Subaudiendum eſt, Cyclopes habitabant. Malè autem D. Thomas hæc refert ad ſuperiora, dicens ideo regium imperium à domibus. & vicis permanaſſe ad ciuitates; quia diuerſi vici ſunt tanquam ciuitas diuiſa in diuerſas partes; & priſcis temporibus habitabant homines diſperſi per vicos, nō congregati in vnam ciuitatem. P. Victorius penè vt nos.

Verborum expoſitio.

Et ſic antiquis temporibus habitabant. Legimus in ſacra Geneſi, antiquos patres diſperſè habitaſſe, paſtoritiam vitam agentes: & ne Abrahamum quidem, & Lothum, nepotem eius ex patre, diu commorari ſimul potuiſſe. Verùm familias ingentes vnumquemque eorum habuiſſe filiorum, & nepotum, & pronepotum, & vxorum, & concubinarum, & ancillarum, & ſeruorum; quas regio more gubernarent: vt aliquando Abrahamus ex ſola familia ſua, imò ex ſolis vernis decem & octo ſupra trecentos armauerit; quibus perſecutus eſt, viciq; Chodorlahomorum, & alios tres reges. Etiam hiſtorici Latini, & Græci, qui nationum, & populorum origines explicarunt, vt Scytharum, Aegyptiorum, Athenienſium, Trogus, Herodotus, Plutarchus, & alii aliorum; hunc modum habitandi primis cuiuſque regionis incolis tribuunt, quod & Plato facit in iij. de Legibus, & in Protagora.

Priſcorum hominum quæ fuerit habitandi, viuendiq; ratio.

ARGVMENTVM. TEXT. XV.

Alterius effati textus decimitertij (ideſt quòd ciuitates ab initio, deinde etiam gentes ſub regibus fuerint) confirmatio ab euentis, & ex conſenſu cõmuni omnium hominum, aientium in Dijs eſſe regium imperium nulla alia de cauſa, niſi quia ipſi reges habuerint partim vſque ad tempora Philoſophi, partim antiquis. Hanc autẽ fuiſſe cauſam oſtenditur ex genere: nanque vitas, actiones que ſuas homines Dijs affingunt. Et hoc rurſus confirmatur ex ſimili, vel ex minori: quoniam formas ſuas ſimiliter homines Dijs affingant. Loci principales, ab euentis, & à teſtimonio. Loci adiuncti, à genere, à ſimili, à minori.

[a] Καὶ τοὺς θεοὺς δὲ διὰ τοῦτο πάντες φασὶ βασιλεύεσθαι. [b] ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ μὲν ἔτι *νῦν, οἱ δὲ τὸ ἀρχαῖον ἐβασιλεύοντο: [c] ὥσπερ δὲ καὶ τὰ εἴδη ἑαυτοῖς ἀφομοιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τοὺς βίους τῶν θεῶν. — ** Additur καὶ in cod. Victor. ἔτι καὶ νῦν.*

[a] Et in Dijs ob hãc cauſam omnes eſſe aiunt regium imperium; [b] quoniam ipſi quoque, alij quidem etiam nunc, alij autem priſcis temporibus regio imperio gubernabãtur; [c] quemadmodum verò & formas, ſic & vitas Deorum ſuis ſimiles homines fingunt.

EXPLANATIO.

In Dijs regiũ imperium tripliciter. Iupiter Deorum atq; hominum Rex. Deus & Dea vnaquaq; Rex & Regina.

[a] Dijs regium imperium conſtanti ore omnes homines tribuunt. quippe & inter illos vnum quendam regnare: & nobis hũc ſanè primum; deinde verò alios regia poteſtate, ac more præeſſe. Sic à Poetis Iupiter Deorum, atque hominum rex, rex Apollo, rex Neptunus, & reliqui ſimiliter Dij, Deæque reges, ac reginæ nominantur. [a] Huius autem communis conſenſionis nihil aliud cauſæ afferre poſſumus, niſi hoc, [b] quòd ipſi homines reges habuerunt, alij quidem noſtra adhuc ætate, alij antiquis temporibus. Quapropter quum nihil effici ſoleat ſine cauſa; multoq; minus, ſi quid eodem ſemper, vel ab omnibus tenore efficiatur: conſenſionem iſtam cunctarum gentium, in tribuendo Dijs regio imperio, firmum teſtimonium putare oportet propoſiti enũtiati, huius, inquam, quòd homines regibus aſſueti fuerint & pręſenti, & anteactis ſęculis. [c] Cæterùm homines, hoc more, modoque viuendi ſuo adductos, dediſſe Dijs regiam gubernationem, confirmatur per locum à genere, ſeu à toto: nanque actiones, vitasque Deorum in vniuerſum ſimiles ſuis homines fingunt. [c] Et hoc rurſus oſtenditur ex ſimili, vel ex minori: nam [c] formas etiam humanas affingunt Dijs; quòd ſi formæ affinguntur; [c] ſimiliter, ac multò magis actiones affingendæ ſunt. Hæc eſt huius textus reſolutio. Quòd ſi te compoſitio, & paucis verbis comprehenſa ſententia magis delectat; hanc accipe: Quemadmodum formas ſuas homines Dijs attribuunt; ita ſuarum vitarum, & actionum modos: propterea, quum ipſi, alij quidem priſcis ſeculis, alij verò vſque ad hæc tempora regibus aſſueti fuerint; inter Deos regium

Margin notes: *Argumẽtatio ab euentis.* — *A teſtimonio.* — *A genere.* — *A ſimili.* — *Breuis ſententia huius tex: per compoſitionem.* — *a. ob hanc cauſam. b.* — *c. ſic et vitas Deorum.* — *c. quẽadmodum verò & formas etc. ſic & vitas &c.* — *c. formas ſuis ſimiles.* — *c. ſic & vitas.*

regium imperium ſtatuerunt: nec huius cunctarum gentium cōſenſionis quicquam aliud cauſæ inueniri poteſt.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima proponit conſenſum omnium hominum de regio Deorum imperio. Secunda addit cauſam eiuſmodi conſenſus comprehenſam in enuntiato, cuius nunc confirmatio quæritur. Tertia oſtendit eſſe hanc veram cauſam illius communis conſenſus.

S C H O L I A.

Regiū in Dijs imperium.

In Dijs eſſe regium imperium. Tres expoſitiones huius loci indicaui: vnam, quòd Dij regem habeant: alteram, quod ſummus Deorum ſit hominum Rex: tertiam, quòd alijs quoque Diis in homines ſit ius ac imperium regium. ſiquidem verbum βασιλεύεσθαι tam regem eſſe, quàm ſubeſſe regi ſignificat. Earum expoſitionum prima eſt melior, quàm alij etiam attulerunt. Sed loquitur Philoſophus de Diis ſuis, & de ſuis hominibus. nobis enim vnus eſt Deus, à quo omnia facta ſunt, & ex cuius nutu pendent, conſeruantur, perficiunturque omnia.

Verborū conſideratio.

Alij quidem etiam nunc, alij autem priſcis temporibus. Hæc verba reſpondent verbis illis textus XIII: *primùm regnabātur ciuitates, & nunc etiam gentes.* Qui autē non ætate Philoſophi, vt Græci, ſaltem priſcis temporibus ſub regibus fuerunt.

Vocabula quadam.

Sub regio imperio erant. Regium imperium, & regem, & regnare propriè hîc accipito; non, vt in duobus textibus ſuperioribus, ex quadam ſimilitudine.

Forma & membra humana Deo attributa.

Formas ſuis ſimiles fingunt. Formas hominibus ſimiles habere Deos antiqui putarunt, aut finxerūt: quod liquet ex priſcis illis Theologis, Poetiſque, Orpheo, Homero, Heſiodo. Hanc opinionem amplexi ſunt Anthropomorphitæ hæretici, ex hoc ipſo nomen habentes, quòd formam humanā Deo aſcriberent. Sed in libris ſacris Dei manus, & ora, & cætera membra leguntur ad eius vires, actioneſque ſignificandas, & ſuggerendas mentibus noſtris: quæ ſine eiuſmodi adminiculis diuinam lucem omni corpore, omnibus partibus, omni varietate & rei, & temporis, & loci carentem, ipſæ, his omnibus aſſuefactæ, & permixtæ, attingere non poſſent.

Actiones, & vita humana potius, quam forma Dijs attribuenda.

Sic & vitas. Quales formę Diis tribuebantur; tales etiam actiones, & vitæ, quæ illis formis conuenirēt, tribui debebant. Quom formam dico, exteriorem ſpeciem, ac figuram intelligo. Et probabilior ſanè fuit aſſertio de vitis, quàm de formis ſimilibus. quippe actionum quædā eſt ſimilitudo; nulla formarum: vt re uera creatus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei non externa cute, ſed intimis animæ viribus, & principiis actionum. Porrho Plato in exitu ij. libri de Republica valdè reprehendit hunc morem attribuendi Diis ſine vllo diſcrimine formas, vitas, actiones humanis ſimiles: & Poetas, auctores, cultoreſque eius maximos maximè inſectatur; docens quam cautè in huiuſmodi rebus verſari debeamus.

*

CIVITAS.

CAPVT IV. V. VI.

De ciuitate, eius eſſentia, cauſis, ac fructu maximo.

Definitio Ciuitatis. Cap. iiij. tex. xvi.	Differentiæ, quæ in proxima definitione ſubaudiebatur, ideſt quòd ciuitas ſit, et exiſtat naturâ, demonſtratio. Caput v. textus xvij.	Fructus ampliſs. ſocietatis ciuilis. Cap. vi. tex. xxviij.
*	*	*

Caput IIII. Textus xvi.

ARGVMENTVM TEXT. XVI.

Definitio ciuitatis ex genere, & quinque differentijs: quarum differentiarum prima à materia ſumitur; ſecunda à forma; tertia à cauſa efficiẽte, quæ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *vt item in vici definitione, repetenda eſt ex definitione domus, & continuò demonſtranda; quarta à cauſa finali prima, ob quam ciuitas initium habuit; quinta ab vltimo fine, qui poſtea acceſſit, perficiens, & conſeruans eam. Ciuitas eſt ſocietas ex multis vicis, perfecta vſque adeò, vt omnis ſufficientiæ ſummam in ſe habere dici poſſit, atque naturalis, conſtituta quidem viuendi, permanens autem bene viuendi cauſâ.*

[a] Ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, πόλις, [b] ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, [*] ὡς ἔπος εἰπεῖν, [c] γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, [d] οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.

[a] E multis autem vicis ſocietas perfecta eſt ciuitas, [b] quæ nimirum omnis ſufficientiæ, vt verbo dicam, ſummam habet, [c] conſtituta quidem viuendi cauſâ, [d] permanens autem benè viuendi.

** in Ald. et Victor. apponitur, ὡς ἔπος μὲν εἰπεῖν. * in Ald. deeſt non. μὲν. Vide quæ ſcribuntur in cap. 4. & 6. lib. iij. d. quare etiã infrà tex. 28.*

E X P L A N A T I O.

Ciuitatis perfectio.

[a] Ex multis domibus ſocietas prima vicus erat: ex multis autem vicis perfecta ſocietas eſt ipſa ciuitas. [b] perfectam dico non quodammodo, & in ſua ſpecie, quemadmodum vicum, & domum; ſed ſimpliciter in toto genere ſocietatum: [b] quæ omnis αὐταρκείας ſummam, [b] vt vno dixerim verbo,

a. b. b. omnis ſufficientiæ ſummam habet. b. vt vno dicam verbo.

verbo, ideſt totum id, quod per ſe vſibus noſtris eſt ſatis, contineat; nec
quicquam in ea deſyderetur illarum rerum, quæ pertinent ad vitam hu-
a. à multis vicis. manam. [a] Vici ſunt materia proxima ciuitatis. [b] Perfecta ſocietas formam *Materia. Forma.*
b. ſocietas perfecta. deſignat. nam & genus, quod ſocietas eſt, ſumitur à forma: & huiuſmodi
perfectio, quæ expleat cumulatiſsimè humanæ vitæ indigentiam, eſt dif-
ferentia, & ratio formalis ciuitatis. Proinde ex hac adiuncta generi, *Definitio formalis.*
etiam ſine alijs, definitio confici poſſet, à reliquis ſocietatibus, vt eſt na-
tura, & conditio definitionum formalium, ciuitatem ſecernens, hoc *Definitiones formales & materiales.*
modo: Ciuitas eſt ſocietas perfecta, continens in ſe omnia, quæ faciunt ad
bene, beateque viuendum. Quòd ſi cauſas quoque, hanc perfectionem *Legum & æquitatis vis in ciuitate.*
efficientes, addideris, nempe leges, & æquitatem, quæ ciuitatis ſunt vin-
cula, vt in iiij. paradoxo Cic. ait, dixeriſque, ciuitatē eſſe perfectam ſocie-
tatem legibus, æquitateq; continentē omnia, quæ faciunt ad bene, beateq;
viuendum; habebis rationem, ideſt formam ciuitatis omnibus numeris
abſolutam, atque explicatam. Quas quidem cauſas prætermiſit hoc loco *Cur Philoſophus leges, & æquitatem in hac definitione prætermiſerit.*
Philoſophus vel quia comprehenduntur in ipſo perfectionis effectu, ſub-
indicatæ illis uocibus, *habens ſummam omnis ſufficientiæ;* uel quia in hoc primo
Politico materialia diligentiùs perſequitur, quàm formalia, vt initiò ad-
monui. Si quis verò itidem ex ſola materia, vt ex ſola forma, conſtitui, di- *Definitio materialis.*
ſtinguique ab alijs ciuilem ſocietatem putet, planè fallitur, ignorans di-
ſcrimen, quod eſt inter formales, materialeſque definitiones. Nam qui ait
ſocietatem ex multis vicis conſtantem; nondum ciuitatem ait. oportet .n.
ex Cic. in 4. paradox. eſſe tot, ac tales; non ſolum multos. nec eſt ciuitas omnis conuentus, om-
nis'ue congregata vnum in locum multitudo: quia eſſe poſſet illa multi-
tudo ferorum, immanium, fugitiuorum, latronum; ex quibus nullo mo-
do conficitur ciuitas. Quapropter materiali differentiæ ſaltem adiun-
genda eſt formalis, hoc eſt perfecta ſocietas, quæ habeat ſummam ſuffi-
cientię ad humanam vitam. At hîc, vt pleniſſima definitio exurgat, aliæ
etiam adijciuntur. Subaudienda enim eſt primùm per repetitionem ex *Cauſa efficiens.*
definitione domus, vt etiam in vici definitione repetebatur, quæ à cauſa
efficiente ducitur; ideſt ſecundum naturam, ſeu naturalis. Hanc quia ſta-
tim multis argumentis Philoſophus eſt demonſtraturus; reliquit ſubin-
c. telligendam, repetendamq; ex ſuperioribus. [c] Et huic ſuccedit, quàm præ- *Cauſa finalis.*
ſtat cauſa finalis; cuius gratiâ conditæ ab initio ciuitates ſunt. conuenerūt
nanque homines initiò vnum in locum ad habitandum; cinxeruntque il-
lum mœnibus; & pactiones quaſdam, legeſque fecerunt tum vt ſe à feris,
aſperioribuſque alijs hominibus tuerentur; tum vt haberent viuendi
c. quidem. d. d. autem. mutua ſubſidia. Conſtituta ergo [c] primùm fuit hæc ſocietas cauſâ viuen-
di. [d] Deinde vbi iam, qui ea continebantur, uiuere poterant, tutique erāt *Finis vltimus ἐπιγινόμενος.*
ab iniurijs externis: tum demum, excluſa neceſſitate, ſapientiores, inten-
tis animis, & ad honeſtatem, iucunditatemq; conuerſis, alium finem con-
ſpexerunt longè meliorem, expetibilioremque, vt non ſolùm victuri eſ-
ſent, ſed etiam fœliciter, beateque vitam tracucturi, ſi mores formaſſent,
& ad virtutē direxiſſent partim legibus, partim educatione, partim diſci-
plina. Hac itaque norma ciues ſuos inſtituere, & leges condere cœperunt.
Fuitque hoc poſtea vinculum ciuitatum, quod eas conſeruauit, conſer-
uatque. Alioquin, vti omnes homines procliues ſunt ad ſuas quiſque
commoditates, voluptateſq; comparandas, etiam per iniuriam aliorum;
vtque ſunt omnes tum ad iram proni, tū varijs ingenijs, & inconſtantibus;
frequen-

frequenter, diſſoluto cœtu, ſi ad internecionem ſe non cæcidiſſent, ſaltem vertiſſent ſolum, & alij aliò commigraſſent. quod declarat eleganter Protagoras apud Platonem. verùm cum frequenti commigratione prior fortaſſe finis, qui eſt viuere, retineri poteſt: poſterior non poteſt, qui eſt beatè viuere, & cum affluentia omnium bonorum. Ergo [c] nata ciuitas, vt viuamus; [d] permanet, conſeruaturque vt benè viuamus. quod ſignificant verba illa Philoſophi, γενομένη, conſtituta quidem viuendi causâ, οὖσα, exiſtens autem, & permanens beneuiuendi. Paucis verò in rebus duos fines inuenies, quemadmodum in ciuitate: quorum vnus ſit cauſa finalis rei efficiendæ; alter, hoc multo excellentior, ipſi iam factę accedat, & ſupercreſcat, ἐπιγινόμενος Gręcis dictus. Et hoc etiam perfectioni atteſtatur. Quamobrem continetur quodammodo hic finis, & hæc vltima differentia in ſecunda, quæ erat de perfectione; & in hac illa. Omnium porrho harum quinque differentiarum, ex quibus definitio iſta conficitur; tertia, communis ciuitati cum domo, & vico, ſeparat eam à cunctis ſocietatibus pręter naturam: alię quatuor ipſam diſtinguunt etiā à vico, & à domo. Et huiuſmodi quidē eſt definitio ciuitatis, quam tradit Philoſophus hoc in loco, omnes omnino illius cauſas, & principia cùm generationis, tum permanentiæ partim patenter, partim implicitè continens.

Duo fines in paucis rebus, quorum vnus ſit cauſa finalis, alter finis ſuperueniens.

Differentiarū huius definitionis vſus.

Qualis hæc ciuitatis definitio.

c. d

S C H O L I A.

Definitiones ciuitatis. Definitio huius loci, de qua etiam in libro iij.

E multis autem vicis &c. Explicat latè Philoſophus infrà in cap. 4. & 6. lib. iij. omnes partes, & elementa huius definitionis. Ac tandē duo capita facit: quorum vnum eſt ſocietas familiarum, & vicorum: alterum eſt ſocietas beneuiuendi causâ. His duobus reliqua contineri docet. nam & viuere dirigi ad id, quòd eſt bene viuere: & beneuiuere eſſe beatè, honeſtéque, ideſt ex virtute viuere: & hanc ſolam vitam in honeſtis collocatam actionibus eſſe perfectam, ac ſeipſa cōtentam, omnis ſufficientiæ ſummam in ſe comprehendentem: vbi autem viuitur ex virtute, honeſtéque, ac beatè, ſanè viui ſecundū naturam; & portum eum teneri, in quem natura ipſa ducit. Non eſt definitio, ſed initiū definitionis illud, quod legitur in principio lib. iij: ciuitatē eſſe ciuium multitudinē quandam. continet enim, & deſignat tantum, non explicat materiam, & formam ciuitatis. Auctor Oeconomicorum in primo cap. primi, Ciuitas eſt, inquit, domorum, & regionis, & τῶν κλημάτων multitudo tanta, quanta eſt ſatis ad bene uiuendum. Aperuit ille ſolùm materiam remotam, & ſummum finem; additis tamen inſtrumentis: quæ inſtrumenta nunquam exprimuntur in definitione; indicantur duntaxat, & continētur aliquādo in cauſa formali, vt hoc in loco, quom dicitur, *ſumma omnis ſufficientiæ*; aliquando in materiali; aliquando in efficiente. In ij. de Republica Plato ſic definit ciuitatem: Ciuitas eſt multitudo hominum vnum in locum ad habitandum congregatorum, vt communicent, præſtentque viciſsim alius alij eas res, quibus ad vitam eſt opus. At hæc definitio Platonica multo inferior eſt quam noſtra. Genus, & formam non explicat: propriam materiam tacet: præcipuam illam differentiam formalem, à ſumma, & apice totius ſufficientię ductam, vix attingit, certè non complectitur: tandem è duobus finibus eum, qui maxime eminet, & in quo beata vita poſita eſt, prorſus prætermittit. Niſi quis dicat expoſitionem quandam nominis, non definitionē ciuitatis afferre tunc Platonem voluiſſe. quòd libenter damus. Scimus enim virum illum omni maieſtate humana ampliorem hæc omnia, quæ ibi relinquere videtur, tum in eodem, tum alijs in locis commonſtraſſe, ac docuiſſe.

Definitio quędā ex princip. tertij.

Definitio ex prin. Oecono.

Definitio ſumpta ex ij. de Republica Platonis.

Verſio.

Perfecta: τέλειος. Aretinus vertit cōfectam: Calcagninus collectam. Malè. nam potiorem partem definitionis obſcurant, & tollunt.

Omnis

Omnis ſufficientiæ, ideſt τῆς αὐταρκείας ſummam habet. Sufficientiæ uox Latino ſermone parum trita: à ſcholis tamen recepta eſt tanquam aptiſsima ad exprimendam *αὐτάρκειαν*. nam id, quod eſt ſatis, & vbertas non æque cogitationem implent. At ſi ſummam habet ciuitas omnis ſufficientiæ; neceſſe eſt conſtare eam ex multis, vicis & hominibus, à quibus ſubminiſtrari vniuerſa, quæ ad vitam opportuna ſunt, poſsint. Sed dubitant quidam de ueritate propoſitionis. Omnem enim ciuitatem aliis quibuſdam ciuitatibus indigere, aliarumq; quarundam cõmercio neceſſariè vti, quod ſi ei denegaretur, incolumem diu non permanſuram. Ex quo inferunt, ciuitates, quod ad hanc ſufficientiã attinet, eſſe vicis ſimiles: ſolumque regnum reuera habere id, quod ad vitam humanam, eſt ſatis; vt quemadmodum ex multis uicis ciuitas conficitur, ita ex multis ciuitatibus regnum confici oporteat, ſi commodè, & facilè ſuppeditari nobis debet omnium rerum, quas natura deſyderat, vbertas, & copia. Quaſi verò vllum regnum, vt ipſi etiam regnum vocant, omnino reperiatur, cui neceſſarij mercatores non ſint ad res vrbium cùm regni, tum exterarum importandas, & exportandas. Quod vèrò præſtant mercatores in coniunctis vrbibus, quarum vnus eſt dominatus, idem præſtabunt in diſiunctis. Nec ſufficientia ſanè ciuitatis hoc requirit, vt omnia in eius regione naſcantur, & fiant; ſed vt omnia habeat aut ibi nata, factaque, aut aliunde importata. Quamobrem Plato in ij de Republica ſecundum agricolas, & artifices, qui parent ea, quæ naſci, fierique domi poſsint; neceſſarios mercatores pronunciat, inuehitque ipſos in ſuam illam primam, ac maxime naturalem ciuitatem, quam veram, & ſanam fore ait.

Ex D. Thom.

Acciaiolus hic, et Egidius lib. iij de Regim. Princip. pp. cap 3.

Vocabulum ſufficientia.

Ciuitas cõſtat ex vicis et hominibus multis.

An habeat ſummam ois ſufficientia.

Regnum an et quomodo habeat ſummã ſufficientia.

Mercatorum vſus.

Vt verbo dicam: ὡς ἔπος εἰπεῖν. Vt ita dicam verterunt Leonardus Aretinus, & P. Victorius. qui Victorius hoc addi ait à Philoſopho tanquam ſe corrigente, ac verito ne plus dixerit, quàm veritas patiatur. Acciaiolus vertit *vt ſummatim dicam*. Ego eum imitatus *vt verbo dicam*. nam in hac vna dictione *ſumma omnis ſufficientiæ*, omnia continentur. & omnia quidem comprehendit ciuitas, quæ requiruntur, vt penitus contenta ſit vita humana: licet tam multa ſint, quàm multa eſſe ait Victorius.

Verſio.

Conſtituta quidem viuendi cauſa, permanens autem &c. Cauſa prima efficiens ciuitates eſt natura, & inſtinctus naturalis, quemadmodum diximus. quia enim homo naturâ eſt animal ciuile, quod deinceps confirmabitur; quanquam etiam nihil indigeremus mutuo auxilio, nihilominus ob appetitũ ſimul viuendi, humanæque ſocietatis, quem natura nobis ingenerauit, congregaremur in eundem locum ad habitandum. Ex eiuſmodi appetitu naſcitur primum bonum, & primus finis, cuius causâ naturaliter homines congregantur, iunguntque domicilia; nempe voluptas, quam ex conſuetudine, communioneque vitæ inter ſe capiunt. Verùm hæc voluptas finis quidem aliquis, & bonum ciuitatum, vel potius congregationum, & cœtuum dici poteſt; cauſa finalis non poteſt. datur enim magis à natura nobis vt incitamentum, & illecebra (quibus nominibus ad efficientem cauſam reducitur) verorum finium; quàm ſit verus finis, & vera cauſa finalis. Porrho autem veri fines, quorum gratia ciuitates conduntur, & ob quos etiam iſtam voluptatem, inſtinctumque eam antecedentem hominibus natura tribuit; duo ſunt: viuere ſimpliciter, & bene viuere. Viuere ſimpliciter nõ poſſumus, niſi & nos, noſtraque, quibus opus habemus, tueamur; & quæ nobis deſunt ad victum, & ad cultum paremus. Quom igitur initiò homines, vt ſcribit Plato in Protagora, diſpersè habitantes à feris laniarentur; vt ſuæ ſaluti proſpicerent, congregari in vnum, vrbesque condere cœperunt. Et Cicero in ij. officiorum. Hanc, inquit, ob cauſam maximè, vt ſua tenerentur, reſpublicæ, ciuitatesque cõſtitutæ ſunt. nam etſi duce natura congregabantur homines; tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum vrbium præſidia quærebant. Primùm itaque hoc nomine conditæ ſunt ciuitates viuendi causâ, quaſi ſocietates quædam bellicæ, ideſt *συμμαχίαι*, hoc enim vocabulo vtitur Philoſophus infra in cap.6. libri iij. aduerſus feras, & aduerſus homines iniuſtos, atque immanes, qui nos, noſtraque violare, & rapere vellent. Deinde verò conditæ ſunt, vt facilè, copioſeque pararentur, quæ vnicuique deeſſent ad

Ciuitatũ bona & fines.

Voluptas conſuetudinis & communis vitæ.

Viuere ſimpliciter

Tueri ſe & ſua.

Permutare & cõparare quæ ſint neceſſaria.

G victum,

victum, & cultum humanum. Quam alteram partem cauſæ condendarum ci-
uitatum ad viuendum ſimpliciter, explicans Plato in ii. de Republica ſic ſcribit.
*Fit ergo ciuitas, quemadmodum ego arbitror, propterea quòd nemo hominum ſit, qui ſibi ſit ſa-
tis, ſed multis vnuſquiſque indigeat: quamobrem alius alium quum aſſumeret, & alius vſus
gratiâ, quia multis egerent, multi in vnam habitationem congregati ſunt, ſocii, adiutoreſque
mutui futuri in impertiendis ſuis, & accipiendis alienis.* Harum duarum rationum,
ex quibus viuere ſimpliciter cauſa fuit, vt vrbes ædificarentur, reſpublicæque
cōſtituerentur, priorem nominare cuſtodiam poſſumus; poſteriorem permu-
tationem. Totum verò id, quòd ex his conſtat, quòdque à Philoſopho no-
ſtro, qui finem ſpectat, ſignificatur hac dictione, *viuendi cauſà*, vocat Plato lo-
cis citatis, reſpiciens ad initium, indigentiam, & neceſsitatem. vnde etiam in
Lyſide declarat, Deum, iniecto hominibus neceſsitatis vinculo, continere, ac
trahere eos, vt, velint, nolint, mutuas ſocietates cùm iungere, tum conſerua-
re cogerentur. Talis in ſumma eſt primus finis, quem præcipuè voco cauſam
finalem: quandò & ob eum tantùm initiò ciuitates conditæ ſunt: &, niſi ipſe
Benè viuere.
oſtenderetur, nuſquam conderentur. In hoc verò, illis iam conditis, reſulſit al-
ter, multò præſtantior: qui cauſa eſt, non ſolùm vt fiant, ſed etiam vt perma-
neant, ac cōſeruentur ciuitates, ἐπιγιγνόμενος à nobis dictus, propterea quòd prio-
ri accreuerit. Et hunc poſteriorem finem vocat Philoſophus noſter bene viue-
re, Plato iuſtitiam. Bene uiuere interpretabitur ipſe Philoſophus in 6 cap. lib. iij.
vt expoſitum eſt etiam multis aliis in locis, præſertim in primo Rhetorico, &
Primo Rhetor. cap. 5. primo ad Nicom. cap. 4.
in primo ad Nicom. agere, viuereque honeſtè, ſiue ex virtute, ac demum bea-
tè: in qua beata vita omnia bona cumulatiſsimè comprehenduntur; quod de-
monſtratum eſt in Moralibus. Quamobrem infrà in tex: xxviii. pronunciabit
Philoſophus primum ciuitatis cōſtitutorem maximorum bonorum cauſam
fuiſſe, nempe iuſtitiæ, & prudentiæ, & virtutum omnium, actionumque, & re-
rum, quæ uirtutibus comitantur: quas quidem virtutes ſine ciuitate, hoc eſt
Ciuitas & virtus ſeſe viciſſim ſequuntur.
ſine rectis legibus, rectaque inſtitutione aſſequi nemo poſſet, anteuertentibus,
ſequentibusque aliquo pacto ſeſe inuicem ciuitatis conſtitutione, & uirtute.
nam vt hæc fuit, quæ prudentia, & iuſtitia, præclariſsimis ſui partibus, ciui-
tatem temperauit: ita naſcitur, manatque eadem perfectè per inſtitutionem,
& leges à recta forma ciuitatis. Fœlicitatem autem, & virtutem intellige non
ſolùm actualem, verùm etiam ſpectatiuam. ſiquidem dirigitur in vtranque ea-
rum ciuilis ſocietas, vt declarabitur in libro vij. Et hunc finem beneuiuendi
Hic finis ciuitatis eſt ἐπιγιγνόμενον.
conſentit Plato, qui cum iuſtitiam appellat, eſſe ἐπιγιγνόμενον, ideſt ſuperuenien-
tem, & accreſcentem iam conditæ ciuitati, quemadmodum diximus. Itaque in
ij. de Republica, quum primam illam, naturalemque ciuitatem, ab indigen-
tia naſcentem, ex agricolis, paſtoribus, artificibus, mercatoribus, cauponibus,
mercenariiſque conflaſſet, hæc ſubiungit: Vbinam tandem, in hac ciuitate iu- »
ſtitia erit, & cui ſimul innata, & inſita earum rerum, quas conſyderauimus: for- »
taſſe in mutuo quodam harum ipſarum rerum vſu & quæ ſequuntur. D. quo- »
que Thomas exponens verba illa, *permanens autem beneuiuendi*: Ex conſtitu-
tione, inquit, ciuitatis euenit vt homines non ſolùm viuant, quod ſibi ab ini-
tio propoſuerunt, ſed etiam vt bene viuant: propterea quòd illius legibus diri-
gatur vita humana ad virtutem. Rectè: niſi quod non temere hoc fit, ſed ad
Vnde hic ſolus dicatur finis ciuitatis in iij. & conciliatio horũ locorum.
normam, quam in explanatione diximus, comparentis huius finis. qui eſt bene,
beateque uiuere. Quoniam verò hic finis ἐπιγιγνόμενος eſt præſtantiſsimus: ideo
Philoſophus in 6. cap. iij. oſtēdet nec uiuere ſolùm, nec ſimul viuere, nec tueri
ſe, & ſua, nec communem vtilitatem in permutationibus, & commerciis, nec
iuſtitiam in iiſdem, & abſtinere ab iniuria; ſed bene beateque uiuere, in quo &
illa, quæ dicta ſunt, & omnia alia bona comprehenduntur, eſſe ciuitatis finem.
nec pugnant inter ſe hæc duo loca, vt credere aliquis poſſet.

Textus XVI.

Differentię, quę in definitione proxime tradita ſubaudiebatur, demonſtratio.

CAPVT V.

Differentiæ, ſeu conditionis illius, quæ in proxima definitione ciuitatis ſubaudiebatur, repetebaturq́ ex domus definitione, ideſt quòd ciuitas exiſtat, & ſit naturâ, demonſtratio,

Διὸ πᾶσα πόλις φύσει &c. Textus XVII. ad XXVIII.

SCHOLIVM.

EXISTERE, eſſe'ue aliquid naturâ eſt naturam habere pro cauſa efficiente. Porrhò autē quarum rerum natura eſt cauſa efficiens; aliarū eſt efficiēs tantùm; aliarum efficiens ſimul, & forma; aliarum & efficiens, & id ipſum, quod efficitur, naturę ſunt, ſpecie eadem, ſolo numero diſtincta. In hoc tertio genere continentur omnes formæ naturales: quæ, à ſimilibus ortę naturis, & formis, ipſæ etiam ſunt naturæ. in ſecundo ſunt omnia compoſita naturalia: quorum vnunquodque cùm à natura generatur; tum formā habet ipſum ſuſtinentem, ac terminantem, quæ eſt natura. Primum genus adhuc diſtribuitur in tres partes. Nam quorum natura eſt cauſa duntaxat efficiens, non etiam forma, aut illud ipſum quod efficitur; alia ſic à natura efficiūtur, vt tota, & omnino proficiſcantur à natura, promouente ipſa opus ſuū, & effectum vſque ad exitum, ideſt quamdiu id generatur, aut permanet: cuiuſmodi ſunt motiones omnes naturales, & quæ affectiones

Quot quibuſque modis dicatur aliquid eſſe aut exiſtere naturâ.

Formæ naturales.

Compoſita naturalia.

Ex initio ij. Phyſici.

Motus naturales.

Affectiones primæ ſeu proprietates ſpecierum.

nes primæ, ſeu proprietates ſpecierum appellantur: atque hæc quidē in omnibus ſingularibus earum ipſarum ſpecierum, in quas conueniunt, cernuntur; dicunturque maxime propriè vnà cū ſuperioribus naturà exiſtere. Alijs igniculos tantùm, & ſemina quędā ſui ortus natura tribuit: verè autē illa poſtmodum generantur, peraguntúrque ab alijs cauſis; vt ſcientiæ à doctrina meditatione'ue; virtutes morales à cōſuetudine; artes ab vtraque: & hæc minus propriè dicuntur exiſtere naturà, ſicut declarat Ariſtoteles in principio ij. ad Nicomachum: quamobrem neque in cunctis ipſa hominibus reperiuntur, ſed ſolùm ſemina, & igniculi eorū, qui toti ſunt naturales. Alia denique generationē, & conſeruationem qualem qualem à natura habent; incrementum, & perfectionem aliunde, quemadmodum imitatio. cuius quidem imitationis cupiditas, & oblectatio, & ſtudium inſita nobis, & vnicuique noſtrum à natura ſunt, id quod fuſè explicat Ariſtoteles in libello artis poeticæ: vt verò magis, & minus; has, aut illas res; hoc, illo'ue modo, & norma imitemur; iſtud ex ratione pendet, delectúque noſtro, pro ingeniorum, educationis, conſuetudinis, varietate. Ad hanc formam rerum naturalium etiā pertinet ciuitas: & eam ſic eſſe, exiſtereq; naturà Philoſophus docebit, vt in omnibus hominibus, vno, vel altero excepto, qui aut feræ, aut Dei magis, quàm hominū nomen mereātur, naturalis quidā inſtinctus, impulſúsq; ſit ad ciuilem ſocietatē quærendam, & amplectendam; quod tradiderunt quoque Plato in Lyſide, & Cicero in primo Officiorum. Hoc rapti deſyderio, præter vtilitatem, de qua diximus in ſuperiori commentario, primùm conuenerunt homines, habitationesque, atque animos coniunxerunt, vt ſimul viuerent: iamque ciuitates quoquo modo appellari poterāt: deinde verò rudes etiamnum, & inconditas paulatim ratione, ac prudentia, quæ rationis eſt comes, pulcherrimis legibus formarunt, ac perfecerunt. Inchoat igitur natura ciuitates, conſummat ratio: & hoc pacto propriè dicūtur illę eſſe, exiſtereq; naturà; quoniam à natura, ideſt ab inſtinctu naturali primùm proficiſcūtur,

Ex initio 2. ad Nicom.

Scientia. Virtutes morales. Artes.

Ex initio lib. Poetica.

Imitatio.

Ciuitas quomodo dicatur eſſe aut exiſtere natura.

infrà in tex. 21. & 26.

& ab

& ab eodem conſeruantur. Alio etiam modo, ſed minus propriè, dicũtur ciuitates naturà eſſe quaſi compoſita quędam naturalia: quia propria ipſarum forma ſit quodammodo natura, vt videbimus in textu proximè ſequẽti. Quæ autem de ciuitate hoc loco pronuntiamus, intelligẽda ſunt pariter de vico, & de domo.

Partes huius quinti capitis.

Ciuitas eſt, & exiſtit naturà.	*Homo eſt naturà animal ciuile.*	*Ciuitas adhuc eſt res naturà prior, quàm domus, & quàm vnuſquiſque noſtrum.*	*Concluſio, & expoſitio, quomodo ciuitas ſit, & exiſtat naturà.*
Pars i. tex: xvij.	*Pars ij. tex: xx.*	*Pars tertia. textus xxiiij.*	*Pars iiij. tex: xxvij.*

PARS PRIMA CAPITIS QVINTI.

Ciuitatem eſſe & exiſtere naturâ, oſtenditur duabus rationibus.

Διὸ πᾶσα πόλις φύσει &c. Textus XVII. XVIII. XIX.

ARGVMENTVM TEXT. XVII.

Ratio prima, à deſtinatis. nam ſocietates ciuilem antecedentes, quæ ſunt partes ipſius aliæ primæ, aliæ proximæ, & tandem in eam deſtinatæ tanquam in ſummum ſuum finem; ſunt ipſæ per ſe ſecundum naturam: ſummus autem finis huiuſmodi deſtinatorum, & in vniuerſum cuiuſuis rei naturalis; quà formam notat, eſt natura: &, quia natura eſt quà formam notat; liquet etiam ex Phyſicis conſtare, & exiſtere naturâ, quà totum ſignificat. Confirmatur eiuſmodi finem eſſe naturam ex vſu loquendi. Et hic loquendi vſus illuſtratur expoſitione, ac penè inductione, tribus allatis exemplis. Locus principalis, à deſtinatis. Loci adiuncti, à partibus, à proprietate, à genere, à iudicio, & per expoſitionem, atque inductionem.

[a] Διὸ πᾶσα πόλις φύσει ἐστὶ, [b] εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι. [c] τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων: [d] ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστί. [e] οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, [f] ὥσπερ ἀνθρώπου ἵππου, οἰκίας.

e. d. elicitur ciuitatem id est formam ciuitatis eſſe naturam.

[a] Quapropter oĩs ciuitas naturâ eſt: [b] ſiquidem etiã primę ſocietates. [c] finis enim hęc eſt illarum: [d] natura autẽ eſt finis, [e] quale enim eſt vnunquodq; perfecta generatione, hanc dicimus naturam eſſe vniuſcuiuſque, [f] vt hominis, equi, domus.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Vici, domus, et coniugationes, ex quibus domus cõſtãt, ſunt materia ciuitatis, & hęc eſt finis illarum.

[a] Ex mvltis vicis perfectam ſocietatem eſſe ciuitatem ipſam proximè antecedens textus aſſeruit: quòd ſi ex vicis, planè etiam ex domibus, & ex prioribus coniugationibus, ex quibus domus conſtant. Sunt igitur hæ omnes ſocietates ciuitati pro materia: & illa eſt tanquam finis, ac ſummus quidem finis iſtarum. ſiquidem τέλειον ideſt perfecta eſt. quam vocem in nulla aliarum ſocietatum Philoſophus adhibuit. finis enim, & perfectio idem ſunt; ſicut apud Gręcos τέλος, καὶ τελειότης: reſpondentque ſibi mutuò

Argumẽtatio huius textus.

τέλος, καὶ τέλειον græcè; latinè finis, & perfectum. [a] Quare conficitur ex ſuperioribus per locum à deſtinatis tertia conditio, ſiue differentia, quæ in proxima definitione ſubaudiebatur, ideſt omnem ciuitatem eſſe, & exiſtere naturà: [a] omnem inquam ciuitatem, quæ verè, propriè que dicatur, in qua leges uigeant, & ius, æquitasque; non quæ quouis modo hanc habeat appellationem. Explicari autem ſic poteſt argumentatio.

Prima pars textus. Syllogiſmus hypotheticus.

[b] Primæ ſocietates, vicus, domus, & aliæ, [b] ex quibus poſtea ciuitas tanquam ex partibus, & initijs, his ſimplicioribus, verioribus illis conficitur; [a] ſunt naturales, & à natura proficiſcuntur: ergo ipſa quoque ciuitas. [b] Aſſumptum conſtitutum eſt ſuprà in vniuſcuiuſque illarum ſocietatum conſtitutione, ac definitione. quod vt ſignificaret Philoſophus, pro εἰ poſuit εἴπερ, ideſt

Secunda pars textus: Syllogiſmus categoricus.

ſiquidem, pro, ſi. [c] Connexum oſtenditur ſyllogiſmo categorico per locum à genere ad hunc modum. In vnaquaque re naturali finis ſummus, qui abſoluta eius rei generatione cernitur, eſt natura: ciuitas eſt finis vltimus primarum ſocietatum; quæ ſunt naturales: ergo ciuitas eſt natura. [c] Minor propoſitio huius ſyllogiſmi iam eſt ſtabilita. poſitum eſt enim primas illas ſocietates eſſe naturales; & earũ finem vltimum ciuitatem eſſe, quippe quæ ex illis ſit perfecta ſocietas, græcè τέλειος. quod perfectionẽ ac ſummum finem notat.

Dubitatio de ſubiecto & prædicato maioris propoſitionis huius ſyllogiſmi. Solutio. Commutatio partium orationis.

[d] In maiori nonnihil dubitationis affert permutatio terminorum. etenim natura locum ſubiecti tenet, finis locum prędicati: quum tamen hic ſubiectum, illa prædicatum eſſe debeat, niſi in ſecunda figura ex duabus aientibus ſyllogiſmum fieri velimus. Verùm tranſpoſita nomina, & verba, ex ij. de Interpretatione, eandem vim habent: neque eſt præter morem Ariſtotelis, aliorum'ue Peripateticorum, aliquando vt concinniorem, aliquando etiam fortaſſe vt obſcuriorem orationem reddant, eius partes commutare, transferendo alias in aliarum locum. Ergo vel accipe hæc vt tranſpoſita: vel [d] ſi tibi articulus ἡ, quę ſubiecti nota eſſe ſolet, ſcrupulum parit; accipe propoſitionem vt reciprocantem, & ex paribus confectam terminis; intelligens naturam eam, quę maximè propriè hoc nomen habet, ideſt formam. nam ſanè in rebus naturalibus propria cuiuſq; rei natura, & forma nõ differt ſubſtãtia à fine, qui perfecta generatione comparatur, vt ſcribitur in textu 70. ij. Phyſici. Alioquin pręterquam quòd ex duabus affirmatiuis fieret, vt diximus, ſyllogiſmus in ſecunda figura: adhuc falſa eſſet hæc propoſitio, natura eſt finis; ſi hoc ſignificaret, minus patere naturę nomen, quam nomen

Tertia pars textus.

finis in rebus naturalibus; in quibus non ſolùm finis, & forma, ſed etiam efficiens proximum, etiam materia natura eſt. Et accedit quòd [e] in probatione, quę ſubiungitur huius rei; conuertitur ordo terminorum: oſtenditurque finem à perfecta generatione manantem ([e] quod enim ſequitur perfectam generationem, & quia generationem, & quia perfectam rem

Right-margin notes: a. — a. Quare per. — a. omnis ciuitas. — b. — b. primæ. — a. naturà. — b. ſiquidem. — c. d. — c. — d. — d. ἡ φύσις. — e. perfecta generatione.

ſequitur

ſequitur, planè finis eſt) eſſe naturam. Eſt autem probatio per locum à iudicio, ideſt ab vſu loquendi: quoniam eiuſmodi finem in vnaquaque re naturali naturam illius dicere ſoliti ſumus. [f] Et hoc item tribus exemplis per expoſitionem, ac veluti inductionem confirmatur. nam primum exemplum, quod ab homine ducitur, notat ſubſtantiam rationis compotem; ſecũdum, quod ab equo, rationis expertem, ſed animatã; tertium, quod à domo, inanimam: quæ ſunt tria genera rerum naturalium perfectarum, præſertim ex doctrina Platonicorum, ſtirpes, & beſtias eodem gradu ſtatuentium, & animalia vocantium. Illę ſunt difficiliores dubitationes, quę de theoremate naſcuntur: vna, cur mutauerit Philoſophus vocem naturã ſexti caſus, in nomen rectũ, natura: quomodoq; ex hoc, quod concludit, ciuitatem eſſe naturam; habeat, quod maximè vult concludere, ciuitatem eſſe, & exiſtere naturã. Altera dubitatio eſt, vtrum, & qua ratione omnino verè dici poſſit, ciuitatem, aut etiam domum, quod tertio exemplo ſumebatur, naturam eſſe. Et ad hanc dicimus primùm: quom ait Philoſophus vel domum, vel ciuitatem, uel aliarum quampiam ſocietatum eſſe naturam; loqui eum de forma, non de tota ſocietate: id quod & D. Thomas hoc loco attigit; & [e] indicatur à Philoſopho his verbis, *quale eſt vnunquodque perfecta generatione*, finem, & formam maxime propriè ſignificantibus. At forma domus, & ciuitatis, & ſocietatum ſimilium partim eſt inſtinctus, & appetitio illa nobis ingenita viuendi ſimul; de qua ſæpe diximus: partim eſt ordo, ſeu ratio, & lex quædam certa, tacita expreſſa'ue, ſimul viuendi hoc, aut illo modo. Appetitio illa dicitur forma ſocietatis, quoniam continet, conſeruatq; ſocietatem; & quandiu permanet, tandiu conſtat ſocietas; ſi tollatur, diſſoluitur: quod eſt proprium formæ. hæc lex verè eſt eiuſdem ſocietatis forma, quia eſt ipſius abſoluta temperatio, ac perfectio. Eſt autem illa appetitio non obſcurè natura: quum ſit pars, aut facultas formæ naturalis; omnino reducatur ad formam naturalem. Et lex iſta, quom recta fuerit, meretur, aſſumitque nomen naturæ duabus de cauſis. Vna cauſa eſt, quòd à natura, ideſt ab inſtinctu, & appetitione illa cõgenita, quam diximus eſſe naturam, proficiſcitur lex iſta, ac conſeruatur; & eſt imago, imitamentumque naturæ, vt tradit Auerroes in ij. comment. primi de Cœlo, & nos ibi explicauimus; vel potius, ſi vim, & eſſentiam eius ſpectes, eſt illa ipſa natura, ideſt ille ipſe naturalis appetitus, quo tota nititur: ex hac enim natura, ac lege naturæ cæteræ omnes, quæ verè poſitæ ſunt ab hominibus, leges tam ſcriptæ, quàm non ſcriptæ profluunt, ac pendẽt. Altera cauſa eſt, quòd hęc lex eſt principiũ, intimũ, primumque, ac verum actionum, motuumq; omnium à tali ſocietate manantium: his nanque conditionibus definiebatur natura ſub initium ij. Phyſici. Eſt ergo ciuitas .i. forma, & finis perfectę generationis ciuitatis planè natura: in quibus verò forma, & finis per generationem rei comparatus (quæ quidem duo nunquam eſſentiã, ſed ratione tantùm diſtinguuntur) natura eſt; illa oportet eſſe ſeu conſtare naturã, quaſi compoſita quędã naturalia; & à natura proficiſci tanquã à cauſa efficiente, habentia proximum efficiẽs ipſam naturam. atq; hæc eſt propria cõditio rerũ naturalium non ęternarum. Per locum igitur à proprietate, & ex eo, quòd concluſum eſt; ciuitatem, ſeu formam ciuitatis eſſe naturam; conficitur propoſitum principale, ciuitatem, inquam, eſſe & exiſtere naturã. Et ob hanc cauſam mutauit Philoſophus illud prædicatum, eſſe naturã, in hoc, eſſe

Quarta pars textus.

Difficultates dua de theoremate.

Tollitur ſecũda difficultas quomodo dici poſſit ciuitatẽ & domum eſſe naturam.

e. quale eſt vnumquodque &c.

Forma domus & ciuitatis, & ſocietatum ſimilium.

Appetitio naturalis ſimul viuẽdi eſt natura.

Lex, ſi recta fuerit, eſt natura.

ij. Phyſicorũ textu 3.

Tollitur prima difficultas de prædicato theorematis, eius cõmutatione ac concluſione.

eſſe naturam, vt per hoc illud oſtenderetur: breuitati autem addictus demonſtrationem non compleuit: ſed in hoc illud concluſit, & ſignificauit. Vnde etiam tollitur prima difficultas. Quidam Explanatorum non vnam, ſed duas rationes hoc loco afferri putant: quibus oſtendatur propoſitum, ideſt ciuitatem eſſe rem naturalem. Earum rationũ vnam, in prima textus parte comprehenſam, à partibus duci: quoniam totum in hoc debeat eſſe ſimile partibus. Alteram rationem trahi à deſtinatis, explicatam in alijs partibus textus: quam nos diximus ſolam totum textum occupare. Sed ſi expoſitio iſtorum retineatur erit ἀναχόλουθον in verbis, hoc eſt malè ſcripſerit Philoſophus, *Finis enim eſt hæc illarum*: pro quo ita ſcribi debuiſſet, *Præterea finis eſt hæc illarum*. Adhoc ratio prima nullam habebit firmitatem. neque .n. ſi partes, materiales præſertim, de quibus in præſentia eſt ſermo, naturâ ſunt, ideo quoque oportet totum eſſe naturâ. hoc autem perſpicuum eſt in rebus arte factis: in quibus materia ſemper eſt naturalis.

Sentẽtia alterum de rationibus huius textus. — *Faber Acciaiolus Victorius.*

Partes textus. Textus habet quatuor partes. Prima (a b) continet ſyllogiſmum hypoteticum concludentem theorema. Secunda (c d) ſyllogiſmo categorico probat hypothetici illius connexum. Tertia (e) confirmat maiorem propoſitionem huius categorici, ab vſu loquẽdi. Quarta (f) exemplis, ac penè inductione declarat talem eſſe loquendi vſum.

Sententia textus. Totius autem ſententiæ ambitus, ſi te breuia delectant, huiuſmodi eſſet: Intelligitur ex his, quæ dicta ſunt, ciuitatem exiſtere, & conſtare naturâ: quippe hæc eſt finis vltimus ſocietatum antecedentium, quæ ipſius partes ſunt, aliæ ſummæ, aliç proximç; vici, inquam, domus, earumque ex quibus domus conficitur; & illç omnes ſunt naturales: at finis, qualis apparet generatione perfecta in quaque re naturali, dicitur natura illius rei, vt formam ſignificat: tum verò id, cuius propriè eſt forma, neceſſe eſt exiſtere, & conſtare naturâ.

ARGVMENTVM. TEXT. XVIII.

Ratio ſecunda, à parte formali, ideſt à ſufficientia (ἀπὸ τῆς αὐταρκείας) *ciuitatem explente: quam ſub optimo contineri, eſſeque optimum in toto genere ſociali, actualique, oſtenditur per locum à quiditate, nempe ex eo, quòd ipſa ſit ſummus finis, & id, cuius causâ in hoc genere cætera peraguntur: optimum autem in quouis genere perſpicuè eſt, exiſtitquè naturâ. Locus principalis, à forma. Loci adiũcti, à genere, (nam optimum eſt quoddam genus* τῆς αὐταρκείας*) & à quiditate.*

[a] in multis Græcis exemplaribus legiũ καὶ τέλος βέλτιστον.

[a] Ἔτι τὸ οὗ ἕνεκα, καὶ τὸ[a] τέλος, βέλτιστον: [b] ἡ δ' αὐτάρκεια τέλος, καὶ βέλτιστον.

[a] Præterea id, cuius causâ, & finis optimum: [b] ſufficientia verò finis, [c] & optimum.

a. Elicitur, optimum in vnoquoque genere eſſe, exiſtitq; naturâ.

E X P L A N A T I O.

Ratiocinatio textus. Proſyllogiſmus primus.

[a] I D, quod eſt, diciturque in vnoquoque genere optimum, eſt in eo genere, exiſtitque naturâ: [a] id, cuius causâ in vnoquoque genere cætera fiunt, [a] quod alio nomine finis, & verè, propriéque finis, hoc eſt ſummus

a. a. id cuius causâ. a. & finis.

mus finis nuncupatur; eſt in eo genere optimum: ergo, id cuius cauſâ &c. eſt in eo genere, exiſtitq; naturâ. Maior quam neceſſe eſt ſubaudiri propter theorema, de quo hîc quæritur, & propter demonſtrationem illud confirmantem; eſt per ſe manifeſta. nam ſi negetur eſſe, exiſtereq; naturâ, quod optimum eſt in vnoquoque genere; iam eueniet hoc abſurdum, vt optimum ſit, exiſtatque præter naturam: & ex hoc alterum longe maius: ſi optimum ſit prẹter naturam; eſſe peſſimum, quod illi opponitur, ſecundum naturam. In prẹdicato huius maioris accipe vocabulum naturâ propriè, vt accipitur in Phyſicis; quom ſermo fuerit de generibus rerum naturalium: idem accipe fusè, & communiter pro eo, quod congruit, conſequiturque ſua ſponte generis formam; quom fuerit ſermo de alijs generibus. In minori propoſitione ſunt [a] duæ voces, id cuius cauſâ, & finis: quarum altera alteram explicat, definitque: vt intelligamus ſummum in vnoquoque genere finem, cuius cauſâ aguntur, obeunturq; cætera omnia eiuſdem generis. Et eſt hẹc minor etiam notiſſima ex definitione boni, & loco à coniugatis: Id cuius cauſâ, & finis, hoc eſt ſummus finis in vnoquoque genere eſt optimum; &, quia eſt optimum, eſt cõtinuò, exiſtitque naturâ [b] αὐτάρκεια, [b] quam ſufficientiam vertimus ex vſu Scholarum, [b] eſt ſummus finis, cuius cauſâ ſocietates omnes inſtituuntur, & ad quem diriguntur omnes actiones humanæ; quem quom habemus, nihil amplius deſyderamus; alioquin non eſſet αὐτάρκεια: [c] & quoniam eſt talis finis αὐτάρκειας; eſt planè optimum in genere ſocietatum, imò in genere ſimpliciter humanarum actionum: ergo αὐτάρκεια eſt, exiſtitq; prorſus naturâ. Poſuit autem textus decimus ſextus reperiri in ciuitate αὐτάρκειαν tanquam perfectionem, & rationem ipſius formalem: ergo ſimiliter ciuitas, cuius αὐτάρκεια eſt perfectio, & ratio formalis; eſt, exiſtitque naturâ.

Maior primi proſyllogiſmi. *Optimum in vnoquoque genere eſt, exiſtitq; naturâ.* *Vocabulum naturâ dupliciter.* *Minor primi proſyllogiſmi.* *Summus finis, cuius cauſâ cætera aguntur in quoque genere optimum eſt.* *Alter proſyllogiſmus biceps* *Sufficiẽtia eſt ſummus finis et optimum in ſocietatibus act[ionib]us que humanis.* *Syllogiſmus.*

a. id cuius cauſâ, & finis. *b.* *b. ſufficiẽtia.* *b. finis.* *c.*

Partes textus duẹ. Prima (a) habet minorem primi proſyllogiſmi, oſtendentis id cuius gratiâ, & finem eſſe, exiſtereq; naturâ. Secunda (b c) proponit duplicem minorem ſecundi proſyllogiſmi bicipitis, quo oſtenditur αὐτάρκειαν eſſe, & exiſtere naturâ. *Partes textus.*

Sententia autem breui ambitu comprehenſa eſt talis. Ciuitatem eſſe, exiſtereque naturâ, hinc etiam perſpicitur, quòd αὐτάρκεια, quam in ea perfectè reperiri, & eam abſoluere antè apparuit; eſt ſummus finis, atque id, cuius cauſâ cætera obeuntur in toto genere ſociali, vel etiam actuali: ſummus autem finis, & id, cuius cauſâ cætera obeuntur in aliquo genere; eſt in eo genere optimum: & optimum in quouis genere eſt, exiſtitque naturâ.

S C H O L I A.

Præterea id, cuius cauſa &c. D. Thomas, & Faber putant confirmari hoc in loco minorem propoſitionem rationis antecedentis, quòd ciuitas ſit finis. quapropter mutat etiam ordinẽ verborũ D. Thomas: & propoſitionem primam conuertit. quum enim legamus in textu: *finis eſt optimum: ſufficientia eſt finis, & optimum:* ipſe hoc modo ratiocinatur: optimum eſt finis: ſufficientia eſt optimum: itaque eſt finis. Nos cum Calcagnino, & Victorio, afferri alteram rationem theorematis principalis: quæ expoſitio quadrat non ſolùm in verba, ordinemque verborum huius textus; ſed etiam in illa, quæ proximè ſequentur, *ex bis igitur manifeſtum;* & in vbertatem ingenij Auctoris, vt minimùm duo ſint argumenta.

Sentẽtia aliorum de argumento huius textus *Sententię proprio confirmatio.*

Varia lectio. *Finis, & optimum*: τέλος, καὶ βέλτιστον. In multis græcis exemplaribus ita ſcribitur: καὶ τέλος βέλτιστον. quod nullo modo ferri poteſt: nam cur inutiliter repetatur quod proximè dictum fuerat, finis optimum? Sed in noſtra lectione omnia, congruunt. eſt enim αὐτάρκεια finis; &, quia finis, optimum, ob antecedentem ſumprionem, quòd finis eſt optimum, loquendo de ſummo fine, quod alio nomine dicitur id cuius causâ. Hanc lectionem agnoſcunt Vetus Interpres, Aretinus, Calcagninus, Victorius.

ARGVMENTVM. TEXT. XIX.

Concluſio duarum rationum antecedentium, quod eſt theorema propoſitum; ciuitatem, inquam, exiſtere, & eſſe naturâ.

Ἐκ τούτων οὖν φανερὸν, ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί.

Ex his igitur manifeſtum eſt, ciuitatem eſſe ex ijs, quæ ſunt, & exiſtunt naturâ.

SCHOLIVM.

De prædicato φύσει ἐστί. *Quæ ſunt, & exiſtunt naturâ.* Cur verbum, ἐστί, de prædicato φύσει ἐστί, vt iungitur cum ciuitate, reddam his duobus, exiſtit, & eſt; non ſemel indicaui. nam primum deſignat cauſam efficientem, & à natura proficiſci; ſecundum cauſam, vt in ſcholis loquuntur, formalem, & conſtare naturâ: vtroque autem modo ciuitatem εἶναι φύσει apparuit in ſuperioribus. Quanquam primus modus congruentior eſt ad præſens inſtitutum; &, ſi proprietatem, vſumque ſermonis ſpectes, etiam multo verior. vix enim diceremus ciuitatem conſtare naturâ, aut eſſe ex ijs, quæ naturâ cõſtant; niſi eam ſtatuiſſet Philoſophus in textu xvij. eſſe naturam: in quo Philoſophi enunciato alterum illud continetur. Cautè tamen hæc accipienda ſunt: vt intelligamus, quemadmodum ſuprà annotaui, exiſtere, ac conſtare naturâ ciuitatem, & eſſe naturam hoc ſignificari; quòd vtrunque principium illius, & à quo fit primùm, & quo primùm permanet, ſit natura, id eſt ſit inſtinctus, vel appetitio quædã naturalis cum ratione, ſeu lege itidem naturali, propterea quòd ab ea naturali appetitione proficiſcatur; illud quidem magis appetitio; hoc verò magis lex, & ratio: non autem intelligamus conſtare, & exiſtere naturâ eam, vel eſſe naturam propriè tanquam compoſitum, & formam propriè naturalem, puta vt lapidem, vel vt formam lapidis. *in ſcholio generali & in comment. 17.*

PARS

Textus XVII.

Homo eſt naturà animal ciuile.

PARS SECVNDA CAPITIS QVINTI.

Ciuat hūc locum infrà in cap. 4. ij. libri.

Hominem eſſe naturâ animal ciuile, plus etiam, quàm apes, & quàm quoduis animal gregale. Vnde illuſtratur, confirmaturq́ magis primum propoſitum, quòd ciuitas exiſtat & ſit naturâ.

Καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει &c. Textus XX. XXI. XXII. XXIII.

SCHOLIVM.

VVLT demonſtrare Philoſophus hominem eſſe naturà animal ciuile. & hoc vult demonſtrare tum per ſe fortaſſe, quia hoc ſit problema politicum; tū certè vt ex hoc firmius clariusq; reddatur propoſitum, & principale theorema huius loci; quod eſt, ciuitatem exiſtere naturà. hæc enim neceſſariò exiſtit naturà; ſi nos naturali impetu, & vi ferimur ad ciuilem cœtum: non naturà autem; ſi impulſio illa nō eſt naturalis, ſed accedit extrinſecus: Et quoniam, quom de aliquo quale ſit quæritur, aut ſimpliciter quæritur, aut comparatè; primùm ſimpliciter oſtēdit Philoſophus hominem eſſe naturà animal ciuile: deinde ex contentione aliorum, quę ciuilia quoquo modo nuncupantur, oſtendit eſſe magis ciuile naturà illis omnibus. Vtriuſque theorematis bina ſunt argumenta; prioris, vnum ab adiunctis, alterum ab oppoſitis; poſterioris ambo à deſtinatis. Prædicatum autem ciuile, id eſt τὸ πολιτικόν, cōmune amborū theorematum in animalibus eſt generaliter quidam modus viuendi, cui opponitur item generaliter τὸ ἀπολιτικόν, ſiue ἀπόλιτον, quaſi dicas inciuile, aut nō ciuile. Accipiuntur hæc vocabula duobus modis: vno modo propriè, vt referuntur ad certam quandam inter homines vitæ communionem, quæ ciuilis cōmunio, ac ciuitas verè, proprieq; nominatur: altero modo ex tranſlatione, ac ſimilitudine modi prioris vt referuntur ad communi-

Propoſitum Philoſophi in hac ſecunda parte capitis quinti.

Quæſtionis, quale ſit aliquid, modi duo.

Vocabulum, ciuile, in animalibus quid generaliter ſignificet. & quot eius modis.

Primus modus.

Secundus.

munitatem, ſocietatemque vniuerſam ſiue hominum inter ſe, ſiue aliorum animalium eiuſdē generis, quæ idonea vitæ ſimul degendæ natura finxerit. Ex primo modo ſoli hominēs ciuiles, ideſt ad veras ciuitates idonei nominātur: ex ſecundo non ſolùm homines, ſed etiam apes, formicas, grues, & multa alia animalia ciuilia, ideſt ſociabilia, & congregabilia appellāt. Primum duntaxat vſurparunt Iuriſconſulti; ſecundum non agnoſcunt: ſed hoc etiam aliquando vtuntur Philoſophi. Ad quem reſpiciētes primùm Socrates, vt narrant Cicero & Plutarchus; deinde Theodorus, vt Diogenes Laertius, mundum patriam eſſe, & ſe ciues mundanos dixerunt: tum Zeno ſtoicæ ſectæ auctor eodem Plutarcho referente, omnes homines inter ſe populares, municipesq; eiuſdem reipublicæ, ac ciuitatis, quæ mundus eſſet, aſſeruit. Et hoc ſecundo modo ſumere iſtud vocabulum Philoſophus magis videtur in poſteriori theoremate; primo autē magis in priori: veruntamen ſi primo in priori; omnino etiam ſecundo: in primo enim continetur ſecundus, quemadmodum genus in ſpecie. nam ſi eſt homo, neceſſe eſt eſſe animal: nec fit reciprocatio. Quoniam autem ſecundo modò homo eſt ciuile animal naturà: hinc euenit, vt ſit etiam ciuile naturà primo modo. ſiquidem, vt Cicero ait in primo officiorum, Cōcilians natura vniuersè ad orationis, vitæq; ſocietatē hominem homini, impellit eos ad cœtus celebrandos, vrbesque condendas; in quibus commodè ſermonem & alios vitæ actus communicare inter ſe poſſunt. Non me fugit ſub initium primi de Hiſtoria animalium, tertio quodā ac penè medio inter iſtos ſignificatu ſumi ciuile ab Ariſtotele; illique τὸ σποραδικόν, quaſi ſparſum, ac ſeparatum dixeris, quod Theodorus vertit inciuile, opponi: ſicut oppoſuerat gregali ſolitarium, τὸ μοναδικὸν τῷ ἀγελαίῳ. Sed ille ſignificatus huic loco non conuenit, vt infrà declarabo.

Cicero in Paradoxo Plutarchus in lib.

Diogenes Laertius in vita Ariſtippi.

Plutarchus in priori libro de Alex fortuna.

Tertius quidā modus.

in comment. 22.

Textus

Textus xx. & xxi.

Hominem eſſe ciuile animal naturà probatur ſimpliciter duabus rationibus.

Ratio prima ab adiunctis ſubiecti & coniugatis prædicati.
Text. xx.

Ratio ſecunda ab oppoſitis.
Textus xxi.

ARGVMENTVM. TEXT. XX.

Ratio prima probans hominem eſſe naturâ animal ciuile: ex ante cõſtitutis, quà poſitum eſt vicum, & domum, parteſque domus eſſe naturales ſocietates, ad ciuitatem, tanquam ad ſummum ſuum finem, directas, quæ propterea etiã neceſſariò ſit, exiſtatque naturâ: aut enim hæc finis non eſſet, aut illæ non eſſent naturales ſocietatis, niſi homo eſſet naturâ animal ciuile. Locus principalis ab adiunctis. Alter cum hoc implicitus, à coniugatis.

Tex. xx. Καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον.

Atque hominem eſſe naturâ animal ciuile.

EXPLANATIO.

* Atque.

Sententia textus.

Argumentatio textus.

Non ſolùm ciuitatem eſſe, exiſtereque naturâ, * ſed etiam hominem eſſe naturâ ciuile animal ex ſuperioribus liquet: ex eo, inquam, quòd poſitum eſt vicum, & domum, parteſque domus eſſe naturales ſocietates, quarum omnium ciuitas ſit ſummus finis. Hoc autem perfecta ratiocinatione ſic explicatur. Vicus, & domus, parteſque domus ſunt naturales ſocietates, quæ in ciuitatem tanquam in ſummum ſuum finem diriguntur: ergo homo eſt naturâ animal ciuile. Et eſt argumentum ab adiunctis ſubiecti: quia vicus, & domus, & partes domus ſunt hominis adiuncta. Aſſumpti partes ambæ conſtitutę ſunt ſuprà. Connexum oſtenditur per locum à coniugatis prædicati. nam ciuitas, & ciuile ſunt coniugata. Ciuitas eſt finis vici, & domus, & partium domus, quæ ſunt ſocietates naturales: finis autẽ rerũ naturalium neceſſariò natura eſt, & à natura exiſtit, vt dictum fuit in textu xvij. ergo ciuitas neceſſariò natura eſt, & à natura exiſtit. ſed non poſſet ciuitas exiſtere à natura; niſi homo naturâ eſſet animal ciuile; ideſt niſi haberet naturalem quendam inſtinctum, impetumque ad ciuilem ſocietatem, vnde exoritur ciuitas: ergo homo eſt naturâ animal ciuile; aut illæ ſocietates, vicus, domus, parteſq; domus non ſunt naturales; vel non eſt ciuitas earum finis, contra ea, quæ antè ſunt conſtituta.

D. Tho-

Sententia D. Thomæ de ratione textus.

D. Thomas putat hoc theorema, Hominem eſſe naturâ animal ciuile, confici ex illo, quod proximè fuit demonſtratum, Ciuitatem eſſe vnum eorum, quæ ſunt naturâ; ac penè talem rationem à Philoſopho indicari: Ciuitas eſt vnum eorum, quæ ſunt naturâ: non eſt autem ciuitas, niſi hominum congregatio: itaque homo eſt natura animal ciuile. Ego arbitror potius confirmari, illuſtrariq́; ex hoc illud. Nam minus eſt notum ciuitatem eſſe, & exiſtere naturâ, quàm hominem eſſe naturâ animal ciuile. prodit enim ſe manifeſtè aliquid animaduertentibus appetitus, & inclinatio nobis inſita ſimul viuendi, ſocietatisq́; ciuilis. Adhoc repugnant verba Philoſophi huic expoſitioni D. Thomæ. quippe ex quibus dixit Philoſophus in textu antecedenti perſpicuum eſſe ciuitatē eſſe naturâ; ex ijſdem in hoc aſſerit eſſe etiam perſpicuum, hominem eſſe naturâ animal ciuile, ἐκ τούτων οὖν, inquit, φανερὸν ὅτι τῶν &c. καὶ ὅτι ἄνθρωπος &c. amboq́; hæc ſanè firmitatē habēt ex duabus illis ſumptionibus antè cōſtitutis; quòd vicus, & domus, parteſq́; domus ſint naturales ſocietates; quòdque harum omnium ſocietatū finis ſit ciuitas: quibus poſitis ſequitur neceſſariò cùm ciuitatem naturâ exiſtere, & eſſe; tum hominem eſſe naturâ animal ciuile. Poſtremo illud eſt principale, ac primum propoſitum, Ciuitatem eſſe, & exiſtere naturâ: hoc adiunctum propter illud, & ſecundarium, Hominem naturâ eſſe animal ciuile. Sed & quanquam demonſtraretur hoc per illud: tamen conuertenda poſtea oratio foret, vt ordo naturæ ſeruaretur, perfectaq́ue fieret demonſtratio. ſimul enim & notius eſt nobis, & prius naturâ, & denique cauſa alterius hoc, quod eſt, hominem eſſe naturâ animal ciuile.

Sententia Acciaioli & eius confutatio. Quibus argumentis probet Acciaiolus hominē appetere naturâ ſocietatem ciuilem.

Acciaiolus ait probari hominem eſſe naturâ animal ciuile ex eo, quòd appetat naturaliter ciuilem ſocietatem. quaſi hæc non idem ſignificent. Confirmat verò Acciaiolus hoc ſuum aſſumptum, appetere hominem naturâ ſocietatem ciuilem, duobus argumentis: quorum vnum eſt ferri hominem naturaliter ad ſocietatem coniugalem, ex qua domus conſtat, quę domus dirigitur ad vicum, & vicus ad ciuitatem. alterum eſt: appetere hominem naturaliter ſufficientiam vitæ humanæ, quam ſola ciuitas præſtat. Sed primum eſt pars argumenti, quod Philoſophus induxit, & nos ſuprà explicauimus. idem namque eſt ferri hominem naturaliter ad ſocietatem cōiugalem; & ſocietatem illam naturalem eſſe. Secundum nec colligi ex verbis Philoſophi poteſt, nec eſt ingenio illius dignū. notior enim eſſet concluſio propoſitione: & omnes homines liquidò expetunt ciuilem ſocietatem; αὐτάρκειαν non omnes; quam multi ne norunt quidem; eam, inquam, αὐτάρκειαν, quæ eſt perfectio ciuitatis, continens omnia, quæ ad benè, beateque viuendum faciunt, præſertim virtutes, & munera virtutum.

ARGVMENTVM. TEXT. XXI.

Ratio ſecunda idem probans ex eppoſitis. nam qui ſponte ſua, non vi expers eſt ciuilis ſocietatis; ille habet naturam humana aut deteriorem, & ferinam, aut præſtantiorem & diuinam: ac deteriorem quidem habere oſtenditur cùm ab Homeri auctoritate, vocabulis, quæ τὸν ἀπόλιδα ſignificent, improbum hominem, & per conuitium, deſignantis; tum, ab ingenio belli cupido; quod tali homini ineſſe & demõſtratur per cauſam, quæ eſt ἄζυγον εἶναι, & colligitur à ſimili in uolatilibus. Probata uerò altera parte diuiſionis conſpicua eſt altera, etiam loco ex oppoſitis: quia ſi vituperatur aliquando ὁ ἄπολις vt inferior homine; laudabitur, quoties laudabitur, vt ſuperior. Locus principalis ex oppoſitis. Loci adiuncti, vnus ab auctoritate; alter ab adiacentibus, in adiacentibus enim numeratur cupiditas naturalis; tertius à cauſa efficiente; quartus à ſimili.

Tex. xxj. [a] Καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν, καὶ οὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. [b] ὥσπερ καὶ ὁ ὑφ' Ὁμήρου λοιδορηθεὶς, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος. [c] ἅμα γὰρ φύσει τοιοῦτος καὶ πολέμου ἐπιθυμητὴς: [d] ἅτε περ * ἄζυξ ὤν. [e] ὥσπερ ἐν πετεινοῖς.

** ἀνὰ ζεύγους in Baſil.*

a. vide infrà tex: xxvi.

[a] Et qui ciuilis ſocietatis eſt expers propter naturam, non autem propter fortunam, vel prauus eſt, vel melior, quàm homo. [b] quemadmodum & qui ab Homero per conuitium appellatus fuit ſine tribu, ſine lege, ſine ſede, & lare. [c] ſimul enim naturâ talis & belli cupidus eſt: [d] quippe qui nullo aſtrictus ſit iugo, coniunctione'ue; [e] ſicut in volatilibus.

b. Homerus in ix. Iliados. c. d. eleiteur, qui caret coniunctione & vinculo coniunctionis cũ hominibus, eſſe belli cupidum.

EXPLANATIO.

Sententia textus.

SENTENTIA huius loci eſt talis. Hominem eſſe naturâ animal ciuile, liquet etiam ex hoc, quòd quicunque ſuo proprio ingenio, non vi vlla fortunæ eſt ἄπολις, i deſt ciuitatis ſocietatiſque ciuilis omnino expers, & τῷ πολιτικῷ oppoſitus, ille profectò aut prauus eſt, hacque ratione inferior homine tanquam fera, aut homine ſuperior, & tanquam Deus. De primo, hoc eſt eſſe inferiorem, teſtis eſt Homerus, qui improbum hominem, quaſi aliquid maius, tetriuſque adhuc diceret, quàm improbum, his tribus nominibus deſignauit, ἀφρήτορ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος: quorũ vnunquodq; priuationem ſocietatis ciuilis ſignificat. Et præter Homeri teſtimonium, eiuſdem rei fidẽ facit ingenium τοῦ ἀπόλιδος, quod eſt belli cupidum: amare enim bella, & cædes eſt deterioris, ac ferinæ naturæ: tale autem eſſe in illo ingenium tum neceſſe eſt, quia ſocietatem, & coniunctionem odio habet, nec pati poteſt; tum liquet ex ſimili; quandò etiam in volucribus quæ ſunt ſoliuagæ, violentæ ſunt, & ſanguinariæ. Hæc autem ſententia ita explicatur. [a] ἄπολις, *qui ingenio, & naturâ ſua, * non fortunæ vi, & calamitate aliqua eſt talis; * aut prauus eſt, imminuta in eo natura humana, ideſt vel deficiente in primordijs, vel poſtea corrupta, & deprauata, omnino deteriori, inferiorių; ſeipſa; [a] aut eſt melior, quàm homo, ideſt habet

Ratiocinatio Philoſophi.

a
** propter naturam.*
** non autem propter fortunam.*
** vel prauus eſt.*
a. vel melior, quàm homo.

naturam

naturam ſuperiorem, perfectiorem, preſtantiorem, quàm cęteri homines, quæ natura alijs nõ egeat rebus, ſed ſibi ſit ſatis: vt tandem hic quaſi Deus, ille quaſi fera eſſe videatur; quod dicetur infrà in textu xxvj: ᵃ ergo homo eſt naturâ animal ciuile. Connexum perſpicuum per locum ab oppoſitis, & ratiocinatione ea, quam noſtri ſecundum modum hypotheticorum, Græci conuerſionem ex oppoſitione appellant. nam ſi homo præter naturam eſt ἄπολις, ſuperiorem, aut inferiorem humana naturam adeptus; certè natura ſua propria πολιτικὸς erit, atque ciuilis. ſunt enim hæc duo oppoſita, ſeſe mutuo tollentia, ὁ ἄπολις, καὶ ὁ πολιτικός. rurſusq; alia duo, naturâ, & præter naturam. Non ſignificat igitur in aſſumpto vocabulum ὁ ἄπολις, ſimpliciter eum, qui in vrbe non habitat, vt putant D. Thomas, & Acciaiolus, & alij D. Thomam ſequuti, volentes ἀπόλιδας eſſe cultores agrorum, & paſtores, & quotquot denique extra vrbes vitam agunt. Quoniam enim ὁ ἄπολις τῷ πολιτικῷ, ideſt ciuili, & participi ſocietatis ciuilis opponitur, vt liquet ex ſerie huius & textus proximè antecedentis; neceſſe eſt τὸν ἀπόλιδα eſſe non ciuilem, & expertem ciuilis ſocietatis: participant autem ſocietatem ciuilem agricolę, & paſtores. Nec modò ciuiles ſunt, quod nomen belluis quoque gregalibus concedit Philoſophus in textu ſubſequẽti, ſed etiam ſunt pars quædam ciuitatum, vt in poſterioribus libris ſtatuetur. Præterea in Gallia, in Germania, multisq; in alijs externarum regionum nobiles, artificibus, mercatoribusque oppida relinquentes, ipſi in agris domicilia habent, & villas incolunt ſuas: quos certè nemo apolidas dixerit. Poſtremò ſicut extra vrbes, ſic & in vrbibus inueniuntur apolides; alij ex deprauata, deterioriq; natura, ob ingenium, aut mores ad ciuilem ſocietatem inepti, eamque odio habentes; alij ex cumulata, & præſtantiori vel ob felicitatem quandam ſui ortus, vel ob ingentem eruditionem, aut diuinum afflatum, remouentes ſe, quantum poſſunt, à multitudine, & à cœtibus hominum, quò cum Deo, & natura liberius verſentur, ac colloquantur. Nõ ergo habitatione, ſed vſu, quia alij participes ſint, alij ſint expertes ciuilis ſocietatis, & earum rerum, quæ ad illam attinent, diſtinguuntur à policitis apolides. Quod etiam confirmat auctoritas iuriſconſultorum, Vlpiani, & Martiani interpretantium apolidas ſine ciuitate; ideſt quibus ciuitas, & quę ſunt iuris ciuilis adempta ſunt, vt teſtari, hæredes ſcribi, habere filios in poteſtate; relicta quę iuris gentium, vt emere, vendere, ſibi acquirere, & ſimilia: quamuis eorum quidam etiam in vrbe manerent, vt in opus publicum perpetuò dati, ſi tale opus in vrbe fuiſſet. Loquebantur tamen hi Iuriſcõſulti, quemadmodum ſolent, de ſtatu & fortuna, non de natura aut ingenio: apolidasque intelligebant certæ cuiuſdam ciuitatis, hoc eſt Romanorum, non generaliter ciuitatis, coniunctionis'ue propriè ciuilis, ac multo minus communitatis vniuerſæ hominum inter ſe: ex quibus duabus coniunctionibus, propriè ciuili, inquam, & communitate vniuerſa generis humani pendent duo modi huius vocabuli, ciuile, quibus Philoſophi vtuntur, à nobis antea propoſiti. At de his duobus modis hominum ciuilium, itemq; apolidum, qui illis opponuntur, loquitur in hac parte Philoſophus: loquitur etiam de natura, non de fortuna, licet neque hanc prætereat intactam. Omnino autem fieri apolidas ab his duabus cauſis indicat, quę ſunt natura, & fortuna: quaſi tu dixeris, vel à principio interno, & ſponte ſua; vel ab externo, & violentia. Facit violentia apolidas interdum quæ ex conſilio eſt; interdum quæ ſine conſilio. Sine conſi-

a. Atque.

Quid ſignificet hoc loco vocabulum ἄπολις, & in vniuerſum τῶν ἀπολίδων ſignificatio, modi, & cauſa.

lib. 4. cap. 4. & lib. 7. cap. 9.

Iuriſconſultorum ſententia περὶ τῶν ἀπολίδων.

Vlpianus l. 1. de Leg. 3. Martianus 17. de Pœnis.

in Scholio communi horum textuum.

Apolides à cauſa externa.

conſilio, vt ſi quis tempeſtate in loca inculta, & deſerta eijciatur; vbi procul à conſpectu, & conſuetudine aliorum hominum cogatur vitam traducere: cuius modi exẽpla aliqua habes in hiſtoria Hiſpanienſi noui orbis, & apud Poetas. Ex cõſilio violentia, & fortuna apolidas faciunt ſæpe iure, nonnunquam iniuriâ. ſiquidem iniuſtis iuſsis tyrannorum deportatos fuiſſe viros innocentes, & ęgregios in ſolitudines, ſcopuloſque, qui ſolis feris habitarentur, aut ne feris quidem; legimus in Eccleſiaſtica, & in prophana hiſtoria. ac iure ſancitum eſt tertium genus pœnarum, quo delinquentes plecterentur, ipſa ciuitatis ablatio, vt l. 6. ff. de Pœnis. Sed à cauſa interna apolides fiunt aliquando ſola origine, quom materię, efficientis'ue facultatis vitio, aut excellentia temperationes corporum, & ex corporum temperationibus ingenia, ipſiq; tandem homines aut valde præſtantiores, aut multo deteriores cæteris exoriuntur. Illos Heroas appellant, ac propè diuinos viros: quorũ in numero etiã fuerunt antiqui vates, & Bacchę, & Sybillæ. Hos belluas dicimus, & ſimiles feris vel inertia, vel immanitate: quales in ſeptentrionalibus regionibus etiamnum multi; & hiſtorijs, fabulisq; veterum Poetarum celebrati Cacus, Antheus, Timon, alijq; complures. Harum varietatum, quæ in moribus hominũ cernuntur, aliarumq; complurium cauſa eſt vis mirifica atræ bilis: quemadmodum in problematibus Ariſtoteles docet. nam vt frigida eſt illa, terpenſque, vel vt incaleſcit magis, & minus: ſic bardos, truculentos; eximios, aptoſque ſupra humanam ſortem ad omne genus virtutum homines reddit. Sed de his alibi. Aliquando etiam ortum adiuuant, inhibent, corrigunt, deprauant, mutant educatio, inſtitutioque; quarum illa ad conſuetudinem, hęc ad rationem pertinet; aut beneficium, & donum peculiare diuini numinis. Sic educatione apud perſas profecit Cyrus, & ad heroicam peruenit magnitudinem. ſic inſtitutione, & diſciciplina Socrates, Theophraſtus, Zamolxis, multi alij ex ignobilibus, & ſeruis in maximos Philoſophos, hoc eſt plus quàm viros euaſerunt: quum alij contrà aut malè educati, aut peruersè inſtituti in feras degenerauerint. Sic denique diuino munere Paulus, & cæteri religionis noſtrę anteſignani, Martyres, Doctores, Heremitę ſupra omnes heroas effulſerunt. Et tot quidem ſunt apolidum modi. Reciprocantur enim iſta: & quemadmodum apolides, qui non ſunt tales violentiâ, alij meliores, alij deteriores ſunt hominibus: ita quiſquis ex ortu ſuo ſupra, infra'ue humanam conditionem ingenium nanciſcitur, aut quauis de cauſa ab ea deflectit vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum; ille dici debet, atque eſt apolis, retrahens ſe à ſocietate, & conſuetudine aliorum. quippe ſuo ſimili delectatur res vnaquæque, illudque exquirit: fugit, & offenditur diſſimili. Veruntamen Philoſophus hac in parte de illis pręcipuè loquitur, illosq; in hoc aſſumpto ſuo deſignat apolidas, qui ortu, & naturâ ſunt ſimpliciter tales. [b] Huius aſſumpti partẽ primam, ideſt τὸν ἀπόλιδα eſſe prauum, ac deteriorem homine, dupliciter confirmat. Prima confirmatio eſt Homeri auctoritas. Siquidem Homerus in ix. Iliados ſub perſona Neſtoris arguens concitatores bellorum ciuilium, ac ſummę improbitatis, reos agens, [b] vt fœdius quid, immaniuſque diceret, quàm improbitatem, & turpiori eos inceſſeret probro, his tribus nominibus ipſos notauit: ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος.

Sect. 30. q. prima.

Apolides à cauſa interna.

Prima confirmatio p. partis aſſumpti, ideſt quòd quidam apolis ſit prauus & deterior homine, ab Homeri auctoritate in quodam carmine ix. Iliados.

b. per conuicium appellationes.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστιν ἐκεῖνος.

Nulla tribus, nulla eſt lex illi, nullaque ſedes.

Tribus & Phratria Athenienſium.

Themis Dea.

Veſta Dea.

Lares.

Quorum nominum vnumquodque vacuitatem ſocietatis ciuilis, ideſt τὸν ἀπολίδα ſignificat. [b] ἀφρήτωρ propriè eſt, qui de nulla eſt phratria. Erant autem phratrię Athenienſibus, vt ſcribit Suidas, tribuum partes. ternæ phratrię ſingulas efficiebant tribus: & in quatuor tribus ad ſimilitudinem quatuor anni temporum vniuerſus populus diuidebatur: vt omnes phratrię, quę aliquando etiam minores tribus vocabantur, eſſent numero duodecim. In eas phratrias Athenienſes nomina dabant, deſcribebantque filios ſuos, vbi nati eſſent: quo manifeſtè appareret ipſos eſſe ciues. ἄπολις eſt ergo ὁ ἀφρήτωρ: quoniam qui ſine tribu, & ſine phratria eſt, pro ciue non habetur; nec compos eſt eorum, quæ ſunt iuris, & ſocietatis ciuilis. [b] At ἀθέμιστος iure, & lege carentem ſignificat, quibus præeſſe fingitur Themis: ſine ciuili autem ſocietate non ſunt iura, & leges, quæ verè propriéque dicuntur. [b] Ἑστία denique Veſta eſt, Dea terræ, & ignis: ſignificatque propriè tum certam, ac ſtabilem ſedem, quia vi ſtando Veſta vocatur, vt Ouidius ait; tum domum, ac larem, ideſt domum, quæ ſit pars ciuitatis. Sunt enim lares domeſtica, ac priuata numina, quę ſine publicis prorſus eſſe non poſſunt: antecedente ſemper publico, & communi cultu, numinéque priuatum, & proprium. & hoc eſt, quod ſcribit Cicero in primo de Natura Deorum: Veſtæ vim ad aras, focoſq; pertinere: vbi foci priuatam rem, religionemque; aræ publicam notant. Deducuntur ἀπὸ τῆς ἑστίας ὁ ἐφέστιος, καὶ ὁ ἀνέστιος. Ille ex interpretatione Euſtathij in ij. Iliados eſt, qui κατὰ πόλιν, ideſt qui ad ciuitatem, ſeu in vrbe habitat, & Veſtam habet. Hic itaque contrà eritis, qui non habet ciuitatem, nec certam ſedem, aut larem. Subeſt ergo illis tribus vocabulis notio τοῦ ἀπόλιδος. Et illa quidem certum eſt non propriè, ſed figuratè accepta fuiſſe ab Homero: vt ſic demonſtraret vim maximę improbitatis, hoc eſt maximè improbos eſſe, & tanquã feras, aut apolidas ex deprauatione naturę humanę eos, qui inteſtina cient bella. Nanq; auctores, cõmotoreſq; bellorũ ciuiliũ, quales Sylla, Marius, Catilina, non ſunt illi quidẽ re vera apolides: imò nati, educatiq; in vrbibus, &, in ciuilibus negotijs exercitati, ciuilẽ adminiſtrationem, & potentiã in primis quęrunt. Ergo Homerus, apolidas dicens, ſummè improbos homines, & ſimiles feris deſignauit: nempe quia putabat apolidas naturã habere deteriorẽ humana, atq; ferinã. Talem fuiſſe Homeri ſententiam & ratio indicat, & Philoſophus arbitratur. Euſtathius tamen aliter eum locum exponit; referens tria illa vocabula ad tria genera hominum, inter quos ſit aliqua conſuetudo. aut enim domeſticos iſtos eſſe, aut minimè; & domeſticorum alios cognatos, alios ſolùm contubernales: quos omnes quia contemnere, odioque habere videatur quiſquis bellum inteſtinum amat; hac de cauſa vocatum hunc fuiſſe ab Homero ἀφρήτορα reſpectu cognatorum; ἀθέμιστον reſpectu eorum, qui domeſtici non ſunt; ἀνέστιον reſpectu cõtubernalium. Sed hæc expoſitio Euſtathij quanti facienda ſit; quam recta diuiſio; quales illi reſponſus, ac relationes, & quam aptè, quoque ordine diſtincti, & enumerati; eruditi iudicent. [c] Altera confirmatio eiuſdem primę partis aſſumpti ducitur ab adiacentibus. Nam ſimul ac aliquis eſt naturâ, eiuſmodi, ideſt alienus à ciuili ſocietate; eſt etiam natura bellorũ cupidus, cædes, & rapinas amans, qui ſunt fines bellicæ cupiditatis. quamobrem videmus latrones, & pyratas, cæteroſq; feros, ac ſylueſtres homines, qui ſeſe amouent a ciuili conſuetudine, obſidentes terras, & maria, ſpoliare, ac interficere quoſcunque aggredi poſſunt. Hæc autem quicun-

b. ἀφρήτωρ: ſine tribu. Suidas in verbis γεννῆται & ἐπακρία χώρα. Pauſan. in Attica.

b. ἀθέμιστος, ſine lege.

b. ἀνέστιος, ſine ſede & lare.

Euſtathius quomodo illud Homeri carmen exponat.

Secunda confirmatio eiuſdem primæ partis aſſumpti per locum ab adiacentibus. Apolis prima forma eſt naturâ belli cupidus.

Bellorum cupiditas, rapina, & cædes maxime contra naturam.

Cicero iij. Of.

que obit, appetit'ue; nę ille hominis naturam exuit, & in feram belluam degenerauit. magis enim eſt contra naturam, vt Cicero ait, hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cętera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis, aut etiam ipſi animo quę iniuſtitia vacent. Quòd ſi alterum violare, vt ipſe aliquid commodi conſequaris, tam eſt contra naturam: quanto magis contra naturam erit, ac prorſus ferinum violare alterum ſine vllo tuo emolumento, imò verò cum detrimento, & labore, omnino periculo ne aut ipſe viciſſim ab eo opprimare, aut meritas tandem Deo, & iuſtitię pœnas luas? non ſolùm autē violare, ſed occidere, dimicationeq́, & cæde per ſe gaudere, omnē ſuperat feritatem. Nam bella quidē interdum deligenda, ac ſuſcipiēda ſunt: nimirū vbi vna aliqua impulerit trium illarū

in cap. 14.

cauſarum, quæ ad exitum vij. libri exponentur a Philoſopho. qui autem bella expetat, gerat'ue nullo alio conſilio, niſi bellandi, aut interimendi

Lib. x. ad Nicom. cap. 7.

cauſà; nemo planè fuerit, vt ſcribitur in x. libro ad Nicomachum: & ſi aliquis modò fuerit, is non homo erit, ſed ſub hominis figura, & nomine fera ſanguinaria. [d] Probat deinde Philoſophus minorem huius ſyllogiſmi, ideſt τὸν ἀπόλιδα primæ formæ eſſe naturaliter belli cupidum, rurſus duabus rationibus: quarum prima ducitur à cauſa; ſecunda à ſimili. Prima in

d. e.

Rationes dua textus quòd apolis p. forma ſit naturaliter cupidus belli.

Prima ratio ex cauſa.

d.

hunc modum explicatur. [d] Apolis primæ formę, qui à ciuili, & humana ſocietate eſt alienus, non quia iam perfectior euaſerit, ſupraq́; humanam ſortem elatus in diuinarum ſubſtantiarum veniat familiaritatem, ſed quia deteriori ſit natura, & ingenio præditus; caret portho omni coniunctione, & vinculo coniunctionis, quod ſimilitudo facit. Quæcunque enim ſimilia ſunt, bina autem ea neceſſe eſt eſſe, aliqua re ſimilia ſunt, quæ res in vtriſque eſt eadem: & hac ipſa re, eàdem, & communi amborum, ex qua exiſtit ſimilitudo, tanquam quodam vinculo colligantur inter ſe, & coniunguntur, quæ ſunt ſimilia. quà verò coniunguntur, & quà ſunt ſimilia; eà ſe mutuò expetunt, quærunt que, & gaudent ſimul eſſe: quod eſt inire, colereq́; ſocietatem, nam hoc modo etiam, vt ſimul ſunt, inquam, ac ſocietatem colunt, conſeruantur, & perficiuntur, quà ſimilia ſunt, & quà ſunt coniuncta. Neque hoc tātum cernitur in animalibus: in plantis quoque, & in rebus anima carentibus videbis, quæ cognationem habent, ſocia & amica à nonnullis vocari, ſeipſa inuicem exquirere, conſeruare, perficere. Vbi igitur eſt coniunctio, & vinculum, & nodus aliquis ſimilitudinis; ſequi ſocietatem oportet: & vbi conſpicitur ſocietas; coniunctionem, ac vinculum anteceſſiſſe. itaque apolis primę formæ, qui à ſocietate abhorret humana; nullum cum hominibus vinculum, nullam coniunctionem habebit. Quemadmodum autem res diuinæ ex eodem, & vno conſtant, quæ fuit etiam ſententia Platonicorum: ita ex altero, & multitudine, & tandem contrarijs, vt Heraclitus, & Empedocles, & Antiqui alij tradiderunt, conſtant naturales. quamobrem in quibus earum coniunctionis, & ſimilitudinis vis nulla adeſt, quæ huiuſmodi cōprimat diſcordiam, ac repugnantiam; quoniam omnino aut eędem ſint oportet, aut contrariæ vel ex toto, vel ex quadam parte; neceſſe eſt bella exoriri, & appetitiones, impetusque dimicandi. contraria enim læduntur, tolluntur q́; tandem præſentiā contrariorum. Talis itaq; eſt ratio Philoſophi ex cauſa: Apolis primę formæ, quia alienus eſt à ſocietate; caret coniunctione, vinculoque coniunctionis: quicquid autem caret coniunctione, eſt naturaliter ad bella pronum,

Qui eſt alienus à ſocietate ex imperfectione naturæ caret coniunctione: ac vinculo coniunctionis.

Similitudo coniunctionem & ſocietatem facit.

Similitudinis ratio.

Qui coniunctionem cum hominibus ex natura imperfectione non habet, ille neceſſario eſt belli cupidus.

I 2 non

Secūda ratio à ſimili. non ſolùm in animalibus, verùm etiam in plantis, ac rebus inanimis. [e] Secunda ratio trahitur à ſimili, & eſt huiuſmodi. In volatilibus videmus, quæ ſunt ſolitaria, eſſe ſimul auida bellorum, & ſæua, vt aquilas, vt accipitres: ergo à pari etiam in hominibus, qui ſoliuagi ſunt, ex naturæ deprauatione, quę in ferinam abierit; erunt naturaliter belli amatores. Quanquam *Nomē volatile πετεινόν.* autem nomen volatile, vel volucre, græcè πετεινόν, præter aues multa alia comprehendit: hîc tamen videtur Philoſopho aues præcipuè ſignificare. *Cur ab auibus ductum argumentum.* Sed cur propriè ab auibus argumētum duxit: ſi idem cernitur in alijs animantibus, vt quæ ſoliuagæ ſunt, naturaliter bella gerant, & cæde gaudeāt aliarum? An duabus rebus, ſocietatem maxime conciliantibus, aues ſunt *Aues hominibus ſimiles.* hominibus ſimiliores. nempe corporis figura, & voce. Bipedes enim ſunt aues, ac penè erectæ incedunt, vt homines, ex lib. de inceſſu animalium, niſi quatenus tam recta figura habitui alarum, & functioni volandi officeret. Tum vſus vocis illis creber, multiplexque, perinde ac hominibus: omnes ſonorum modos effingunt: quædam etiam loquutiones imitātur humanas vſque eò, vt, niſi oculi errorē detegāt, homines loquentes credas. His igitur duabus rationibus, à ſimili, & ex cauſa, probauit Philoſophus propoſitionem illam, quòd apolis primæ formæ ſit naturaliter belli cupidus. *Hæ duæ rationes concludūt ſolùm de prima forma, non de ſecunda apolidum.* Cur autem hæ duę rationes concludunt hoc attributum propriè de prima forma, non communiter de ambabus? Nempe quia nec bellum, nec cupiditas belli eſſe omnino poteſt; vbi repugnantia, diſcordiam, & diſſenſionem generans, non reperitur. Conſtant autem res ſuperiores, & diuinę, in quarum naturā tranſit apolis ſecundę formę, non ex repugnantibus, ſed ex eodem, & vno, vt paulo antè dicebam. itaque nec inter ſe quicquam diſſidij habent; nec verò cum cæteris, quas in ſe continent virtute; quemadmodum in luminis centro radij continentur, à quo multi, & in contrarias partes profluxerunt.

Partes textus. Partes textus quinque. Prima cōtinet ſyllogiſmum principalem ex oppoſito, probantem hominem eſſe naturā animal ciuile. Secunda primam confirmationem primę partis aſſumpti huius ſyllogiſmi, ex auctoritate Homeri. Tertia alteram confirmationem eiuſdem primę partis aſſumpti, per locum ab adiacentibus. Quarta, & quinta rationes duas, quibus minor huius ſecundę confirmationis ſtabilitur.

Textus

Textus XXII. & XXIII.

Hominem eſſe ciuile animal naturà magis, quàm apes, & quàm quoduis animal gregale, probatur duplici ratione.

Propoſitio theorematis.	*Ratio duplex à duplici deſtinato.*
Tex: xxij.	*Tex: xxiij.*
*	*

SCHOLIVM.

POSQVAM probauit Philoſophus ſimpliciter hominem eſſe naturà animal ciuile; hic probat comparatè, eſſe naturà ciuile magis, quàm apes, & quàm quoduis animal gregale. Propterea in textu antecedenti ex eo, quod erat commune genus animalium, argumentum duxit: hic ratiocinatur ex proprijs hominis, quibus diſtinguitur à cæteris animãtibus. Fit autem comparatio interdum ex affirmatione; interdum ex negatione. Ex affirmatione, quom ambo, quę comparantur, participant formam, in qua fit comparatio; ſed alterum magis, alterum minus: vt ſi dicam ſolem igne candidiorem. Ex negatione, quando vel neutrum, vel alterum duntaxat eſt particeps illius formæ: neutrum, vt ſi quis dicat aquam terra leuiorem: alterum duntaxat, vt dicendo aerem eſſe leuiorem aqua. Et hoc quidem loco poſſumus intelligere comparationem ex affirmatione factam; poſſumus & ex negatione, quod ad cętera attinet animalia: prout nimirum vocabulum ciuile vel latè, & communiter, vel preſsè & propriè accipiemus: quod ſtatim aperiam.

Propoſiti Phi loſophi & eius ſummatio.

Cõparationis modus triplex.

Quis modus comparationis in his textibus.

ARGVMENTVM. TEXT. XXII.

Propoſitio theorematis. Homo eſt ciuile animal magis, quàm quæuis apis, & quàm quoduis animal gregatim viuens; quæ quidem aut non ſunt ciuilia, aut alia ſignificatione; vel ex ſimilitudine, ac per imaginem ciuilia appellantur: id quod ex illis, quæ continuò afferentur, eſt manifeſtum.

Nihil

Tex. xxij. Διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῷον πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζῴου μᾶλλον, δῆλον.

Quòd autem ciuile animal ſit homo magis omni ape, omniq́ue gregali animante, palàm eſt.

EXPLANATIO.

πόλις & πολιτικὸν unde dicta. *Duæ ſignificationes vocabuli, ciuile animal, de quibus etiam ſuprà in Scholio communi huius partis.*

Η πόλις, ciuitas, vndefit τὸ πολιτικὸν, ciuile; ἀπὸ τοῦ πολεῖν, ideſt ab eo, quod eſt verſari, deſcendit: quia in ea homines verſentur; & ſibi occurſent, dum ſimul viuunt. Latius igitur τὰ πολιτικὰ ζῷα, hoc eſt ciuilia animalia intelligentur, quę vnà viuere, & verſari eodem in loco ſolent. atque hoc quidem homini commune eſt cum multis alijs animantibus, quæ alio vocabulo, eiuſdem ſignificationis, ἀγελαῖα ideſt gregalia, ſocialiaque nuncupantur. Propriè autem, ac preſsè intelligitur politicum, & ciuile animal, quod ad ciuitatem eam, quę verè, proprieq; ſic nominatur, natum eſt, vt in ea, & ſecundum eius modum, ac rationē viuat. Talis eſt homo ſolus omnium animantium: propterea quòd hominum multitudo certo ordine, certisq; inſtitutis congregata, & conſtans eſt ciuitas, quæ verè, proprieq́ue dicitur.

Duplex expoſitio huius loci.

*Itaque primo ſignificatu ciuile animal homo erit magis, quàm apes, & quam reliqua gregalia animantia: quoniam multò maior eſt vitę communio inter homines, multo maior cōiunctio, ac colligatio cœtus ipſorum, veræq́ue ciuitatis, quàm cuiuſuis aliarum cōgregationum, ſocietatum'ue, quæ in cęteris animalibus ſimul viuentibus cernuntur. Secundo autem ſignificatu erit homo animal magis ciuile; quia ſolus verè ciuilis, cætera nequaquam: quòd ſi aliqua fortè ciuilia appellentur, vt formicæ, vt apes; vel altera ſignificatione, ducta à prima origine huius vocabuli, ſic appellantur; vel ex ſimilitudine, & per imaginē, propterea quòd imaginē quandam ciuitatum, ciuiliumq; munerum quodammodo exprimant. *Et ſunt quidem animalium, vt ſuprà diximus, alia ſoliuaga, alia gregalia. De ſoliuagis nemo quærit vtrum ſint ciuilia. ſunt enim oppoſita hæc in viuendi modis ſoliuagum, & ciuile. Inter gregalia volucrium apes; terreſtrium formicæ maxime omnium mereri hoc nomen videntur: & ſanè à multis attribuitur vtrique generi. Sed valde ſuperant apes. De quibus ſi Ariſtotelem lib. v. & lib. ix. de Hiſtoria animalium, Plinium Naturalis hiſtoriæ lib. xi. Varronem de re Ruſtica lib. iij. Virgilium lib. iiij. Georg. & alios rei ruſticæ, naturæq; animalium ſcriptores legeris; multo minus admiraberis opera hominum: quandò in illis mores, in illis conſilia, in illis rempublicam, in illis reges, & imperium, & obedientiam, & propemodum officia omnia ciuilia, & inſtituta, & leges planè perſpicies. Ob quam cauſam, & quia etiam in textu antecedenti à volucribus argumentum traxerat; apes propriè hîc nominat Philoſophus. Sed cur dixit, omni ape? An quia ſex ſunt genera apum, ex lib. v. & lib. ix. de animalium Hiſtoria: duo principum; alteræ fuluę, quæ præſtantiores ſunt; alteræ nigræ, magisq́ue variæ: duo propriè apum; ſed alteræ optimæ, quæ breues, in rotunditatem compactiles, & variæ ſunt; alteræ minus bonæ, quæ longæ, & crabronibus ſimiles: quintum, qui fur appellatur, niger, & ampliore aluo: ſextum, fucus qui omnium maximus, ſed ſine aculeo, & ignauus. Vel igitur hæc genera intelligit, quom ait, omni ape; vel genera gregalia eorum inſectorum, quibus, quum vnum nomen non ſit, eſt tamen ſimilis forma, & ſimilia etiam

** homo animal magis ciuile omni &c.*

Cur apes præcipue nominat Philoſophus.

** Omni ape, omniq; gregali animante.*

Mira de apibus.

Apum genera.

Lib. v. de Hiſtoria animalium cap. xi. Lib. ix. cap. 40.

Inſectorū, quæ fauos faciunt genera.

etiam aliquo modo opera fauorum, & eius, quod communi nomine, licet virium in diuerſis generibus diuerſarum, appellatur mel; vnde illa quoque nominibus cõpoſitis apud Græcos nuncupata poſtea fuerunt κηροποιὰ, καὶ μελιττοποιά: vt vox μέλιττα accipiatur hîc ἀντὶ τοῦ μελιττοποιοῦ. Horum μελιττο-ποιῶν nouem genera Ariſtoteles recenſet in eodem lib. ix. de Hiſtoria animalium, hoc ordine: apes; reges apum; fucos, qui inter apes degunt; veſpas; crabrones; teredines: & hæc ſex genera gregalia eſſe ait: tria reliqua ſolitaria, ſirenem minorem, ſirenem maiorẽ, bombicem. Sic ego hunc locum interpretarer, reſpiciens ad duas ſignificationes vocabuli, ciuile, de quibus dixi ſuprà. Nam quæ de eodem vocabulo traduntur in primo de Hiſtoria animalium, accommodari hûc non poſſunt. Scribit ibi Ariſtoteles nec omnia, nec ſola gregalia animantia, ſed tam ex gregalibus, quàm ex ſoliuagis quædam eſſe ciuilia: appellari autem hoc nomine illa, à quibus vnum aliquod opus, & ipſorum omnium commune efficitur: tum hominem, qui è genere ſit ciuilium, ancipitis naturæ eſſe inter gregalia, & ſoliuaga. Non quadrant hæc, quæ ibi dicuntur, in hunc locum. Primùm ſi ciuile operis, & laboris cuiuſdam potius, quàm vitæ communitate, & ſocietate definiendum eſt; iam non erit homo animal maximè ciuile: ſed anteponentur ei formicæ, & apes, & alia quædam animantia, quibus hoc eſt à natura tributum; vt ſolùm, & ſemper laborent in commune; vnum opus communiter efficiant, quod communiter ad omnia pertineat. homines enim, quanquam in commune conſulunt, non tamen ſolùm, nec ſemper id faciunt: ſibi, ſuiſq; proprijs plurimum vacat vnuſquiſque. Deinde ineptè hîc diceretur hominem eſſe ciuilius animal omni gregali animante; ſi ſolitariorum æque, ac gregalium, quędam eſſent ciuilia. cur enim non proponitur generaliter hoc modo: homo eſt ciuilius animal omni animante? Prętermitto illud, quod additur: hominem ancipitis naturę eſſe, partim ſolitarium, partim congregabile. exponi enim ſic poteſt: homines aliquando ſolitudine, aliquando coniunctione, communioneq; hominum gaudere; licet ipſi naturâ ſua ſint congregabiles. At difficiliter ſanè inuenies animalia vlla ſolitaria, quę vnum opus commune faciant, & hac ratione appellari debeant ciuilia. Quamobrem opinor locũ illum à librarijs fuiſſe corruptũ, aſciſcentibus in textũ has voces, καὶ τῶν μοναδικῶν: quas aliquis parum eruditus, quum animaduertiſſet dici ibi à Philoſopho hominem ancipitis naturæ eſſe, & paulò infrà diuidi communiter ſolitaria, congregabiliaq; in alias differentias ex habitatione, ciboque ductas; ad marginem adſcripſerit. Iis vocibus expunctis clara ſunt omnia; & omnia ſibi reſpondẽt. diſtribuuntur enim animãtes in cõgregabiles, & ſolitarias: cõgregabiles in ciuiles, & inciuiles: ciuiles in eas, quę ſub duce degunt, & eas, quę nullo ſubditæ ſunt imperio. Cæterùm hæc ibi diligentius ſunt perpendenda. Sed quanquam ratio illa, & nota ciuilium animalium, quæ eo in loco affertur, huic non conuenit: tamen ſi eam retinere volueris; pro duabus ſignificationibus huius vocabuli, ciuile animal, tres ſtatuito: vt in prima, & maximè communi idem prorſus valeat, quod congregabile; altera complectatur ea ſolùm congregabilia, quæ in commune laborant, & opus commune faciunt: tertia homines tantùm, quatenus ad ſocietatem ciuilem, quæ verè, proprieque ſic nominatur, idonei ſunt. In prima & extrema ſignificatione vſurpatur hoc loco; in media non item: ſed in hac vtitur eo Ariſtoteles ſub initium primi de Hiſtoria.

Lib. ix. de Hiſtoria ſub initium cap. 41.

In ſcholio cõmuni huius partis.

Locus ex initio primi de Hiſtoria animalium.

Quæ eo loco dicuntur in hunc nõ quadrant.

Tres ſignificationes vocabuli, ciuile animal.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. XXIII.

Ratio duplex à duplici deſtinato; nempe ab oratione; & commodi, incommodi, iuſti, iniuſti, omnino boni, maliq́ue ſenſu: quæ à natura ſolis hominibus tributa, vt cæteris animantibus vox, & ſenſus iucundi, & moleſti tributa ſunt; diriguntur ad communicationem illorum, commodi, incommodi, & reliquorum, ideſt ad ciuitatem conſtantem ex domibus, quæ verè, proprieq́ue ciuitas dicitur. Loci principales, à deſtinatis. Loci adiuncti, à cauſa formali in ſyllogiſmo; à teſtimonio communis conſenſus pro prima ſumptione; per expoſitionem, comparationemq́ue, & à fine pro ſecunda; ab actibus pro quarta, & quinta.

Tex. xxiij.

[a] Οὐθὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ· [b] λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων. [c] ἡ μὲν οὖν φωνὴ τοῦ λυπηροῦ, καὶ ἡδέος ἐστὶ σημεῖον· [d] διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζώοις· [e] μέχρι γὰρ τούτου ἡ φύσις αὐτῶν προῆλθεν, ὥστε αἰσθάνεσθαι τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος, καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις. [f] ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν. [g] ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. [h] τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου, καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. [i] ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν, καὶ πόλιν.

[a] Nihil enim, vt dicimus, fruſtra natura facit: [b] orationes verò ſolus animalium homo eſt compos. [c] porrho quidem vox moleſti, & iucundi ſignum eſt: [d] quapropter alijs quoq; ineſt animalibus: [e] huc vſque enim natura ipſorum peruenit, vt ſentiant moleſtum, & iucundum, eaq́ue inter ſe ſignificent. [f] at oratio data eſt ad declarandum cõmodum, & incommodum; [g] proindeq́ue etiam iuſtum, & iniuſtum. [h] hoc enim ad cætera animalia eſt hominum proprium; ſolũ ipſum boni, & mali, iuſti, & iniuſti, & aliorum ſenſum habere. [i] horum autem * communicatio & ſocietas facit domum, & ciuitatem.

b. idem iv. de Hiſt. anim. c. 9. et v. de Gen. anim. cap. 7. et primo a. 1. Rhetor. cap. p. et in proœm. Rhet. ad Alexandrum.
c. ſimile in p. lib. de Interpret.
d. Adi iv. de Hiſt. anim. c. 9. & ij. de Anima à tex. 88.
h. h. i. Elicitur tam ſenſum iuſti, iniuſti, &c. quã orationem dirigi ad vſum & cõmunicationem illorũ, iuſti, iniuſti, &c.
** cõmunicatio et ſocietas. ἡ κοινωνία.*

a. idẽ ij. Phyſico à tex. c. 75. vbi oſtenditur naturã facere oïa propter finẽ, et pri. Cæli tex. c. 32. et ij. Cæli tex. t. 30. 59. & ij. de Partibus cap. 13. & iij. de Partibus c. p. & iv. de Partibus cap. 11. & 13. & de Inceſſu ca. 10. & ij. de Gen. Anim. cap. 4. & iij. de Aniã. tex. c. 45. & 60. & infrà in hoc p. Politico. tex. 83. Elicitur ex hac propoſitione, & vſu eius kbr. Quibus rebus à natura tribuatur aliqd ad certũ finẽ, iiſdẽ ingenerari propenſionẽ naturalem ad eundẽ finẽ, & viciſſim tam affirmatiue q̃ negatiue.

EXPLANATIO.

Sententia textus.

SENTENTIA eorum, quę hoc in loco dicuntur, & vis argumentationis, qua cõfirmantur, paucis verbis proponi ſic poteſt. Soli homines inter omnia animalia ſenſum habent commodi, incommodi, iuſti, iniuſti, omnino boni, & mali; ſoli etiam hac de cauſa orationem, qua hæc declarare, communicareq́ue, vt fructum eius ſenſus capiant, inter ſe queant; quippe vox ſatis non erat, cæteris tributa animantibus ad iucunda, & moleſta, quæ ſola ab ijs ſentiuntur, ſignificanda: & communicatio iſtorum, commodi, incommodi, & reliquorum, ciuitatem, quæ propriè dicitur, facit: ergo ſimul propenſionem, inclinationemq́ue naturalem ad ciuitatem, quæ propriè dicitur, habeant oportet, ne fruſtra orationem, ſenſumq́ue iſtius modi natura ipſis dederit; & ſoli habeant, quia ipſis ſolis hæc data ſunt, ſine quibus eſſe ciuitas nequit: quapropter ciuilia animalia homines ſunt magis cæteris gregalibus, quæ quidem cætera vel ex

tranſla-

Sumptiones, quibus cõtinetur ratio huius textus.

a.

translatione, vel alio ſignificatu ciuilia appellantur. Continetur tota argumentatio quinque ſumptionibus. ª quarũ prima eſt hæc: Natura nihil facit fruſtra, ſed omnia magno conſilio, & ad certum finem. Hæc ſumptio proponitur tanquam nota ex libris Naturalibus: * confirmaturq; communi hominum conſenſu; quia hoc omnes opinentur, & dicant. ᵇ Secunda ſumptio: Senſus commodi, incommodi, iuſti iniuſti, * & aliorum, ideſt aliarum honeſti, turpiſq́ue, quæ iuſti ac iniuſti genera ſunt, partium, omnino boni & mali; * &, quia huiuſmodi ſenſus, * etiam oratio ᵇ propriè hominibus à natura tributa ſunt. Probatur de ſenſu cõparando per expoſitionem. ᶜ nam reliquorum animalium natura vſque eò duntaxat progreſſa eſt, vt quæ moleſta eſſent, quæque iucunda perſentiſcerent: commodi, incommodi, iuſti, iniuſti & reliquorum ſenſum homines tantùm habent. Probatur de oratione bifariam. Primùm eodem modo per expoſitionem comparando. ᵈ nam vocem nactę ſunt aliæ animātes; quæ ſibi inuicem iucunda, moleſtaque ſignificent: ᶠ orationem homines ad exponenda commoda, incõmoda, & cętera, quę dicta fuerunt. Deinde etiam probatur à fine. nam ᵉ vt vox proprium ſignum eſt moleſti, & iucundi; ᶠ ſic oratio commodi, & incommodi, ac reliquorum: quapropter iis quidem animalibus, quæ iſtorum habent ſenſum, ne hic fruſtra ſit; & iis planè ſolis, ne ipſa oratio ſit fruſtra, tribui debuit; quemadmodum aliis, quæ ſentiunt ſolùm moleſta, & iucunda, vox tributa eſt. fruſtra autem, ac inutiliter his oratio tribueretur, non ſentientibus ea, quorum causâ ipſa tribuitur. Et fruſtra, inutiliſq́ue eſſet in hominibus ſenſus commodi, incõmodi, ac reliquorum, niſi loquerentur. etenim domus, & ciuitates, denique ſocietates, ac cœtus hominum ſine ſermone fieri, manere'ue haudquaquam poſſunt: nec ſine illis erunt iuſta, iniuſta, cęteraq́; honeſta, & turpia, & emolumenta, & detrimenta, quæ ex hominibus capiuntur; apparentq́; ex vſu, & communicatione hominum inter ipſos. In belluis verò non eſt par ratio vocis ad ſenſum rerum iucundarum, & moleſtarum. Has enim belluæ adipiſci, & vitare poſſunt etiam ſine voce, quanquam melius, & plenius, ſi vocem habuerint. Itaque omnibus eam natura dedit, quæ capacia ipſius fuerunt:, i deſt quibus non deſunt vocis edendæ inſtrumenta, vt in lib. ij. de Anima, & in iv. de Hiſtoria animalium declaratur: vbi etiam ternæ differentię ſoni, vocis, & loquutionis, à formis, materiis, cauſis, efficientibus manantes e xponuntur. Et illis quidem differentiis quartum genus ex hoc loco addi poteſt, quod ducitur à finibus. ⁱ Tertia ſumptio: Communicatio iuſti, iniuſti, & reliquorum facit * domum, & ciuitatem, hoc eſt ciuitatem, quæ ex domibus conſtat, quæ verè, propriéque dicitur, non quæ ex tranſlatione ſic appellatur, vt apum, vt formicarum: * facit, inquam, ciuitatem, vel quia ciuitas in hac communicatione conſiſtat, quod magis probo, & ſit hæc cõmunicatio quaſi cauſa ipſius formalis, vel quia hęc communicatio ſit cauſa finalis ciuitatis, & ad eam ciuitas tanquam ad finem ſuum dirigatur. Sanè in iij. horum lib. oſtendet Philoſophus ciuitatem eſſe ſocietatem, ac communionem hominibus propriè non loci, non virium, vt ſe ab exteris tueantur, aut bella ſuſcipiant, non coniugiorum, non mercium, aliarum'ue vtilitatum, non denique mutuæ conſuetudinis ſine cuiuſquam iniuria; quanuis & hæc, & alia eiuſdem generis adſint oportet, ſi futura ſit ciuitas; ſed probę educationis, inſtitutioniſq́ue morum laudabilium, virtutum, ac omnium tandem rerum honeſtarum, quæ vnà cum ſuperioribus, beatam efficiunt, pręſtantiſſimamq́ue vitam. Duę

Prima. Natura nihil fruſtra facit.

Secunda. Tã ſenſus cõmodi, incõmodi, iuſti, iniuſti, omnino boni & mali, quã oratio propriè hominibus tributa ſunt à natura.

** vt dicimus. b. b. & ex f. & ex g.*
** & aliorum.*
** hoc enim. b. b. ſolus. b. proprium, ſolum.*
c.

d. & ex e. eaque inter ſe ſignificent.
f.
e.
f.

Lib. ij. de Anima tex: c. 87. et inde lib. iiij. de Hiſt. animalium cap. 9.
i.
** domum & ciuitatem.*
** facit.*

Tertia. Cõmunicatio iuſti, iniuſti, et reliquorum facit ciuitatẽ, quæ verè propriéq; dicitur.

Cap. 6 lib. iij.

aliç

Quarta. Tã ſenſus iuſti, iniuſti &c. quã oratio diriguntur ad vſum, et cõmunicationẽ illorũ. iuſti, iniuſti &c.

aliç ſumptiones extrinſecus ſubaudiuntur; [b] quarta tamen propè habetur in textu, quç eſt huiuſmodi: Tam ſenſus iuſti, iniuſti, & aliorum, quç dicta ſunt, quàm oratio ſunt deſtinata, diriguntur q; ad vſum, & communicationem eorum ipſorum, iuſti, iniuſti, ac reliquorum tãquam ad ſuum proprium, & ſupremum finem, vt altera declinemus, altera aſciſcamus. Probatur hçc ſumptio: quia niſi eò dirigerẽtur, ac eſſent deſtinata; fruſtra, inutiliterq; data à natura eſſent: nihil autem fruſtra natura facit per ſumptionem primam: ergo &c. Prima pars connexi, quæ eſt de ſenſu, liquet. ſiquidem inutilis, fruſtraq; eſſet ille ſenſus, ex quo nullus fructus ſumeretur: imò ne ſenſus quidem eſſet, ſi non eum appetitus proſequendi, fugiendique; & per appetitum adeptio iſtorum, illorum vitatio comitarentur. Altera pars, quæ eſt de oratione, oſtenditur per locum ab actibus. nam [f] oratio ad eiuſmodi ſenſum ſignificandum data à natura eſt; & eſt illius, eorumque, quorum ille eſt ſenſus, inſtrumentum, ac nota propria, vt conſtat ex declaratione ſumptionis ſecundæ: quapropter neceſſe eſt eam fruſtra à natura dari, fruſtraque illum ſignificare ſenſum, niſi vnà cum illo ad eundem finem dirigatur, nempe ad vſum, & communicationem iuſti, iniuſti, ac reliquorum. [a] Quinta ſumptio: Quibus rebus tribuitur à natura aliquid ad certum finem, iiſdem ingeneratur propenſio, inclinatioque naturalis ad eundem finem; reciprocanturq; iſta omnibus modis, vt nec alterum ſit ſine altero, & vtrunuis alterum ſequatur. pendent autem omnes quatuor propoſitiones, quas hæc ſumptio cõtinet, ex ſumptione prima: ne natura, inquam, faciat aliquid fruſtra. Ex his quinque ſumptionibus ſic propemodum ratiocinatur Philoſophus. Et ſenſus iuſti, iniuſti, reliquorumque, quæ dicta fuerunt, & oratio, huius ſenſus nota, quæ, per quartam ſumptionem, ſunt deſtinata, diriguntúrque ad vſum, & communicationem eorum ipſorum iuſti, iniuſti, & reliquorum, tanquam ad ſuum proprium, & ſupremum finem; tributa ſunt, per ſecũdam, à natura homini ſoli inter omnia animalia: quibus autem, & quibus ſolis à natura tribuitur aliquid ad certum finem; iis ſolis, per quintam, ingeneratur propenſio, inclinatioq; naturalis ad eundem finem, ne, contra primam, natura aliquid faceret fruſtra: ergo ſolis hominibus à natura ingeneratur propenſio, inclinatioq; naturalis ad vſum, & communicationem iuſti, iniuſti, reliquorumq;, quæ dicta fuerunt. Cæterùm communicatio iſtorum, per ſumptionem tertiam, facit ciuitatem, quæ verè, proprieq; dicitur, quæ ex domibus conſtat: ſequitur igitur ſolos homines nactos eſſe propenſionem, inclinationemq; naturalem ad ciuitatem, quæ verè, proprieq; dicitur: hoc autem eſt eſſe ipſos ſolos naturâ verè, proprieq; ciuilia animalia; & hac de cauſa etiam magis, quàm vel apes, vel quoduis aliud gregarium, cui ex ſimilitudine, & per imaginem quandam ciuilis nomen tribuitur. quod fuit propoſitum.

ex b. k. l.

f. g. & ex h.

ex a. i. et theoremate.

Quinta. Quibus rebus à natura tribuitur aliqđ ad certũ finẽ, iiſdem ingeneratur propenſio naturalis ad eundem finem, & cõtrà tã affirmatiue quàm negatiue.

Ratiocinatio huius textus.

Partes textus.

Partes textus ſex. Prima (a) ſumptionem primam continet. Secunda (b) partem ſecundæ ſumptionis eam, quæ eſt de oratione. Tertia (c d e) probationem totius ſecundæ ſumptionis exponendo comparandoq; vocem, & ſenſum iucundi, & moleſti, data etiam brutis, cũ oratione, & ſenſu iuſti, iniuſti, & reliquorum, quæ ſunt hominum propria. Quarta (f g) alteram probationem eius partis ſecundæ ſumptionis, quæ eſt de oratione, ductam à fine. Quinta (h) alteram partem eiuſdem ſecundæ ſumptionis, quæ eſt de ſenſu iuſti, iniuſti, & aliorum, quæ dicta ſunt. Sexta (i) ſumptionem tertiam, indicans ſimul alias duas.

S C H O L I A.

Natura nihil facit fruſtra.

Nihil fruſtra natura facit. Crebro vſurpatur à Philoſopho hoc enunciatum, tanquam notum, & conceſſum ab omnibus. quamobrem nunquam confirmatur alio argumento, quàm vel conſenſu communi, vel expoſitione, & euidentia. Diximus uos de eo in ij. Phyſico: & declarauimus etiam in illis verum eſſe, in quibus natura ipſa vacillat, in redundantia, in inopia, in deprauatione materiæ, & in occurſu contrariorum.

Oratio eſt hominis propria.

Orationis ſolus animalium homo eſt compos. Quædam aues, ſi edoceantur, humanas voces reddunt, vt pſittaci, picæ, corui, & aliæ: non tamen loquuntur; quia non ex intelligentia, ſenſu'ue eorum, quæ illis vocibus ſignificantur; ſed ex vſu, exercitationeq; hoc faciunt. neceſſaria autem ad loquutionem eſt intelligentia. quocirca quaſi loquutiones, non loquutiones ſunt uoces explanatæ brutorum, vt traditur etiam in iiij. libro de Hiſt. anim. loqui autem eſt hominis proprium. Sed quomodo quod hic ſumitur, orationẽ tribui à natura hominibus, non eſt contrarium ei, quod dicitur contra Platonem ſub initium primi de Interpretatione, & aliis in locis, orationem, eiusque partes, nomina, & verba voces eſſe ſignificantes ex conuento? An hæc non ſunt idem: tribui a natura orationem uobis; & ipſam ſignificare naturâ. dicitur enim natura orationem nobis tribuere ex ea parte, quatenus tribuit nobis facultatem cũ omni inſtrumento, & apparatu ſermocinandi: quam facultatem omnes naturaliter habemus. nullaque propterea eſt gens tam rudis, quæ non aliquo ſermone vtatur. Sic igitur eſt oratio nobis naturalis; genere, & communiter, inquam, ob naturalem facultatem. Propriæ vero formæ orationis naturales nõ ſunt. nam quòd hoc, illo'ue modo orationis iſtæ, aut illæ res, & notiones animi ſignificentur, non natura facit, ſed inſtitutio. Nec ſolùm in vera loquutione iſtud cernitur; vt quod commune eſt, à natura fiat; quod proprium, ab inſtitutione: ſed etiam in ſimilibus loquutioni vocibus articulatis quarundam auium, veluti luſciniæ, & aliarum: quæ quidem voces pro locorum, & inſtitutionum, vſuum'ue varietate variantur & in differentibus, & in eadem auium ſpecie, vt declarat Ariſtoteles in iiij. libro de Hiſt. animal. Idem itaque ferè euenit de loquutione, quod de ſaltu. hic enim actus ſimul cum ſua facultate à natura exiſtit. varia autem genera, modosque ſaltationum, vt Pyrrichen, & Titium, ars docet; nec ſunt iſta naturæ opera. Proinde ſummè ridendi ſunt qui ex tot linguis, in quot actum, vimque naturalem loquendi diuiſerunt, diuiditque identidem voluntas, & conuentio humana; quærũt quæ ſit naturalis, Scythica, an Aegyptia, an Phrygia: quaſi idem ſint prorſus lingua, & loquutio, ideſt proprium, & commune; informe, & formatum: ex quo eorum quidam ad inepta, & puerilia experimenta deuenere, vt Pſammetichus apud Herodotum. Sed de his fortaſſe alio loco.

Lib. iv. de Hiſtoria animalium cap. 9.

Oratio verùm nobis à natura an ex inſtituto.

Lib. iv. de Hiſtoria anim. cap. 9.

Herodotus ſub initium ij. lib.

Vox ſignum idoneum moleſti, & iucundi.

Vox moleſti, & iucundi ſignum eſt. Idonea ſigna ſunt voces illiteratæ rerum iucundarum, & moleſtarum. ſiquidem vtrunq; genus eſt ſimiliter imperfectum; res, quæ ſenſum percellit dolore, voluptate'ue; & vox, quæ ſcribi non poteſt: & in neutro exiſtunt multiplices illæ varietates, ac differentiæ formarum, quæ in oppoſitis generibus; ideſt in loquutione; & bono, ac malo cernuntur. Sed cur anteponit hic Philoſophus in ſtructura verborum iucundo moleſtum, quum iucundum ſit prius naturâ moleſto; & præſertim quum ſtatim ſit antepoſiturus commodum incommodo, iuſtum iniuſto, bonum malo? An quia ſenſum vellicat magis moleſtia, quàm iucunditas: vtrum autem commoda an incommoda, turpia an honeſta, tandem bona an mala plus moueant rationem, in dubio eſt; vel etiam bona præponderant. ſiquidem rationi primum propoſita ſunt bona, quæ ſequatur; deinde mala, quæ fugiat: ſenſui contrà antiquius eſt, vt moleſta decliner, à quibus læditur ſentiẽdo, & perducitur ad interitũ, quàm vt conſectari incipiat iucunda.

Cur nominet hic prius Philoſophus moleſtum, quàm iucundum.

Quibus, et cur data vox.

Quapropter alijs quoque ineſt animalibus. Vocem habent alia etiam animalia præter homines, non tamen omnia, vt antè admonui, qua in re hic quidam fallun-

tur; ſed certe omnia, quibus natura dare potuit ſine inſtrumentorum multiplicatione. Et habent vocem ad alacritates, triſtitias, terrores, cupiditates ſignificandas: quæ in imaginatione excitantur vel præſentibus, vel etiam abſentibus rebus ſenſilibus; præcipue autem coniunctionis venereæ cauſâ, vt tradit Ariſtoteles loco ſuprà citato iiij. de Hiſtoria animalium. vbi etiam quærendum eſt vtrum animalibus, quæ vocem habere non potuerunt, dati ſint ſoni, & ſtridores quidam, vſum vocis implentes.

Bruta an ſolum habeant ſenſum moleſti, et iucundi, an etiam ſint rationis et diſciplinæ capacia.

Hucusque enim naturæ ipſorum peruenit &c. Ariſtoteles in lib. ix. Hiſtoriæ, loquens de animalium moribus, & vitis, & actionibus, multa tradit, ſermone hominum celebrata, & viri perſpecta; quæ perſuadere cuipiã poſsint belluas diſciplinæ, & prudentiæ, ac tandem intelligentiæ, & rationis eſſe capaces; propterea quod quædam earum & doceantur cum ab aliis belluis tum ab homine, agnoſcentes ſonorum, ſignorumque differentias; & præſentia curent, diſponantque magno ſtudio, & induſtria; & futura præcaueant, ac diuinent, nec ſolum in mutationibus aeris, ſed etiam in rebus humanis. Vnde celebris quæſtio, & à Plutarcho viro eruditiſs. duobus libris tractata, nunquid bruta animalia ratione vtantur. Sed ſi bruta animalia mentis, & diſciplinæ eſſent capacia; homines eſſent, non bruta. Quamobrem dicendum eſt, illa, ſi qua faciunt humanis actionibus ſimilia; vel facere ſenſu, & imaginatione ſic bruta regentibus, ex ij. & iij. de Anima, ſicut homines ratio regit: vel, ſi talia ſunt, vt ad ea, quia egeant conſilio, ſenſus, & imaginatio peruenire nõ poſsint; facere quodã inſtinctu naturæ ſibi ingenerato, hoc eſt penè ſine cognitione, quemadmodum etiam inanima ſine cognitione, ſolo naturæ impulſu in propria loca feruntur, nec ſuis finibus aberrant. Cuius rei ſignum eſt, quod peræque & hæc inanima in omnibus, & illa animata in illorum generum rebus eadem iiſdem modis ſemper agunt: nec deliberando, conferendoque, vt nos, pro temporum, locorum, rerum conditionibus variant in agendo. Rectè igitur hic ſolum ſenſum rerum iucundarum, & moleſtarum cæteris datum eſſe animalibus ſcribitur: quarum rerum memoria, ac deſyderio dum alia faciunt, alia facere renuunt: obtemperare, ac penè diſcere videntur. Non eſt tamen illa verè diſciplina; quia non ex ratione, & intelligentia ſuſcipitur: ſed eſt aſſuetudo naſcens ex imaginatione, ac memoria rerum iucundarum, ac moleſtarum: quibus quidem pleraque belluæ agunt; cætera inſtinctu naturæ, vt diximus. Verùm de his huberius, & diſtinctius in lib. de Hiſtoria anim. & de Anima.

Libri Plutarchi duo: vtrum bruta animalia ſint rationis habentia, terreſtria, an aquatilia. alter, Quòd bruta ratione vtantur.

Sub extremum lib. ij & lib. iij de Anima.

Quæ ſit ſignificatio brutorum inter ſe per proprias voces.

Eaque inter ſe ſignificent. Non tamen, quod quidam putarunt, quaſi loquantur inter ſe bruta ſingulorum generum, quæ vocem habent: & eius vocis, tribus propriæ, differentiis varia exponant, & narrent; quemadmodum homines oratione: ſed ſignificant ſolum, quæ voces emittunt, & percipiunt, quæ audiunt ... dolere ipſa, quæ emittunt voces, aut lætari, aut pauere, aut deſyderare eas res, aut illas

Tres rationes illationis ... declarandum commodum, et incommodum, quare ... iuſtum & iniuſtum.

Oratio data eſt ad declarandum commodum, & incommodum, proindeq; etiam iuſtum, & iniuſtum. Si declarat commoda, & incommoda: planè etiam declarabit iuſta, & iniuſta. vtraque enim eiuſdem generis, & rationis ſunt, quod ad perceptionem, ſignificationemque eorum attinet. Et quemadmodum non comprehenduntur, niſi intelligentia; quia ſub ſenſum non cadunt: ita ſignificantur oratione, quæ eſt imago intelligentiæ. Hæc eſt vna ratio huius illationis. Altera ratio tangitur à D. Thoma. Iuſtum, & iniuſtum ex v. libro ad Nicomachum non ſunt omnino extra bona, malaq; fortunæ, damna, & lucra latè accepta, quæ ſunt τὰ συμφέροντα, καὶ τὰ βλαβερὰ, id eſt commoda, & incommoda: ergo, quo iſta ſignificantur, illud idem idoneum etiam erit ad ſignificanda iuſta, & iniuſta. Tertia ratio. Commoda & incõmoda, vel, vt græcè dicamus, τὰ συμφέροντα, καὶ τὰ βλαβερὰ quæ alij vtilia, & damnoſa, alij quæ proſunt, & quæ obſunt vertunt, non ſunt propriè finis, ſed ad finem: diriguntur enim, quum ipſa non omnibus ſemper bona, malaue ſint, ad ea, quæ omnibus ſemper, ſimpliciterque ſunt bona, & mala, id eſt ad honeſta, & turpia, quorum honeſtorum & turpium pars ſunt iuſta, & iniuſta. at ſi ob ea, quæ aliorum gratia exiſtunt, data eſt hominibus ...

Potiſſimum in cap. i. & ij.

quen-

quendi facultas; multò magis data fuerit propter illa, quò hæc referuntur. Verbum, *declarare*, opponi aiunt quidam ſuperiori verbo *ſignificare*: eſſe enim plus declarare, quàm ſignificare; ſicut, & apud Græcos δηλοῦν, quam σημαίνειν: quapropter illud fuiſſe attributum hominibus, & orationi; hoc voci, & brutis animalibus. Fortaſſe hæc vera ſunt. Tamen Ariſtoteles ſub initium lib. de Interpretatione, δηλοῦσι, dixit de vocibus ferarum, & σημαίνειν de oratione, orationiſque partibus.

De verbis δηλοῦν & σημαίνειν.

Hoc enim ad cætera animalia eſt hominum proprium &c. Quod hîc dicitur eſt ſimul & pars ſecũdæ ſumptionis, & probatio ſecundæ eius partis, vt ex ſuperioribus liquet. nam quia ſenſum commodi, incommodi, iuſti, iniuſti, omnino boni, & mali homines habent; ſermonem etiam habeant oportet, quo illa, ſenſumque illorum ſignificent ſibi inuicem, & ſignificando, alia adipiſcantur, alia declinẽt, ne inutilis hic ſenſus euadat. quocirca addidit Philoſophus coniunctionem, γὰρ, ideſt enim. Quis autem eſſe hic ſenſus poteſt, quo iuſta, iniuſta, reliquaque quæ dicta ſunt, diſcernuntur, & qui ad cætera animalia eſt hominum proprius, niſi ratio, qua a brutis diſtinguimur? Ambas igitur attigit res, quibus nos præſtamus cæteris animantibus, a Cicerone & ab aliis multis frequenter celebratas tanquã vincula, & cauſas ſummas, ac perfectiſsimas ſocietatis humanæ; nempe rationem, orationemque; ducens ex illis argumentum ad probandum propoſitum ſuum, quòd homo ſit ciuile animal magis, quàm reliqua omnia, imo ipſe ſolus ſit verè animal ciuile.

His verbis quos & qua, & quomodo præſtet Philoſophus

Quid propriè hic ſignificet ſenſus iuſti, et iniuſti, & reliquorum.

Duæ res, quibus, maximè præſtamus brutis.

Solus homo boni, & mali, & iuſti, & iniuſti, & aliorum ſenſum habet. Quod ad ſenſum iucunda, & moleſta; id ad mentem, rationemq; ſunt bona, & mala ſimpliciter, ex iij. lib. de Anima. nouit enim ſenſus ex omnibus bonis, maliſque ea tãtum, quæ ſibi ſunt iucunda, & moleſta; & illa quidem non vt bona, & mala; ſed vt iucunda, & moleſta nominantur; nouit mens vniuerſè, ac ſimpliciter (ſiquidem eius eſt comprehendere res ſimpliciter, ac vniuerſè) bona, & mala, ideſt vt bona, malaque dicuntur; tum terna iis ſubiecta genera; honeſta, & turpia; quorum iuſtum, & iniuſtum, cæteraque, quæ ad mores pertinent, ſunt partes; iucunda, & moleſta; vtilia, & noxia. Ecce qua ratione ait Philoſophus hominem ſolum boni, & mali ſenſum habere; cætera animalia iucundi duntaxat, & moleſti: quanquam iucundum in bonorum, moleſtum in malorum eſt genere: mens enim eſt hominis propria; ſenſus ei communis cum belluis. Et cur bono, & malo iuſtum, & iniuſtum ſubiunxit: nimirum quia bonorum, malorumque prima genera ſunt turpia, & honeſta; horum autem quædam partes, quæ ciuitatem maximè efficiu[illegible]ue, ex quo etiam maximè conducunt propoſito huius loci, ſunt iuſta & iniuſta. Cur item verba illa addiderit, *& aliorum*, quidque illa ſignificent: nam præter iuſtum, & iniuſtum ſunt aliæ partes honeſtarum, ac turpium rerum, quæcunq; ſcilicet vitiis, virtutibuſque, & omnino moribus continentur,

Lib. iij. de Anim. text. 44. ad 50.

Bonorũ et malorũ generaq;, in qua hac diuiduntur, vel lativ & inter ipſa, & ad actus cognoſcendi ſenſus, & mentis, hominis item, & aliorum animalium.

Trium quæſtionum, quæ ex his verbis textus exoriuntur, diſſolutio.

Textus

Textus XVII.

Ciuitas adhuc eſt prior naturâ quàm domus &c.

PARS TERTIA CAPITIS QVINTI.

Ciuitatem adhuc antecedere naturâ domui, & vnicuique noſtrûm.

Καὶ πρότερον δὲ τῇ φύσει πόλις &c. Textus XXIIII. XXV. XXVI.

ARGVMENTVM. TEXT. XXIV.

Proponit theorema oſtendendum. Non ſolùm ciuitas eſt naturâ, vt hactenus demonſtrauimus, ſed etiam naturâ prior domo, & ſingulis nobis: quod quanquam ex antè conſtitutis, vbi declaratum eſt ciuitatem eſſe finem aliarum ſocietatum, eaſq; omnes in ſe continere, ſatis liquet; tamen hîc quoque noua ratione, vel ſaltem explicatiori confirmabitur.

Tex. xxiv. Καὶ πρότερον δὲ τῇ φύσει πόλις, ἢ οἰκία, καὶ ἕκαστος ἡμῶν, ἐστί.

Et prius ſanè naturâ eſt ciuitas, quàm domus, & vnuſquiſque noſtrùm.

EXPLANATIO.

De ſubiecto theorematis. SVNT quaſi tres partes ſubiecti huius theorematis, ciuitas, domus & *Vtrùm vicus in hoc ſubiecto contineatur.* quiuis vnus noſtrum. His addi etiam vicus poteſt. nam quanuis tacet vicum Philoſophus: & ratio, quàm allaturus eſt, non æque probat de vico, vt de alijs, quia vicus per ſe aliquandiu durat: tamẽ quodammodo etiam probat. ſicut enim prius naturâ ſimpliciter eſt illud, ſine quo alterum non manet, quum ipſum maneat ſine altero: ita quodãmodo eſt prius naturâ id, ſine quo alterum non benè manet, aut proprium finem nó aſſequitur, manente eo benè ſine altero. at vicus non eſt ſibi ſatis, niſi coniunctus ciuitati ad benè beateque viuendum, quò dirigit natura omnes ſocietates. *De prædicato theorematis.* Conferuntur hæc, ideſt confertur ciuitas cum alijs duobus in ordine naturali: aſſeriturque illam priorem, hęc poſteriora eſſe, non ſimpliciter, & omnibus modis, ſed naturæ ordine. quocirca prędicatum iunctum eſt ex duobus, quæ ſeparari minimè debent: prius, inquam, & natur[illegible] M[illegible]lti enim ſunt modi eius, quod dicitur prius, vt in Categorijs & in v. Diuino- *In Categorijs [illegible] & v. Diuinorum tex. 16.* *Ciuitas prior & poſterior domo et hominibus ſingulis.* rum, & alijs in locis Ariſtoteles declarauit: inter quos vnus hic eſt [illegible] dum naturam, quo ciuitas eſt prior domo, & ſingulis nobis: alij v[illegible] buſdam modis non eſt prior, vt tempore, poteſtate, notitia. Et no[illegible] dem aliquo modo poſteriorem eſſe iam dictum fuit in textu ij. [illegible]

te[illegible]

viij. ad Nicō. cap. 12. primo Oeconom. cap. primo. Acciaiolus hic. Egidius de Regim pri. lib. ij. p. p. cap. 2. & 3.

Diſcordia de hac re, quam tangit Acciaiolus, ſedatio.

tempore autem, & poteſtate, ſeu generatione dicunt Ariſtoteles in viij. ad Nicom. & Auctor primi Oeconomici. Hæc tollunt diſcordiam, pro qua ſedanda quidam inutiliter laborant. Nam in vnoque illorum locorum ſermonem haberi de eo, quod eſt prius non naturâ, ſed generatione & tempore, clare liquet ex ijs, quæ vtrobique adduntur. In primo ait Ariſtoteles domum ciuitate priorem, & magis neceſſariā eſſe. In altero diſertè ſcribitur generatione priorem eſſe domum ciuitate, licet Aretinus vertendo omiſerit vocem γενέσει: & ſubiungitur ratio, cur prior ſit domus; quia ſcilicet domus eſt pars ciuitatis. At pars, & id, quod eſt neceſſarium, ad generationem pertinent; non ad naturam, & eſſentiam perfectam. Porrho autem modus prioris, qui à natura nomen habet, in tres alios diuiditur: quorum vnus eſt perfectionis; duo eſſentiæ. Ille alieniſſimus, ideſt minime proprius vocatur ab Ariſtotele in Categorijs. quæ enim præſtantiora, perfectioraque alijs ſunt, ſi aliam cauſam non habent, vnde comparentur cum minus præſtantibus; hac certè ſua perfectione priora, poſteriora'ue illis nullo pacto verè, proprieq; dici poterunt. Eſt aurum melius, & nobilius lapide; lapis luto; gemma fulgore; ac pleraque alia alijs. hęc igitur qua tandem ratione affirmaueris priora illis naturâ? an quia re vera ſint quaſi altiori in gradu apud Naturam collocata, quaſique illa ob eorum præſtantiam Natura magis amet, intentius curet, & prius, quàm reliqua, generare, conſeruareque ſtudeat? an quia homines, quos putant pręſtantiores, quosque maiori honore proſequuntur, eos priores dicere cōſueuerunt? Sed vtrunq; eſt improprietas ſermonis; primum ex falſo intellectu: ſecundum ex tranſlatione. Quocirca hūc modū Ariſtoteles non ſine cauſa ibi penè eiecit: nec alibi vſpiam fortaſſe meminit ipſius. Nec de eo quidem in pręſentia fit ſermo, contrà quam exponunt D. Thomas, & Acciaiolus. Alij duo modi rerū naturâ priorum, quas hoc nomine etiam neceſſe eſt eſſe perfectiores, & pręſtantiores, definiuntur à Philoſopho & in Categorijs, & in Poſtnaturalibus: vnus ſic: Prius naturâ eſt illud, à quo non cōuertitur conſecutio τοῦ εἶναι; ideſt eius quod eſſe appellatur: nempe eſt illud, quod ponitur altero poſito, ipſo autem poſito non ponitur alterum, & quo ablato alterum aufertur, ipſum non aufertur ablato altero. alter modus ſic definitur: Prius naturâ in ijs, quę conuertuntur ſecundum conſecutionem eius, quod eſſe appellatur, eſt illud quod alteri quacunque ratione eſt cauſa τοῦ εἶναι, hoc eſt vt ſit alterū, vel eius eſſentię. Primum horum duorum modorū intelligit hîc Philoſophus, quom ait, *prius naturâ*. Et hoc quidem veriùs res priores ſunt, ac dicuntur, quàm altero: quippe quia non ſolùm cogitatione, quemadmodum quæ altero nuncupantur priores, ſed etiam reapſè priores ſunt, ac ſeparantur. quod non animaduertens Zimara valde errat. in vj. Theorem. & quum Scotum Io. Bachonum, & alios obiurget, multo magis eſt ipſe obiurgandus. Verùm de omnibus omnino modis rerum priorum, quot ſint & qui, quasque differentias, & ſimilitudines inter ſe habeant, vberius ſuis locis.

Modi eius, qd dicitur naturâ prius.

Expoſitio D. Thomæ, et Acciaioli huius vocabuli prius naturâ.

Expoſitio propria.

Zim. error.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. XXV.

Oſtendit propoſitum theorema ratione bicipiti, & duplici loco; nempe à proprijs ſubiectorum attributis, quibus inuicem referuntur, & ſunt totum, & pars; atque à definitione prædicati, id eſt eius, quod dicitur naturâ prius. Ex qua etiam definitione probatur totum eſſe prius naturâ parte, exponendo in totis, & partibus inſtrumentarijs, & adhibitis definitionibus rei abolitæ, & rei permanentis, ac quodam exemplo, vt appareat illā definitionē prioris, & poſterioris naturâ in hac tota, & partes conuenire: rurſusque ex eadem, non vt eſt definitio, ſed vt eſt conditio, oppoſitis modis, totius, & partis; confirmatur ciuitatem totius; domum, & vnunquenq; noſtrûm partis rationem habere. Loci principales à proprijs ſubiectorum attributis, & à definitione prædicati. Loci adiuncti, item à definitione, per expoſitionem, ab exemplo, ſeu à ſimili, & pari.

Text: xxv.

a. adi v. Metaphy. tex. cō. 26 & vij. tex. c. 33. & vnde. b. c. d. pendē idē p. de partibus animalium cap. p. et iiij. Meteor ſub exitum. & vij Meta. tex. cō. 35. 37. 39. e. idem primo de partib. cap. p. & vij. Metaph. tex: cō. 35. 39. Elicitē definitio rei pmanentis: Res pmanēs remanes eadē retinēs nō ſolū nomē, ſed etiā opus et facultatē operādi quā prius habuit.

[a] Τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους: [b] ἀναιρουμένου γὰρ τοῦ ὅλου, οὐκ ἔσαι ποὺς, οὐδὲ χεὶρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, [c] ὥσπερ εἴτις λέγει τὴν λιθίνην: [d] διαφθαρεῖσα γὰρ ἔσαι τοιαύτη: [e] πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισαι, καὶ τῇ δυνάμει. [f] ὥστε μηκέτι τοιοῦτα ὄντα οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ' ὁμώνυμα. [g] ὅτι μὲν οὖν ἡ πόλις καὶ φύσει, καὶ πρότερον, ἢ ἕκασος, δῆλον. [h] εἰ γὰρ μὴ αὐτάρκης ἕκασος χωρισθεὶς, [i] ὁμοίως τοῖς ἄλλοις μέρεσιν ἕξει πρὸς τὸ ὅλον.

[a] Totum enim prius neceſſe eſt eſſe, quam partem: [b] ſublato enim toto non erit pes, neq; manus, niſi æquiuocè, [c] perinde ac ſi quis dicit lapideam: [d] quæ enim interijt, eiuſmodi erit: [e] cuncta autem opere, ac facultate ſunt definita; [f] quare quom non amplius ſunt eiuſdem modi, non eſt dicendum eadem eſſe, ſed æquiuoca. [g] ciuitatem igitur naturâ eſſe, & prius, quàm vnumquenque, manifeſtum eſt. [h] ſi enim non eſt ſibi ſatis vnuſquiſque ſeparatus; [i] ſimiliter ſe habebit, atque aliæ partes ad totum.

Elicitū ex hoc tex. Ciuitatē eſſe totum, domos, & homines ſingulos eſſe partes inſtrumētarias. a b. Elicit definitio prioris naturâ: Prius naturâ eſt illud, quo ſublato alterum tollitur, altero ſublato nō tollit ipſum. et v. Metaphy. tex. c. 16 & iiij. Phyſ. tex. com. 7 & in Categorijs cap de Prior. d. Elicitē definitio rei quæ interijt: Res quæ interijt non remanet eadem niſi æquiuocè. b. pes, manus. Elicitur, loqui hic Philoſophum de toto et partibus inſtrumētarijs.

EXPLANATIO.

Summa eorū quæ in hoc textu traduntur.

SVMMA ſententiæ, & ratiocinationis huius textus ſic proponitur. Prius naturâ eſt illud, quo ſublato tollitur alterum; altero ſublato ipſum non tollitur: itaque totum, cuius hoc proprium eſt, erit prius naturâ parte. Cernitur hoc euidenter in toto, & partibus inſtrumentarijs: nam manus exempli cauſa, ſi corpus intereat, aut ipſa ab eo abſcindatur, non remanet eadem opere, & facultate operandi, quibus cunctæ res definiũtur; ſed nomine ſolùm, & æquiuocè, lapideæ inſtar; quod eſt eam prorſus interijſſe. Ciuitatem porrho, & domum, atque vnumquenque noſtrûm, vt inuicem referuntur, eſſe illam totum, hæc, partes inſtrumentarias, tum per ſe eſt perſpicuum; tum confirmari ex eo poteſt, quod ad ſimilitudinem aliarum eiuſdem modi partium ac rerum totarum nec domus, nec

quiuis

quiuis vnus hominū, de quo magis videretur, eſt ſibi ſatis ad viuendum ſine ciuili ſocietate; hęc autem manet alijs, & alijs illorum quotidie pereuntibus. Ergo ciuitas, & quia totum;& ſimpliciter etiam, quia aufert,& non aufertur; eſt prior naturâ domo, & ſingulis nobis. Talis eſt ſumma eorum,quæ in hoc textu traduntur. Audi iam eandem fuſius explicatam.

Explicatio ſ.ſtor. Syllogiſmus principalis.

a. b. ſimiliter etc. b. pes manus. g. b. ad g.

ᵃ Totum, ac potiſſimum totum inſtrumentarium eſt prius naturâ ſua parte: ᵇ ciuitas, & domus, & vnuſquiſque noſtrûm, vt ad ſe referuntur, illa habet rationem totius, ᵇ & eſt totum inſtrumentarium, veluti homo; domus, & vnuſquiſque noſtrûm habent rationem partium, ᵇ & ſunt partes inſtrumentarię, quemadmodum hominis pes, & manus: ᵍ ergo &c.

Prioris naturâ definitio.

ᵇ Maior probatur definitione eius, quod dicitur naturâ prius, tradita in Categorijs, & in v. Diuinorum, vtrobique cap. de priori, & alijs in locis. Exponitur autem variè ab Ariſtotele iiſdem in locis hæc definitio: ac tres omnino formę ſunt, quanquam ad extremum eandem vim habent. Prima forma: Prius naturâ eſt illud, quo ſublato tollitur alterum, & altero ſublato ipſum non tollitur. Secunda forma: Illud eſt prius naturâ altero, quo poſito alterum non ponitur, & ipſum ponitur poſito altero. Tertia forma: Prius naturâ altero eſt illud, à quo ad alterum non reciprocatur ſubſiſtendi conſequentia. Vtitur hîc Philoſophus prima forma, conuerſa tamen, & reciprocata à definitione ad rem definitam, hoc modo.

Proſyllogiſmus oſtendens maiorem primi ſyllogiſmi. Q... modis totū auferri ... poſſit.

b. b. pes, manus. b. pes manus.

ᵇ Illud, quo ſublato alterum interit, & altero ſublato non interit ipſum, eſt prius naturâ: toto, & maxime toto inſtrumentario, ᵇ verbi gratia homine ſublato, quia vel ipſe intereat, vel ſeparentur ab eo quouis modo abſciſſę, aut emortuæ ᵇ ſingulę eius partes, vt pes,& manus,ſtatim illę partes intereunt; & ſingulis illis ſublatis, vel ſeparatis, non interit ipſe: ergo totum,inſtrumētarium pręſertim, eſt prius naturâ ſingulis ſuis partibus.

Minoris proſyllogiſmi, ideſt primæ illius partis probatio. Definitio rei quæ interijt. Definitio rei permanentis. Cūcta res opere & facultate definiūtur. Toto inſtrumentario ſublato partes intereunt.

e. ad g. d. b. æquiuocè. e. e. omnia. e. definiūtur. e. opere ac facultate. f. & e. f. non eſt dicendum eadē eſſe niſi æquiuocè. d. b. & e. f. & b. non erit. d. e.

ᵉ Probat minorem huius proſyllogiſmi, ideſt primam illius partem, quæ eſt interire partes ſingulas totius inſtrumentarij, ſi ipſum quouis modo auferatur: & probat item definitionibus, comparationeque inter ſe rei, quę interijt,& rei, quę permanet: quarū ᵈ illa non eſt amplius idem,quod prius fuit, niſi fortaſſe aliquando ᵇ æquiuocè,& nomine tantùm: ᵉ hæc eſt idem,retinens non ſolùm nomen,ſed etiam opus, & facultatem operandi, quam prius habuit. quippe ᵉ res cunctę compoſitę,& quæ actu ſunt, ᵉ definiuntur,diſcernunturq́; ab alijs,& ſunt id,quod ſunt, ᵉ opere, facultateq́; operandi, hoc eſt duplici actu, primo, qui eſt forma, & ſecundo, qui eſt opus formæ,ſeu operatio,ſeu actio. Ex his ſic argumentatur. ᶠ Quod amplius non habet opus, facultatemque operandi eam, quam prius habuit, ſed ſolum nomen, ᶠ illud non permanet, nec eſt idem, quod prius, niſi ęquiuocè,& nomine tantùm, per ſecundam definitionem, ᵈ & quod non eſt idem, quod prius,niſi æquiuocè, & nomine tātùm,iam interijt, per definitionem primam, ᵇ toto inſtrumentario, puta homine ſublato, quouis modo is ſubtrahatur, ſiue per eius interitum, ſiue per ſeparationem iſtarum met partium, abſciſſarum, aut demortuarum, ſingulę hę eædem partes, vt pes, & manus, non habent amplius opus, facultatem ue operandi eam, quam antea habuerunt, ſed ſolum nomen: ᶠ ergo non permanent, nec ſunt idem, quod prius, niſi æquiuocè, & nomine tantùm: ᵈ ergo interierunt, toto quouis modo ſublato, quod fuit oſtendendum. ᵉ Lapideæ autem manus exemplo, quam æquiuocè dicimus manum, ſimul declarat per expoſitionem, & quaſi imaginem, quid ſit quiddam nō eſſe quandam

Manus lapideæ exemplū.

certam rem, niſi æquiuocè; ſimul confirmat à pari, pedem, aut manum, aut quamuis aliam partem inſtrumentariam ſeiunctam à toto, vel in eo demortuam nec idem opus, nec eandē facultatem operandi habere, quam antea habebat, ſed ſolùm nomen, quo æquiuocè ſic appellatur. eſt enim, quod ad hæc attinet, lapidea manus manui abſciſſæ, emortuę'ue planè ſimilis. Probatum eſt igitur partes ſingulas inſtrumentarias, ablato quauis ratione toto, ſiue quia illud extinguatur, ſiue quia ipſæ ſeparentur; interire: quæ erat prima pars minoris proſyllogiſmi. Ex cuius quidem probatione intelligitur probatio alterius partis, non interire ſcilicet totum, ſingulis partibus detractis, aut interemptis: [b] ſingulis, inquam, non omnibus; nam omnes ſimul nihil aliud ſunt, quam totum: item ſingulis quibuſdam, non quibuſuis; quædam enim, vel ipſo Ariſtotele teſte in tex. c. 35. vij. Diuinorum, ita ſunt principales, neceſſariæque & ad formam ſuſtentandam, & ad actionem edendam, vt perinde ſit illas tolli, atque tolli hæc ipſa, ſine quibus totum eſſe non poteſt. Quanquam etiam fortaſſe, ſi quibuſuis dixeris, non errabis, ad genus reſpiciens. etenim quum corde, capite'ue ablato, homo non viuat; multa ſunt animalia, quæ nec cor, nec caput habēt. Quæ verò probatio intelligitur, hęc eſt: quòd ſi ab hominis alicuius corpore amputetur pes, aut manus putreſcat; adhuc tamen priorem ille definitionem retinebit, non nomen tantùm; nempe quia eandem hominis formam, quæ eſt anima rationis compos, eandemq; actionem, non vllius certæ partis, ſed totius hominis à tali forma emanantem habebit, quam habebat antea: quocirca etiam idem planè homo erit, qui antea fuerat. Porrho autem vniuerſum hoc enunciatum, minorem proſyllogiſmi, quod per expoſitionem demonſtratum eſt in toto inſtrumentario humano; poſſemus inſuper confirmare per inductionem in omnibus totis inſtrumentarijs, naturalibus pręſertim: ad quorum poſtea ſimilitudinem reliqua efficiuntur tum ab arte, tum à conſilio. Sunt hæc in ſumma, quæ perfecta ſint, terra; plantæ, bruta animalia, homines: & in ſingulis verum eſt, ſi partes ſepares, totum non interire; ſi ſubtrahas totum, interire ipſas partes. Nam de arborum ſurculis, quā ſeruntur in terra, ac radices agunt, vel in alias arbores inſeruntur, alia ratio eſt: quippe tunc deſinunt eſſe partes arborum earum, è quibus exciſi ſunt; & ſiunt illarū, in quibus ſunt inſiti; vel nouæ arbores, ſi ſati fuerint, radicesq; e miſerint: quemadmodum ex manu abſciſſa vermes generari poſſunt; & ſemen proiectum in vterum animal facit. Hęc de toto proſyllogiſmo, maioriq; primi ſyllogiſmi, quę eo ſtabilitur. [g] At verò minor eiuſdē primi ſyllogiſmi, ideſt ciuitatem, totum, domos, & ſingulos homines eſſe partes inſtrumentarias, vt inuicem referuntur; præterquam quòd ex ſe nota eſt, quia in ciuitate alia, & alia officia, & munera in alios, & alios ciues incumbant, eritq; magis ex ijs, quæ dicētur in iiij. & in vij. horum librorum; confirmatur etiā hic eadem iſta conditione totius, & partium 3 quòd toto ſublato ſingulę partes pereant, ſingulis partibus ablatis non pereat totum. [h] Nam permanet ſimiliter eadem ciuitas, licet eius ſingulę domus excindantur, ſinguli intermoriantur ciues, aut in exilium eant. & ſinguli homines, qui verè, proprieq; homines ſunt, & partes ciuitatum, non ſunt ſibi ſatis nec ad bene viuendum, qui eſt finis noſter, nec ad viuendum quidem, ſi pereant ciuitates. Multo minus etiam ſine ciuitatibus ſatis ſibi ſunt domus ſingulę. quę cauſa fuit vt has tacuerit Philoſophus quaſi ex maiori argumentum indicans;

Probatio ſecunda partis minoris proſyllogiſmi.

Partibus ſingulis detractis aut interemptis, totum non interire.

b. pes, neque manus. & d. quę mortuę.

Minor totius ſyllogiſmi adhuc cōfirmari poteſt per inductionem. Tota inſtrumentaria quot generum.

Soluitur inſtātia de ſurculis arborum.

g. h. i.

Minor primi ſyllogiſmi, & eius firmamentum.

Ciuitas eſt totum, domus et homines ſinguli ſunt partes inſtrumentariæ.

h.

Homines ſinguli, & multo minus domus ſine ciuitatibus nō ſūt ſibi ſatis.

Pluri-

Pluribus enim ſanè vna eget domus, quàm homo vnus. Et hic abſolutè à natura creatus, omnia ab ea ſuſcepiſſe videri poteſt, quæ quocunque modo ipſi eſſent ad ſuum finem neceſſaria: domum autem, quanuis promouet appetitio naturalis; conficit tamen conſilium noſtrum, dirigens ad ciuitatem. Vel igitur hac via; quoniam ciuitas ſit totum, domus, & ſinguli homines ſint partes, quod certa conditione totius, & partis oſtendatur; totum autem ſit prius naturâ parte, per definitionem eius, quod eſt prius
g. h. naturâ: vel g altera huic proxima, & breuiori; ideſt quia omnino ſublatis ciuitatibus nec domus, nec homines ſinguli ſtare diù queant, ac nihilo- *Secũda via et locus, ex definitione duntaxat rei prioris naturâ, oſtendendi theorema propoſitũ.*
g. minus his ſublatis durent ciuitates, quæ eſt definitio prioris naturâ; g deducemus theorema propoſitum, quòd ciuitas ſit prius naturâ, quàm domus, & quàm vnuſquiſque noſtrûm.

Textus habet tres partes. In prima (a) ponitur maior primi ſyllogiſmi. *Partes textus.* In ſecunda (b c d e f) probatur illa maior. In tertia (g h) repetitur concluſio, probaturq; minor eiuſdem primi ſyllogiſmi: tum verò indicatur alia via, & locus breuiùs oſtendendi concluſionem ex definitione duntaxat rei naturâ prioris.

S C H O L I A.

Totum enim prius &c: Difficilis quæſtio eſt, & ab Ariſtotele multis in locis tra- *De quæſtione utrùm prius, totũ an pars.*
v. tex. c. 16. vij. tex c. 33. & infrà. ctata; præcipuè autẽ in v. & in vij. Diuinorum, vtrum ſit prius, totum, an pars. Difficultas naſcitur potiſsimum ex Homonymia. ſiquidem multis modis dicitur prius, vt paulo antè admonui. Plures etiam ſunt ſignificationes horũ uocabulorum, totum, & pars: quas Scholaſtici barbarè exprimunt, uocantes totum, & partem quiditatiuam, ſubiectiuam, poteſtatiuam, quantitatiuam, integralem, eſſentialem, qualitatiuam, & aliis nominibus. Sed horum nominum quam quodque apud quem vim habeat, neque enim omnibus eadem ſignificant, dicemus loco magis idoneo. In præſentia autem ſat fuerit, ita diſtinxiſſe, ex doctrina Ariſtotelis potiſsimùm in tex. c. 29. & 30. v. & in tex. com. 33 & inde vij. Diuinorum & in cap. primo ij. de partibus: quanquam ea loca Interpretes aliter exponant; vt ibi planum faciam. Partes (quibus peræque proportione totum & diſtribuendum erit, & nominandum) aut ſunt partes ex menſura, & quantitate; quomodo linea, & quantum vnunquodque, cuiuſcunque ſit materiæ, cuiuſcunque formæ, & in quocunque compoſito, dicitur habere partes vel pedum, vel vlnarum, vel alius cuiuſuis generis menſuræ: aut ſunt partes eſſentiæ. Eſſentiam hîc ſumo non pro eſſentia, & ſubſtãtia, quæ facit primam categoriam, ſed pro natura cuiuſque rei, & pro re quaque abſoluta, ac per ſe conſyderata, ideſt vt tale nomen habet, ſimplici, aut compoſita, in mente, aut extra mentem. Hæ verò partes eſſentiæ, quoniam eſſentia poteſt eſſe vel ſimplicis, vel compoſitæ rei; ſi fuerint partes eſſentiæ rei ſimplicis, ſiue in mẽte, vt primarum notionum, ſiue extra mentem, vt ſubſtantiæ alicuius ſeparatæ; dicentur à nobis partes actus, & perfectionis: quales ſanè partes nec anima noſtra, nec mentes diuinæ, nec denique Deus opt. maximus omnino reſpuunt: tametſi in Deo rationes, &, quatenus intelligitur, exprimunturque, attributa nõ re, ſed ratione differentia uocantur potiùs, quam partes. At ſi fuerint partes eſſentiæ rei compoſitæ; illa res compoſita iterum erit vel in mente, & à mente, vt vniuerſalia; vel in materia exteriori à natura, aut à mente; à natura, vt compoſita naturalia; à mente, vt artificialia, & ciuilia. Si in materia exteriori igitur fuerit res, & eſſentia compoſita ſiue à natura, ſiue à mente, habebit illa planè materiam, & formam, ex quibus verè compoſita erit, vt aurum, & domus. Si in mente, & à mente; habebit quiddã ſimile formæ, & quiddam ſimile materiæ, ex quibus dicetur cõpoſita: vt animal vniuerſale habet ſenſitiuum; τὸ αἰσθητικὸν, quod eſt inſtar formę; habetq; inſtar materiæ, ſpecies, quę in eo comprehendũtur, qua-

tenus sic comprehenduntur, idest potestate, non actu: ex quibus quasi com-
ponitur. Et quoniā vtrobique, & in mente, inquā, & in materia exteriori, quod
ad hoc attinet, est similis ratio tum cōpositionis, tum essentiæ cōpositæ; suntq;
vtrobique ad summum tria; forma, & quod est simile formæ; materia, & quod
est simile materiæ; composita ex vtrisque; dicemus similiter & in materia exte-
riori, & in mente partes triplices esse; nimirū formæ, seu formales; materiæ, seu
materiales; & cōpositas, seu medias inter materiales & formales. Appello partes
formæ, seu formales ipsam formā, eaque, quibus forma ipsa cōtinetur non sim-
pliciter tamen, sed vt partes compositi sunt, ac dicuntur. Appello eodem modo
partes materiæ, seu materiales ipsam materiam, & gradus materiæ, vt ad com-
positum referuntur. Appello tandem partes compositas, seu medias, eas, quæ
ex materia, formaq; cōstant, in quas compositum statim diuidi potest: quas
quidem compositas partes à multis integrales vocari video: & ab Aristotele,
in vij. Diuinorum, alio modo eas, quam hic nos faciamus, consyderante, in-
ter materiales numerantur. Exempli causa hominis, ac essentiæ hominis sunt
partes formales anima rationis compos, & quæcunque ab illa sumuntur, ac
nominantur; mentis, & disciplinæ capax, animatum, vegetale, sensuale, & re-
liqua id genus, quæ hominis definitionem ingrediuntur vel scapie, vel virtute;
atque ob hanc causam definitionis etiam, & rationis partes appellari aliquan-
do solent: sunt partes materiales materia prima, & quatuor elementa: sunt par-
tes compositæ, ac mediæ partes similares, dissimilaresque, vt caro, os, caput,
manus; quæ, si animatæ non fuerint, nunquam dicentur tales, nisi æquiuocè.
Et in animali, quod est genus, quoniam liquet ex illis, quæ antea dicta sunt, quę
sint partes eius materiales, & quæ formales; erunt compositæ partes species ei
subiectæ, non amplius vt potestate comprehenduntur, sed vt actu in eas diui-
ditur animalis genus. Distribuuntur porrho huiusmodi partes compositæ; po-
tissimum in totis naturalibus; quòd aliæ sunt propriæ corporum similarium;
& similes vocantur; aliæ corporum dissimilarium, & nominantur dissimiles;
aliæ corporum instrumentariorum; & dicuntur instrumentariæ. Primæ in ele-
mentis, & metallis cernuntur: & quanquam consimiles videri possunt ijs par-
tibus, quæ ex mensura nomen habent; non tamen sunt eędem; quia illæ quan-
titatis propriè sunt partes, hæ essentiæ. Secundæ cernuntur in quibusdam lapi-
dibus, & alijs rebus inanimis, in quibus est partium inter se differentia. Tertiæ
in rebus animatis, plantis, brutis, hominibus. Omnes igitur omnino modi
partium sunt numero septem; quos his vocabulis in præsentia nuncupabimus:
Partes mensuræ, partes perfectionis, partes formales, partes materiales, partes
similes, partes dissimiles, partes instrumentarias. Ac de cæteris quidem partibus
valde dubitatur vtrum priores, an posteriores sint suis totis: & quibus modis
priores, quibus posteriores: de instrumentariis penè nullum dubium, quin sint
posteriores naturâ ex subsistendi cōsequentia. Quemadmodum autem Philo-
sophus de solo eo modo prioris, quo dicitur aliquid secundum subsistēdi con-
sequentiam naturâ prius, hic loquitur; quod quidem & nomine, & definitione
huius eiusdem modi est testificatus: ita loqui se de solis partibus instrumenta-
rijs, & toto, ad quod hæ referuntur, palam facit exemplis pedis, & manus. Sed
quæret fortasse quispiam vtrum partes instrumentariæ, quum sint posteriores
naturâ secundum subsistendi consequentiam suo toto; dici debeant eodem
naturâ priores tertio modo; quia illi scilicet, vt sit, causa esse videātur. Primùm
dicimus, vbi aliquid est prius naturâ altero secundum subsistendi consequen-
tiam; verè prius esse illo naturâ, nec posse vllomodo esse naturâ posterius. quip-
pe in quibus est modus secundū subsistendi cōsequentiam; in ijs modus secun-
dum causam esse non potest. vterque enim alterum excludit: & qui est secun-
dum causam in illa duntaxat cadit, quæ simul sunt, ac reciprocātur secundum
subsistendi cōsequentiam, vt tradit Aristoteles in Categorijs. Deinde addimus,
si quis absolutè, ac generaliter velit quicquid est causa alterius, esse eo prius
naturâ, nulla habita ratione conditionis Aristotelicæ, quòd hæc, quorum alte-
rum sit prius naturâ altero, quia sit eius causa, simul sint, ac reciprocentur se-

De quo modo partium et totius hic loquatur Philosophus.

Dubitatio an partes instrumentaria sint aliquo pacto priores naturâ suo toto.

cundum ſubſiſtendi conſequentiam; adhuc euenire, vt totũ inſtrumentarium hoc eodem modo prioris naturâ, quem cauſa facit, aut ſit omnino prius naturâ ſuis partibus; aut, ſi illæ etiam aliquo pacto ſunt priores naturâ toto, tamen hoc ſit illis perfectiori ſignificatione prius naturâ. etenim partes inſtrumentariæ vel partes ſunt tantùm, & nullo modo cauſa totius, vel ad genus cauſæ materialis reducuntur; ipſum autem totum eſt finis & cauſa cuius gratiâ illarum partium: atque cauſa cuius gratiâ lõge præſtabilior eſt cauſa materiali. Imo generaliter ſequetur, quoduis totum hoc modo quauis ſua parte eſſe natura prius: ſiquidem quoduis totum eſt finis, ad quem omnes omnino eius partes diriguntur. Sed non eſt ſatis ad hoc, vt aliquid ſit prius naturâ altero, quod ſit cauſa illius, quemadmodum diximus ex doctrina Ariſtotelis. Nec quoduis totum quauis ſua parte eſt naturâ prius: licet totum inſtrumentarium quoduis ſit prius naturâ ſuis partibus inſtrumentariis, iis quidem, quę principales non ſunt, ſecũdum conſecutionem ſubſiſtendi; principalibus autem, in quibus eſt animæ ſedes, & cum quibus propterea totum viuens ſimul exiſtit, & interit, ſecundum cauſam: nam finis ad extremum eſt cauſa cauſarum. Neque obiiciat hic mihi aliquis id, quod ſcribitur ab Ariſtotele in ij. de Anima de duplici fine: quippe totum eſt finis vtroque modo, preſertim ad partes inſtrumentarias: & aliud quærebat ibi Ariſtoteles, quàm quod nos hoc loco proponimus. Cæterum quę aliarum partium ſint priores naturâ totis ſuis; & quę in vniuerſum aliis modis priores, aut poſteriores, dicendum eſt in Poſtnaturalibus. D. Thomas inquit loqui hic Philoſophum de partibus materiæ, non de partibus formæ; eſſe autem partes materiæ poſteriores; partes formæ priores naturâ toto; propterea quod in definitione illarum totum ponatur, & hæ ponantur in totius definitione. Quaſi vero non ſint quædam partes materiæ etiam priores naturâ toto, quæ ſine toto eſſe poſſunt, quum totum non poſſit eſſe ſine ipſis: & quaſi idem prorſus ſit prius naturâ, & prius ratione, ſeu definitione; quos tamen duos modos diſtinxit Ariſtoteles tum alibi, tum in vij. Poſtnaturalium. verùm de his, vt dixi, alio loco.

D. Thomæ Interpretatio.

vij. Metaph. tex. com. 4.

Sublato enim toto &c. Dimidium eius propoſitionis, quæ eſt minor pro ſyllogiſmi probantis maiorem ſyllogiſmi, ponit hîc Philoſophus. Alterum dimidium eſt hoc: ſublatis partibus non auferri totum. quod alterum dimidium & indicabitur poſtea illis verbis, *ſi enim non eſt ſibi ſatis vnuſquiſque &c.* & intelligitur ex definitione eius, quod dicitur prius naturâ: quam definitionem deſignat coniunctio cauſalis *enim*. Quomodo autem hæc pars propoſitionis, (ſublatis partibus totum non auferri) vera ſit de quibuſdam partibus inſtrumentariis, de quibuſdam, ideſt de principalibus non ſit vera, niſi ad genus reſpiciamus; & nihilominus his ipſis etiam principalibus partibus ſit totum ſimpliciter naturâ prius, quoniam ſit illarum cauſa cuius gratia; diximus ſupra. His porrò partibus principalibus, vt capiti, & cordi, quibus ablatis ſtatim interit animal, ſimiles apparent aliquando in toto ciuili, ideſt in ciuitatibus eminentiſſimi quidam viri, longeque aliis pręſtantes vel prudentia vrbana, vel virtute bellica, quorum vita, & imperio nititunc temporis reſpublicæ, nec ſine illis ſtare poſſe videantur. Tales fuerunt in concordia Romana ſtabilienda, ac redintegranda Numa Pompilius, & Agrippa Menenius: tales in bello ſecundo punico gerendo Fabius Maximus, & Scipio maior; atque in primo Gallico Furius Camillus. De quo Camillo ſic Liuius in lib. v. Romanæ hiſtoriæ: Expulſo ciue, quo manente, ſi quicquam humanorum certi eſt, capi Roma non potuit; aduentante fatali vrbis clade, legati ab Cluſinis veniunt, auxiliũ aduerſus Gallos petentes &c.

De propoſitione, ſublato toto auferuntur partes, ſublatis partibus totum non auferri.

In Explanatione, & in Sectio proximo.

Viri eminentiſſimi in ciuitatibus ſimiles capiti & cordi in animalibus.

Liuij locus.

Niſi æquiuocè. Nam ſeparatæ à corpore huiuſmodi partes, aut in eo emortuę, iiſdem nominibus nuncupantur: ſed vires, & naturas eaſdem, quas prius habebant, & quibus nomina illa propriè conueniunt, non habent. quare neque eaſdem habere definitiones poſſunt. hoc verò erat æquiuocè aliquid eſſe, aut prædicari in Antepraedicamentis.

Cur æquiuocè.

Quæ enim interijt, eiuſmodi erit. Manus, quæ interiit, erit eiuſmodi: nam in vniuerſum etiam res, quę interiit, erit eiuſmodi, ideſt non erit amplius idem, quod

Variæ expoſitiones.

prius

prius fuit, niſi æquiuocè, quia non retinebit ſpeciem, & formam, ſed nomen tantùm. Sic exponit D. Thomas. Victorius ſic: manus, quæ interiit, erit eiuſmodi, ideſt inſtar lapideæ.

Vocabula operis et facultatis quid ſignificent.

Cuncta autem opere, ac facultate ſunt definita. Τῇ δυνάμει, καὶ τῷ ἔργῳ, ideſt facultate, & opere diximus hic ſignificari duplicem actum, primum, & ſecundum, ſeu, aliis nominibus, habitum, & actionem: quibus quidem cunctæ res definiuntur, ac perfectionem obtinent ſuam: &, quum inuicem referantur, alterum non poteſt eſſe ſine altero, vt declaratur in primo, & in ij. de Anima à græcis Explanatoribus. Non igitur accipiēdum eſt hoc loco vocabulū τὸ ἔργον, opus, eo modo, quo accipiebatur ſub initiū primi ad Nicom. ideſt vt opponitur τῇ ἐνεργείᾳ, actioni, & functioni muneris; ſed pro ipſamet actione, & functione muneris, & munere, & officio, quemadmodum etiam ab Ariſtotele acceptum fuit in principio cùm primi, tum ij. libri de Partibus, & in tex: com. 35. vij. Diuinorum, & aliis in locis.

Verbum definire quid.

Verbum autem ὁρίζεσθαι, quod latinè eſt definiri, exponimus non ſolùm circumſcribi oratione quiditatem explicante; ſed inſuper terminari re ipſa, & habere quiditatem, ac perfectionem ſuam vnumquodque, qua ab aliis ſeparetur, conſtituaturque in proprio genere, & ſit id, quod vocatur. Vel propriè accipiemus definiri cuncta opere, & facultate: quaſi aut quia neſciamus, aut quia exprimere nobis non detur inopia vocabulorum veras differentias, quibus definitiones ſolidè redderentur, deſignemus eas vi, & actu operandi.

Quod caret opere & facultate alicuius natura, caret eiuſdem naturæ quiditate.

Hæc itaque duo quoniam in definitiones adhibentur, & definitiones verè explicant, ſignificantque quiditates rerum; neceſſe eſt eſſe intima quiditatibus, nec illas vllo modo deſerere, nec ab illis deſeri. Quamobrem ſi qua carēt opere, & facultate naturæ alicuius, quæ eiuſmodi nomine primùm ſignificetur, eâdem illa natura, & quiditate carēāt oportet, vel quia nunquā habuerint, vel quia deſierint habere illā: vt manus lapidea, & manus mortua carent opere, & facultate manus, quæ primùm, hoc eſt quæ verè, proprieq; hoc nomine nuncupatur.

Vocis, cuncta, varia expoſitiones.

Cuncta cunctas partes, de quibus loquitur Philoſophus, interpretantur D. Thomas, Faber, & Calcagninus: cunctas res Acciaiolus, & Victorius. Sed nimis coarctat enunciatum, infirmioremque hac de cauſa rationem Philoſophi reddit prima interpretatio. Secunda verò nimis dilatat. Etenim materiam primam quo pacto opere definiri dicemus? an quia formas ſuſcipiat? Sed hoc pertinet ad poteſtatem, non ad opus.

Quæ & quo pacto definiantur, aut non definiantur opere, et facultate.

Formam autem prima qui definitur opere, & facultate: ſi in ea idem ſunt primus, & ſecundus actus; nec actio diſtinguitur à ſubſtantia, propterea quòd nulla ibi eſſe queat poteſtas? quid dico formam primam? quæ eſt tandem forma ſeu accidentalis, ſeu ſubſtantialis, ſeu coniuncta cum materia, ſeu ab ea ſeparata, de qua ſic loqui debeamus: definitur hæc forma opere, & facultate? Hæc in ſecundam interpretationem. Contra ambas autem facit, quòd ſæpe Ariſtoteles aſſeuerat partes in toto eſſe non actu, ſed poteſtate: quæ autem non ſunt actu, ſed ſolùm poteſtate, opere definiri non poſſunt. Et certum eſt, partes propriè materiales, de quibus Philoſophum loqui volunt primæ expoſitionis auctores, nullum in toto proprium opus ſibi vendicare. Nos verò eam expoſitionem attulimus, cui nihil aduerſaretur, dicentes cunctas res definiri opere, & facultate, ſed cunctas, quæ compoſitæ, atque actu eſſent. ſiquidem partes inſtrumentariæ non, vt aliæ, quæ ad materiam reducuntur, ſunt poteſtate, ſed actu; & compoſitæ ſunt, non ſimplices: ſunt enim animatæ, quemadmodum totum. Poſſet tamen defendi ſecunda interpretatio, ſi ita induceretur: omnes omnino res definiuntur opere, & facultate, ideſt vel ambobus, vel alterutro: ſicut quidam exponunt illud ij. Phyſici: Natura eſt principium motus, & ſtatus: & facultatem græcè δύναμιν intelligeremus non facultatem ſolùm agēdi, ſed quancunque tam agēdi, quàm patiendi. Hoc nanq; modo etiam materia altero definiretur, nempe poteſtate patiendi; forma prima, & aliæ ſeiunctæ à materia item altero, ideſt opere duntaxat; formæ coniunctæ tam ſubſtantiarum, quàm accidentium vtroque, & opere, & agendi facultate ex eo, quòd vtriuſque iſtorum, operis, inquam, & facultatis agendi ſunt cauſa, & principium compoſitis ſuis.

Quom

Quoniam non amplius ſunt eiuſdem modi, non eſt dicendum eadem eſſe. In græcis vocibus eſt alluſio: μηκέτι τοιαῦτα, οὐ τὰ αὐτά. Eam ſeruata prorſus ſententia, vt potui, expreſsi: quę non ſuut eiuſdem modi, non ſunt eadem. Magis adhuc exprimeret, qui liberius verteret hoc pacto: quæ talia amplius non ſunt alia ſunt dicenda.

Alluſio in græcis vocibus.

Ciuitatem igitur natura eſſe, & prius, quàm &c. Quaſi dicat, ciuitatem nō ſolū eſſe naturâ, vt demonſtratū fuit in ſuperioribus huius capitis partibus; ſed etiā eſſe priùs naturâ domo, & vnoquoque noſtrûm: quod in hac ſuſcepimus demonſtrandum, vt illud magis liqueret. Et certè quicquid eſt prius naturâ, neceſſe eſt aliquo modo naturâ eſſe. ſi enim nullo modo eſſet naturâ: quî prius naturâ dici poſſet?

Vis verborum ex coniunctione [&.]

Si enim non eſt ſibi ſatis vnuſquiſque ſeparatus. Quicunque verè, proprieque eſt homo, ideſt quicunque nec ſupra humanam conditionem attollitur, nec infra eam deprimitur; ſi viuat ſeparatus, & remotus à ſocietate ciuili, caret opere, & facultate bene viuendi, qui eſt finis, & ſummum omnium bonorum humanorum. Imò verò nec ad viuendum quidem eſſe ſibi ſatis poteſt: pluribus enim rebus ad viuendum eget homo, quàm belluæ; quas res ſine ciuili ſocietate nunquam aſſequetur. proinde erit ſibi ſatis fortaſſe ad viuendum vt bellua, nō erit ſibi ſatis ad viuendum vt homo.

Qui homo ſeparatus à ſocietate ciuili non ſit ſibi ſatis.

Similiter ſe habebit, atque aliæ partes ad totum. Singuli homines eandem rationem habent ad ciuitatem, Inquit D. Thomas, quam partes hominis ad hominem. Intellige tu de partibus officialibus, licet ille de materialibus intelligat: quarum quidem partiū officialium, ſicut ſunt diuerſa munia, & officia in corpore; ſic ſunt diuerſa hominum munia in ciuitate, quemadmodum diximus. Similiter autem ſe habere homines his partibus intellige: quòd, vt hæ partes non manent ablato toto: ſic nec homines manent abolita ciuitate, quia non ſunt ſibi ſatis. quocirca ciuitas totum, ſinguli homines partes inſtrumentariæ erunt. Nec putet aliquis, me immemorem fortaſſe eorum, quæ antea dixi, ſtatuens materiā ciuitatis eſſe homines ac domos; efficere hæc ipſa nunc eiuſdem ciuitatis partes inſtrumentarias. nam partes inſtrumentariæ reuocantur quodammodo ad materiam ob ſimilitudinem, quam cum illa habent; aſſumuntq; etiam hac de cauſa aliquando nomen partium materialium: quanquam formaliter inter ſe differunt partes inſtrumentariæ, & partes materiales, vt ex ſuprà expoſitis liquet.

Eadem ratio ſingulorū hominum ad ciuitatem, quæ partium hominis officialium ad totum hominem.

Quo pacto homines ac domus dici poſſint ciuitatis & materia, et partes inſtrumentariæ.

ARGVMENTVM. TEXT. XXVI.

Dubitationem emergentem de illis, qui ob prauitatem nequeunt, & de illis, qui ob ſufficientiam non indigent viuere in ciuili ſocietate, contra id, quod proxime dictum fuit, ſeparatos à ciuitatibus homines ſingulos non eſſe ſibi ſatis; diluit hoc modo: quòd neutri ſint pars ciuitatis; quare nec homines quidem, quum ſint apolides; &, quia apolides, alteri minus, alteri plus, quàm homines, vt liquet ex textu vigeſimo primo. Loci duo; vnus à genere; alter à natura, & quiditate: nam apolis, & qui nulla eſt pars ciuitatis, eſt quaſi genus: cuius duæ formæ; vna eorum, qui ob prauitatem; altera eorum, qui ob præſtantiam ſunt tales; illi minus, hi plus, quàm homines; & illi nequeunt, hi non indigent viuere in ſocietate ciuili.

ὁ δ᾽ μὴ

Text: xxvj. [a] Ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, [b] ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, [c] οὐδὲν μέρος πόλεως. [d] ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός.

Vide etiam ſupra tex. 21. a. b. c. Elicitur duo eſſe genera apolidum, vt etiã ſuprà in tex. 21. d. vel Deus. Simile infrà cap. 9 lib. iij. vbi oſtenditur eum, qui eſt tanquã Deus, qui valde excellat virtute non eſſe partẽ ciuitatis. Simile etiam in cap. 7. x. Nicom.

[a] Qui verò in communione viuere nõ poteſt, [b] aut nequaquam indiget ob ſufficientiam, [c] nulla eſt pars ciuitatis. [d] itaque vel fera, vel Deus.

EXPLANATIO.

Sententia huius textus.

At ſi quis, inquit Philoſophus, aduerſus hoc, quod proximè dictum eſt, vnunquenque noſtrûm ſeparatum à ciuitate non eſſe ſibi ſatis, obiecerit, quòd quidam prorſus non poſſint propter prauitatem, quidã etiam non indigeant, nec velint propter præſtantiam in communione viuere: reſpondebimus, nos de hominibus propriè, & quatenus eſſent pars ciuitatis, quod rationis erat fundamentum, loquutos eſſe; neutros autẽ iſtorum eſſe partem vllam ciuitatis; & quia nulla ſint pars ciuitatis, atque ob id ipſum ſint apolides, hæc enim duo eandem vim habent, nec eſſe quidem homines propriè; ſed pro doctrina τῶν ἀπόλιδων, explicata ſuprà in textu vigeſimo primo, priores minus, quàm homines, & quaſi feras, poſteriores plus, & quaſi Deos. Hæc eſt ſententia, & veluti paraphraſis huius textus, quàm paulo liberius ita explicamus. [a] Duplex eſt hominum genus, qui reuera homines non ſunt, ſed in figura humana [d] alteri ferinam, [d] alteri diuinam naturam gerunt: quemadmodum Circeis poculis Poetæ fabulantur ſub figuris belluarũ homines latuiſſe. [a] Priores verſari in communi vita, & conſuetudine non poſſunt. tam praui enim, peruerſiq; ſunt; vt nec ipſi vlla ad vitam communem habeant inſtrumenta, ſed ſint prorſus inutiles; nec alij ferre ſtuporem, ac immanitatem eorũ queant. viuunt igitur ſolitarij; at vitam nõ humanam, ſed belluinam, cui ſufficiunt etiam ſine ciuili ſocietate præſidia ſimpliciter naturalia. [b] Alteri omnibus dotibus, quę vel diuinitus dari poſſunt, abunde inſtructi; ope non egent aliena: ſed duobus tribuſue ſeruulis, aut mentibus ſuperioribus, quod multis ſanctis viris eueniſſe proditum eſt, neceſſaria naturæ miniſtrantibus, ſoli ipſi ſunt ſibi ſatis ad ſuauiſſimam, & beatiſſimam quandam vitam, humana multo præſtantiorem: eaq; vt cumulatiùs perfruantur, conſuetudines fugiunt vitæ vulgaris, ac ciuilis, quam humanam nunc appellamus. [c] At nec hi, nec illi ſolitudine, & ſeceſſu ſuo quicquam officiunt ei, quod dictum eſt proximo in textu, ſeparatos à ciuitatibus homines ſingulos ſibi ſatis non eſſe. [c] ſiquidem nec hi, nec illi ſunt vlla pars ciuitatum: [d] nec hi, nec illi ſunt verè homines. [c] Primo nihil euidentius. nam ſi illi nequeũt, hi nolunt in communione viuere, quo modo erunt vel hi, vel illi pars vlla ciuitatum? [d] Secundum euenit ex primo. quum enim non ſint ciuitatum partes; neceſſe eſt apolidas eſſe; quippe hæc duo, non eſſe vllam ciuitatis partem, & eſſe apolida, idem prorſus ſignificant: quod & ex vi vocabulorum notum eſt, & notius fiet ex iis, quæ tradentur de partibus ciuitatis in iv. & in vij. horum librorum: apolides autem, vt aperuit textus vigeſimus primus, vel deteriores, vel præſtantiores hominibus ſunt, inſtar ferarum, aut Deorum. Huc accedit quòd neutri opus, neutri facultatem agendi propriam hominum retinent, vt liquet ex illis, quæ paulo antè dicebatur: itaque ex textu antecedenti homines eſſe non poſſunt, niſi æquiuocè.

Duo genera hominũ, qui nec verè homines dici poſſũt nec ſunt pars vlla ciuitatum.

a. qui verò. b. aut. d. fera. d. Deus.

Hæc non repugnant iis, quæ dicta ſunt in textu ſuperiori.

Nihil

Nihil ergo hęc ipſa, quę de vtriſque allata ſunt, quà non indigent, aut non poſſunt viuere in communione, lædunt textum antecedentem: in quo loquebatur Philoſophus de hominibus, qui vere, proprieq; ſic vocarentur; & de ijs quidem vt eſſent ciuitatũ partes. hinc enim argumẽtum ducebatur ad oſtendendum, ſingulos eorum eſſe poſteriores naturà ipſis ciuitatibus.

SCHOLIA.

Vtrum qui vitijs, & vtrum qui virtutibus maxime exuperant, ſint tanquã inutiles e ciuitatibus exterminandi.

Nulla eſt pars ciuitatis. Nec qui vitijs, nec qui virtutibus nimium exuperant, ſunt vlla pars ciuitatum. Debemus'ne igitur vtroſque, tanquam inutiles, quia non ſunt partes ciuitatum, è ciuitatibus exterminare? De prauis nullũ dubium. & omnis ratio, omnis bene inſtituta reſpublica eos exterminat partim morte, partim exilio. non modò enim non proſunt, ſed plurimum obſunt cùm factis, tum exemplo. At qui virtutibus ſupra homines euehuntur duplices ſunt: quidam agendo, quidam contemplando valent. Tollunt vtroſque labes rerum publicarum: quæ minus crudeles ſunt, eijciũt, aut relegant: efferatiores etiam enecant. Cuius rei exempla multa habes in Ethnica hiſtoria, Socratem, Ariſtidem, Phocionem, Camillum, Scipionem maiorem, alios ſexcentos; multo plura in Chriſtiana. Optimæ autem reſpublicæ prioribus, qui actuali virtute, & prudentia inter alios tanquam angeli eminent, ſuæ vnicuique ciuitatis plenam, & perpetuam tribuent adminiſtrationem ijs de cauſis, quæ infrà clarius explicabuntur. Quid facient igitur, ſi accipere illi regnum delatum noluerint? Sanè qui adeo virtute præſtant, nunquam recuſabunt: ſed idoneum campum, in quo illa virtus ſua excurrere poſſit, auidè amplectentur. Si tamen omnino, aut ſenectute, aut morbo impediti, aut quia hoc magis ſuis ciuitatibus expedire putent, à rebus gerendis ſe retraxerint: tunc vel maxime otioſos, & omni opere ſolutos ſuſpicient ciuitates illæ ſuę; venerabuntur; colent quaſi viua, & vera Dei ſimulachra; in rebus arduis conſilia ab ijs petent, & data ſequentur; ſingula verba vt oracula obſeruabunt; denique ipſorum anteactam vitam laudibus ſæpe celebrabunt, ſibique ac pueris ſuis tanquam exemplar, & ideam ad imitandũ proponent. quæ omnia factitata à Siculis erga Timoleontem ſenem, & cæcum; à Samnitibus erga Pontium Herennium; niſi quòd huius Samnites poſtremo de Romanis conſilium magna ſua calamitate ſpreuerunt; in hiſtorijs legitur. Vt viros prudentia inſignes, etiam quando ab omni adminiſtratione rerum uacant, & in ſolitudine vitam traducunt; ita ſapientes, deditos contemplationi, cultuique diuino, reſpublicæ, quæ rectæ ſunt, obſeruant, & reuerentur. Nec ſunt inutiles aut hi, aut illi, licet non ſint partes ciuitatum, & procurationes publicas reſpuant: ſed maxime proſunt interdum conſilio, & doctrina, ſemper exemplis probatiſsimę, & cœleſtis cuiuſdam vitæ. Multo magis proſunt, quia Dei ſunt amici: quem ſæpe orant pro populis: deprecatoreſque ſe apud illum delictorum, & miſeriarum alienarum præbent, vt tandem Deus precibus eorum, quos amat, placatus, pœnam aliis remittat: aliquando etiam, ne illi vnà lædantur, ne'ue tabeſcant angoribus, ſi ciuitates, aut gentes ſuas deleri viderint, continet manum, nec ſinit iraſci furorem ſuum contra nocentes: quemadmodum confirmari poſſet ex cap. 18. Geneſeos, & 32. Exodi, & aliis locis ſacrorum librorum. Huc etiam facerent quæ docet Plato in Theæteto, & in Amatoribus de viro Philoſopho, cuius ſimplicitatem, vt ἀπολιτεύτου, inepti, & inutilis irrident, qui politici vulgo appellantur. quum tamen illius virtutes veræ, ſolidæque virtutes ſint; horum inanes, & ſimulatæ, imo pro virtutibus, quarum nomina prætexunt, ingentia ſæpenumero vitia. Sed de his, & aliis ad hoc argumentum attinentibus infrà diligentius eſt diſputandum, vt diximus paulo antè.

potiſſimum in cap. 9. lib. iij.

De Timoleonte, vide Plutarchũ in eius vita, de Pontio Herennio, Liuium lib. 9.

Quid hic ſignificet nomen, Deus.

Vel Deus. Ideſt Deo ſimilis, & tanquam Deus inter vulgares, & communes homines. Attollitur enim ad diuinitatem, & Dei in ſe ſimilitudinẽ redintegrat

quicunque neglecto corpore ſola viuit intelligentia. mens nanque ex Ariſtotelis etiam doctrina in cap. 7. x. ad Nicom. aut diuinum quiddam eſt, aut eorum, quæ in nobis ſunt diuiniſsimum [illegible] copulari cum beatis ſubſtantiis poteſt. Et ecce quam ſunt propinqua q[illegible] hic dicuntur à Philoſopho, iis, quæ ſcribit D. Paulus de triplici homine. vocat [illegible] carnalem, animalem, ſpiritalem: Philoſophus in hoc textu feram, hominem, Deum; & in 21. ſuperiori prauum, hominem, meliorem quàm ſit homo.

Triplex homo D. Pauli.

Textus XVII.

*

Concluſio & declaratio.

PARS IV. CAPITIS V. TEX: XXVII.

ARGVMENTVM. TEXT. XXVII.

Concluſio, & expoſitio quomodo ciuitas ſit, atque exiſtat naturâ: nempe quòd ex naturali ad eam appetitu; qui in omnibus nobis, & ſemper ineſt.

Text. xxvij. φύσει μὲν οὖν ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν.

Planè igitur naturâ in omnibus eſt appetitio ad huiuſmodi ſocietatem.

EXPLANATIO.

Cõſilium Philoſophi in hoc textu.

CONCLVDIT iam theorema quod in toto hoc capite primum propoſitum fuit, & demonſtratum eſt multis rationibus: ciuitatem, inquam, eſſe, atque exiſtere naturâ. Quoniam verò multis modis eſſe, exiſtereque res natura dicuntur, alijs aliæ, vt in principio huius eiuſdem capitis declarauimus: ne quis offenderet in hoc termino quæſtionis; putaretque ob ea, quæ ſcribuntur in principio ij. Phyſici, ſimpliciter, & omnino naturâ eſſe ciuitatem, tanquam corpus, formamue, aut affectionem naturalem, ita, vt nihil eam iuuet, nihil ei præſtet ratio, & ſolertia humana; ac proinde etiam temere, & nullo merito ſuo laudari, quemadmodum ipſe mox laudabit, primos conditores, & legumlatores ciuitatum: ne, inquam, hæc aut alia i[illegible] genus ob homonymiam huius vocis, eſſe naturâ, aliquis putando falleretur; concludens Philoſophus iſtud theorema, Ciuitas eſt, & exiſtit natura, ſimul explicat proprium, & certum modum, quo exiſtere, & eſſe ipſa naturâ dicatur. Eſt autem modus, quòd *natura *omnibus hominibus, qui nec feræ, nec Dij ſunt, ſed verè homines, ideſt ſic opere, & facultate agendi; ſicut appellatione; ingenerauit *impetum, & amorem quendam eximium *in communem vitæ conſuetudinem, quo nunq[illegible] deſtituerentur, quandiu homines permanerent. Hoc inſtigante, [illegible]enteque iunctæ ſunt primùm ciuiles ſocietates, & quotidie iunguntur, ac manent:

Ciuitas quomodo naturâ. Deſyderium commune vitæ nobis ingeneratum. Deſiderii cõmunis vitæ cauſa ciuitatum.

* naturâ. * in omnibus. * appetitio. * ad huiuſmodi ſocietatem.

manent: explentur tamen, ac perficiuntur ratione, & prudentia humana, ſicut eodem in loco admonuimus. Ecce quo pacto natura procreet ciuitatem, vel ciuitas ſit, & exiſtat naturâ: nempe quatenus natura in nos communis vitæ indidit deſyderium; ex quo deſyderio ciuitates naſcuntur, & à quo tum per ſe ſolo, tum iuncto cum legibus conſeruantur. Et ſanè iſtiuſmodi deſyderium vitæ communis omnibus nobis inſitum eſſe; & ita omnibus, vt omnes perpetuò comitetur à prima ad vltimam ætatem, nec conſuetudine, exercitatione'ue, quoad homines ſumus, tolli vnquam, mutari'ue poſſit; omnes norunt, qui modò animum aduerterint. *Quòd ſi in omnibus, ſi ſemper eſt, nec poſſunt aliter homines aſſueſieri: planè etiã eſt* à natura; & ſummè naturale. quicquid enim in omnibus indiuiduis vnius ſpeciei communiter ineſt; id cauſam communem habeat oportet, quæ eſt eorum indiuiduorum ſpecies, & natura. tum verò hac re diſtinguuntur naturalia à nõ naturalibus: quòd illa aſſueſieri aliter, atque comparata ſunt, nequeunt, hæc queunt. Et hoc quidem argumento demonſtrauit Philoſophus in principio ij. ad Nicom. nec virtutes, nec his oppoſita vitia eſſe in nobis naturâ. Ex quibus etiam intelligitur non vſquequaque ſimiliter, vt exiſtimat D. Thomas; ſed ſolùm aliqua ex parte, vt nos declarauimus in huius cap. veſtibulo, eſſe naturâ virtutes, & ciuilem ſocietatem. quippe impetu pari non feruntur homines in virtutes, atque in conſuetudinem communis vitæ. non omnes naſcuntur propenſi ad virtutem; ſed multi ad vitia procliuiores. nec idem ſemper animorum eſt habitus vel erga vitia, vel erga virtutes: mutantur ætatibus, mutantur fortunis, mutantur temporibus, regionibus, educatione, inſtitutione, exemplis, conſuetudine, de quibus aliàs. Quum verò duo ſint vocabula, ſocietas ciuilis, & ciuitas, eandem rem ſignificantia, licet ſecundum ſignificare quid abſolutius, ac perfectius videatur: hoc vſurpauit Philoſophus libentius in ſuperioribus; altero vtitur in hoc, & in ſubſequenti textu. Porrho tota huius textus ſententia paucis verbis exprimi ſic poteſt: Liquet igitur omnino ex ijs, quæ hactenus ſunt explicata ciuitatem eſſe, & exiſtere naturâ: quod quidem ex ea modò parte eſt intelligendum, quatenus in omnibus, qui verè homines ſunt, ineſt naturâ appetitus, & impulſus ad ſocietatem ciuilem.

In prima parte huius cap.

Deſyderium commune vitæ omnibus nobis & ſemper ineſſe.

** in omnibus.*

Deſyderium commune vitæ eſt naturale.

** naturâ.*

Non ſimiliter omnino ſed aliqua tenus virtutes & ciuitates naturâ ſunt.

Societatis ciuilis et ciuitatis vocabula.

Sententia huius textus.

Textus XVII.

*

Fructus ampliſsimus ſocietatis ciuilis.

CAPVT VI. TEX: XXVIII.

ARGVMENTVM. TEXT. XXVIII.

Percipi ampliſſimum fructum ex ciuili ſocietate, primo eius conſtitutori acceptum referendum: qui fructus eſt virtutum, & iuſtitiæ vniuerſæ adeptio. Hanc vniuerſam iuſtitiam adipiſci quidem homines ex conſtitutione ſocietatis ciuilis, probatur per locum à cauſa; nam iura, & leges, in quibus ciuilis ſocietatis ordo, conſtitutioque conſiſtit, quia ſunt ſententiæ de rebus iuſtis, & de iuſtitia, adducũt hominem ad iuſtorum operum functionem, & tandem ad iuſtitiam: adeptos autem iuſtitiam homines eſſe optimos omnium animantium oſtenditur expoſitione, & loco à contrario; quoniam iniuſtitia deterrimos reddat: & hoc rurſus oſtenditur per locum ab inſtrumentis; quippe arma homines habent, non habent bruta animalia ad iniuſtas actiones; quod expoſitione, & loco ab effectis confirmatur. Ex quibus intelligitur, quomodo, & quatenus ciuitas, quum ſit naturâ, proficiſcatur etiam à ratione, & prudentia humana: nempe ab his proficiſci quantum attinet ad perfectionem eius, ideſt ad iuſtitiam. Locus primus, à quiditate: nam maxima bona ſunt virtutes, operaque virtutum. Loci alij, per expoſitionem, à contrario, à cauſis, ab inſtrumentis, ab effectis.

Text. xxviij. [a] Ὁ δὲ πρῶτος συστήσας, μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος. [b] ὥσπερ γὰρ καὶ τελειωθὲν, βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν: οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου, καὶ δίκης, χείριστον πάντων. [c] χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα. [d] ὁ δ᾽ ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει, καὶ ἀρετῇ, οἷς [e] ἐπὶ τ᾽ἀναντία ἐστὶ χρῆσθαι μάλιστα. [f] διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια, καὶ ἐδωδὴν χείριστον: ἡ δὲ δικαιοσύνη, πολιτικόν: ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν. ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις.

Qui

a. vide etiam ſupra tex. p. & 16. & in p. libro. ad Nicom. cap. 2. a. g. Elicitur, Conſtitutores ciuitatum eſſe cauſam iuſtitia hominib⁹. Item quod eſt cauſa iuſtitia eſſe cauſam maximorū bonorū, ideſt virtutū & actionū ab ijs manantium. i. idem lib. v. ad Nicō. cap. 6.

[a] Qui autem primus ipſam conſtituit, maximorum bonorum cauſa fuit. [b] quemadmodum enim & perfectum optimum animalium eſt homo: ita & ſeparatum à lege, iureque omnium eſt deterrimum; [c] infeſtiſſima enim eſt iniuſtitia arma habens; [d] homo autem habens arma naſcitur ad prudētiam, & ad virtutem, [e] quibus in contrarium vti maximè facultas datur; [f] proinde iniquiſſimum, & maximè agreſte eſt ſine virtute, & in rebus venereis, cibatuque deterrimum: [g] iuſtitia verò eſt quid ciuile; [h] ius enim eſt ordo ciuilis ſocietatis; [i] & ius eſt de iuſto iudicium.

EXPLANATIO.

Sententia huius textus.

QVI primus conſtituit ciuilem ſocietatem, cauſa fuit hominibus maximorum bonorum: nam iura, & leges, quibus ſocietas ipſa ciuilis continetur, quatenus ſunt iudicia, & ſententię de rebus iuſtis, aſſuefaciunt homines iuſtis operibus; vt tandem conſuetudine, & exercitatione iſtorum iuſti euadant: iuſti autem homines ita ſunt optima animalia, quemadmodum iniuſti ſunt peſſima. & ſunt quidem peſſima animalia homines iniuſti, quoniam ſimul cum iniuſtitia (quæ armata moleſtiſſima eſt, vtpote adiumentis etiam ad actionem ſuam abundè inſtructa) arma habent, data ſibi à natura ad prudentiam, & ad virtutem; quibus tamen armis vti maximè poſſunt in contrariam partem: & maximè poſſe hoc indicio eſt, quòd vbi virtutis, ac prudentię expertes fuerint, ſceleratiſſima, immaniſſimaque ſunt animalium in omni genere vitij, tandem verò in rebus venereis, & cibatu, quę cum brutis prę cipue communia habemus, deterrima. Hæc ſententia paucis verbis comprehenſa, ita explicatur. *a. b. g. h. i.* [a] Quod eſt cauſa iuſtorum operum, & tandem iuſtitiæ hominibus, eſt cauſa maximorum bonorum, nimirum omnium virtutum, & actionum ab ijs manantium: [a] primi ciuiliū ſocietatum, ſeu ciuitatum conſtitutores per leges, & iura ſunt cauſa iuſtorū operum, & tādem iuſtitiæ hominibus: ergo &c. *(Syllogiſmus.)* *a. qui primus &c. b. g. h. i.*

Maior propoſitio, ideſt q̄d eſt cauſa iuſtitia, eſſe cauſam maximorum bonorum, virtutum & actionū ab ijs manantiū, declaratur et cō firmatur. Iuſtitia duplex, et de vtra hic loquatur Philoſophus.

Et quoniam iuſtitia eſt duplex ex v. ad Nicomachum; vna, quæ eſt pars virtutis, hoc eſt vna quædam virtutum, ab æqualitate in diſtributionibus, contractibusq; poſita nomen, & ſubſtantiam habens, quam vocant Scholaſtici particularem; altera, quæ eſt vniuerſa virtus, nulla alia re diſtans ab ea, niſi quòd virtus per ſe dicitur, iuſtitia ad alterum, vnde vniuerſalis iuſtitia, & legitima appellatur: poſſumus vtramlibet intelligere. Si legitimā intelligamus: planum eſt complecti eam omnes virtutes; quum ſit vniuerſa virtus. Si verò alteram, quæ eſt pars virtutis: etiam quod eſt cauſa huius iuſtitiæ, erit cauſa omnium virtutum, & actionum ab ijs manantium, proptereaquòd hæc iuſtitia eſt baſis, & fundamentum virtutū omnium, quam omnes ſequuntur, & ſine qua eſſe aut nullo modo, aut vix poſſunt: neque hoc ſolùm ratione communi, ob prudentiam, ob quam ſunt omnes virtutes arctiſſimo vinculo inter ſe colligatę, vt declaratur ſub exitum vj. ad Nicomachum: imò verò & nomine proprio huius iuſtitię: quandoquidem hac ſublata, humani generis ſocietas funditus tollitur, & iungitur, conſeruaturque, eàdem retenta; quemadmodum autem in ſocietatibus, & pro-

pter

pter ſocietates naſcuntur, floreſcuntque virtutes; ita ſi illæ dirimerentur, euaneſcerent vel penitus, vel maiori ex parte. Sed quanquam vtram libuerit hîc licet iuſtitiam interpretari: aptius tamen, & congruentius ad cætera, quę dicuntur, legitimam interpretabimur. Loquitur enim hoc in loco Philoſophus de iuſtitia vt ad iura, legesque refertur, quæ quidem attinent ad legitimam iuſtitiam, non ad eam, quæ eſt pars virtutis. item de illa ſic loquitur, quaſi illa de omnibus caueat, omnesque attingat probas, prauasq; actiones: hęc autem perſpicuè eſt legitima. Ita per ſe ſatis nota eſſet maior propoſitio. [b] attamen eam adhuc cõfirmat Philoſophus expoſitione, & loco à contrario hunc in modum: Nam ſicut perfectum iuſtitia per iura, & leges hoc animal, quod hominem appellamus, euadit optimum inter omnia animalia: ſic priuatum eâdem, & ad contrariam eius iniuſtitiam prolapſum, quia lege, iureq; deſtitutum fuerit (de his duobus poſtea dicam, nunc ſume ἐκ παραλλήλου) efficitur omnium deterrimum.

Qualis cõparatio hominis cum beſtijs in probitate et prauitate.

Queres quî dicatur homo optimum, vel peſſimum animalium, compareturq; cum alijs in prauitate, probitate, iuſtitia, iniuſtitia. eueniet enim bruta animalia eſſe virtutum, vitiorumque capacia: quod multi non concederent: quia hæc ſunt habitus, qui non fiunt ſine ratione, & delectu. Reſpondeo verè comparari in his hominem cum brutis, quemadmodum etiam in ſectione 29. Problematum quæritur cur homo omniũ animantium ſit iniuſtiſſimus. *quæſtione 7.* Nam quanquam in brutis reuera habitus non generantur nec vitiorum, nec virtutum: ſunt tamẽ in illis ſimiles habituum naturę ingeneratę. & quę nos per habitus, ratione, conſuetudineq; partos, & acquiſitos; illa per inſitas naturas faciunt, prorſus ſimilia actionibus iuſtis, iniuſtis, probis, improbis. quamobrẽ naturales virtutes, & vitia penè omnia brutis animalibus attribuuntur. quæ quum ſint in illis imagines, ſimilitudinesq; virtutum, ac vitiorum, quemadmodum etiam ſunt in pueris; nihilominus nuncupantur abſolutè iiſdem vocabulis, ac ſi vera vitia, veræq; virtutes forent: de quibus copioſè in viij. & ix. lib. de Hiſtoria animalium. Sic igitur intelligenda eſt hęc comparatio hominum cum brutis animalibus, quod ad nomina, operaq; virtutum, ac vitiorum attinet, non quod ad eſſentias. [c] Probat deinde Philoſophus hanc partem comparationis, effici hominem deterrimum, nequiſſimumq; omnium animantium, ſi ſegregatus à lege, & viuens arbitratu ſuo ex perturbatione, contrahat iniuſtitiam, eam, inquam, iniuſtitiam, quæ eſt vitioſitas vniuerſa, & contraria legitimæ iuſtitiæ: nam de hac melius exponi hũc locum iam admonuimus: & probat per locum ab inſtrumentis, hoc modo: [c] In vnoquoque genere rerum id, quod inſtrumenta habet ad proprium opus (quæ inſtrumenta arma nunc appellantur, ſiue ſint illa verè eiuſmodi operi deſtinata inſtrumenta, ſiue adiumenta, & ſubſidia quædam eò conuerſa, quę aliò dirigebantur) id, inquam, cuiuſuis generis, quod habet inſtrumenta ad propriũ opus plura, valentioraque, quàm habeant alia eiuſdẽ generis; eſt in eo genere vehementiſſimum, & efficaciſſimum, atque hac de cauſa vnà excellentiſſimũ, & maximum. Propoſitio ſatis perſpicua: ſiquidem opere, & facultate, vt ſuprà declaratum fuit, cuncta definiuntur. ergo etiã in genere vniuerſæ iniuſtitię, atque improbitatis iniuſtitia armata ad proprium opus grauiſſima, infeſtiſſimaq; erit. imò verò magis adhuc in hoc genere, quàm in alijs, eſt iſtud verum, proptereaquòd iniuſtitia omnis, omnisque improbitas, quatenus ſub nomen iniuſtitiæ cadit, in nocendo, damnoque

Homo, qui ſegregatus à lege iniuſtitiam cõtrahit, euadit deterrimũ omnium animalium.

c. & infrà. *c.*

aliquo

aliquo alicui inferendo penitus conſiſtit; ad nocendum autem arma videntur eſſe maxime idonea. Iniuſtitia ad proprium opus armata eſt grauiſſima, & infeſtiſſima; tum animal hac de cauſa, quod improbum, iniuſtumque fuerit, ſi idē ſit armis inſtructum ad improbas, iniuſtasq; actiones, neceſſe eſt pernicioſiſſimum, ac peſſimum eſſe inter cętera, quę eiuſ-
d. modi armis carent: [d] homo ſolus omnium animalium naſcitur armis inſtructus ad improbas, iniuſtasq; actiones: ergo vbi improbitatem, iniuſtitiamque contraxerit, neceſſe eſt eum omnium animalium deterrimum,
d. e. ac nequiſſimum eſſe. quod fuit concludendum. Naſci verò hominem ſolum ex omnibus animalibus inſtructum armis ad improbas, iniuſtasq; actiones, & cuiuſmodi hæc arma ſint, penè exponendo, & quodam effectu huius rei oſtendit Philoſophus, quom ait: *homo naſcitur arma habens ad prudentiam & ad virtutem, quibus armis in contrarium vti maximè licet*. nam quæ tandem arma hæc erunt, hominibus à natura data ad prudentiam, & ad virtutem, pręterquā duæ illę facultates naturales, inſitæ in animis noſtris, de quibus ſub exitum vj. ad Nicomachum? Earum vna gręcè δεινότης, latinè ſolertia (ſic enim verto cum Dionyſio Lambino, viro docto, & eloquenti) pertinens ad ratiocinatricem animæ partē, & proportione reſpōdens τῇ ἀγχινοίᾳ, ideſt ſagacitati, vt idem Lambinus interpretatur, quę eſt facultas partis ſcientialis, hoc eſt gręcè τῆς ἐπιστημονικῆς, eſt fundamentum prudentię. altera, cui nomen commune attribuitur, virtus naturalis, & gręce φυσικὴ ἀρετὴ, facultas appetitricis portionis, quam portionem appellat ibi Ariſtoteles moralem, ſubijcitur eodem modo morali virtuti, quæ verè, propriéque
e f. dicitur. [e] Quoniam itaque ambę ſunt facultates: quanquam diriguntur naturá, hæc ad virtutem moralem, illa ad prudentiam; tamen ex proprietate facultatum poſſunt in cōtraria. Vnde euenit, vt pro prudentia, quom fines ſunt praui, verſutiam, ſeu vafriciem ſolertia accipiat: & in virtute naturali, ſi vel ratio non fuerit vera, vel appetitus rationi non obtemperet,
e. maximè. generentur vitia moralia pro virtutibus. [e] Sunt hæc innumera, immenſa: quia poteſtates, per ſe infinitę, bonis tantùm finiuntur, quibus etiam perficiūtur, ac deſinunt eſſe poteſtates: malis; proptereaquòd ex vtraque parte eſt infinitas, infinitiores fiunt, nec terminari, nec modum accipere vllum queunt. [f] Hinc homini à virtute alieno, & iniuſtitiā, improbitatemq; arctè cōplectenti, ex verſutia mille nocendi artes, ex vitijs moralibus mille delictorum formæ, & omnes immanes. Siquidem quum plena, & vniuerſa vitioſitas, quæ, vt ſæpe diximus, re idem eſt, quod iniuſtitia vniuerſa, legitimę oppoſita iuſtitię; duos quaſi gradus habeat in vnoquoque genere improbitatis, & actionum prauarum, ex initio v. ad Nicomachum; vnum, abſolutè, ac per ſe improbum eſſe, ex quo appellatur vitioſitas: alterum, eſſe talem in alios, quos lædere aliquo modo videatur: homo iſte in vtroque gradu ad ſummum peruenit. nam ſimul & iniquiſſimus, ſceleratiſſimusque eſt aduerſus Deum, naturam, homines, omnia; & maxime agreſtis, ferinique ingenij, quod nunquam manſueſcat: ideſt gręce ἀνοσιώτατος, καὶ ἀγριώτατος: quorum vocabulorū primum, & omnino ὅσιον, καὶ ἀνόσιον ius, faſque, & pietatem; & religionem, quæq; his contraria ſunt, pręcipuè ſignificant: τὸ ἄγριον autē vitam a conſuetudine abhorrentem, & remotam, ac mores per ſe penitus deploratos. Sed hæc quidem in omni genere prauitatis, iniuſtitięq; eueniunt, quemadmodum dictum eſt. [f] Vt vero ea nominatim attingamus, quę potiſſimum nobis cum belluis, nam cum his in

præſen-

f proinde iniquiſſimum & maxime agreſtis fine virtute.

cap. primo.

f. & in rebus venereis cibatuq; deterrimum.

Homo omniū animaliū ſol⁹ naſcitur armis inſtructus ad improbas, iniuſtaſq; actiones.

Arma data homini à natura ad prudētiā, & ad virtutē quæ.

His armis poſſe vti homines maxime in contrariā partē.

Homo prior cūctis animalibus in omni genere vitioſitatis.

Homo prior omnibus animalibus in re venerea.

præſentia conferimur, ſunt communia, & ex quibus omnis earum iniuſtitia, prauitasq́; erumpit, nempe res venereas & cibatum; in his clariſſimum eſt, talē hominem [f] impuriſſimum, ac maximè ferum, ad extremum longe deterrimum eſſe omnium animalium. Coeunt belluæ vno, ac ſimplici modo, mares cum fœminis, ſui generis quæque aut quam ſimillimi, ſtatiſque temporibus: paucæ, quæ ſunt ſalaciſſimę, vel omni tempore, vel altera vtuntur venere cum eodem ſexu, nec quicquam vltra. In hominibus omnia indiſcreta, res, inſtrumentum, actio, tempus: quauis hora cum quauis animante, quę agere, pati'ue poſſit, etiam cum immundis ſpiritibus; quauis corporis parte; & quouis motu, ſituq́; membrorum rem habent. Pudet referre tot genera, formas, modos fœdarum voluptatum, diuturna cogitatione, ſtudioque, & artificijs variatos, & diſtinctos. Tacebo de Elephantidos libris, & de alteris eiuſdē argumenti, quos ſuperiori ætate homo ſpurciſſimus, diuini tamen apud neſcio quos ex eadem nequitia humana epitheton adeptus, cōſcripſit. Certè Imperator ille eminentiſſimus, totius orbis geſtans imperium, & ſacerdos ſolis, per cuncta caua corporis ſui libidinem recipiebat; per alieni profundebat. Et alter non ſolum ipſe hæc faciebat; ſed etiam exiſtimabat nullū hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum eſſe. Tertius, non Imperator, ſed ciuis, adhęc, ſpecula excogitauit, imagines longe maiores veris rebus reddentia: vt ſic falſa magnitudine, tāquam vera gauderet; & mendacijs quoque inſatiabilis mali ſeipſum delectaret. De gulæ improbitate quid dicā, quum tam multi dixerint? Omitto infinitam vim innumerabilium eduliorū, epularum, condimentorū in omnes cœli, terræque, & maris tractus circuncirca expetitam, ac perueſtigatā, & multo plures res, quàm vocabula, quibus nobiliū menſas abundare generoſum putant: vſque ad vermes enim ſaginandos, & delicatiori in cibo habendos prodigia ventris peruenerunt. Infanda illa, & crudelia omnem feritatem ſuperantia quis ferat, audiat'ue ſine horrore? fuiſſe olim homines, qui humanis carnibus veſcerentur; vterosq́; matrum reſecarent, quo fœtus ad ſceleſtas epulas extraherent. Fortaſſe has fabulas putarūt maiores noſtri. Sed noui orbis luſtratio verè docuit, multos populos, & gentes hunc morem habuiſſe humanas carnes edendi. Lupus tamen nō edit lupinas, vt prouerbio fertur: nec vlla omnino fera, quantunuis ſæua, & immanis, ſui generis feram vorat. In tot igitur, & tāta mala homines incurrunt, horrēda, nefariaq́; propterea quod inſtructi armis naſcuntur ad prudentiam, & ad virtutem; quibus armis in contrarium vti maximè poſſunt: bruta animalia non incurrunt, quoniam deſunt iis huiuſmodi arma. Ergo homo ſolus omnium animaliū naſcitur armis inſtructus ad iniuſtas, improbasq́; actiones; ſicut etiam ad iuſtas, & probas. ergo deterrimum, nequiſſimumq́ue omnium animalium homo erit, quando iniuſtitiam contraxerit: & contrà optimum omnium, ſi iuſtitiam adipiſcatur vniuerſam. [g] Hactenus confirmata eſt maior propoſitio ſyllogiſmi: deinceps confirmabitur minor, Conſtitutores, inquam, ciuitatum per leges, & iura eſſe cauſam iuſtorum operum, & tandem iuſtitiæ hominibus. Cui minori propoſitioni hæc æquiparatur: Iuſtitia eſt quid ciuile, ſeu eſt bonum ciuile: intelligendo eam ſic, quod iuſtitia ſine ciuitate eſſe nequeat, pendeatq́; prorſus ex ea: non quod omnis iuſtitia ſit iuſtitia ciuilis: ſunt enim aliæ iuſtitiæ, & alia iura pręter id, quod propriè appellatur ius ciuile, vt herile, & paternum; ſed tamē omnia vim,

perm n-

f. ἀνοσιώτατον, καὶ ἀγριώτατον. χείριστον.

Vide Lampridiū in Heliogabalo, et Suetoniū in Nerone.

Hoſtius, de quo Seneca primo Naturalium quæſtionum.

Homo peior cūctis animalibus in gula vitijs.

Minor propoſitio, hoc eſt Cōſtitutores ciuitatū p leges et iura eſſe cauſam iuſtorū operum, et tandē iuſtitię hominibus. ſiue iuſtitia eſt qd ciuile declarat et cōfirmatur uſque in finē explanationis.

g. b. i.

permanſionemq; habent ex conſtitutione ciuitatis. Initiũ autẽ confirmandi iſtam propoſitionem hinc ſumamus. Tria ſunt, quæ ſe ſubſequuntur ita in genere iuſtitiæ, quemadmodum etiam in alijs habitibus, & facultatibus, exempli cauſa in arte medicinæ: vnum eſt forma, & habitus, & facultas eiuſmodi: alterum actiones, & opera, quæ ab eiuſmodi habitu, facultateque proficiſcuntur: tertium rationes quædam, & regulæ, & quaſi pręcepta, quibus tanquã partibus eiuſmodi habitus, facultasq; cõtinetur; & ſecundum quas opera, & actiones fiunt. Horum trium in genere iuſtitiæ primum dicitur gręcè δικαιοσύνη, latinè iuſtitia: ſecũdum latinè iuſtum, græcè δίκαιον; ſi propriè hæc vox accipiatur; nam ſignificat etiam aliquando tertium: quod quidem tertium proprio vocabulo gręcè δίκη, latinè ius, vel gręcè νόμος, latinè lex nominatur. Etenim hęc ratio, & modus iuſtitiæ, quem ius appellamus, dupliciter poteſt conſyderari; vel vt in mente, nimirum, & in mentis habitu, cuius modus, ac tanquam pars eſt, abditus, & comprehenſus; vel vt euidens, atque expreſſius in vſu hominum communi, in oratione, in ſcriptura. Ex prima conſyderatione congruentiora nomina ſunt ius, & δίκη: ex ſecunda νόμος, & lex. Quapropter Orpheus in Dicis hymno præter alia, quæ ei attribuit, filiam Iouis, & Iuſtitię facit; ſedereq; ait in diuino Iouis throno, deſpicientem inde vitam mortalium, atque iniuſtos punientem. quod poſtea ab Orpheo ſumpſit Auctor libri de Mundo, ſcribens in exitu eius, Dicen Ioui aſſidere, vindicantem ſi quid diuinæ legis prętermiſſum fuerit. Et hoc modo fortaſſe defendi poſſet definitio iuris tradita à Celſo, & probata à iuriſcõſulto Vlpiano leg. j. de Iuſtitia & iure, quòd ius ſit ars boni & æqui: quaſi voluerint ius eſſe rationem, & modum quendam iuſtitiæ in mente diuina. itaque ſubiungere iuriſconſultum; *cuius meritò quis nos ſacerdotes appellet.* quæ quidem verba addita ab Vlpiano minus aptè accommodantur interpretationi quorundam dicentium ſignificatam eo loco iuris vocabulo ſcientiam iuris. Sed quanquam hæc nomina iuris, & legis tam latina, quàm græca ſic diſtincta ſunt; tamen confunduntur, & veluti eadem ſit vis amborum, interdum generaliter, communiterq; vtrunque, interdum ſpecialiter, atque propriè alterum pro altero, & modò vnum, modò alterum vſurpatur cùm ab alijs ſcriptoribus frequentiſſimè, tum ab ipſis iuriſconſultis, qui his vocibus promiſcuè vtuntur, & permutant alteras in alteras. Vt in tribus primis titulis Pandectarum modò iura dicunt, modò leges ad eandem rem ſignificandam. & tota diuiſio iuris ciuilis eſt propriè legum diuiſio. Quocirca Vlpianus eo in loco id eſt in l. 6. primi tituli pro iure legem repoſuit. quum enim diſtribuiſſet ius ciuile in ſcriptum & non ſcriptum, ſtatim addidit: eandem apud Gręcos legum .i. τῶν νόμων diuiſionem eſſe. Et Theophilus, qui Inſtitutiones Iuſtiniani in græcam linguam conuertit; paſſim inſcriptionem hanc, de iure, hac reddidit, περὶ τοῦ νόμου: quotiesq; Imperator ius nominauit, fere toties ipſe νόμιμον eſt interpretatus. Quando verò ijdem iuriſconſulti leges numerant vnam è ſex partibus iuris ciuilis; clarum eſt in alia eos ſignificatione, & multo anguſtiori hoc nomen accipere, quàm ſit vera & propria eius poteſtas. Sic igitur etiam & in v. ad Nicomachum, & alijs in locis vſurpantur hæ voces promiſcuè ab Ariſtotele: & in hoc textu primùm ſumptæ fuerunt ἐκ παραλλήλου; deinde quom ſubiungit Philoſophus ius eſſe ordinem ciuilis ſocietatis, ius pro lege ponit. Legibus enim promulgatis magis, quam intimis iuſtitię rationibus, vt hæc antea diſtincta

Iuſtitia ius ſiue lex, & iuſtũ, quid propriè vnumquodq; ſignificet & quas inter ſe habitudines relationésque habeant.

Iuris & legis differentia.

Orphei locus.

Auctoris de Mundo locus.

Iuris definitio tradita à Celſo.

Vocabula iuris & legis cõfunduntur.

v. ad Nicom. cap. 6.

Horum vocabulorũ in hoc textu ſignificatio.

ſunt, ordo & ſtatus ciuitatis continetur. Cur autem vocabulo τοῦ δίκαι vti maluerit, quàm proprio vocabulo τὸν νόμον, cauſa fuit fortaſſe, quòd ὁ νόμος .i. lex nõ eſſet; δίκη, ideſt ius, eſſet coniugatum τῆς δικαιοσύνης, καὶ τοῦ δικαίου, latinè iuſtitiæ, &, iuſti: quam iuſtitiam, & quod iuſtum prouenire nobis ex ciuitatis conſtitutione affirmat præſens concluſio, quæ principalis ſyllogiſmi minor propoſitio fuit. Hæc itaque concluſio ſeu minor primi ſyllogiſmi demonſtratur hoc medio, quod ius, & legem appellamus, & loco

Ratio probans minorem ſyllogiſmi principalis.

à cauſa in hunc modum. [i] Ius, per ea, quæ dicta ſunt, & vt legem ſignificat, eſt iudiciũm, hoc eſt decretum, & ſententia de iuſtis rebus; & quia de iuſtis rebus, etiam de iuſtitia; nam res iuſtę, ſicut à iuſtitia proficiſcuntur; ſic deſignant eam, generantque, ſi non adſit, in auctore ſuo, crebrò vſurpatę, quod declaratum eſt in ij. ad Nicomachum: [h] ordo ciuilis ſocietatis, qui ipſius (non ſecus atque exercitus, orbiſq; vniuerſi, de quibus ſcribitur in xij. Poſtnaturalium) bonum intimum eſt, & conſtitutio, ac denique forma, qualis tamen huiuſmodi rei forma eſſe poteſt; eſt ius, ideſt iure, legibusque omnino continetur: ergo ordo, & conſtitutio ciuilis ſocietatis continetur omnino iudicijs, ſeu decretis, & ſententijs de iuſtis rebus, & de iuſtitia: ergo ex cõſtitutione ſocietatis ciuilis, quicunque in ea viuunt, alligantur decretis, ac ſententijs iubentibus, permittentibus'ue iuſta, & vetantibus, punientibusq; iniuſta, vt illa agant, & ab his abſtineant; quæ dum obſeruant, fiunt iuſti, iuſtitięq; habitum, vt dictum eſt, aſſequuntur. [g] Atque hoc modo iuſtitia eſt bonum ciuile. ſine vſu enim, & exercitatione comparari prorſus non poteſt: vſus autem, & exercitatio abſtinendi ab iniuſtis, & agendi iuſta vix in vno, aut altero permaneret; nec illi quidem, vnus, & alter proficerent, vel viuerent diu inter tot iniuſtos, ſine lege: nec ſine ciuitate lex eſſet, aut vix eſſet, ideſt minimum haberet virium ad eiuſmodi exercitationem inducendam, cogendosque eos, quos perturbatio pręcipites agit, vt declaratur in exitu x. ad Nicomachum: in ciuitate verò lex ipſa eſt conſtitutio ciuitatis. Sed paucis iterum ſummam huius textus perſtringamus. Qui primi ciuitates cõſtituerunt; leges, & iura introduxerunt; quæ leges ſunt cõſtitutiones ciuitatũ; &, quã leges ſunt, obſtrictos homines tenent: homines obſtricti legibus, in probas, iuſtaſq; actiones vel inuiti incumbunt; abſtinent improbis, & iniuſtis: abſtinendo improbis, iniuſtiſque, & proba, iuſtaq; agendo, iuſti, & probi euadunt. Contrà verò ſine ciuitate leges non ſunt; aut ſi aliquo ſint modo, inſtar paternarum præceptionum, non habent vim legis, quia non ligant, ideſt non cogunt adhibita neceſſitate, quod lex facit: legibus ſoluti homines ex perturbationibus viuunt; & impulſi, attractiq; cupiditate, ac moleſtia, improbis, iniuſtiſq; actionibus aſſueſcunt: aſſueſcendo; improbi, iniuſtiq; euadunt; ac tanto plus reliquis animantibus, quanto plura, potioraque inſtrumenta habent ad bene agendum; &, quia ad benè, neceſſario etiam ad malè. Ergo primi ciuitatum conſtitutores maximorum bonorum cauſa hominibus fuerũt, ideſt iuſtitię, ac probitatis vniuerſæ. Quamobrem, quum duæ ſint res, quibus ciuitas pręcipuè continetur, & quarum cauſa inſtituta eſt, nempe conſuetudo vitę cũ cõmunicatione vtilitatum, & iuſtitia legitima, quæ eadem eſt vniuerſa virtus, ſeu ſumma probitas, gręcè καλοκαγαθία: primam quidem molitur natura, vt antè demonſtratum fuit: alteram conficiunt ratio, & prudentia humana, vt ex hoc textu liquet.

In xij. Poſtnaturalium tex. com. 52.

Summa huius textus.

Ciuitas quatenus à natura, & quatenus à ratione.

Partes textus.

Textus habet ſex partes. Prima (a) proponit cõcluſionem principalem.

Secun-

Secunda (b) probat maiorem propoſitionem expoſitione, & loco à contrario. Tertia (c d e) confirmat aſſumptum huius probationis à contrario per locum ab inſtrumentis. Quarta (f) exponendo, & per locum ab effectis confirmat id, quod in hac ratione ab inſtrumentis ſumebatur, ſolum, inquam, hominem eſſe armis inſtructum, quibus maximè vti poteſt ad improbas, iniuſtasq; actiones. Quinta (g) proponit minorem propoſitionem, vel quæ ei æquiparatur. Sexta (h i) probat hanc minorem per locum à cauſa.

S C H O L I A.

Primus conſtitutor quomodo.

Qui autem primus conſtituit ſocietatem ciuilem. Primum intellige non eum, qui generaliter primus ciuilem ſocietatem introduxerit, quaſi ante eum nuſquam fuerit vlla ciuilis ſocietas; hoc enim Peripateticæ doctrinæ principiis repugnat, vt diximus ſuprà ad tex: 13. ſed eum intellige, qui primus quanque ciuilem ſocietatē effecit, congregans multitudinem in vnū locum ad ſimul habitādum & viuendum, eiq; iura, & leges conſtituens, vt fecerunt Romulus, & Theſeus.

In primo ad Nicom. cap. 2.

Quorum bonorū & quomodo cauſa hominibus ciuitatū inſtitutores.

Maximorum bonorum cauſa fuit. Hoc eſt, quod in primo textu huius lib. & ſub initium primi ad Nicom. dicebat Philoſophus, Ciuilis facultatis finem & bonum præſtantiſsimum eſſe. Non ſolùm autem maximorum bonorum .i. virtutum, & probarum actionum cauſa fuit in vnaquaque ciuitate, qui primus eam inſtituit, & iura dedit; ſed etiam aliorum, quę hęc ſequuntur, ſanitatis, voluptatis, diuitiarum, gloriæ; omnium denique, quæ numerantur in bonis vel corporis, vel fortunæ; & explent, aut cumulant felicitatem. hæc enim omnia indagant, aſſequunturq; homines virtutibus, & præclara ciuitatis inſtitutione.

Syntaxis verborum.

Quanta vis educationis tā rectæ, quàm nō rectæ ad vitia, virtutesq; & ad bonas, malasq; actiones.

Quemadmodum enim & perfectum &c. Nota ſyntaxin verborum: *perfectum optimum animalium eſt homo, & ſeparatum à lege peſſimum*: quaſi dicat: hoc animal, quod hominem appellamus, perfectum iuſtitia, eſt optimum &c. Plato in vj. de Legibus ita ſcribit, *Manſuetum eſt animal homo: &, ſi cum felici illa natura rectam quoque eruditionem nactus fuerit; diuiniſſimum, manſuetiſſimumque animal exiſtere ſolet: educatus verò non ſatis, aut non rectè; omnium, quæcunque fert terra, fit maximè agreſte.* Confirmat id à pari: quoniam, *cuiuſcunque ſtirpis, alius'ne animantis prima germina, ac fœtus probè in natura ſuæ virtutem impetum cœperint; potentiſſima euadunt ad finem conuenientem imponendum.* Idem in vj. de Republica latè docet quantam educatio vim habeat tum ad vitia, tum ad virtutes, ad ingentia ſcelera perpetranda, & ad illuſtria opera edenda. Inter cætera hæc ait: *Quodlibet ſemen & plantarum, & animalium, quod minimè nactum fuerit nutritionem ſibi conuenientem nec tēporis nec loci; quantò valentius ſit ſanè, tanto pluribus adiumentis ſibi accōmodatis indigere: bono enim malū magis, quàm non bono contrariū eſſe, itaque naturam optimam, ſi alieno modo educetur; fieri ignaua deteriorem: & animas quidem præſtantiſſima indole præditas, ſi in prauam educationem inciderint; prauas inſigniter euadere: vt tandem ſumma improbitas, grauiſſimaque ſcelera ex generoſo ingenio educatione corrupto, non ex ignauo proueniant.* Ex his duobus locis Platonis ſumpta videntur, quę hic textus habet: hominem in ciuili ſocietate ſub probis legibus natum, & nutritum, adepta iuſtitia, optimum euadere omnium animalium: eundem, ſi peruersè educetur ſine lege, & iuſtitia, fieri omnium deterrimum: atque hoc ei euenire, quia armis inſtructus ad prudentiam, & ad virtutem naſcatur; quibus quidem armis vti hac de cauſa maximè in contrarium poteſt.

In lib. v. ad Nicom. cap. 6. & 7.

Vocum quarundā diſtinctio.

Separatum à lege, & iure. Sunt nouem voces quarum diſtinctio propriè quęrenda eſt in lib. v. ad Nicomachum. hæ autem ſunt: δικαιοσύνη, καὶ ἀδικία, iuſtitia, & iniuſtitia; δίκαιον, καὶ ἄδικον, iuſtum, & iniuſtum; δίκη, ius; νόμος, lex; δικαιοπράγημα, καὶ ἀδίκημα, iuſta actio, & iniuria; δικαίωμα, iuſtum officium, ſeu iuſtificatio, ſi hoc nomen eſſet latinum.

Arma hoc loco quid.

Homo autem arma habens naſcitur &c. Pudendus in hac parte eſt error Interpretum ſic vertentium: homo habet arma, nimirum prudentiam, & virtutem, quibus maximè vti poteſt in contrariam partem. Quærunt deinde vtrum virtuti-

bus homo malè vti poſsit. Et quidam vſque eò deueniunt, vt affirment licere nobis, quia liberam voluntatem habeamus, tam benè, quàm malè æque vti vitiis, ac virtutibus. Alij, in quibus D. Thomas, & Acciaiolus, & Faber, arma, & prudentiam, & virtutem interpretantur facultates illas, virtuteſque naturales, quarum facta eſt mentio in exitu vi. ad Nicomachum. Sed ſtatim ſubiungitur, hominē, qui ſit ſine virtute, eſſe animal iniquiſsimum, & maxime agreſte: ergo aut non eſt virtus in armis, quibus in contrariā partem maximè vti poſſumus, numeranda: aut in breuiſsimo orationis tractu commutabit Philoſophus ſignificationem huic vocabulo virtus. Deinde ſi prudentia, & virtus, quocunque hæc modo accipiantur, eſſent eiuſmodi arma, quibus inſtructi naſci, & in contrariam partem vti poſſe dicimur; ſanè eodem in caſu vtraque ponerentur: at nunc arma in quarto; virtus, & prudentia in tertio ponuntur. Tandem qualis, obſecro, expoſitio, vel potius qualis ſolœciſmus euadit? Ait Philoſophus naſci hominem habentem arma ad prudentiam, & ad virtutem: iſti exponunt naſci hominem arma habentem, quæ arma ſint prudentia, & virtus. qui poſſunt hæc arma eſſe prudentia, & virtus: ſi ſunt arma ad prudentiam, & ad virtutem? Tu igitur per hæc arma vel intellige illas animæ facultates, quas ſuprà diximus, ideſt ſolertiam, & virtutem naturalem, quibus belluæ carent: vel illas intellige, quarum iſtæ ſunt partes, hoc eſt rationem, & appetitum. nam quamuis habeāt appetitum belluæ, non tamen habent eum perfectum, ideſt non habent ratione illuſtratum, ſicut nos habemus.

Tres interpretationes huius loci.

Proinde iniquiſſimum &c. Hic quatuor ſunt vocabula, ἀνοσιώτατον, ἀγριώτατον, ἀφροδίσια, καὶ ἐδωδήν: de quibus dubitatur quid quodque ſignificet, & quales cauſas, qualesq; relationes, & diſcrimina inter ſe habeant. Vna interpretatio eſt, quam nos attulimus, vertendo duo prima vocabula græca, ἀνοσιώτατον, καὶ ἀγριώτατον, in hæc latina, iniquiſsimum, ſeu ſceleratiſsimum, & maximè agreſte: vt tāgat Philoſophus primùm communiter in omni genere habituum, actionumque prauarum duos gradus, quibus vniuerſa, plenaque improbitas, atque iniuſtitia continetur: deinde deſcendat propriè ad duo genera, maximè cum belluis nobis cómunia; quæ quidem belluæ agere videntur, quicquid agunt, ob cibum, & res venereas. Altera interpretatio, quam etiam indicauimus, eſt, ſi eadem vocabula ἀνοσιώτατον, καὶ ἀγριώτατον reddātur latinè impuriſsimum, & maximè ferum: referendo impuriſsimum ad res venereas, in quibus eſt ſumma obſcœnitas; & maximè ferū ad cibatum. Ferini enim præcipuè homines appellari ſolent ex eſu crudarum carniū, & aliarū eiuſmodi rerū, quibus feræ propriè veſcuntur. Tertiam interpretationem attulit D. Thomas. Putat ipſe deſignari à Philoſopho his quatuor vocabulis duas vires animę appetentis cōmunes nobis cum belluis, iraſcendi, inquam, & cōcupiſcendi: quarum vtraq; deprauari in nobis poſsit. Si prima deprauetur; euadere hominem, actione quidem ſceleratum, & crudelem; habitu autē animi ſylueſtrem, ideſt ſine affectu vllo charitatis: illud ſignificari nomine ἀνοσιώτατον; illud vocabulo ἀγριώτατον. Si deprauetur ſecūda; aut in rebus venereis, aut in paſtu flagitiū fieri. Harum trium interpretationum prima mihi magis probatur. quam etiam confirmat uox χείριστον, poſita ſupra à Philoſopho in hoc eodem textu, vbi hominem cum beſtiis comparabat; & hic repetita propriè in rerum venerearum, ac cibatus mentione: quaſi de his propriè, quæ nobis cum beſtiis ſunt communia, poſt generalia loquatur.

Ius eſt iudicium de iuſto quomodo Iudiciū quid.

Ius eſt de iuſto iudicium. κρίσιν iudicium interpretor. Eſt autem iudicium nihil aliud, niſi ſententia, & decretum, quo ſtatuitur quid iuſtum ſit, quidque iniuſtum, & alterū ab altero ſeparatur. vnde dicta ſunt poſtea iudicia propriè quęcunq; aut magiſtratus ipſi ius dicentes decernerēt, aut iudices à magiſtratu ius dicente dati de iure ſtatuerēt. quemadmodum ea definit Carolus Sigonius, magnum Mutinētium decus, in primo de Iudicis. Sic igitur & ius, ideſt modus ille, & ratio, & quaſi formula iuſtitiæ, præſertim euidens, & explicata, quam legem propriè appellamus, nihil eſt aliud ad extremum, niſi præceptum quoddam, & decretum, & ſententia vel Dei, vel Naturæ, vel prudentis hominis de rebus iuſtis, & de iuſtitia, vt ſuprà declaraui.

Carolus Sigonius.

Ius & Lex quid.

pri de Iudiciis cap primo.

Do-

Domeſticæ curæ partes, quæ eędem ſunt, & partes domus.

CAPITA XXV. A SEPTIMO PER TOTVM LIBRVM.

Quæſtiones ad politicum attinentes de domeſtica cura, & rationis, ſiue œconomia, & œconomices partibus, quæ eadem ſunt & partes domus.

SCHOLIVM.

Quęſtion. quæ hac diſputatione explicãtur de partib. curæ domeſticę, diſtributio, & quæ ad hũc locũ attineãt, declaratio.

PRÆTER ea, quæ in 2. cap. diſſeruit Philoſophus de domo, eiuſque partibus, ac ſocietatibus; ſunt quædam adhuc Politico diſputandæ quæſtiones de partibus Oeconomiæ, & Oeconomices, hoc eſt curæ, & rationis domeſticæ (ſic enim verto hæc vocabula) quæ curæ domeſticæ partes ſunt omnes item partes domus, licet non omnes ſint ſocietates. Harum quæſtionum quædam ſunt generales, vt illæ: Quot ſint partes curæ domeſticæ, & quæ, & quibus appellandæ nominibus; quibuſque inter ſe differant, & quales ſint, verbi gratia quæ quibus nobiliores: Vtrum ſeruus, mulier, puer ſint participes virtutum, & qualium; & vtrum iſtorum, ac domini, viri, patris, atque in vniuerſum vtrum imperantis, ac parentis ſint eædem, an differentes virtutes: Cuius facultatis ſit, & quę contineat diſputatio perfecta de cõiugali, & de paterna ſocietate: Et ſi quæ aliæ fuerint eiuſdem modi. Quas quidem quęſtiones

hac de

hac de cauſa, quia generales ſunt, tractat Politicus philoſophus potius, quàm Oeconomicus. hic enim verſatur magis in proprijs, ac ſpecialibus. Aliæ non ſolum generales quæſtiones ſunt, ſed etiam de rebus æque ad Politicum, & ad Oeconomicum ſpectantibus, quanquam alia, & alia ratione: nimirum quæ de ſeruis, & quæ de re, ſiue de pecunijs deinceps in hoc 1. libro exponẽtur. Sunt .n. & publici ſerui; & ſunt bona publica, ciuitatiſque; ſicut priuata, ac domeſtica. Vtrunque eſt notum præſertim hiſtoricis, ac iuriſconſultis. In ſecundum etiam accedit teſtimonium Philoſophi infrà in textu 87. & 139. vſque adeo ſubijcientis Politicæ pecuniariam, vt huius facultatis non minus, quàm Oeconomicæ partem facere eam videatur. At Plato in v. Legum de pecuniaria, pecunijsq́;, & bonis tã publicis, quàm priuatis ſermonem habet, legeſque publicas ponit, quaſi hæc maximè ad Politicum attineant. Quoniam verò ſuprà Philoſophus in 2. cap. loquens de domo ad ciuitatem properabat; ad quam omnia, de quibus diſſeritur in his libris, diriguntur; & ex cuius definitione pendent, ac ducuntur cętera; melius putauit, quæſtiones iſtas de partibus domus, quæ ſatis multæ erant, reſeruare, differreque in hunc locum, poſtquã de ciuitate, quæ ibi dicenda fuerant, dixiſſet.

Propoſitio. Caput vij. Textus xxix.

Diſputatio

Dominica. — *Pecuniaria.* — *Coniugalis & Paterna.*

ratio, & pars domus, & curæ, rationiſque domeſticæ.

Cap.viij. Tex: xxxiv. — *Cap.xiv. Tex: lxxiij.* — *Cap.xxviij. Tex: cxl.*

CAPVT

CAPVT VII.

Propoſitio: De quibus deinceps, & cur, & quatenus, & quo ordine dicendum ſit.

Ἐπεὶ δὲ φανερὸν &c. Textus xxix. ad xxxiiii.

ARGVMENTVM. TEXT. XXIX.

De cura domeſtica, ideſt de eius partibus deinceps dicendum eſſe; & cur: nempe quia partes eius eædem ſunt, quæ domus partes; ex domibus autem conſtare omnem ciuitatem iam eſt manifeſtum; & notitia compoſitæ rei pendet ex partium notitia, vt dictum fuit in textu iij. repeteturq; in ſubſequenti. Locus principalis à fine: ideſt vt ciuitatis perfecta notitia habeatur. Locus adiunctus à ſubiecto: nam domus eſt ſubiectum curæ domeſticæ.

Text. xxix. [a] Ἐπεὶ δὲ φανερὸν, ἐξ ὧν μορίων ἡ πόλις συνέστηκεν [b] ἀνάγκη περὶ οἰκονομίας εἰπεῖν πρότερον. [c] πᾶσα γὰρ πόλις ἐξ οἰκιῶν σύγκειται: [d] οἰκονομίας δὲ μέρη, ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσταται.

Elicii ex hoc loco, vt ex textu iij. ſuperiori, et ex xxx ſequenti, qualis ſit rei compoſitę perfecta conſyderatio.

[a] Quoniam autem clarum eſt, ex quibus partibus ciuitas conſtiterit; [b] neceſſe eſt de cura domeſtica prius dicere. [c] omnis nanque ciuitas ex domibus componitur: [d] curæ autem domeſticæ partes ſunt, ex quibus rurſus domus conſtat.

EXPLANATIO.

Sententia huius loci eſt talis: Domum eſſe partem ciuitatis, ex qua ipſa ciuitas conſtat, iam eſt declaratum; & domus iterum alias partes habet, quæ ſunt partes curæ domeſticæ: ergo de cura domeſtica, ideſt de his partibus poſthac exponendum erit: ſiquidem, vt dictum fuit in textu iij. & repetetur in ſequenti, quom de re compoſita quæritur, ad minimas vſque, & ſimpliciſſimas eius partes deuenire oportet quęrendo. Hæc autem ſententia, & argumentatio latius ita explicatur. In vnaquaq; re compoſita conſyderanda, vt perfecta ipſius notitia habeatur, neceſſe eſt partes eius, ex quibus conſtat, & partes partium conſyderare: [a] ciuitas eſt res compoſita: ergo &c. Maior propoſitio nota eſt ex textu primo primi Phyſici, & tertio huius primi Politicorum, & repetetur in tex: proxime ſubſequenti. [a] Minor ſumitur vt poſita, & declarata in ſuperioribus, potiſſimum

Sententia. *Primus ſyllogiſmus.* *Rei compoſitæ conſyderatio perfecta qualis.* *Ciuitas eſt res compoſita.*

mùm in quatuor primis capitibus. quocirca adhibet Philoſophus [a] vocabulum, φανερὸν, ideſt clarũ & manifeſtum. [a] Et addit vocẽ, quoniam, quę ſemper eſt nota rationis, & principij ſyllogiſtici, quale eſt iſtud. [a] Ait autem, ex quibus partibus: quoniam ex vicis, tanquam ex proxima; ex domibus, tanquam ex minus propinqua; ex partibus denique domus, tanquam ex remotiori & minima parte, ciuitas conſtat.

a. clarum eſt.
a. quoniam.
a. ex quibus partibus.

Partes ciuitatis materiales.

Atque ſunt hæc omnia partes ciuitatis in genere materiæ, nam forma eſt poſtea ad hæc adiuncta vel ſocietas perfecta, vel ſumma ſufficientiæ, vel ordo, & coniunctio ex legibus: quæ vniuerſa aut ſeſe inuicem continent, aut idem ſignificant, quemadmodum vidimus ſuprà, præſertim in textu xvj.

Forma ciuitatis.

Homines ſimpliciter non dico nunc eſſe partem ciuitatis; niſi quatenus domum, ſocietatem'ue aliquam efficiunt: quippe aliter aut ſunt apolides, aut nimis remota, & quaſi prima materia. [a] Quoniam verò fuit declaratum, ex domibus primùm vicos, deinde ex vicis ciuitates extitiſſe: hac fortaſſe de cauſa Philoſophus domos indicans poſuit verbũ συνέστηκεν in pręterito.

Homines ſimpliciter an pars ciuitatis.

a. conſtiterit.

Partes ciuitatis, vt cõſiciebatur proximo ſyllogiſmo, ex quibus ipſa conſtat, & partes partiũ conſyderare oportet: [a] domus eſt pars ciuitatis, ex qua domo ipſa cõſtat: ergo & domũ, & partes domus oportet conſyderare. [d] Sed partes curæ domeſticæ ſunt partes domus; [d] ex quibus domus ipſa iterum conſtat, vt ex domibus ciuitas: [b] ergo de partibus curæ domeſticę, & hac ratione de cura ipſa domeſtica oportet conſyderare.

Alter proſyllogiſmus.

Syllogiſmus.

a. e.
d.
d. rurſus.
b.

Sic enim intelligenda eſt hęc concluſio, quæ eſt principalis huius loci: [b] prius dicendum eſſe de cura domeſtica, hoc eſt de partibus eius: quod ex hoc, & ſequẽti textu perſpicuè liquet: [b] & prius de his dicendum, ideſt ſtatim, antequam cætera, quæ ad ciuitatem attinent, pertractentur.

Quò de cura domeſtica ſit dicendum, & prius.

b. de cura domeſtica.
b. prius.
d.

[d] Illam autem propoſitionem, Partes curæ domeſticæ ſunt, ex quibus rurſus domus conſtat; D. Thomas ſic interpretatur: partes curę domeſticæ, ideſt partes domus ſunt, ex quibus domus conſtat. Non probo. nam vt mittam ταυτολογίαν, partes domus ſunt, ex quibus domus conſtat, quaſi dixeris partes domus ſunt partes domus; & curam domeſticam, domumq; non eſſe omnino idem, ſed differre, vt rationem, facultatem'ue, & rem ſubiectam: etiam extinguit vim, & robur ratiocinationis Philoſophi.

Quomodo exponat D. Thomas propoſitionem illam partes curæ domeſticæ ſunt ex quibus domus conſtat.

Duabus nanque propoſitionibus ſyllogiſmus eius principalis conſtat: quarũ vna nõ exprimitur, ſed ſignificatur tantùm verbis textus, De partibus domus deinceps dicendũ eſſe: altera, in qua eſt pręcipua vis, etiam exprimitur, Partes curę domeſticæ eſſe ex quibus domus conſtat, ideſt eſſe partes domus: vnde conficitur propoſitum, De partibus curæ domeſticę deinceps dicendum eſſe. tollit autem interpretatio D. Thomę ſecundam propoſitionem.

Vis rationis huius loci.

Sed ſi ad extremum, dicet aliquis, ſunt eędem partes curæ domeſticæ, quę partes domus: vtrocunque modo exponas, quid refert? aut in quo iuuas Philoſophum? vel ipſe tandem cur ſe inuoluit; mutatque vocabula, accipiens pro partibus domus partes curę domeſticæ? nonne & melius, & apertius, & breuius nos doceret, ſi primum vocabulum retinuiſſet: præſertim quum etiam ſuprà in 2. cap. de domo, eiuſque partibus, ac ſocietatibus dixerit?

Dubitatio ardua.

An verò partes curæ domeſticę, & partes domus hoc modo ſunt eędem; quòd de ſingulis domus partibus ſunt ſingulę partes curæ domeſticæ, nomina ab illis ſumẽtes: ſimpliciter autẽ non ſunt eędem; ſed vnæ ſunt partes rationis, aut facultatis, alterę ſunt partes ſubiectæ rei. Et Philoſopho opus fuit cõmutare nomen domus in nomen œconomia, quod curam, curationemque domeſticam inter-

Partes curæ domeſticæ et partes domus quomodo eædem. Cur Philoſophus partes œconomicæ dicat potius quàm domus partes.

[illegible]mur: propterea quòd ad tres illas ſocietates, parteſq; domus, quarum meminit in ij. cap. additurus eſt quartam, ideſt pecuniariam: quam [illegible] omnes concedent eſſe partem curæ domeſticæ, imò multi eſſe maximam eius partem, quidam ab ea non differre arbitrantur, vt docebit textus xxxij. quia videant cunctos œconomos vehementer in ea occupatos eſſe, & quoſdam præcipuè, quoſdam etiam, ſi Deo placet, ſolùm ac ſemper: negabunt tamen plerique eſſe partem domus; illi præſertim, quibus idem prorſus eſſe videntur domus, & familia, nec quicquam præter familiam ad domus eſſentiam pertinere.

Partes textus quatuor. In prima eſt maior primi proſyllogiſmi. In ſecũda eſt concluſio principalis. In tertia continẽtur ſimul & maior primi proſyllogiſmi, & minor ſecundi. In quarta eſt minor ſyllogiſmi. *Partes textus.*

ARGVMENTVM. TEXT. XXX.

Partes curæ domeſticæ, & omnino domus, de quibus conſyderandum eſt, primæ, ac minimæ, quæ quidem ab omnibus conceduntur, quot, & quæ ſint? quòd tres appellatæ ſocietates; domini, & ſerui; mariti, & vxoris; patris, & filiorum: Cur de illis conſyderandum? quòd quia compoſita omnia cognoſcuntur, perquiſitis antè eorum partibus primis, ac minimis: Et quæ ſint de illis conſyderanda? quòd quid vnaquæq; illarum, & qualis eſſe debeat. Locus à fine, vt in ſuperiori textu.

Text. xxx. [a] Οἰκία δὲ τέλειος ἐκ δούλων, καὶ ἐλευθέρων. [b] ἐπεὶ δ' ἐν τοῖς ἐλαχίστοις πρῶτον ἕκαστον ζητητέον: [c] πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας, δεσπότης καὶ δοῦλος, καὶ πόσις καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα: [d] περὶ τριῶν ἂν τούτων σκεπτέον εἴη, τί ἕκαστον, καὶ ποῖον δεῖ εἶναι.

[a] Domus autem perfecta conſtat ex ſeruis & liberis: [b] quoniam verò in minimis primùm vnumquodque quærendum eſt; [c] primæ autem & minimæ partes domus ſunt dominus & ſeruus, & maritus & vxor, & pater & filij; [d] de his tribus vtique conſyderandum eſſet, quid vnamquanque, & qualem eſſe oportet.

b. idem ſuprà text. 2. & quæ ibi. ſed ex hoc loco ſumit Auctor Oeconomicorum lib. 1. cap. 2. d. quid, et quale. Sumitur ex hoc loco quæ ſint partes perfectæ conſyderationis.

EXPLANATIO.

Qvom diuiditur domus perfecta; cernitur primùm, contineri eam ſeruis, & liberis: at nõ ſunt tamen hæ primæ, & minimæ illius partes, quales initiò ſunt perquirendę in cuiuſque rei compoſitę declaratione: ſunt verò illæ primæ, ac minimæ (quas quidem omnes concedunt) domus perfectæ partes, quæ appellantur ſocietates domini & ſerui, mariti & vxoris, patris & filiorum: quapropter de his tribus erit conſyderandum quid, & qualis vnaquæque ipſarum eſſe debeat. Hæc eſt huius loci ſententia. Porrò autem de partibus domus quærendum eſſe, ſi vellemus perfectam ciuitatis notitiam adipiſci, eueniebat in textu proximè antecedenti ob idipſum, quia ciuitas eſſet res compoſita, & compoſita quidem ex domibus. Inde verò conficiebatur, quoniam domeſticæ curæ partes eſſent partes *Sententia.* *Series textus.*

domus, vt de partibus curæ domeſticę, deque ipſa cura dom[illegible] nomine quæri oporteret. Vbi igitur dixit in exitu ſuperioris te[illegible]meſticæ curæ partes eſſe ex quibus domus cõſtat, ideſt eſſe partes [illegible] ſtatim hîc aperire incipit quę ſint iſtæ partes domus; quæ ſunt ite[illegible] tes domeſticę curationis, & de quibus oportet conſyderare. Domus [illegible] inquit, quę perfecta eſt, ac propriè [illegible] vocabulis nuncupatur, domus, & perfecta; continet ſeruos & liberos: nam, ſi altera pars deſit, vel impropriè vocabitur domus, vel non erit perfecta, vt liquet ex [illegible] quæ annotauimus ad textum IX: repetendumque eſt hoc in loco proxim[illegible] verbum [illegible] textus antecedentis. Non ſunt tamen hæ primæ, & minutæ dom[illegible] partes, quę amplius diuidi nequeãt: imò ne partes quidem illius ſunt vllo pacto; ſi ita ſimpliciter accipiantur, nec qui[illegible]m aliud addatur. Etenim liberorum hominum multi ſunt gradus: quorum quidam efficiunt naturales ſocietates, & tales, quales fieri eſt neceſſarium ad hoc, vt domus ipſa conſtat, & maneat: quidam non efficiunt. Nec inter ſeruos quidem & liberos promiſcuè eſt ſocietas eius modi, cuius indigere diximus perfectam domum; ſed inter ſeruos & dominos. Diuidẽdi igitur, definiendiq; præterea liberi homines ſunt, qui ſunt in domo, hoc modo: quòd vel dom[illegible]t, vel mariti, [illegible] vxores, vel parentes, vel filij. Ex his enim rel[illegible]bus alij inter ſe, bini, & bini, ac domini cum ſeruis iunguntur [illegible] homines tam domus appellari partes incipiunt; treſque illę exiſtunt ſocietates; domini & ſerui; mariti & vxoris; parentum & filiorum; quæ verè ſunt domus partes, conceſſę ab omnibus, primæ, ac minutiſſimę, quæ in alias minutiores ſecari nequaquam poſſunt, & pręter quas nullæ om[illegible]unt ſocietates, ex quibus domus conficiatur. Siquidem quiſquis eſt [illegible] domus; ob idipſum quidem eſt pars domus, quia in aliquam ca[illegible] iſtarum ſocietatum. quicunque verò in vllam cadere, reduci ue pror[illegible] nequit; non eſt appellandus hoc nomine; nec eſt vllo modo pars domus. Exempli gratia iiſdem in ędibus viuentes fratres, aut cõſobrini, quã eiuſmod[illegible], non ſunt primùm, & per ſe partes ſimplicis, ac perfectæ domus, ſed [illegible] ſunt domini, aut viri, aut patres: quã fratres autem, & conſobrini ſecundo loco, & ex accidenti partes domus erunt: fortaſſe etiam per ſe ali[illegible]o modo domus imperfectæ, aut multiplicis. Nepotes item per patern[illegible] ſocietatem, quia nati natorum, non per ſe, & primò in partibus domus numerantur. Cur verò ex nullis alijs ſocietatibus, niſi ex his tribus, domus coaleſcat, duę cauſæ ſunt: vna quòd ſicut domus partim à natura eſt, partim à mente, & voluntate, quemadmodum ſuprà eſt declaratum; ſic ſocietates, ex quibus iungitur, partim naturales eſſe decet, partim voluntarias: ſunt autem huiuſmodi hæ tres tantùm: quandò etiam procreationis filiorum partem ſibi natura vendicat, partem voluntas: cæteræ omnes ex toto vel naturales, vel voluntariæ: naturales ex toto, quæ ſunt aliorum propinquorum; vt fratrem habere totum à natura eſt, nec fuit vnquam in poteſtate eius, qui habet, ſicut fuit in poteſtate parentum vtriuſque: voluntariæ ex toto, veluti quæ ſodalium ſunt, ad quas natura vel nihil, vel parum admodum conducit. Altera cauſa eſt, quam attigit Philoſophus in textu quinto, & ſexto, & nos ad nonum explicauimus: nempe ob duos fines domum inſtitui; quorum alterum, qui eſt vtilitas, & ſalus, per primam ſocietatem, eam, quæ eſt domini & ſerui; alterum, qui eſt perennitas, per ſecundam, mariti & vxoris, & per tertiam, parentum & filiorum,

Liberi & ſerui, & omnino [illegible], quæ appellantur in domo, quemodo partes domus, & quomodo non.

Quę ſocietates ſint partes domus, & quæ non.

Cur hę tres tantùm ſocietates ſint partes domus.

ad quam

ad quam ſecunda dirigitur, & quæ naſcitur ex ſecunda, homines adipiſcantur. Sed de his ſuprà copioſè. [c] Erunt itaque, vt ad rem redeam, ſocietates, & partes domus, curationiſque domeſticæ, quæ ab omnibus conceduntur, primæ, ac minimæ tres; vna ex domino & ſeruo; altera ex marito & vxore; tertia ex parentibus & filijs. [d] Et de his tribus ſanè eſt cõſyderandum. [b] nam vt expoſitum fuit in iij. textu, neceſſe eſt eum, qui de re aliqua compoſita conſyderat, minutiſſimas, ac primas illius partes, quę ex alijs compoſitæ non ſunt, conſyderare: ſunt autem hæ primę, & minutiſſimæ partes domus, quemadmodum dicebamus; &, quia domus, etiam ciuitatis, de qua in his libris ſuſcepta eſt diſputatio. [d] Conſyderandum autem eſt de his tribus, quid vnaquęque earum, qualiſq; eſſe debeat, adhibitis cauſis: quibus duabus quæſtionibus, perfecta cuiuſque rei conſyderatio continetur; & altera ad eſſentiam, & rationem; altera ad affectiones, & conſequentia pertinet. Sic igitur de curatione domeſtica in hoc libro dicetur, quemadmodum in ſuperiori textu propoſitum fuit: vt de tribus eius partibus modò commemoratis, & de quarta, cuius paulopòſt mentio fiet, diſſeratur, quoad inſtitutam de ciuitate conſyderationem iuuare cognitio earum poterit. ſimpliciter autem, & abſolutè alio loco de omnibus illis dicendum erit.

c. | *d. de his trib' vtique cõſyderandum eſſe.* | *b.* | *d. quid vnaquæque, et qualem eſſe oporteat.* | *Quomodo in hoc libro de curatione domeſtica & de eius partibus dicendum, & quomodo non.*

Partes textus quatuor. Prima habet diuiſionem domus, vel familiæ in liberos, & ſeruos. Secunda repetit enunciatum poſitum ſuprà in textu tertio. Tertia exponit partes domus primas, & minimas, quæ ab omnibus conceduntur. Quarta concludit, de his conſyderandum eſſe; &, quæ conſyderanda ſint, docet.

Partes textus.

SCHOLIA.

Domus autem perfecta. Diſtinximus ſuprà in nouo commentario domum, quæ propriè dicitur ab ea, quæ dicitur impropriè, & ab imperfecta perfectam: cuius perfectæ tres formas fecimus, perfectam, perfectiorem, perfectiſsimam. Has omnes formas perfectæ domus intelligit hic Philoſophus, quom ait, *domus perfecta*, præcipuè tamen mediam, quam perfectiorem appellauimus. Quidam, hunc locum perpendentes, putant non eſſe domum perfectam, niſi quæ habeat cum alijs duabus ſocietatibus etiam ſocietatem parentum & filiorum. Sed rationes, quibus vtuntur, oſtendunt ſolùm eſſe perfectiorem domum in qua adſit; non autem eſſe imperfectam, in qua nondum adſit eiuſmodi ſocietas. Etenim ſtatim ac prolem vir & vxor ſuſceperunt, iam adepti ſunt, quod ad ſe attinet, perpetuitatis finem, cuius cauſa iungitur matrimonium: nec tamen inter fœtum & parentē propriè ſocietas dicitur, nec prius fortaſſe, quàm puer vſum rationis acceperit. Et antequam ſuſcipiāt prolem primis coniugij diebus non vocantur ſteriles, aut homines imperfecti, quaſi facultate generandi, & relinquendi alios ſibi ſimiles deſtituerentur.

Domus forma varia & quã hic Philoſophus intelligat. | *An ſit domus perfecta ſine paterna ſocietate.* | *Eſt d. de Regim. princ. lib. ij. p. 1. cap. 6.*

Ex ſeruis & liberis. Si omnia complecti volumus, ſic diuidemus, vt diuidit etiā Auctor primi Oeconomici. Domus perfecta & œconomia, id eſt curatio domeſtica, re, & hominibus cõtinetur. Rem appello bona, & facultates, quarum eſt quæſtus, poſſeſsiò, vſus in domo. hæc efficiunt quartam domus, & domeſticę curæ partem, de qua poſtea. Homines aut liberi ſunt aut ſerui Liberi, vt ſuprà dicebamus, vel domini ſunt, qui cum ſeruis efficiunt ſocietatē, & partem primam domus perfectæ; vel mariti & vxores, qui ſecundam; vel parentes, & filij, qui tertiam. Verumtamen Philoſophus ordine vtens naturali, ac doctrinæ maximè accommodato; primùm proponit tres primas partes, quæ ab omnibus conceduntur: deinde paulò poſt quartam adiunget; de qua dubitatur, ſit necne pars domus.

Partes domus.

Expoſitio propria huius propoſitionis. Expoſitio D. Thomæ.

In minimis primùm vnumquodque quærendum eſt. Ideſt, vt nos expoſuimus, in rei cuiuſque, quæ partes habet, conſyderatione partes primæ, & minimæ ab initio quærẽdæ ſunt. Et eſt enunciatũ poſitum ſuprà in 3. textu. D. Thomas ſic interpretatur: Vnunquodque, quod in multis conſyderari poteſt, primò quærendum eſt in paucioribus, & ſimplicioribus, vt facilior ſit doctrina.

Perſonæ, ex quibus domus conſtat, quomodo partes domus et quomodo non.

Quatuor tantum perſonæ ſunt, licet tres ſint ſocietates, ſexq; ex his relationes ac nomina perſonarum.

Primæ autem, & minimæ partes domus ſunt dominus & ſeruus &c. Hæc ita ſunt accipienda, vt diximus ſuprà. Perſonæ domus, non ſinguleç per ſe ſingulas eius partes conſtituunt, vt dominus per ſe, & ſeruus per ſe: ſic enim ſex, non tres, vt Philoſophus concludit, partes domus eſſent: ſed conſtituunt partes, ſocietateſque, quæ ſunt eiuſmodi partes veræ, ac proximæ, quatenus ad ſe referuntur; dominus & ſeruus vnam; alteram maritus & vxor; tertiam parentes & liberi. Quum vero tres ſint ſocietates, & partes, ſexque hac de cauſa relationes, ac nomina perſonarum: non tamen ſex ſunt perſonæ, ſed quatuor ſolum. ſiquidem maritus, pater, & dominus eadem perſona eſt: rurſusq; eadem vxor, & mater.

Partes domus. Ecce hic vocabulo non œconomiæ, de qua tamen concluſerat eſſe diſſerendum, ſed domus vtitur Philoſophus: quandò omiſſa pecuniaria, tres tantùm partes proponit ab omnibus conceſſas. Contrà verò quotieſcunque de pecuniaria poſthac mentionem faciet, quærens, ſtatuens'ue aliquid de ea; nunquã domus, ſemper curæ, aut rationis domeſticæ partẽ ipſam nominabit. Quibus cõfirmatur id, quod dicebamus in ſuperiori cõmentario.

Vocabulorum quorundã conſyderatio.

Maritus & vxor: Græca vocabula ſunt πόσις, καὶ ἄλοχος: quæ propriè ſignificant matrimonio nuper cõiunctos, ideſt recentem maritum & nouam nuptam ita, vt nondum filios ſuſceperint. Hæc autem vſurpat Philoſophus quaſi diſtinguens alteram ab altera ſocietate: ne, ſtatim ac ſecunda eſt, putemus tertiam eſſe oportere. Et hic quidem propriè maritum, & vxorem: nam de hominibus loquitur, & de matrimonio. ſuprà autem in textu quinto, & poſterioribus naturalem ſocietatem ſimpliciter, quæ etiam belluis communis eſſet, quærens, marem, & fœminam dicebat.

Cur patrẽ ſolum nominat.

Pater & filij. Cur ſolum nominat patrem, ſi ad matrem quoque filij referuntur? Fortaſſe quia græcè πατὴρ ſumitur interdũ ἀντὶ τοῦ γονέως, & ſignificat idem, quod latinè parens, Vel vt indicet patris nobilitatem & vim in generando multo præſtantiorem eſſe, quàm matris: quæ ex Peripateticorum ſentẽtia materiam tantùm præbet ad fœtum.

ARGVMENTVM. TEXT. XXXI.

Nomina harum trium ſocietatum, ſeu partium domus, & curationis domeſticæ: nempe vnam dominicam, alteram coniugalem, tertiam paternam appellatum iri; græcorum tamen vocabulorum ſecundo detorto, tertio confiсto à Philoſopho.

Text. xxxi.

[a] Ταῦτα δ' ἐστὶ δεσποτική, [b] καὶ γαμική, [c] ἀνώνυμον γὰρ ἡ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς σύζευξις, [d] καὶ τρίτον τεκνοποιητική, [e] καὶ γὰρ αὕτη οὐκ ὠνόμασται ἰδίῳ ὀνόματι.

[a] Hæ autem ſunt; dominica; [b] & coniugalis, græcè γαμική, [c] nomine enim vacat mulieris viriq́ue coniugatio; [d] & tertia paterna, græcè τεκνοποιητική, [e] nam ne hæc quidem nominata eſt proprio nomine.

c. & e. hunc ſume qua ſe inſta cauſam minime nondũ dorum, aut traſferendorum.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Ter binas in domo perſonas efficere tres partes, aut potius relationes, & nomina perſonarum efficere tres partes, de quibus non dubitaretur, primas, ac minimas ipſius domus, curęq; domeſticę dictum eſt in textu ſuperiori. His igitur partibus, vt aptè, accommodateq; tum ad intelligentiam, tum ad breuitatem nominari poſſent; certa quædam nomina danda erant. quod nunc Philoſophus præſtat. Et ſanè ei de vſu vocabulorum ſui temporis teſtimonium reddenti fides adhibenda eſt. Quare enim mendacium diceret? & id mendacium, cuius illico coargui poterat? a [a] E tribus nominibus primum, quod eſt δεσποτική, indicat in vſu fuiſſe ad hanc ipſam rem ſignificandam, quę eſt pars domus, & ſocieta[illegible] domino & ſeruo. b [b] Secundum nomen eſt γαμική: quod pari verbo latinè redderetur nuptialis. Hoc ait in ſecunda ſocietate, & parte domus maritum vxoremque continente vti oportere: c [c] propterea quod nomine ſuo proprio vacet apud Gręcos coniugatio mulieris & viri, quam Latini duobus appellant matrimonium, atque coniugium. vnde Cicero exclamaret lætus, vt aliquando ſolet, de maiori latinę, quam græcę linguæ vbertate. γάμος enim, gręca vox, nuptias propriè, & initium coniugij ex ſua origine ſignificat: inde verò deflexa, tractaque eſt ad coniugium ſimpliciter ſignificãdum. Nec σύζυξις aut συζυγία propria ſunt matrimonij, quod eſt viri & mulieris certo quodam modo coniugatio, ſed coniugationis, coniunctioniſq; omnis, & quarunuis rerum communia vocabula. Itaq; nos rem magis, quàm verbum exprimere cupientes coniugalem vocamus hanc ſocietatem, quàm Philoſophus cum alijs fortè ſui temporis, nam ex hoc loco iſtud non liquet, γαμικήν, ideſt nuptialem appellauit. d [d] Tertium vocabulum tertiæ ſocietatis finxit Philoſophus τεκνοποιητικήν; à vi, & officijs parẽtum, quę potiora, quàm fi[illegible]orum eſſe videntur, appellationem ducens. ποιεῖν .n. gręcè, vt efficere latinè, multa ſignificat. quocirca non ſolum generare filios eſt τεκνοποιεῖν, ſed etiam perficere eos ed[illegible]ndo, & inſtituendo. e [e] Ait ſe formaſſe hoc nomen ad nuncupandam hu[illegible]odi ſocietatem, ea de cauſa, quæ fuit, eritq; ſemper cauſa iuſta, & n[illegible]ia nominum nouandorum, præſertim in diſciplinis: nimirum quoniam nullum extabat proprium nomen, quo illa nuncuparetur. proinde aut detorquendum, quemadmodum in ſuperiori ſocietate factum eſt, nomen aliquod propinquum, quod difficilius fortaſſe, obſcuriuſq;, nec tam aptum fuiſſet aut nouum confingendum erat. Voces ἡ παιδοποιΐα, καὶ ἡ τεκνοποιΐα, quibus Plato, & Xenophon ad denotandam procreationem liberorum vtuntur, forſitan non placuerunt ob hanc ipſam cauſam, quia ſoli procreationi aſſignatæ fuerant; & quia actionem ipſam potius, quàm rationem agendi nobis repręſentant: rationem autem nunc volumus in primis, quæ omnia comprehendat, nòn actionem ſolam: & ratio demonſtrari ſemper ſolet apud Gręcos nominibus in κὴ deſinentibus, γραμματική, φιλοσοφική, & reliquis. Minus etiam placere debuit ἡ παιδοποιΐα, quàm altera: quoniam παῖς, à quo ipſa deriuatur, vox ambigua eſt, vt puer latinè; ſignificatq; magis, quàm filium, eum, qui eſt puſillæ ætatis, & ſeruum, ac miniſtrum omnem. Τὸ πάτριον verò, καὶ τὸ πατρικόν, quę nomina deſcendunt à patre, quanuis Philoſophus vtetur hoc ſecundo infrà in textu 140. fortè magis deſignant ea, quę à parentibus, patriaque habemus quaſi hæreditaria, quam vel parentum in filios, vel

Series textus.

De vſu vocabulorum ſui temporis credendum eſt cuique.

δεσποτική.

γαμική.

Matrimonium quod duobus nominibus à Latinis appellatur, apud Græcos nullum habet nomen. Latina lingua vbertas.

Cicero pariſſimũ in Tuſculanis.

γάμος.

σύζυξις καὶ συζυγία.

Cur γαμικὴν coniugalem [illegible].

τεκνοποιητική.

ποιεῖν.

Nominum nouandorũ cauſa iuſta.

ἡ παιδοποιΐα.

ἡ παιδοποιΐα, καὶ ἡ τεκνοποιΐα.

τὸ πάτριον, καὶ τὸ πατρικόν.

filiorum

Paternum. filiorum in parentes actiones, & habitudines. Paternum apud nos latius patet, videturq; ſatis congruenter in hanc ſocietatem accommodari.

Sententia textus. Sed, age, ſummam, ſeu ſententiam huius loci paucis comprehendamus. Has partes domus, curęq; domeſticę primas, ac minimas, quę ab omnibus conceduntur, ita appellamus: eam, quę ex domino ſeruoq; fit, dicimus dominicam, gręcè δεσποτικήν, antiquo, & proprio vocabulo: alteram, quæ ex marito & vxore, gręcè γαμικήν, latinè ad verbum nuptialem; quod nomen tam latinè, quam græcè ab initio coniugij deflectitur in totum coniugium; itaque melius nos vocamus coniugalem: tertiam, quæ ex filijs & parentibus, quum apud Græcos ea ætate nomen proprium non haberet, nominauit Philoſophus τεκνοποιητικήν, quaſi effectricem filiorum dixeris; noſtri ſatis commodè paternam vocant.

ARGVMENTVM TEXT: XXXII.

Pars quædam alia, præter tres expoſitas, de qua ambigitur, domeſticæ curæ, & domus: nomen eius; pecuniariam vocari: controuerſiæ capita; videri quibuſdam eſſe totam domeſticam curam, quibuſdam maximam illius partem, vnde etiam intelliguntur contrariæ ſententiæ: quidque conſyderandum; nempe quemadmodum hæc res ſe habeat.

Text: xxxij. [a] Ἔστωσαν δ' αὗται τρεῖς, ἃς εἴπομεν. [b] ἔστι δέ τι μέρος, ὃ δοκεῖ τοῖς μὲν εἶναι οἰκονομία. τοῖς δὲ μέγιστον μέρος αὐτῆς: [c] ὅπως δ' ἔχει, θεωρητέον. [d] λέγω δὲ περὶ τῆς καλουμένης χρηματιστικῆς.

[a] Sint autem hæ tres, quas diximus. [b] ſed eſt quædam pars, quæ alijs quidem videtur eſſe cura domeſtica, alijs vero maxima ipſius pars. [c] quo modo autem res ſe habeat, conſyderandum. [d] loquor autem de ea, quæ appellatur pecuniaria. — b. c. quibus in tex: 74 &

EXPLANATIO.

Partes curæ domeſticæ tres certæ, vna dubia. [a] EXPOSITÆ iam ſunt tres partes, primæ, ac minimæ domus, & curationis domeſticæ: certaq; iis reddita nomina, quibus appellari debent. Has igitur fixum, conſtantemq; ſit eſſe tales partes domeſticæ curæ, & domus: nec inutiles de re exploratiſſima quæſtiones nectamus; quando hoc quidem inter omnes conſtat. ſed eſt præterea alia quædam pars, [d] nomine pecuniaria, [b] quæ in controuerſiam cadit: quidam enim eſſe eam ipſammet vniuerſam curationem domeſticam; [b] quidam, ſi non ipſam curationem domeſticam, ſaltem maximam ipſius partem arbitrantur. Contra quos alij exiſtimant nec curationem domeſticam, nec partem eius vllam eſſe hanc pecuniariam; ſed miniſtram, & quaſi appendiculam quandam, aut adiumentum illius. De qua controuerſia, quæſtionibusque, quibus continetur, poſtmodum diſceptandum; &, in ea diſceptatione, cætera quoque ad eandem pecuniariam attinentia, quæ propoſito noſtro conducere videbuntur, expromenda, & declaranda erunt.

a. — b. ſed eſt quædam pars. — d. — b. quæ alijs quidem &c. — b. alijs vero &c. — ex b. — c.

Partes textus. Textus habet quatuor partes. Prima dimittit, & ſtatuit pro certo, & confeſſo tres, quæ expoſitæ ſunt, eſſe partes domus, ac curationis domeſticæ.

ticæ. Secunda alius cuiuſdam partis mentionem facit, quę eſt controuerſa: & capita controuerſię tangit. Tertia, quid de parte hac in primis conſyderandum ſit, proponit. Quarta tradit nomen huius partis controuerſæ.

SCHOLIA.

Sed eſt quædam pars &c. Pecuniaria æque pertinet ad politicum, & ad œconomicum, vt antea diximus. Ratio, cur ad vtrunque pertineat, ſumitur ex indigentia, & neceſsitate vitæ noſtræ: quam rationem tanget Philoſophus in textu 36. & ſequentibus. proponitur enim cùm politicæ, tum œconomicæ hic finis, qui eſt beneuiuere: ſine re autem, idest ſine [illegible] onis, & facultatibus, quarum eſt pecuniaria, & quæ hac de cauſa res neceſſariæ appellantur, [illegible] viui quidem poteſt, nedum bene viui. *In ſcholio generali huius diſputationis.* *Pecuniaria pertinet æque ad œconomicum, & ad politicum.*

Quæ alijs quidem videtur eſſe &c. Cauſam harum duarum ſententiarum, quarum vna ipſam curationem domeſticam, altera partem ipſius maximam eſſe pecuniariam ait; attigimus ſuprà in commentario 29. & infrà in 74. & 108. & alibi fuſius explicabimus. Sed vnde [illegible] qui eti[illegible] putarunt non eſſe eam curam domeſticam, neque [illegible] curæ domeſticæ, [illegible] ndiculam, & miniſtram [illegible] quæ eſt reliqu[illegible] ten tia falſa, & contr[illegible] duabus, hacque de cauſa, t[illegible] iam ex il[illegible] s intelligēda, prætermiſſa à Philoſo[illegible] quum ſit tamen præcipuum caput dubitationis, atque theorematis huius loci: [illegible] ci poteſt hanc tertiam ſententiam inde originem traxiſſe; quòd pecuniaria multas formas habet: quarum quædam, quæ [illegible] ſunt, [illegible] ter naturam, nullo modo ponendæ ſunt partes curæ dom[illegible] cæ, vt Philoſophus poſtea docebit. Continet itaque hæc cōtrouerſia de genere pecuniariæ [illegible] es ſummas quęſtiones. primum in diſceptationem venit, vtrum pecuniaria [illegible] ipſa domeſtica cura, an non. deinde, ſi non eſt ipſa domeſtica cura; vtrum ſit, an non ſit pars eius. tertiò, ſi non eſt eius pars; vtrum ſit vllo modo ipſius appendix, & miniſtra. Duarum autem [illegible] riorum quæſtionum, quas infrà in vnam retrahemus; vtraque ſcindi[illegible] binas. nam, ſi eſt miniſtra; quæ[illegible] itur cuius modi miniſtra ſit, vtrum qua[illegible] am, an quaſi inſtrumenta [illegible] & ſi fuerit pars; vtrum [illegible] t maxi[illegible] pot[illegible] pars, an non po[illegible] em, ſed tamen par[illegible] q[illegible] ſola eſt vera ſenten[illegible] um de[illegible], & al[illegible] dem generis infrà copioſius. Sicut autem in diſputatione de domo ambigitur, quo pacto ſe habeat pecuniaria ad œconomicen: ita ambigi ur in diſputatione de ciuitate, quo pacto ſe habeat ad politicen, vt poſtea videbimus. *potiſſimum in cap. 23.* *In commentario 74.* *tex 74. & in.* *Controuerſia hac de genere pecuniaria quot et quibus quæſtionibus continentur.* *Varia ſententia de genere pecuniaria, & earum cauſa.*

Alijs quidem videtur eſſe cura domeſtica. Xenophon inter alios ſequi hāc ſententiam videtur. nam in œconomico ita definit œconomiam, idest curam domeſticam, Oeconomia eſt ſcientia, qua homines amplificare οἶκους poſſunt: οἶκον autem à ſe vocari ait vniuerſam κτῆσιν: & κτῆμα eſſe quicquid vnicuique ad vitam conducit. Niſi ille τὸ ὠφέλιμον, idest quod vtile eſt, & conducit, multo latius accipiat, quam nos faciamus. *Xenophon ſequi videtur primam ſententiam.*

Quomodo res ſe habeat. Ideſt quid ad extremum de hac re tenendum ſit: ſit'ne, an non ſit pars, & qualis pars. In diſceptanda autem hac controuerſia ſimul exponet Philoſophus de formis pecuniariæ, & de natura, conditionibusque cuiuſque formæ, ac de aliis, quæ inſtituto ſuo vtilia exiſtimabit. *Qualis diſceptatio de pecuniaria.*

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: XXXIII.

De qua primùm harum quatuor partium domeſticæ curæ ſit dicendum; quòd de dominica: Et cur de hac omninò dicendum, cauſæ duæ; vna τῆς πράξεως, ad vſum neceſſarium; altera τῆς εἰδήσεως, ad perfectiorem de hac parte doctrinam, quàm tempore Philoſophi haberetur.

Text. xxxiij. Πρῶτον δὲ περὶ δεσπότου καὶ δούλου εἴπωμεν: [b] ἵνα τά τε πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρείαν ἴδωμεν: [c] κἂν ὅτι πρὸς τὸ εἰδέναι περὶ αὐτῶν δυναίμεθα λαβεῖν βέλτιον τῶν νῦν ὑπολαμβανομένων.

Primùm autem de domino & ſeruo dicamus: vt & * hæc ad neceſſarium vſum ſciamus: &, ſi quid ad cognoſcendum de ipſis deprehendere poſſemus, melius, quàm ſint, illa quæ nunc exiſtimantur.

* τά, hæc, vel quæ.

E X P L A N A T I O.

Sententia huius textus.

DICEMVS autem primùm, inquit Philoſophus, de ea parte, quæ appellatur dominica, continetque dominum, & ſeruum. Ex qua diſputatione duplex fructus capietur: vnus, quòd perſpectis ijs, quæ de hac parte tradentur; multo melius ſeruis, quorum miniſteria planè ſunt neceſſaria, vti licebit, laudabiliusq́; ſeſe gerere in reliqua conſuetudine, & muneribus vitæ quotidianæ: alter, quod fortaſſè aliquid in medium afferemus, vnde perfectiùs hæc pars cognoſcatur, quàm ex illis, quæ in hodiernum diem creduntur. Hæc eſt ſententia huius loci, cuius ſequitur explanatio.

Cur prius de dominica ſocietate quàm de alijs partibus curæ domeſtica dicendum ſit.

In ſcholio generali huius diſputationis.

[a] Ante alias partes dicendū eſt de dominica, quæ ſeruum, dominumque, & quæcunque ad hos ſpectant, naturas, iura, habilitates, officia, comprehendit. Cur prius de hac parte dicendum ſit, Philoſophus non explicat: nos tamen attigimus ſuprà. Nam ſi politicæ & œconomicæ cōmunes quæ partes ſunt dominica, & pecuniaria: duplici nomine hæ ante alias tractandæ erunt; & quia illis communiores; & quoniam attinent etiam propriè ad politicum. Dominica verò priùs, quàm pecuniaria, propterea quòd eſt quodammodo pars pecuniariæ, & in pecunijs ſerui comprehendūtur, vt poſtea videbimus. Plurimum enim intereſt, vtrum de toto, an de communi aliqua re ſit diſputandum. Magis communia antecedunt minus communibus ex præfatione lib. de naturali Auditu, & ex initio primi de Partibus animalium: tota poſt partes exponi debent ex textu iij. & xxx. huius libri, & alijs locis. Accedit, quòd etiam dominica eſt præſtantior, & illuſtrior, & doctrinæ breuioris, facilioriſq́;, quàm altera. [b] Sed quare ſimpliciter de ea dicendum ſit, duas cauſas affert Philoſophus, exponens vtilitates duas, quæ ſequentur. Prima cauſa, & vtilitas eſt vſus, & πρᾶξις. Quippe ſerui operæq́; ſeruorum omnino neceſſariæ ſunt ad vitam, vſusq́;, & indigentias vitæ tam vrbanas, quàm ruſticas. Ipſi ſunt qui præparant nobis, qui inſtruunt, qui poliunt, qui exornant, qui miniſtrant ea, quibus alimur, quibus veſtimur, in quibus habitamus, menſas, cubilia, omnem ſupellectilem, iumenta omnia, nec ſolùm quātum ſatis eſt ad viuendum, & ad commodè quidem, iucundeq́; viuendum, ſed vſque ad luxuriam. Ipſorum denique miniſterio, procurationeq́; contineri pecuniæ, ac diuitiarum

Ordo doctrinæ in totis, & in rebus magis cōmunibus cōtrarius.

Primo de Partibus animalium cap. 2.

Cur dicēdum de ſocietate dominica. Prima cauſa. Seruorū vſus & opera.

tiarum vis omnis videtur: quæ quanta ſit, & quàm vehemens imperium habeat in res humanas, nemo ignorat. Quid enim prodeſſe diuitiæ, quo ue pacto acquiri, aut conſeruari poſſent ſine ſeruis? In cunctis igitur his vſibus vitæ, tam neceſſitatis, quos hîc vocat Philoſophus *ἀναγκαίας χρείας*, & in textu vj. vocabat *τὴν σωτηρίαν*, quàm commoditatis, aut etiam voluptatis gratiâ expetitis, cognoſcentes hæc, quæ ad partem dominicam, ideſt quę ad ſeruos, & dominos attinent, melius vtemur ipſis ſeruis tum ad noſtram, tum ad eorum vtilitatem, tum ad munerum, quorum ipſi miniſtri ſunt, perfectionem, & decus: atque hęc munera pręterea, ſi quando vel pro ſeruis parendum, vel pro dominis imperandum fuerit in reliqua vitæ conſuetudine aut priuatè cum amicis, aut publicè cum ciuibus, & magiſtra-

In lib. vij. cap. 14. tibus, vt nonnunquã incidunt tempora, & cauſę, quod tangitur in lib. vij; aptiùs laudabiliùſque obibimus.

c. [c] Altera cauſa, & vtilitas eſt cognitio, & doctrina: vt ſcilicet doctrina hæc de ſeruis & dominis plenè; cumulateq; traderetur. *Secunda cauſa.* Etenim quæcunque ab alijs vſque ad Philoſophi noſtri tempora de hac parte excogitata fuerant, quęq; illis ipſis temporibus celebrabantur; non talia erant, qualia debebant, ideſt non vera, & perfecta: ſed multum deerat ad perfectionem. quamobrem Philoſopho, vniuerſum diſciplinarum orbem detergenti, exornantiq;, elaborandum fuit, vt hanc etiam partem abſolueret, detractis inanibus, & in eorum locum ſubſtitu-

b. c. tis melioribus. Hęc eſt vna huius loci explicatio, quam magis probo. [b] Altero modo exponi poſſet, duas eſſe cauſas futurę diſputationis: quarum *Altera expoſitio.*

b. vna ſit ſcientiæ, exercitationis altera. [b] Scientiæ causâ habẽdam eſſe hanc diſputationem, vt percipiamus ea, quę pertinẽt ad vſum vitæ neceſſarium (ſic enim vertẽdus eſſet articulus, *τὰ*, in illis verbis, *ἵνα δέ, ἢ πρὸς τὴν* &c. non amplius in pronomen demonſtratiuum, hęc, quemadmodum vertebatur expoſitione prima, *vt hæc ad neceſſarium vſum ſciamus,* ſed in relatiuum, quę, *vt ea, quæ ad neceſſarium vſum pertinent, ſciamus*) in quibus pertinentibus ad neceſſarium vſum vitæ non vltimũ locum tenet hęc pars de ſeruis, & dominis.

c. [c] Exercitationis item causâ eſſe habendam hãc diſputationem: ideſt experiri, & quaſi exercere ſeſe in hoc genere philoſophandi, & in hac doctrina ſeruorum ac dominorum Philoſophum velle, exquirendo ſi quid melius inuenire poſſet, quàm eſſent illa, quę tunc temporis in opinionibus hominum hærebant, & ſermonibus terebantur.

Partes textus tres. In prima eſt concluſio. In ſecunda, cauſa prior. In tertia, poſterior. *Partes textus.*

Textus XXIX.

*

Dominica ratio, pars domus, & curæ, rationisq́; domeſticæ.

|

CAPITA SEX AB OCTAVO AD XIIII.

De domino, & ſeruo, ſeu de dominica ratione, prima parte domus, ſeu curæ, vel rationis domeſticæ.

τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ ἐπιστήμη τέ τις εἶναι &c. Text: XXXIV. ad LXXIII.

SCHOLIVM.

Vocabulorum domini, dominij, & dominandi ſignificationes et relationes variæ.

HOC vocabulum, dominus, eiusque coniugata, dominium, & dominari interdum fusè, interdum anguſtè; & anguſtè, interdum propriè, interdum impropriè capiuntur: atque omnibus his modis ſunt relatiua ex actu & poteſtate, ſiue ex effectione & perpeſsione; quod eſt ſecundum genus relatiuorum in tex. cõment. 20. v. Poſtnaturalium. Si fusè, proprieque accipiantur, quo ſignificatu etiam Deus dicitur dominus omnium, referuntur ad omnes res, cuiuſcunque generis, & modi, quæ dicuntur eſſe in bonis, ideſt quarum poteſtatem ſic quiſpiam habet, vt illas appellet ſuas, & tradere alij, profundere, ac perdere penitus ſuo arbitratu queat. Si ſumantur anguſtè, & propriè, referũtur ad certum quoddam illarum genus, quo ſerui continentur. Omnino enim rerum, quæ ſunt in bonis, & quarum eiuſmodi habemus poteſtatem, tria ſunt genera: quorum primum numos, & prædia, & oẽs deniquè res inanimas, ac plantas, quæ noſtræ dicuntur, cõprehendit; ſecundum bruta animalia; tertium ſeruos. Ad hoc tertium genus, ideſt ad ſeruos referuntur ſumpta propriè, anguſteq́; domini, & dominij, & dominandi vocabula: vnde exiſtit prima pars curę domeſticę, de qua diſſeritur in his capitibus, octauo, nono, decimo, vndecimo, duodecimo, decimotertio. Ad omnia verò referuntur

eadem

eadem vocabula propriè iterum, ſed fuſiùs accepta, quàm in ſuperiori ſignificatu acciperentur: creantque quartam partem eiuſdem curæ domeſticæ, quam explicabunt capita ſequentia à decimotertio ad vigeſimumoctauum. Impropriè tandem, & anguſtè domini vocantur aliquando, qui liberos regunt; & qui reguntur ſubiecti: inter quos eſt mutua relatio. ſed quod improprium eſt, in diſputationem venire non debet: nec his deſunt nomina propria, quibus aptè nuncupentur. Hic itaque preſsè, & propriè iſtis vocabulis cum Philoſopho vtemur. Etiam ſeruitus, & ſeruire quatuor modis dicuntur. Vnus modus eſt hominis ad hominem, faciēs propriè ſeruos, qui dominis propriè, preſſèq; ſumptis opponuntur. hoc modo frequentius Philoſophi, vulgusq; has voces vſurpant; & nos in hoc capite vſurpabimus. Alter eſt modus hominis ad rem, ſeu prædium, vel ad opus, vt colonorum, & eorum, qui dati in metallum, aut opus metalli ſerui pœnæ à iuriſconſultis vocantur. Tertius modus eſt rei ad hominem: quo genere continentur habitatio, vſus, vſus fructus. Nouiſsimus eſt rei ad rem: cuiuſmodi ſunt ſeruitutes prædiorum. De quibus omnibus modis valde multa iuriſconſulti.

Vocabulorum ſeruitutis & ſeruīēdi ſignificationes & modi.

De ſeruo ac domino, & omnino ratione dominica.

- *Sententia dua falſa.* Cap. viij. tex: xxxiiij.
- *Fundamentum totius diſputationis.* Cap. ix. tex: xxxvi.
- *Secundæ ſententiæ diſquiſitio.*
  - *Approbatio trium theorematum aientium.* Cap. x. tex: xliiij.
  - *Quatenus verum attingant oppoſitorum theorematum aſſertores.* Cap. xi. tex: lvij.
  - *Concluſiones ſeptē ex duob. capitibus proximè antecedētibus.* Cap. xij. tex: lxv.
- *Primæ ſententiæ confutatio.* Cap. xiij. tex: lxvi.

CAPVT VIII.

Sententia dua falſa de dominatione, & domino & ſeruo.

Τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ &c. Textus XXXIIII. & XXXV.

SCHOLIVM.

HIc verè fuit mos Ariſtotelis penè perpetuus, vt ſententias veterum, præſertim diuerſas, & contrarias, quæque ipſius ætate magis celebres forent, antè proponeret, quo comparãdo inter ſe eas, excutiẽdoque, quicquid ſtabilis, firmiq; continerent, ſumeret, ſibiq; hoc modo viam ſterneret ad veritatem.

ARGVMENTVM. TEXT: XXXIIII.

Prima ſententia duarum partium: vna pars, dominationem eſſe ſcientiam quandam: altera, ex hoc, quia ſcientia ſit, eſſe ipſam, & curam domeſticam, & ciuilem, ac regiam rationem planè idem.

Tex: xxxiiij. [a] Τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ ἐπιστήμη τέ τις εἶναι ἡ δεσποτεία· [b] καὶ ἡ αὐτὴ οἰκονομία, καὶ δεσποτεία, καὶ πολιτικὴ, καὶ βασιλική. [c] καθάπερ εἴπομεν ἀρχόμενοι.

[a] Nam porrho quibuſdam videtur ſcientia quædam eſſe ipſa dominatio; [b] eademque eſſe cura domeſtica, & dominatio, & ratio ciuilis, & regia, [c] quemadmodum diximus incipientes. *c. in tex. 4.*

EXPLANATIO.

Virtutes et rationes omnes actuales Socrates quomodo ſcientias.

Rationes actuales omnes Socrates quomodo vnam.

OMNES virtutes, omnesque rationes eſſe prudentias, & omnes prudentias ſcientias Socrates dicebat: de qua re in primo Magnorum naturalium. Vnam verò, atque eandem eſſe ſcientiam vtendi hominibus, & ijs imperandi, quoniam idem genus ſubiectum, idem finis, eadem muneris functio, atque eadem principia eius generis eſſent, arbitrabatur, quemadmodum

modum in ij. commentario expoſitum fuit. Vnde eueniebat curam domeſticam, & rationem dominicam, & ciuilem, & regiam, quarum vnaquęque ad vtendum, & imperandum hominibus nos idoneos reddit, minimè inter ſe differre formâ, ſed quibuſdam materię accidentibus tantùm. Refellet Philoſophus hanc ſententiam infrà in cap. xiij. Et nos ibi de differentijs iſtarum rationum iterum aliquid dicemus.

SCHOLIA.

Ipſa dominatio. τὴν δεσποτείαν dominatum, & dominationem cum Aretino interpretamur; ſic tamen, vt ſignificent hæc vocabula rationem dominicam. quo ſenſu etiam P. Victorius facultatem heri, & rationem herilem dixit: Calcagninus domini functionem. Vetus interpres in explanatione D. Thomæ videtur legiſſe δεσποτικὴν, ideſt dominica. *Dominatio quid hoc loco.*

Eademque eſſe cura domeſtica, & dominatio &c. Differt dominatio à ratione domeſtica, vt pars à toto; ab vnaquaque aliarum, vt ſpecies à ſpecie, vel vt pars ſpeciei ab alia ſpecie. *Differentia dominationis ab alijs.*

ARGVMENTVM. TEXT. XXXV.

Secunda ſententia trium partium: quarum vna non naturâ, ſed lege duntaxat eſſe dominos & ſeruos: altera, ob hoc ipſum eſſe dominari pręter naturam, & hac de cauſa violentum, quod ſine damno prorſus eſſe non poteſt: tertia, ex hoc, quòd præter naturam, violentumque, ac damnoſum ſit dominari etiam iniuſtum eſſe. Loci tres; vnus à ſubiectis; alter à diuiſione, quibus duobus infertur ſecunda pars ex prima; tertius à contrarijs, & definitionibus contrariorum, quo infertur tertia pars ex ſecunda.

Text. xxxv. [a] Τοῖς δὲ παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν· [b] νόμῳ γὰρ, τὸν μὲν δοῦλον εἶναι, τὸν δ' ἐλεύθερον. φύσει δ' οὐδὲν διαφέρειν· [c] διόπερ οὐδὲ δίκαιον. [d] βίαιον γάρ.

[a] Alijs verò pręter naturam eſſe dominari: [b] lege enim hunc quidem ſeruum eſſe, illum autem liberum; ſed naturâ nihil differre: [c] quapropter neque iuſtum; [d] violentum enim.

EXPLANATIO.

b. [b] Si ex hominibus alij liberi, alij ſerui ſunt lege tãtùm, & nulla eſt inter
a. eos à natura differẽtia; [a] neceſſe eſt opus dominãdi totũ eſſe pręter naturã. Serui enim, quoniam ſtatuuntur nullo modo naturâ eſſe, erunt ſanè tales pręter naturam, per locum à diuiſione, quòd quicquid eſt, aut aliquomodo eſt naturâ, aut pręter naturam prorſus, ex primo de Cœlo: erũt inquam tales pręter naturam ex eo, quòd lege, & conditione quadam violenta alijs ipſi ſeruiunt, alij ipſis dominantur. ergo, per locum à ſubiectis, ſeruire, &
d. dominari pręter naturam erunt. [d] ergo erunt etiam hęc eadem, ſeruire, & dominari violenta: nam idem ſunt, quatenus ſunt huiuſmodi, violentum,
c. & pręter naturam ex text: comment. 18. iij. de Cœlo. [c] ergo tandem iniuſta *Dominatio et ſeruitus ſunt præter naturam. Seruitus et dominatio ſunt violenta.*

iuſta

Dominatio et ſeruitus ſunt iniuſta.
Vis omnis coges an iniuſta.

iuſta hæc erunt, ſeruire, & dominari: quippe ex v. ad Nicomachum iniuſta eſſe, ac iniqua, quum damnum, incommodumque afferat, violentia omnis videtur, qua quis aliũ agere quidpiã cogit præter naturam. Vis autẽ illa, quæ in corrigendis, caſtigandisq; peccatis adhibetur, nec præter naturam eſt, nec lædit, nec eſt violentia ſimpliciter, ſed ex parte duntaxat, & quodammodo, vt aliâs declarauimus. Ergo lex illa, & ius legis, quo ſerui fiunt, iure accuſabitur tanquam orator, qui aliquid contra leges rogaſſet, vt dicetur infrà in tex: 59. Argumentatio itaque minimè mala auctorum huius ſententiæ: ſed principium falſum, quòd nulli ſint ſerui naturâ.

Argumẽtatio auctorum huius ſententia qualis.
Partes textus.

Partes textus quatuor.

S C H O L I A.

Supplementũ in verbis.
Sentẽtia horũ verborum.

Aliјs verò præter naturam dominari. Repetenda ſunt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verba antecedentis textus, δοκεῖ εἶναι, hoc modo: *aliјs verò dominari videtur eſſe præter naturam.*

Illum autem liberum. Non putant auctores huius ſententiæ non eſſe liberos vllos homines naturâ: imò cunctos liberos, nullos ſeruos naſci arbitrãtur. quod autem his verbis ſibi volunt, hoc eſt: non eſſe iſtam à natura differentiam, vt alij liberi ſint, alij ſerui. Opponuntur enim ſerui alio modo liberis, alio modo dominis: liberis ex habitu & priuatione, vel, ſi hoc mauis, ex affectione & negatione; dominis relatiue. Quapropter ſine ſeruis liberi eſſe quidem poſſunt; ſunt enim liberi, qui ſerui non ſunt; domini autem non poſſunt: quippe relatiua ſunt ſimul naturâ. Et quanquam, niſi ſerui eſſent, non eſſet hæc differentia, neque hoc nomen liberorum: liberi tamen eſſent, & omnes liberi, quia nemo vlli eſſet ſubiectus. At domini non eſſent; non ſolùm ſi non eſſent ſerui, ſed ſi ſeruos illi non haberent.

Serui quomodo liberis quo modo dominis opponantur.
Sine ſeruis liberi eſſe queũt, dñi nequeunt & cur.

Textus

Textus XXXIIII.

*

Fundamenta totius diſputationis.

CAPVT IX.

Fundamenta quædam maxima totius diſputationis, & rationis dominicæ atque ſeruilis. Sunt autem hæc ſerui attributa quiditatiua, numero octo; ſed quædam domini, quædam ſeruilis, dominicaq́; rationis etiam communia.

Ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις &c. Text: XXXVI. ad XLIIII.

SCHOLIVM.

a. ambo concluduntur & cõſtituuntur in tex: 43.

EX HIS fundamentis, & attributis ſerui, [a] duo ſunt, quæ maximè, & primò vult in hoc cap. ſtatuere Philoſophus: vnum, quæ ſit natura, & ratio; alterum quæ ſit vis, & poteſtas ſerui: nempe naturam, & rationem, & eſſentiam ſerui eſſe, vt ſit homo non ſuiipſius, ſed alterius, quippe quia è genere ſit τῶν κτημάτων: & ob eandem cauſam, poteſtatem eius eſſe, vt ſit inſtrumentum ad vitam actiuum, & ſeparatum. Præter hæc autem, & ob hæc duo attributa ſex alia traduntur: [b] vnum, vt ſeruus ſit domus pars; item ſeruilis ratio, quæ à dominica reipſa nõ differt, ſit pars domeſticę curationis: [c] alterum, eſſe ſeruum ſic domus partem, vt ſit pars eius inſtrumentaria, ideſt ſit omnino inſtrumentum ad opus domus, quod eſt viuere, & beneuiuere: [d] tertium, vt ſit inſtrumentum animatum: [e] quartum, vt ſit inſtrumentum ante inſtrumenta: [f] quintum, vt ſit inſtrumentum actiuum, non factiuum: [g] ſextum, vt ſit ſeruus domini non ſolum ſeruus, ſed omnino &

Summa et diſtinctio rerum quæ in hoc cap. traduntur.

Serui eſſentia & ratio.

Serui poteſtas.

Sex alia ſerui attributa.

b. in tex. 36.

c. in tex. 37.

d. in tex. 38.

e. in tex. 39.

f in tex. 40. & 41.

g. in tex. 42.

Hæc attributa conueniunt in vtrunque modum ſeruorũ, ſed magis in naturalem.

no & ſimpliciter; dominus autem ſit dominus tantùm, non omnino ipſius ſerui. Et conueniunt quidem hæc omnia attributa in vtrunque modum ſeruorum, quorum alterum natura facit, fortuna alterum; tamen in priorem & priùs, & magis, pro ratione generum, ac ſpecierum analogarum. Itaq; ea nũc propriè Philoſophus, & potiſsimùm duo prima in ſeruis naturâ conſyderat, vt ab his in alios deriuentur. hæc enim aptiſsima, accommodatiſsimaque ad res analogas eſt docendi via; quod alibi declarauimus.

Via doctrinæ in analogis.

ARGVMENTVM. TEXT: XXXVI.

Seruum eſſe partem domus: & ſeruilem rationẽ partem curationis domeſticæ. Locus ex toto: quoniam ipſa res, in qua tanquam in toto ſeruus continetur, ſit pars domus; & ratio rei procurandæ, cuius pars eſt ratio ſeruilis, ſit pars curæ domeſticæ: quorum quidem primum, ideſt vt res ſit pars domus, confirmatur per locum à fine, & opere ipſius domus: & ex eo confirmatur ſecundum per locum à coniugatis.

Text: XXXVI. [a] Ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστί· [b] καὶ ἡ κτητικὴ μέρος τῆς οἰκονομίας: [c] ἄνευ γὰρ τῶν ἀναγκαίων ἀδύνατον καὶ ζῆν, καὶ εὖ ζῆν.

c. Elicitur. Neceſſaria ad vitã res, ideſt τὸ κτῆμα conuenire. c & a. Elicitur, id, ſine quo opus alicuius rei effici nõ poteſt, eſſe neceſſario rei illius partem.

c. & bene viuat. Elicitur, bene viuere eſſe opus & finẽ ipſius domus.

[a] Quoniam igitur res eſt pars domus; [b] etiam ratio rei procurandæ erit pars curæ domeſticæ: [c] ſine neceſſarijs enim fieri non poteſt, vt quiſquam & viuat, & bene viuat.

EXPLANATIO.

Sententia huius loci.

NECESSARIA ad vitam, ſine quibus viuere, & bene viuere nõ poſſumus, nihil aliud ſunt ad extremũ, niſi res, & ſubſtantia græcè ἡ κτῆσις: & quoniam opus, finiſque domus eſt viuere, ac beneuiuere; neceſſe eſt eadem neceſſaria ad vitam, ideſt omnino rem, & ſubſtantiã eſſe partẽ ipſius domus. Hinc duo eueniunt: vnum, vt ſeruus, qui eſt pars rei, ſit etiam pars domus: alterum, vt ratio rei procurandæ, quæ eſt coniugatum rei, & quia hæc, etiam ratio ſeruilis, quæ eſt illius pars, ſint partes curæ domeſticæ, quæ eſt domus coniugatum. Hæc breuis ſumma ſententiæ, & ratiocinationis. quæ paulo fuſius ita explicabuntur. [c] Si quicquam eſt, ſine quo alius opus, & finis effici nõ poſſit, eſt plane illius ipſius, cuius eſt id opus, & finis, pars quædam, ſaltem ſeparata, quam inſtrumentum appellamus. & hoc inductione, cuncta luſtrando, planum fiet. [c] eſt autem bene viuere opus, & finis ipſius domus, quemadmodũ & ciuitatis, quod omnes concedũt: [c] nec viuere bene, ac beatè poſſumus, imò nec viuere ſimpliciter ſine rebus neceſſarijs; alioqui quod neceſſarium eſt, euaderet nõ neceſſarium. atque hæ quidem res neceſſariæ, quarum aliæ ad viuendum, aliæ ad benè viuen-

Rem eſſe partem domus. *ex c. & a.* *c. & benè viuat.* *c.*

viuendum ſunt neceſſariæ, κτήματα communi vocabulo nuncupātur, continenturq; τῇ κτήσει, ideſt re, & ſubſtantia, ſiue bonis, & facultatibus, & a. tandem pecunia, vt docebit textus 381.[a] ergo, per locum ab opere, & fine, ἡ κτῆσις, ideſt res, & ſubſtantia pars domus erit. Res, & ſubſtantia, græcè ἡ κτῆσις, eſt pars domus: ſeruus eſt pars rei (ſubaudiri enim oportet hanc minorem, quæ per ſe nota eſt, & notior fiet ex ijs, quæ ſequentur:) ergo, per locum à toto, ſeruus eſt pars domus. quæ eſt prima cõcluſio. Rurſus, b. res & ſubſtantia, græcè ἡ κτῆσις, eſt pars domus:[b] ergo, per locum à coniugatis, ἡ κτητικὴ, ideſt ratio rei procurandæ erit pars rationis domeſticæ: ſed ratio ſeruilis eſt pars rationis rei procurandæ, quæ eſt altera minor neceſſariò ſubaudienda: ergo iterum, per locum à toto, ratio ſeruilis eſt pars rationis, ſiue curationis domeſticæ. quæ eſt ſecunda concluſio. Poſſet item hæc ſecunda concluſio alio modo induci per locum à coniugatis. nam ſi ſeruus eſt pars domus, etiam ratio ſeruilis, quæ eſt ſerui coniugatum, erit pars curationis domeſticæ, coniugati nimirum ipſius domus.

Cõcluſio prima textus. Seruum eſſe partē domus.

Concluſio ſecunda textus. Seruilem rationē eſſe partem rationis domeſticæ.

Partes textus tres. Prima pars conficitur ex tertia, & ex ea conficitur prima concluſio. Secunda pars conficitur ex prima, & ex ea conficitur ſecunda concluſio.

Partes textus.

S C H O L I A.

Quoniam igitur res &c. τὴν κτῆσιν interpretor rem, vna tantùm voce: nec opus eſt familiarem adiungere, vt quidam faciunt, in quibus eſt Calcagninus. nam idem Latinis eſt res, quod Græcis ἡ οὐσία ideſt ſubſtantia, & bona, & facultates, *roba* nūc dicitur ab Italis cõmodiſsimo vocabulo. Et τὴν κτητικὴν eodē ſignificatu verto rationem rei procurandæ, ſiue adminiſtrandæ. Aretinus, & Victorius vertunt τὴν κτῆσιν poſſeſsionem, & id, quod poſsidetur: τὴν κτητικὴν verò iidem, & Calcagninus artem, ſeu diſciplinam acquirendi. At latiùs patent græca vocabula, quam hæc latina. ſiquidem eſt κτῆσις, ideſt res, non ſolùm quando poſsidetur, verùm etiam quādo comparatur: cerniturque ἡ κτητικὴ, hoc eſt ratio rei procurandæ & in quæſtu, & in poſſeſsione, & in vſu bonorum, ſed de his poſtea.

ἡ κτῆσις, καὶ ἡ κτητικὴ quomodo vertenda.

Res eſt pars domus &c. Partem intellige inſtrumentariam: vt in explanatione indicaui, & ſequens textus docebit. Non ſunt autem hæ propoſitiones, *Res eſt pars domus, Ratio rei procurandæ eſt pars curationis domeſticæ*, theoremata, ſeu concluſiones, quas ſtatuere in præſentia Philoſophus velit: ſed ſunt media ad concluſiones, quas vult ſtatuere, & quæ ſubauditi, ſubinferrique ex his debent: nempe ad illas duas, Seruus eſt pars domus, Ratio ſeruilis eſt pars curationis domeſticæ: quæ quidem ſunt propriæ concluſiones, & propria theoremata huius loci, vt ſuprà declarauimus. Cur enim nunc de re, & eius procurandæ ratione dicat Philoſophus, niſi hæc ipſa, quæ dicit, referat ad ſeruum, & rationem ſeruilem, de quibus ei dicere propoſitum eſt? Hæc tamen ex ijs, quæ deinceps tradentur, clarius elucebunt.

Partis vocabulum. Concluſiones, ſeu theoremata huius textus.

Res eſt pars domus. In hac propoſitione ſubaudiebatur hæc altera: Seruus eſt pars rei, hoc eſt ſeruus eſt in genere τῶν κτημάτων: quæ propoſitio confirmabitur in textu xxxviii. & ſequentibus, eratque minor ſyllogiſmi oſtendentis primum duorum theorematum huius loci. De hac propoſitione conſentit cum Philoſopho Auctor primi Oeconomici. qui, quum in cap. ij. diſtribuiſſet domum in homines & rem, ideſt κτῆσιν, ſcribit poſtea in vi. primùm, & maximè neceſſarium, & optimum, & præſtantiſsimum τῶν κτημάτων eſſe hominem, qui ſeruus eſt. Dubitatio autem, quam in ſuis ad illum locum annotationibus mouet Leonardus Aretinus, vtrum ſeruus ad homines, an ad rem pertineat, facilè ſoluitur. Neque enim hæc pugnant, eſſe hominem, & eſſe κτῆμα: quia ſeruus eſt vtrunque, vt infrà dicetur: ſed repugnaret eſſe κτῆμα, & eſſe hominem, qui ſuiipſius ſit, non alius: de cuius generis hominibus loquebatur ille

Seruus in quo genere cõtineatur.

Auctor, quando diuidebar domum in homines, & rem. Verùm de his infrà.

ἡ κτητικὴ eſt pars œconomia.

Ratio rei procurandæ eſt pars curationis domeſticæ. Hic ponit τὴν κτητικὴν, quæ alio nomine dicitur pecuniaria, eſſe partem curæ domeſticæ. de qua re, tanquã controuerſa, propoſita eſt quæſtio ſuprà in textu xxxii. & infrà rurſus proponetur in lxxiiii. decidenda longa oratione. Sed hæc eſt veritas, quæ hîc confirmatur per locum à coniugatis.

Duplex interpretatio horũ verborum.

Sine neceſſariis enim &c. Non poſſumus viuere ſine rebus neceſſariis. & hoc apertiſsimum eſt: ſi quidem ſunt neceſſariæ. multo minùs ergo bene viuere ſine illis poſſumus. vt ſit quaſi à maiori argumentum. Vel dixit Philoſophus viuere, & bene viuere; indicans duo genera rerum neceſſariarum: quarum aliæ ad vitam ſimpliciter, aliæ ad beatam vitam ſunt neceſſariæ: & poſteriores ſunt acceſsiones priorum. Vtranque interpretationem coniunxi in explanatione.

ARGVMENTVM. TEXT. XXXVII.

Seruum, & omnino ipſam rem, in qua ſeruus continetur, ita eſſe partem domus, vt ſit eius inſtrumentum ad viuendum, & bene uiuendum. Locus ex proportione, ideſt ex ſimili relatione artium, & curæ domeſticæ ad propria opera.

Text. xxxvij. [a] Ὥσπερ * δὲ ἐν ταῖς ὡρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεῖα ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ ἔργον· [b] οὕτω καὶ τῷ οἰκονομικῷ.

[a] Quemadmodum autem in artibus definitis neceſſe eſt adeſſe propria inſtrumenta, ſi perfici opus debet: [b] ita & * domeſticæ rationi.

** Baſil. nõ habet has duas voces δὲ ἐν. Victorius delet ſecundam, ideſt ἐν. * τῷ οἰκονομικῷ, domeſticæ rationi vel τῶ οἰκονομικῶ, œconomico quod idem valet. a et b. quemadmodũ, ita. a. definitis.*

E X P L A N A T I O.

Similitudo rationis domeſticæ & artium definitarum.

[a] Ratio domus regendæ eſt maximè ſimilis artibus, [a] quę certæ, definitæq́; ſunt; ideſt quæ propriè ſic nominãtur, &, ſuis incluſę terminis, abſolutæ iam ſunt, ac perfectæ. Vtrobique enim actiones quædam fiunt, & fines petuntur, & præcepta in hæc dantur: vtrinque mens noſtra & intus ſeipſam exornat quibuſdam formis, notionibusq́;, & extrà procreat illarum imagines in alia materia. Ergo vt ſeſe habent artes illę, & vnaquęq; earum ad opus, & finem ſuum: ſic etiam conueniens eſt rationem regendę domus ad ſuum ſeſe habere. [a] In vnaquaque autem earum artium, ſi modò opus probè confici, expleriq́; debet, neceſſe eſt res quaſdam adeſſe item proprias, ac ſuas, ſeparatas ab artifice, quę inſtrumenta illius artis vocantur; vt per ſe eſt notum, notiusq́; adhuc fieri poſſet per inductionem: [b] ergo & in ratione domus regendę, cuius finis, opusq́ue, ex textu antecedenti, eſt bene viuere; res illę externæ, ſine quibus vel non viuitur, vel non bene viuitur, quoniam neceſſariæ ſint, & conducant aliæ ad vitam ſimpliciter, aliæ ad beatam vitam (vnde & inſtrumenta vitæ appellantur) erunt inſtrumenta non modò vitæ, ſed etiam rationis regendæ domus, & ipſius domus. Ex huiuſmodi autem rebus conſtabat ἡ κτῆσις, ideſt res, ac ſubſtantia; in qua ſeruus continetur: ergo ſeruus, & omnino res, ac ſubſtantia ita eſt pars domus, vt ſit eius inſtrumentum ad viuendum, & bene viuendum. Vniuerſam igitur ſententiam huius loci paucis ſic comprehendito.

Ratiocinatio huius loci probãs ſeruũ, & omnino rẽ eſſe inſtrumẽtum domus ad viuendũ & bene viuendum.

Sentẽtia text.

hendito. Quemadmodum vnicuiquecertæ, propriæq́; arti quædam res ſeiunctæ ab artifice neceſſariè ſunt ad eius opus perficiendum; atque hę inſtrumenta appellantur illius artis: ita & in ratione domeſtica res externæ, quę ad eius opus, ideſt ad viuendum, & bene uiuendum ſunt neceſſariæ, ſerui, inquam, &, in quibus ſerui continentur, bona, facultates'ue erunt inſtrumenta domus, & rationis domeſticę.

SCHOLIA.

In artibus definitis. D. Thomas artes. Victorius artes abſolutas, ac perfectas. Cælius Calcagninus artes, quæ ſuis terminis includuntur, ideſt proprias, & certas. Ego vtranque expoſitionem complexus ſum, & tertiam adiunxi, quòd ſint artes, quæ propriè ſic nominantur, vt diſtinguuntur à ſcientiis. huiuſmodi .n. artes ſimiliores ſunt rationi domus regendæ: quoniam effectio, & actio ſunt affines. *Artes definitę quid.*

Ita & domeſticæ rationi. οὕτω καὶ τῇ οἰκονομικῇ. Sic legiſſe videtur Leonardus Aretinus, quam lectionem maxime omnium probo. D. Thomas, & P. Victorius legunt οὕτω καὶ τῷ οἰκονομικῷ, ita etiam œconomico, ideſt rectori domus. vnde redditur eadem ſentẽtia. In Aldino, & Baſilienſi codice ſic ſcriptum eſt: οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν. Magis probarem ſi adderetur vox ἐπὶ: vt ſibi hæc duo membra reſponderent: ὥσπερ ἐν ταῖς τέχναις· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν οἰκονομικῶν. Sed & ſine hac voce ἐπὶ ſatis aptè poſſumus interpretari: οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν: eorum, quæ ad rationem domeſticam attinent; aliud eſſe domeſticã curam, ſimilem arti, aliud, opus, & finem, alia, inſtrumenta. *Varia lectiones.*

ARGVMENTVM. TEXT: XXXVIII.

Seruum eſſe animatum inſtrumentum in domo ad viuendum, & bene viuendum. Locus à diuiſione τῶν κλημάτων, & inſtrumentorum, quòd alia inanima ſint, alia animata. Quæ quidem inſtrumentorum diuiſio declaratur in artibus exemplo artis nauticæ. Eſſe autem ſeruum inſtrumentum, præterquam quòd conſtitutum fuit in textu antecedenti, hic denuo oſtenditur locis à genere, & à toto: nam ſeruus eſt κτῆμα & pars κτήσεως; quorum illud inſtrumentum eſt; hæc eſt multitudo inſtrumentorum.

Tex: xxxviij. [a] Τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δὲ ἔμψυχα· [b] οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον, [c] ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον· [d] ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. [e] οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι: [f] καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί: [g] καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον.

[a] Inſtrumentorum autem quædam inanima ſunt, quædam animata: [b] vt gubernatori clauus quidem inanimum, [c] prorera verò animatum: [d] miniſter enim vicem inſtrumenti exhibet artibus. [e] ſic & τὸ κτῆμα, id ſcilicet, quod in bonis, ſeu quod in re habetur, inſtrumentum ad vitam eſt; [f] & res ipſa eſt multitudo inſtrumentorum: [g] & ſeruus eſt quiddam ex illis, quæ in re habentur, animatum.

EXPLANATIO.

ἡ κτῆσις καὶ τὰ κτήματα, quid ſignificet et quemodo differant.

Η κτῆσις, καὶ τὰ κτήματα, quæ latinè poſſumus interpretari rem, & quę in re, ſiue quę in bonis habentur; differunt, teſte etiam Ammonio, vt totum & partes: nam ἡ κτῆσις eſt res, & ſubſtantia, vniuerſa, quaſi vnum corpus; τὰ κτήματα ſunt veluti membra, & partes ſingulę illius: tandemq; ἡ κτῆσις, ex hoc textu, & textu xxxvi. eſt multitudo τῶν κτημάτων. Hinc igitur initium capiamus. *ex e. & f.*

Ratiocinatio textus.

ἡ κτῆσις eſt multitudo τῶν κτημάτων, verum neceſſariarũ, et inſtrumentorum ad vitam.

[e] Η κτῆσις, ideſt res, & ſubſtantia eſt multitudo τῶν κτημάτων, hoc eſt eorum, quę habentur in bonis. hęc autem κτήματα vocabantur in textu xxxvi. res neceſſariæ ad viuendum, & bene viuendum: atque in xxxvij. erant inſtrumenta vitæ, ac beatę vitę, rationisq; domeſticę, & domus, quarum beata vita eſt finis. itaque ἡ κτῆσις, vt τῶν κτημάτων; ſic rerum neceſſariarum, & inſtrumentorum ad vitam multitudo dici poteſt: ſuntq; omnino idem τὸ κτῆμα, & inſtrumentum ad vitam. *e. & f.*

Seruum eſſe κτῆμα.

Seruum eſſe inſtrumẽtum vitę rationisq; domus regẽdę, & domus.

[g] Continetur verò ἐν τῇ κτήσει, ideſt in re ſeruus ex textu xxxvi. quippe qui, ex eodem textu xxxvi. & ex vi. ſuperiori, ad viuendum, & bene uiuendum ſit neceſſarius. [g] quapropter κτῆμα quiddam eſt ſeruus: &, [e] quia κτῆμα, & pars κτήσεως, & omnino res neceſſaria ad viuendum, ac bene uiuendum, etiam eſt inſtrumentum ad vitam, inſtrumentumque rationis domus regendæ, & domus; quod antecedens textus conſtituit. Vt penè duobus ſyllogiſmis rurſus hîc oſtendatur ſeruum inſtrumentum eſſe: primùm ſic: τὸ κτῆμα eſt inſtrumentum ad vitam: ſeruus eſt κτῆμα, nam eſt pars κτήσεως: ergo &c. Iterum ſic: ἡ κτῆσις eſt multitudo inſtrumentorum; multitudo enim τῶν κτημάτων eſt ἡ κτῆσις, & τὸ κτῆμα inſtrumentum eſt: ſeruus eſt pars κτήσεως: ergo &c. *ex g. g. ex e.*

Inſtrumentorum diuiſio in animatam, et inanimam.

[a] Porrho autem inſtrumentorum prima differentia, & diſtributio hæc eſt, quòd eorum alia ſunt inanima, alia animata. animatum hîc voco, cui præter animam ſenſus etiam adeſt; inanimam, cui is deeſt tametſi adſit anima. ſenſum autem intelligo perfectum, & obedientiæ capacem, vel ſolum, qualis cernitur in canibus, & iumentis, vel cum ratione coniunctum, qualis in ſeruis. [b] Euidens eſt hoc in artibus: quibus in textu antecedenti dicebamus maximè ſimilem eſſe rationem domus regendæ. illæ enim habent non ſolum inanima inſtrumenta; [d] ſed etiam miniſtros, vim, & locum inſtrumẽtorum tenentes; qui quidem animati ſunt eo modo, quo diximus. [b] [c] Exempli cauſa in arte nauali gubernator vtitur clauo, & proreta: quorum ille eſt expers, hic particeps animæ, & ſenſus. *a. b. d. b. c.*

Seruum eſſe κτῆμα & inſtrumẽtum animatum.

[e] Quemadmodum igitur inſtrumentorum ſimpliciter: ita & τῶν κτημάτων, hoc. eſt inſtrumentorum ad vitam duplex eſt genus; vnum animata; alterum inanima inſtrumenta cõtinens. [g] Eſt ſeruus κτῆμα, & inſtrumentum quiddam ad vitam, & ad beatam quidem vitam, quæ eſt finis domus, ac rationis domeſticæ: planumq; eſt eum non carere anima, & ſenſu; quandoquidem homo ſit oportet: animatum itaque κτῆμα, & inſtrumentum ſeruus erit. Sic autem eſt ſeruus inſtrumentum animatum, vt viciſſim iuſtrumentum dici poſſit ſeruus inanimus: quod ſcribitur in lib. viij. ad Nicomachum. *e. g. a. In lib. viij ad Nicõ. cap. 11.*

Partes textus.

Textus habet tres partes. Prima (a) proponit diuiſionem inſtrumentorum. Secunda (b c d) declarat hanc diuiſionem in artibus. Tertia (e f g) conficit ſeruum eſſe animatum inſtrumentum.

Sententia textus.

Summa autem totius ſententiæ hæc eſt. Quemadmodum inſtrumentorum quædam animata ſunt, quædam inanima; (quod liquet in artibus, in quibus miniſtri animati vim obtinent inſtrumentorum; verbi gratia guberna-

gubernator vtitur clauo inanimo, vtitur & animato proreta): ita quoque τῶν κτημάτων, quæ ſunt inſtrumenta ad vitam, quorum quidem κτῆσις eſt multitudo, alia ſunt animata, alia inanima. ſeruus igitur, qui eſt κτῆμα quoddam, & pars κτήσεως, & ob hæc inſtrumentum; nec numerari inter inanima poteſt; erit neceſſario κτῆμα, & inſtrumentum quoddam ad vitam animatum.

S C H O L I A.

Differentia et diuiſio inſtrumētorum per animatum & inanimum.
Inſtrumenta inanima.

Inſtrumentorum autem quædam inanima &c. Animatum, & inanimum diſtingui hîc arbitror non quauis animæ parte, ſed perfecta ſenſuali, ſiue hæc coniuncta cum ratione, ſiue à ratione abiuncta fuerit, quæ quidem aut natura ſua, aut vſu & conſuetudine pati imperium poſsit. Numerabuntur igitur in inſtrumentis inanimis non ſolùm ſerræ, & mallei, & omnis ſupellex, ſed etiam plantæ, & multa genera belluarum, commoditates, voluptatesq́; varias nobis præbentium. In animatis erunt omnes miniſtri, omnes ſerui, & bruta animalia, quæcunque operi poſſunt aſſueſieri, ac noſtro obedire imperio. Hoc itaque genus animatorum duo illa complectitur, quæ à Varrone dicuntur vocale, & ſemiuocale. Vocale ſunt homines: ſemiuocale bruta huius modi, quæ parēte nobis diſcūt. quāquam de fundi inſtrumento propriè loquitur Varro. Cur ſic exponam; & quædam bruta cum hominibus iungam; quædam, & plantas cum rebus anima carentibus; duæ rationes me mouent. Vna eſt, quòd in textu ix. bòuem eſſe pro ſeruo pauperibus Philoſophus dixit; & in hoc, ſequentibusq́ue animati inſtrumenti exempla afferens, hominum duntaxat mentionem facit: fortaſſe autem nec piſces, nec apes vicem ſeruorum obtinere affirmaret. Altera ratio eſt, quòd vocale, & ſemiuocale inſtrumentum, ideſt ſerui, & miniſtri, & bruta, quæ dicta ſunt, hoc commune habent, vt pareant imperio: & hac re quidem diſtant ab inſtrumentis inanimis. dempta enim obediendi poteſtate, vel non vtetur ijs aliquis, quæ eſt propria ratio inſtrumentorum: vel ſi vtetur, eodem prorſus vtetur modo, quo vtitur inanimis, ideſt ſua propria vi impellente extrinſecus inſtrumenta; non interiori vlla facultate, & motione ipſorum inſtrumentorum. Hæc eſt ſententia mea de hac diuiſione. Niſi animatum pro rationali accipere in præſentia velimus: vt ſint animata inſtrumenta duntaxat ſerui, & miniſtri: quod fortaſſe magis quadrat iis, quæ deinceps dicentur.

Inſtrumenta animata.
Inſtrumētum vocale, & ſemiuocale Varroni.
Varro primo lib. de Re ruſtica.
Differētia inſtrumētis animati et inanimi.

Proreta verò. Proreta & gubernator opponuntur ex relatione, vt miniſter & architectus. hic ſedet in puppi & imperat: ille proram cuſtodit, obtemperatq́ue mandatis. vnde Plautus in Rudente: *Si tu proreta iſti naui es, ego gubernator ero.*

Gubernator et proreta.

Miniſter enim vicem inſtrumenti exhibet. Miniſter in arte, & ſeruus in domo eandem rationem, ac vim inſtrumenti habent: niſi quòd miniſter ad effectionem; ſeruus ad actionē dirigitur. At ſi vterque eſt propriè inſtrumentum, quare hîc Philoſophus ἐν ὀργάνου εἴδει miniſtrum eſſe ait; quod eſt ſpeciem, & ſimilitudinem inſtrumenti habere, non eſſe inſtrumentum? Fortaſſe quia cum inſtrumentis, quæ vulgò ſic nominantur, comparati miniſtri minus propriè, quàm illa, nuncupari hoc vocabulo videntur. ſiquidem eiuſmodi inſtrumenta nihil aliud ſunt omnino, quàm inſtrumēta; nec alia nomina, nec alias actiones proprias & ſuas, præterquam inſtrumentorum, vllas habent: ſi quæ alia cadunt in ea; non cadunt tanquam propria, aut modo formæ eorùm, ſed modo, & ratione materiæ communis duntaxat. miniſtri autē ſub forma miniſtrorum etiam homines ſunt, & vocātur; habentq́; multas proprias actiones, omnes, inquam, quæ hominibus ſimpliciter conueniunt. Serui penè medium locum tenent inter miniſtros, & inſtrumenta, quæ vulgò ſic nominantur. minus enim propriè quàm hæc, magis propriè, quàm illi inſtrumenta dicuntur: quum ſint prorſus & ſimpliciter aliorum hominum; hacq́ue de cauſa per ſe nihil agere propemodum queant, vt declarabitur infrà in textu & commentario xlui. D. Thomas

Miniſtrorum, ſeruorum, & inſtrumētorū, quæ vulgò ſic nominantur, inter ſe cōparatio quatenus nomen inſtrumenti ſuſcipiunt.
Cur ἐν ὀργάνου εἴδει miniſter.

mini-

miniſtrum artium habere rationem inſtrumenti inquit, propterea quòd ſicut inſtrumentum mouetur ab artifice, ſic miniſter moueatur imperio architecti.

Quorundã vocabulorũ idẽ ſignificãtium differentia & diſtinctio.

Sic & τὸ κτῆμα. Hæc vocabula, τὸ κτῆμα, pars κτήσεως, ſeu quod continetur ἐν τῇ κτήσει, res ad viuendum neceſſaria, & inſtrumentum ad vitam eandem prorſus rem ſignificant: differunt ſolo ordine ſignificandi. primùm enim dicitur res neceſſaria ad viuendum; deinde inſtrumentum ad vitam; tertiò pars κτήσεως, ſeu quod ἐν τῇ κτήσει continetur; quartò τὸ κτῆμα. Xenophon in principio Oeconomici hãc vocem, τὸ κτῆμα, quodammodo latiùs, quodammodoq; anguſtiùs accipit, quàm hîc accipiat Philoſophus. nam quæ cuique vtilia ſunt, κτήματα vocat; & amicos potiſsimum, quoniam ſint maxime vtiles: nec aurum vero, nec argentum, nec quidquam aliud in vniuerſum eſſe κτῆμα, ſi illo vti neſciamus.

ARGVMENTVM. TEXT: XXXIX.

Seruum eſſe inſtrumentum ante inſtrumẽta: ante, inquam, natura, ordine, & dignitate. Rationes duæ. Vna à ſimili: quoniam huiuſmodi ſit omnis miniſter. Altera biceps, confirmans etiam quod dictum eſt de miniſtro, ab opere inſtrumenti alterius generis, proprietateque huius, quo ſeruus, miniſterque continentur: nam ſi efficere opus ſuum quiduis aliorum inſtrumentorum debet; antecedat id, quo iuſſa exaudiuntur, præſentiuntur'ue, oportet: & id ſerui, ac miniſtri in ſe habent; non habent reliqua inſtrumenta: hoc autem rurſus confirmatur deductione ad duo abſurda, quorum vnum eſt contra hypotheſin, alterum contra euidentiam.

Text: xxxix. [a] Καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων πᾶς ὁ ὑπηρέτης. [b] εἰ γὰρ ἠδύνατο ἕκαστον τῶν ὀργάνων, κελευσθὲν, ἢ προαισθανόμενον [c] ἀποτελεῖν τὸ αὑτοῦ ἔργον [d] (ὥσπερ τὰ δαιδάλου φασὶν, [e] ἢ τοὺς τοῦ ἡφαίστου τρίποδας, οὕς φησιν ὁ ποιητὴς, αὐτομάτους θεῖον δύεσθαι ἀγῶνα. [f] οὕτως αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὗται, [g] καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν:) [h] οὐδὲν ἂν ἔδει οὔτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν, [i] οὔτε τοῖς δεσπόταις δούλων:

[a] Et tanquam inſtrumentum ante inſtrumenta eſt omnis miniſter. [b] nam ſi poſſet vnumquodque inſtrumentum iuſſa accipiens, aut præſentiens [c] peragere ſuum opus ([d] ſicut quæ Dædali aiunt, [e] aut Vulcani tripodas, quos Poeta inquit per ſe diuinum certamen ſubijſſe; [f] ſic pectines ipſi texerent, [g] & plectra citharam pulſarent:) [h] nihil opus eſſent nec architectis miniſtri, [i] nec dominis ſerui.

E X P L A N A T I O.

Serui, & miniſtri artium, vt inſtrumenta ſunt, ſimilitudo, & ab alijs inſtrumẽtis differẽtia.

[a] SIMILES ſunt ſeruus, & miniſter artiũ, quatenus ſunt inſtrumẽta: nam vterque animatum propriè, & perfectè inſtrumentum eſt, quod vocale Varro appellat: vterque poſtquam accepit mandata, aut prænouit quod mandare is, cui poteſtas adeſt, volebat; per ſe operatur etiam abſente illo, qui primus mouit, & diſtante quàm longiſſimè, vt nec audiri, nec videri aliquid ipſius queat; quod nec bruta quidem, ac ſemiuocalia, quan- *ex a. & i.*

uis ani-

uis animata ſunt, faciunt. Propterea ſi de altero concedatur, præire eum
naturâ, ordine, ac perfectione inſtrumentis, ad quæ refertur: æque de al-
a. tero erit cōcedendum.[a] Sed ſatis perſpicuum eſt ob perſpicua inſtrumen-
ta artium, quę potiſsimùm hoc nomine multitudo appellat, præſtabilius
quid, ac prius ordine, & naturâ eſſe miniſtrum vnumquenq; inſtrumen-
ex a tis ſuis, quibus vtitur, vt remigem remo, pictorem penicillo. [a] ergo &
ſeruus ſuis, quæ minus percipit vulgus eſſe inſtrumenta, minusque fre-
quenter hoc vocabulo nuncupat, præſtabilior, & prior ordine, & naturâ
b. & ill. erit. Hæc prima ratio theorematis propria. [b] Altera ratio eſt communis,
oſtendens vnà theorema, & aſſumptum prioris rationis, ideſt vtrunque,
tam ſeruum, quàm miniſtrum eſſe inſtrumētum ante inſtrumenta. quan-
quam enim notior res eſt de miniſtro ob cauſam expoſitam, vnde ab eo ad
ſeruum argumentum ducitur: tamen non ſatis notum eſſet, aut ſtabile
hoc fundamentum nec per ſe, nec ad illud, cui iacitur, niſi declararetur,
& fulciretur ratione. Probatur itaque vtrunque ex opere vnius, & pro-
ex b. & c. prietate alterius generis inſtrumentorum in hunc modum. [b] Quę-
cunque inſtrumenta nuncupata opus ſuum conficere non poſſunt, illa
omnia aut non ſunt, aut ęquiuocè nuncupantur inſtrumenta; ſunt enim
inania, & inutilia, quod inſtrumenti rationem tollit: ſed nullum omnino
inſtrumentum conficere opus ſuum poteſt, niſi prius exaudiantur impe-
rata, pręſentianturue, quę ſunt imperanda, vt per ſe eſt notum: ergo
ſi aliquid reuera eſſe inſtrumentum debet, & propriè, non æquiuocè vo-
cabulo hoc nuncupari; neceſſe eſt, vt vel ipſum in ſe contineat, quod
exaudire imperata, pręſentire ue, quę imperanda ſunt, poſſit; vel aliud ei
antecedat, cui hęc conueniant. ſoli autem ſerui, & miniſtri continent in
ſe, quod audit imperata, pręſentitque, quę ſunt imperanda; reliqua in-
ſtrumenta non continent, & minimè inanima. ergo ſerui, & miniſtri ſunt
priora inſtrumenta reliquis inſtrumentis, pręſertim inanimis, primo na-
turâ; nam ſunt cauſa illis, vt opera ſua conficiant, & ob hoc vt ſint inſtru-
menta; deinde ordine; medij enim interiacent inter eos, qui præcipiendi
poteſtatem habent, & illa inſtrumenta; quippe illis inſtrumētis ipſi vtun-
tur, & ipſis ij, qui præcipiendi habent poteſtatem; poſtremò dignitate, &
pręſtantia; pręſtabilius enim eſt, quod continet in ſe facultatē exaudiendi
b. & ill. imperata, & pręſentiendi imperanda, eo, quod facultate iſta caret. [b] Non
continere autem in ſe reliqua inſtrumenta, & minimè inanima id, quod
præſentire imperanda, aut exaudire imperata poteſt, præterquam quòd
eſt per ſe notum (illud enim ad extremum nihil aliud eſt, niſi ratio, ſolis
hominibus tributa) etiam confirmatur deductione ad duo abſurda. Pri-
b. mum abſurdum eſt contra hypotheſin: [b] Si reliqua inſtrumenta exaudire
c. iuſſa, vel præſentire, quæ iubenda ſunt, poſſent, [c] perficereque hoc modo
h. i. vnumquodque eorum per ſe opus, quòd ſuum eſt; [h] nulla amplius in re
egerēt nec architecti miniſtris, nec domini ſeruis: quapropter non ſolùm
non eſſent priores ſerui, & miniſtri alijs inſtrumētis; ſed etiam inutiles eſ-
ſent, quod eſt non eſſe eos, quod ſunt, eſt quod ſumuntur eſſe, ideſt non
d. e. f. g. eſſe omnino ſeruos, & miniſtros. [d] Alterum abſurdum eſt contra euiden
f. g. tiam: [f] Sequeretur enim non modò boues per ſe araturos eſſe; ſed etiam
pectines per ſe texituros; & plectra per ſe fides pulſatura; & aliorum
vnumquodque inſtrumentorum tam mutorum, quàm ſemiuocalium, vbi
ſemel iuſſa accepiſſet, pręſentiſſet ue, ſeſe excitaturum ſine opera, & præ-
ſentia

Prima ratio probans theorema, ideſt ſeruū eſſe inſtrumentum prius naturâ ordine & dignitate alijs inſtrumentis, ſui generis.

Secunda ratio probans theorema, & aſſumptū prioris rationis. hoc eſt, tā ſeruum quàm miniſtrū eſſe inſtrumentum prius naturâ ordine & dignitate alijs inſtrumentis ad quę referuntur.

Id, quo iuſſa exaudiuntur, præſentiunturue non eſſe in alijs inſtrumētis, quàm in ſeruis, & miniſtris, oſtēditur deductione ad duo abſurda.

Primum abſurdum cōtra hypotheſin.

Alterum abſurdum cōtra euidentiam.

ſentia etiam aliquando noſtra, ad munus illud præſtandum, in quod dirigitur: [d] quemadmodum de ſignis Dædali fabulantur, fuiſſe ea miro artificio elaborata, vt perennibus motionibus ſibi ab artifice ſuo inditis cierentur, actiones repræſentantia earum rerum, quarum ſigna eſſent: [e] aut quemadmodum Vulcani tripodas ſponte ſua diuinum prodire in certamen, hoc eſt ad cœnas, & cõuiuia Deorum ire, quibus illi, poculis ſeſe largius inuitantes, quaſi dimicarent, ac rurſus cœnis peractis ſua ſponte domum redire cecinit Homerus in xviij. libro Iliados. d. e.

Partes textus. Partes textus quatuor. In prima (a) ponitur prima ratio. In ſecunda (b c) ſumitur quiddam contrarium veræ ſententiæ, ex quo duo abſurda deducantur. In tertia (d e f g) eſt ſecundum abſurdum, contra euidentiam. In quarta (h i) eſt primum, contra hypotheſin.

S C H O L I A.

Cũ quibus inſtrumẽtis cõparatio hic fiat ſeruorum & miniſtrorum. *Et tanquam &c.* Cum mutis, & inanimis inſtrumentis propriè videtur hîc Philoſophus comparare miniſtrum, & ſeruum: quippe quum ab illis tantùm exempla petat. Sed nos opinamur exempla ſummi à notioribus: comparationem autem eſſe hominum deſeruientium, ideſt rationalium inſtrumentorum cum reliquis tam animatis, quàm inanimis, & tam mutis, quàm ſemiuocalibus. Adducimur primùm theoremate: quia ſerui, & miniſtri etiam bobus, & aſinis, cæteriſque animatis inſtrumentis, quæ rationis non ſunt capacia, priores ſunt. Deinde adducimur principio theorematis: τὸ κελεύειν enim, καὶ τὸ προαισθανόμενον non ſunt in brutis animalibus, vt paulopòſt dicam.

Tanquam inſtrumentum. *Tanquam inſtrumentum.* Sic dicit hoc loco, tanquam inſtrumentum: ſicut in textu antecedenti dicebar ἐν ὀργάνου εἴδει.

Seruus & miniſter quomodo inſtrumentum ante inſtrumenta. *Ante inſtrumenta.* Ante, & prius idem ſunt. Eſſe igitur inſtrumentum ante inſtrumenta eſt eſſe inſtrumentum prius aliis inſtrumentis. Porrò autem quum prius multis modis dicatur, ex Categoriis, & v. Diuinorum: hîc ante, ideſt prius interpretantur Calcagninus, & Victorius dignitate & pręſtantia; Acciaiolus ordine. D. Thomas penè indicat tertium modum, quod eſt prius naturâ. Has tres interpretationes coniunximus nos in explanatione.

Quæ ſit ratio inter ſeruum et miniſtrum. *Omnis miniſter.* Vtrum miniſter eſt genus ſerui; quia ſeruus miniſter aliquando uocari ſoleat, vt etiam infrà in tex: 41? An ſeruus miniſtri; quòd olim miniſtri, atque artifices omnes illiberales alij ſerui eſſent, alij appellarentur? An potius, ſi verè, propriéque loqui volumus, neutrum eſt alterius genus: ſed ſunt varia genera, quamuis ſimilia. quippe ſeruus, quicquid eſt, domini eſt: nullamque propriam actionem, vt homo eſt, habet, quæ non pendeat ex domini nutu, ac voluntate expreſſa, aut generali. miniſter verò in eo opere tantùm, cuius eſt miniſter, miniſter eſt architecti: reliquas actiones, muneraque omnia libera retinet, & ſui iuris.

Præſentire & iuberi brutis animalib⁹ nõ conueniunt. *Iuſſa accipiens, aut præſentiens.* Hęc ſunt propria rationis, & hominum. Neque enim præſentiunt bruta animalia: imò nec ſentiunt quidem quò ferantur imperata, & incœpta noſtra. Quapropter nec propriè iubentur, quod græcè eſt κελεύεσθαι: ſignificant enim hæc verba iubere, & κελεύειν hortari, imperareque cum aliqua admonitione, & conſilio. Aguntur igitur, impelluntúrque metu, & cupiditate, & exercitatione ad ea efficienda, quorum ipſa nec modum, nec finem norunt. Et hęc cauſa eſt, cur nunquam quicquam eorum, quę vellemus, efficiant, niſi præſentes vrgeamus: abſentibus ſponte ſua operæ nihil præſtent. machinis tamen aliquando, & rotis alligata, agitatáque penſum abſoluere coguntur, vt in olearijs, & frumentariis quibuſdam molis. Confirmabit hæc Philoſophus ſua auctoritate infrà in textu 53.

Dędali opera. *Quæ Dædali, τὰ Δαιδάλου.* Subaudiendum eſt ποιήματα, aut ἔργατα, aut quid aliud ſimile. Vide prouerbium Dædali opera. in id Auctor Chiliadum multa

congeſsit

congeſsit non ſpernenda: quæ tamen inutiliter exſcriberemus: quum typis edita ſint. Citat etiã hunc locum Politicorum; & alterum ex primo de Anima in tex: com. 44. de lignea Venere à Dædalo fabricata, quæ, ob infuſum in eam argentum viuum per ſe moueretur.

Aut Vulcani tripodas &c. Carmina Homeri in xviij. Iliados, vt ea eleganter vertit Helius Eobanus de ſtudioſis omnibus optime meritus, hæc ſunt. *Locus Homeri.*

Thetis ſcilicet Vulcanum.

Inuenit ergo ipſum fabrili corpore toto
Inſudantem operi, & tripodas conflare parantem.
Bis denos, quibus aula domus ſplendeſceret amplæ.
Quorum cuique pedes ambibat circulus imos
Aureus, vt ferrent ſeſe ad certamina diuûm
Sponte ſua, nulloque domum ducente redirent.

Philoſtratus lib. iij. de vita Apollonij.

Ex hoc loco Homeri effinxit Philoſtratus fabulam illam ſuam de quatuor doliolis, quę per ſe in medium prodierunt, vinum, aquamq́; fundentia, deq́ue æreis pueris qui pocula miniſtrarunt in conuiuio apud Iarcham, quo rex Medorum acceptus eſt à Brachmanibus. Alia etiam ab aliis referuntur eiuſdem generis, quæ, ſi ab ipſis non ſunt conficta, fuerunt dæmonum illuſiones. *Locus Philoſtrati.*

Per ſe, αὐτομάτους. Sponte ſua, & per ſe, ſine ope externa. Automata autem, *αὐτόματα* græcè, dicuntur opera omnia, quæ ita fabricant mechanici, vt per ſe moueantur, cuiuſmodi ſunt horologia. Hæc tamen automata, quanuis per ſe, non tamen à ſe mouentur; nec in ſe motionis initium habent, quemadmodum animalia: ſed neceſſe eſt ſtatis temporibus aptari ea, & accõmodari operâ noſtrâ, vt moueri poſsint: ſtatis temporibus, inquam, accommodari ad ſe mouenda neceſſe eſt, quoniam fortaſſe non eſt ſatis motionis initium illis præberi; nuſquam adhuc verè inuento motu, quem uocant perpetuum. *Automata opera.*

Architectis miniſtri. Architectos, ſiue architectonas uocare Philoſophus ſolet artifices principes, atque aliis ſibi ſubiectis, quos miniſtros, & aliquando *χειροτέχνας* idem appellat, imperantes; nec in opere modò ſtructorio, vnde primum hoc uocabulum fluxit; ſed in quolibet, & cuiuſuis generis. Et architectonicam artem vocat ſimiliter, cui aliæ ſubijciuntur: vt in primo & in vi. ad Nicomachum. Sunt igitur verè relatiua, quæ inuicem referuntur, miniſter & architectus. At miniſtrorum quidam etiam artifices ſunt; quidam nõ artifices, ſed miniſtri tantùm: ſunt artifices, & miniſtri verbi gratia in ædificando, qui parietes ducunt: ſunt miniſtri tantùm qui præparant, & qui ferunt calcem, & lapides. *Architecti, & architectonica artis uocabula.* *vt in cap. 8. vi. ad Nicomachum.*

Nec dominis ſerui. Sic etiam Athenæus in vi. libro Cœnarum: vbi multa ex antiquis comœdiarum poetis carmina deſcribit de aureo ſeculo, & de fortunatis quibuſdam regionibus, in quibus omnia tam inanima, quàm animata iuſsis hominum obtemperabant, ijsq́ue præſtò erant & ad cibum, & ad alias commoditates, atque voluptates. Hæc vtrum nobis affuiſſent in ſtatu innocentiæ, ſi protoplaſtus non peccaſſet, quæritur à Theologis noſtris: de qua re alibi. *Locus Athenæi.* *In 1. ad Nicom. cap. 5. et 2 & in vi. cap. 7. & 8.*

Textus XL. & XLI.

Seruum eſſe inſtrumentum actiuum non effectiuum (qua re diſtet ab ijs, quæ ſimpliciter vulgus hominum inſtrumenta appellat) duabus rationibus oſtenditur.

Τὰ μὲν οὖν λεγόμενα &c.

SCHOLIVM.

Operationum, artiū, inſtrumentorum, & ob hæc mentis, ac rerum per contēplatiuū, actiuū & effectiuum diſtributio.

OPERATIONES, artes, inſtrumenta (latè ſumptis his vocabulis, ſed tamen vt ad homines pertinent: nam brutorum animalium, plantarum, inanimarum rerum, & diuinarum ſubſtantiarum aliæ agendi rationes ſunt) duabus ſummis differentijs, quæ ſunt contemplatiuum, & actiuum, græcè θεωρητικὸν, καὶ πρακτικὸν, ſumpto etiam latè hoc nomine actiuum, in duo prima genera diuiduntur. Horum duorum generum tria potiſsimùm diſcrimina varijs in locis traduntur ab Ariſtotele. Vnum ex principijs rerum obiectarum, ad quas iſtæ artes, operationes, inſtrumenta referuntur, ponitur in tex: commēt. pri. vi. Poſtnaturalium: vt principium rerum generis contemplatiui ſit in rebus ipſis contemplandis, non in contemplante; principium rerum alterius generis, quod actiuum dicimus, non ſit in ipſis rebus agendis, ſed in agente. hoc eſt, quum duæ omnino ſint cauſæ efficientes per ſe ex ij. Phyſicorum tex: com. 65. & 66. natura, quæ eſt intimum, & mens, quæ eſt externū principium, & cauſa eius, quod efficitur; res contemplandas natura facit; res agendas mens. quamobrem, vt ex huiuſmodi pendent principijs, illę aliter ſe habere non poſſunt; iſtæ poſſunt, & ſunt cōtingentes cap. pri. vi. ad Nicom. Et hoc idem diſcrimen indicauit etiam Ariſtoteles in tex: com. 17. primi de Anima, vt ibi declarauimus. Alterum diſcrimen ex fine propoſuit Philoſophus in tex: com. 3. ij. Poſtnaturalium, & in 49. iij. de Anima; dicens finem contemplatiui eſſe veritatem; finem

Generis cōtemplatiui et actiui latiùs ſumpti diſtinctio.

actiui

actiui eſſe opus. Ex viribus animæ, quæ artibus ſubijciuntur, & ſunt cauſæ operationum, & vtuntur inſtrumētis vnà cum corpore, ſignificauit tertium diſcrimen, quom diuiſit mentem,& animam rationis compotem in actiuam,& contemplatiuam, ſiue in facultatem ſciendi, & facultatem ratiocinandi,vel cōſultandi; vt in P. ad Nicom. cap. vltimo & in vj. cap.p.& 2. & in vj. Diuinorum tex: com. p. & in iij. de Anima ſæpe, & alijs multis in locis. Iterum verò actiuum genus, ſi latè, vt ſuprà accipiatur, ideſt quatenus perfectè opponitur cōtemplatiuo, diſtribuitur in actiuum arctioris iam ſignificationis,& in effectiuum, græcè ποιητικόν. Quorum duorum nominum duplex eſt vſus apud Philoſophos. aliquando enim acriùs eſſentiales, & maximè proprias introſpicientes differentias, quas veri fines, cauſæque efficientes, quæ finibus diriguntur, ſuggerunt; preſsè, proprieq; vtroque nomine vtuntur; aliquando, ad vulgarem quandam, & communem finium varietatem duntaxat ſpectantes, paulò fuſiùs ſumunt actiui vocabulum, paulò anguſtiùs effectiuj. Primo modo Ariſtotels in tex: com. p. vj. Poſtnaturalium, & in 22. ix. & in cap. 2. & 4. vj. ad Nicom. ait actiui generis principium, & cauſam efficientem eſſe electionem, græcè προαίρεσιν; effectiui mentem, aut artem, aut potentiam. Et in P. & in vj. lib. ad Nicom. vtrobique cap.p.& 2. ſed apertè in 2. vj. finem generis actiuj eſſe ſummum omnium, & ſimpliciter finem, & bonum, quod humanū, & ciuile,& actiuum bonum nuncupari ſolet, eſtque tandē locis citatis, & cap. 7. P. opus, ſeu munus hominis, ſiue humanæ, ſiue rationalis vitæ ex prudentia: finem effectiui eſſe bonum, & finem ſpecialem, nō generalē, nec ſimpliciter, ſed ad aliquid; tametſi non vt refertur ad illud,ſed per ſe ſit finis effectiui. Exempli cauſa lignarius faber finem habet ſedile, aut lecticam facere, quę bona ſpecialia,& fines quidam ſunt, ac nihilominus per ſe fines fabri lignarij; non tamen per ſe ſimpliciter fines, ſed ad aliud, ideſt ad vitæ cōmoditatem, quæ eſt pars beatæ vitę. Vt cōtineat quidem hoc modo,& ſignificatu genus actiuum, quod alijs nominibus latè ſumptis morale etiam, & ciuile dicitur,

Actiui preſſius ſumpti et effectiui generis diſtinctio.

Vnº modus diſtinguēdi hæc genera effectiui et actiui preſſius ſumpti.

citur quicqd ad actiones humanas, quę ꝓpriè humanę, ac ciuiles actiones nominātur; quicquid ad vitia, & virtutes, ad felicitatem, & miseriā actiuam, ad instrumēta, ac cætera oīa; quæ eò referuntur, & vt referūtur, pertinet; in summa quęcunque quouis modo consyderant tres disciplinæ, mores, & societates, & consuetudines hominum expēdentes, Ethice, Politice, Oeconomice: effectiuum verò contineat quicquid est artium, quę propriè artes dicuntur, siue actione finiātur, siue post actionē opus relinquant, & artificia, artificiosasq; operationes oēs, quanquam perfectæ artes nō essent. Altero modo Galenus in lib. ad Thrasybulum, Quintilianus in ij. Oratoriarū institutionum, Alexāder in vj. Postnaturalium, Gręcus Interpres in vj. ad Nicom, & multi alij sic seiungunt actiuum ab effectiuo, vt actiuum sit, vbi finis consummatur actione, nihilq; post actionē operis superest, quemadmodū in saltatione, & in cantu: sit verò effectiuum, vbicunq; opus actionē sequitur, quod cessante ea maneat, posśitq; demonstrari, veluti in structura ędium, & in medicina, quarū altera domum, altera sanitatē præstat. Et hoc quidē posteriori modo actiuū magis dilatatum; quàm vera eius ratio priori modo explicata patiatur; occupat partē effectiuj, quasdam artes, & munera, & instrumenta artium, quæ propriè artes nominantur, complexum: quorum quidē instrumentorum, & munerum, & artium non finis summū bonum, non principium electio, sed quoddam bonum, & habitus mētis vera cum ratione effectiuus finis, & principiū sunt. Artes .n. oēs, etiā musica & saltatoria, & quascunq; alias hęc sentētia actiuas vocat, sunt verè habitus effectiui ex 4. cap. vj. ad Nicō. nam si habitus effectiui, & artes nō essent; quales tandem essent habitus, & ad quod genus reuocarentur? num ad prudentiam? num ad intelligētiam? num ad scientiam? num ad sapiētiam? Non suffragātur huic sentētię tria illa loca ex 2. & 5. cap. vj. ad Nicom. & ex tex. com. 16. ix. Postnaturaliū, ob quę multi Peripatetici eam sequuntur. Scribitur in duobus primis, finem effectionis semper esse rem ab effectione diuersam, finē actionis nō esse semper diuersum ab actione.

Alter modus distinguendi eadē genera.

Anteponitur prior modus.

eſſe enim bene agere, ac felicitatem ipſam ſibi finem. Et in tertio ſcribitur, vltimum, quod fiat in quibuſdam, eſſe ipſum vſum, & actum potentiæ, nec quicquam aliud operis in illis fieri præter vſum, & actum, verbi gratia in aſpectu; in quibuſdam aliud fieri opus præter actum, & vſum, quemadmodum in ædium extructione. Verùm quod ait Ariſtoteles in 2. & in 5. capite vj. ad Nicomachum eſt planè illud, quod nos paulo antè dicebamus: nimirum in genere effectiuo finem ſemper eſſe bonum, & finem nō generalem, & ſimpliciter, ſed ſpecialem, & qui in vlteriorem finem, ac bonum dirigatur: quanquam non vt dirigitur in vlteriorem, ſed per ſe eſt finis effectiui. In ix. autem Poſtnaturalium loquitur non de actiuo, & effectiuo, quandò ne hæc quidem vocabula nominet, πράξιν, καὶ ποίησιν: ſed de àctibus, ſeu operationibus, & operibus (περὶ τῶν ἐνεργειῶν, καὶ ἔργων) efficientium potentiarum; diſtinguens actus huiuſmodi, quòd quidam ſint vſus ipſarum potentiarum tantùm, & actus ſolitarij, nihil generantes, quorum ſubiectum, in quo hæreāt neceſſariò ſit illa eadem res, à qua proficiſcuntur; quidam ſint actus, quos ſequatur nouum opus in materia externa, in qua & ipſi hac de cauſa inſunt ex neceſsitate. Cæterùm iſthæc nos copioſius perſequuti aliàs ſumus, præſertim in præfatione lib. ad Nicom. & in principio vj. Poſtnaturalium. Vnde etiam hæc pauca deprompſimus. Hìc igitur, quom ſeruum, & omnino quicquid in bonis habetur, eſſe inſtrumentum actiuum Philoſophus oſtendit, vox actiuum accipienda eſt primo modo, id eſt preſsè, ac propriè pro eo, quod ad vitam humanam, ſeu rationalem ex prudentiæ habitu dirigitur. Et hoc quidem præter ea, quæ hactenus diximus, patefaceret ſecundus horum duorum textuum; niſi ratio primi accerſere ſecundam ſentētiam videretur, quod tamen verum non eſſe, & priori ſententiæ illam ipſam rationem nihil obſiſtere declarabo.

Actiui nomen hoc ī loco, quā dicitur inſtrumentum actiuum, quid.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. XL.

Prima ratio oſtendens ſeruum eſſe inſtrumentum actiuum, non factiuum; & hac re diſtare ab iis, quæ vulgus hominum inſtrumenta appellat. Locus à genere: nam τὸ κτῆμα, cuius ſpecies eſt ſeruus, inſtrumentum eſt actiuum, non factiuum. hoc autem quibuſdam finibus iſtorum generum, actiui, & factiui, differentiaque eiuſmodi finium confirmatur. atque hæc finium differentia in vtriſque ſubiectis, generalibus, & ſpecialibus, ideſt in actiuo, factiuoq; genere inſtrumentorum, inſtrumentiſque artium, & τοῖς κτήμασι item confirmatur, declaraturque expoſitione, ſiue exemplis.

Textus xl. [a] Τὰ μὲν οὖν λεγόμενα ὄργανα, ποιητικὰ ὄργανά ἐστι· [b] τὸ δὲ κτῆμα, πρακτικόν. [c] ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς κερκίδος ἕτερόν τι γίνεται παρὰ τὴν χρῆσιν αὐτῆς· [d] ἀπὸ δὲ τῆς ἐσθῆτος, καὶ τῆς κλίνης ἡ χρῆσις μόνον.

[a] Quæ quidem igitur inſtrumenta dicũtur, effectiua inſtrumenta ſunt: [b] id autem, quod eſt in bonis, eſt actiuum. [c] à pectine enim aliud quippiam exiſtit præter vſum ipſius: [d] à veſte & lecto vſus tantùm.

a. b. Elicitur diuiſio inſtrumentorum in duo genera. c. d Elicitur differentia finiũ effectiuorum & actiuorum inſtrumentorũ. atq; per eã differẽtiam definitio vtriuſque generis.

EXPLANATIO.

[a] QVANQVAM ſeruus eſt inſtrumentum, & inſtrumentum quidem ante inſtrumenta, vt antea eſt demonſtratum; non tamen eſt eiuſdem modi, cuius ſunt ea, [a] quæ vulgò inſtrumenta appellantur; neç tam propriè inſtrumentum dicitur, quàm illa. Vulgò inſtrumenta appellantur inſtrumenta artium, non à natura procreata, ſed excogitata, & effecta à nobis in vim, & formam inſtrumenti: quæ forma inſtrumenti eſt, vt vſum præbeat potiùs, quàm fructum, ideſt vt ſit vtile, & conducat ad rem aliam primò, & per ſe. Omnino enim inſtrumentum communi ratione eſt id, quo aliquis vtitur ad aliud quidpiam efficiendum, aut agendum, aut adipiſcendum. quocirca medium eſt ſemper inter efficiens & finem, & alio vocabulo vtile noncupatur. Primùm igitur artium inſtrumentis, vt pectinĩ, & plectro, nomen hoc inſtrumenti multitudo hominum impoſuit; quoniam & illa, & qui illis vterentur, & res, quas facerent, multum inter ſe diuerſa ſub ſenſum veniebant; cernebanturq; diſtinctè textor, pecten, tela; citharista, plectrum, ſonus: conſpicuũ erat ſumi ex illis non fructum, ſed vſum tantùm ad res eas, ad quas dirigerentur; fructum verò ex ijs ipſis rebus, vel ex alijs, in quas ipſæ tenderent. neque enim plectro, cithara'ue, ſed ſono; non pectine, ſed tela fruimur: illis vtimur duntaxat; & præter vſum, per ſe nihil præſtant, niſi fortè ornatum; quod eſt commune omnium rerum, vt res ſunt, non vt inſtrumenta. Ab his inſtrumentis artium paulatim traductum fuit vocabulum ad naturę inſtrumenta, ad genitales corporis partes, quarum opus eſſet apertiſſimum, cęteraque membra officialia. Deinde ad res eas quæ conducerent naturâ ſua muneribus virtutum,

a. quæ inſtrumenta dicuntur.

Inſtrumenti vocabulũ quib⁹ primũ quibus deinceps attributũ, & quibus magis, quibus minus propriè.

Inſtrumentũ communi ratione quid.

Inſtrumenta artium.

Inſtrumenta naturæ

Inſtrumenta actionum humanarum.

tutum, cunctisq; humanis actionibus, quæ propriè ſic nominantur. Tandem generaliter dictum eſt inſtrumentum, quicquid quocunque modo idoneum eſſet ad ſubſidium, & opem aliquam afferendam operationi, aut præter hanc operi cuipiam. operationē nunc interpretor τὴν ἐνέργειαν, aliâs actum; opus τὸ ἔργον. Ita etiam ſcientię, & ſapientię, & contemplationis inſtrumenta ſunt nominata. Ad ſummam ergo inſtrumenta in duo genera diuidūtur. nam alia effectiua ſunt, [c] vſu ſuo, quæ ſua actio eſt, aliud quidpiam in exteriori, & corporea materia generantia: ſicut de pectine, plectroque diximus; quorum ille telam, hoc ſonum gignit, vſu ſuo proprio vterque; qui vſus in vtroque eſt motio, & ictus certi cuiuſdam modi; illius ad fila, quæ ſubtegmen, & ſtamina vocant; huius ad citharam, & aerem. Alia ſunt actiua inſtrumenta; [d] à quibus porrho nihil habetur, niſi vſus tantùm: ſed hic vſus eſt fructus quidam: quamobrem perfectior eſt ſuperiori. Vt lectus, & veſtis quid nobis præſtant? ſane vſum tantùm ſuum: & hic vſus eſt fructus aut commoditatis, aut iucunditatis, quem ex illis ad vitam capimus; altera tegentes, exornanteſq; corpora noſtra; in altero cubantes, morbi, laſſitudinis, ſomni causâ. Et hanc quidem diuiſionem nullum effugere inſtrumentorum poteſt. quodcunque enim fuerit, ex eo neceſſe eſt aut vſus tantùm exiſtat; aut præter vſum res quędam alia, certum nomen, certamq; definitionem habens. [a] In primo genere rem aliam præſtante pręter vſum, ſunt omnia inſtrumenta artium effectiuarum, quæ, vulgò, & primùm inſtrumenta appellata, alijs nomen dederunt: fortaſſe etiam quædam inſtrumenta naturalia, potiſſimum quæ animæ vegetalis. [b] In ſecundo genere eſt cum cæteris ſeruus. At ſic eſt ſeruus in ſecundo genere, quòd quum vſum ſui tantùm præbeat, ſi finem ſpectemus; ad actiones humanas conducit, ad virtutum munia, ad felicitatem ciuilem. Quæcunque enim opera facit; nam certè frequenter facit, & quæ poſt actionem etiam reliquantur; hûc tendunt omnia. &, ſi contemplationi interdum vtilis videtur, vel quibuſdam artibus; illud euenit ob actiuam vitam, quæ eſt baſis, & fundamentum contemplatiuæ; hoc, quia ſeruis abutamur nonnunquam pro opificibus, & miniſtris. Seruus itaque eſt actiuum inſtrumentum; & propriè actiuum, ideſt actionum humanarum, ſeu ad vitam, & felicitatem actiuam. Sed hoc poſtea in textu proximè ſequenti. In præſentia verò oſtenditur eſſe ſimpliciter actiuum: quod eſt præſtari ab eo vſum tantùm, & præterea nihil: atque hac re quidē differre ab artium inſtrumentis, quæ ſunt factiua, quorum vſum res alia diuerſi generis ſequitur in materia externa; ſicut ſubula, quom ea vtimur, calceū; acus veſtem facit. Oſtendit id Philoſophus, nempe ſeruum eſſe inſtrumētum hoc modo ſimpliciter actiuum, per locum à genere. nam [a] quemadmodum quæ vulgò inſtrumenta dicuntur, ideſt artium inſtrumēta ſunt inſtrumenta effectiua; [b] ita κτήματα, ideſt res ſingulæ, quæ ſunt in bonis, actiua ſunt: continetur autem genere rerum, quæ ſunt in bonis, ipſe ſeruus, vt conſtitutum eſt ſuprà: ergo ſeruus actiuum, nō effectiuum inſtrumentum eſt; hacq; re diſtat ab artium inſtrumentis. [c] Maior firmatur loco à quibuſdā finibus (ſi modò dicēdi ſunt fines, & nō effecta) actiuorum, effectiuorumq; inſtrumētorum: ex quib⁹ finibus quaſi definitur vtrunq; genus hoc modo: Effectiua inſtrumēta ſunt ea, à quibus aliud quippiā efficitur præter vſum ipſorum: Actiua ſunt illa, à quibus vſus tantùm habetur. ſed inſtrumenta artium efficiunt, & præſtant aliud quippiam præter vſum:

Inſtrumenta in vniuerſum.

Inſtrumenta contemplationis.

Inſtrumentorū genera duo actiuum, & factiuum.

Seruus quomodo actiuum inſtrumentum.

Syllogiſm⁹ huius textus oſtēdens ſeruū eſſe inſtrumentum actiuum ſumpto paulo latiùs actiui vocabulo.

Proſyllogiſm⁹ oſtendēs maiorē ſyllogiſmi, ideſt artiū inſtrumentū eſſe inſtrumenta effectiua. τὰ κτήματα verò actiua.

text. 36. 37. 38.

Fines, ſiue effecta, & definitiones quædā actiuor. m effectiuorūq; inſtrumētorū.

τὰ

Cōfirmantur, illuſtranturq́; exemplis ambo propoſitiones proſyllogiſmi de differentia finium actiuorum atque effectiuorum inſtrumētorum in ſubiectis generalibus, & ſpecialibus.

Partes textus.

τὰ κτήματα, ideſt quæ ſunt in bonis, præſtant vſum tātùm: ergo illa effectiua, hæc actiua inſtrumenta ſunt. Huius autem ij. ſyllogiſmi tam maior, quàm minor, ideſt tam fines actiuorum, effectiuorumq́; inſtrumētorum ſic differre, ſicut dictum fuit, quàm congruere eoſdem, vnum in inſtrumenta artium, alterum in ea, quæ ſunt in bonis, ideſt ἐις τὰ κτήματα; confirmatur, & declaratur exemplis. Pro effectiuo quidem, & inſtrumento artium, pectinis; pro actiuo verò, & re, quæ eſt in bonis, lecti, & veſtimenti exempla afferuntur.

Partes textus duæ. Prima (a b) diuidit inſtrumenta in duo genera, in vno reponens ea quæ vocantur inſtrumenta; in altero τὰ κτήματα, & ſeruos. Secunda (c d) confirmat diuiſionem, & collocationem differentia finis vtriuſque generis, & exemplis.

SCHOLIA.

Quæ primò, et propriè, et maximè dicantur inſtrumenta.

Muſica inſtrumenta.

Differētia inſtrumētorum actiuorum & effectiuorum, quia hæc aliquid, illa nihil relinquāt poſt actionem nō eſt ea, quæ traditur hoc in loco.

Inſtrumenta artiū vocātur ſimpliciter inſtrumenta, cætera ex additamento.

In Scholio antecedenti.

Quæ inſtrumenta dicuntur. Hæc diximus eſſe inſtrumenta artium; cauſaſq́; explicauimus, cur primò, & propriè, & maximè nuncupentur inſtrumenta. Præ omnibus autem κατ᾽ ἐξοχὴν organi, atque inſtrumenti vocabulo non ſolum græcè, & latinè, ſed etiam noſtro hoc Italico idiomate, fortaſſe & quibuſdam alijs inſtrumenta muſica ſignificantur tum omnia, tum præcipuè quædam, quæ aut maiora ſunt, aut videntur excellentiora. Non poſſunt itaque hæc muſica inſtrumenta actiua eſſe: ſi illa quidem, quæ vulgo appellantur inſtrumenta, effectiua ſunt. Et tamē nihil relinquitur operis poſt actionem muſicorum inſtrumentorum: niſi opus dicas animi affectū, generatum aliquādo ab harmonia, & poſt eam ad aliquod tēpus perdurantem. ſed tale opus non intelligunt ſecundę ſententię auctores, vt diximus ſuprà, quom eo diſtinguūt effectiuū ab actiuo genere, quia in hoc nihil, in illo aliquid operis relinquatur ceſſante actione. Hæc igitur diſtinctio actiui, & effectiui, quam tradit in hoc textu Philoſophus eſt diuerſa ab illa, vt ibi admonui. Vocātur inſtrumenta artiū propriè, & primò inſtrumenta, & hac de cauſa etiam ſimpliciter: cætera non ſimpliciter, ſed ex additamento, inſtrumenta naturæ, inſtrumenta actionis, inſtrumenta contemplationis. vt oculus non dicitur ſimpliciter inſtrumentum, ſed inſtrumentum videndi; diuitiæ inſtrumentum liberalitatis; demonſtratio inſtrumentum ſcientiæ.

Tres dubitationes quomodo ſeruus actiuum, & propriè actiuum inſtrumētum.

Id autem, quod eſt in bonis, eſt actiuum. Sed ſeruus eſt vna ſpecies eorum, quæ ſunt in bonis. De ſeruo autem quî dici poſsit actiuum, & propriè actiuum inſtrumentum; tres dubitationes propoſitæ ſunt, & ſolutæ à nobis in explanatione: vna, quia multa opera facit; nec ſolum vſum præſtat, vt lectus, & tunica: altera, quia contemplatiuæ vitæ; tertia, quia quibuſdam artibus vtilis videatur.

Quæ, & qualis, & quibus nixa differentijs ſit diſtinctio actiuorū effectiuorumq́; inſtrumentorum, quæ hoc in loco traditur.

A pectine enim aliud quid exiſtit &c. Hęc diſtinctio actiuorum, & effectiuorum inſtrumentorum in hoc conſiſtit, quòd ab actiuis vſum tantùm habemus; ab effectiuis pręter vſum aliquid aliud, quod per vſum gignitur in exteriori, & corporea materia, ſiue id maneat, ſiue non maneat poſt vſum. Duabus igitur ad ſummum differentiis diſtat inſtrumentum effectiuum ab actiuo: vna, quia gignitur, & habetur ab eo aliquid aliud vltra vſum: altera, quia hoc, quod gignitur præter vſum, gignitur in materia exteriori, & corporea. Atque hęc quidem ſecunda differentia eſt neceſſaria ob inſtrumenta quædam actiua tum actionis, tum contemplationis: quorum commune eſt cum effectiuis, vt præſtent aliquid præter opus: ſed hoc, quod præſtant, non gignitur in exteriori, & corporali materia. Exempli cauſa ciuilis Philoſophus oratione, tanquam inſtrumento vtens, purgat, excolitque animos ſuorum ciuium. Pręſtatur ergo aliquid ab oratione tunc præter vſum; nempe virtus, quam in animam Philoſophus oratione ſic inducit, ſicut pharmacis inducit medicus in corpora ſanitatem: ſed efficitur ſanitas in corpore, quod vera materia eſt: exiſtit virtus in anima,

quæ

quæ non eſt, nec dicitur materia, niſi ſimilitudine. Eòdem modo vtimur phantaſmatis, & organo phantaſmatum, imaginationiſque ad contemplandum: vnde exiſtũt in mente noſtra ſcientia, & contemplatio. Prima autem differentia excluduntur cętera actiua inſtrumenta, à quibus nihil habetur, niſi vſus tantùm. Quòd ſi ad has duas differentias tertiam illam adderemus, quam potiſſimum conſyderant Galenus, Quintilianus, & alij, qui cum illis conſentiunt; nempe effectiuorum remanere opus, quod vſu, & actione efficitur, poſt ipſum vſum; multa inſtrumenta artium, quæ ſunt effectiuá, & vulgò, ſimpliciterq́ue vocantur inſtrumenta, vt pauloantè dicebamus, non amplius in effectiuo, ſed in actiuo genere continerentur. Nec verò inter opus, & operationem, ideſt inter ἐνέργειαν & ἔργον eſt illud diſcrimen, quod ipſi putant; quaſi opus ſit id, quod maneat etiam ſine præſentia efficientis; operatio non maneat, ſed fluat continenter ab efficiente: nec iſtud voluit Ariſtoteles in primo cap. primi ad Nicom. At diſtant quòd operationem formâ & vi ſuâ proximè efficiens producit: opus naſcitur ex operatione, & interdum manet, interdum non manet ſine ea. Exempli cauſa manent ædes, quæ ex ædificatione exiſtunt: non manet ſonus, qui exiſtit ex pulſu fidium. Aliquando etiam opus capitur latiùs, & continet operationem: vt in tex: com. 16. ix. Poſtnaturalium ſcribit Ariſtoteles τὴν ἐνέργειαν εἶναι τὸ ἔργον, ideſt operationem eſſe opus; & ab opere hac de cauſa nominatam operationem eſſe. Sed de his ſatis. Diuerſam itaque omnino hanc diſtinctionem actiui, effectiuiq́ue, quæ hoc in loco affertur, à diſtinctione Galeni & Quintiliani, atq; ea multo firmiorem eſſe puto: infirmiorem tamen alia, quam à veris finibus, veriſq́ue cauſis efficientibus ductam eſſe in libris Poſtnaturalium, & ad Nicomachum, ſuprà annotaui. Huius enim loci diſtinctio finibus quibuſdam accidentariis, vel potius effectis rebus, terminiſq́ue, quàm finibus, nititur. quod non ſolet facere Ariſtoteles, intima, & eſſentialia ſemper inquirens, vnde differentias accipiat; generaq́ue, ac ſpecies diſtinguat ſuas.

Contra diſtinguētes actiuū et effectiuum, quod hic aliquid, ibi nihil relinquat poſt actionem.

Operis et operationis, ideſt ἔργου καὶ ἐνεργείας differentia.

In Scholiis eſt mens horum duorum textuum.

Præter vſum ipſius. Conuenientiſſimum, & maximè idoneum rei, de qua Philoſophus loquitur, eſt hoc vocabulum, vſus. Sicut enim rerum ſubſiſtentium, quas ſuppoſita appellant, propriæ ſunt actiones: ſic inſtrumẽti vſus eſt proprius: atque hic eſt propria eius actio: nam tunc agit inſtrumentum, eſtq́ue inſtrumentum perfectè, quom eo quis vtitur. Etiam in tex: com. 16. ix. Poſtnaturalium vſum dixit Ariſtoteles pro actione, de viribus verba faciens. Cur? Interpretes non explicarunt. at eadem eſt cauſa. nam vis, & poteſtas efficiens inſtrumento eſt ſimilis, & quaſi inſtrumentum quoddam. non enim ipſa, ſed res ſubſiſtens, cuius ipſa eſt poteſtas, eſt id, quod verè, propriéq́ue agit, vtens poteſtate, & agens per poteſtatem, quam in ſe habet, tanquam per inſtrumentum. quapropter actio de re ſubſiſtente propriè dicetur; de poteſtate vſus; tametſi de hac etiam dicitur propriè actio alia ratione. ſed hæc alibi vberiùs.

Vſus verè ſolū propriè de inſtrumento pro actione de re ſubſiſtente vtruſq; de facultate.

Locus è ix. Poſtnaturalium.

Vſus tantùm. Finis bonorum, & eorum omnium, quæ in bonis habentur, ideſt τῆς κτήσεως, καὶ τῶν χρημάτων eſt vſus. Inanes ergo, nec veræ facultates, & diuitiæ: inanis, nec vera earum poſſeſsio, & dominium, ſi iis nunquam vtamur. proprio .n. carent fine, ſine quo nõ eſſent diuitię. & rectè vulgò dicitur, auaros non poſsidere, ſed poſsideri à diuitiis ſuis.

Diuitiæ, quarū nō eſt vſus, inanes ſunt, et inanis poſſeſſio earum.

ARGVMENTVM. TEXT: XLI.

Secunda ratio oſtendens ſeruum eſſe inſtrumentum actiuum, non effectiuum; & hac re diſtare ab ijs, quæ vulgus hominum inſtrumenta appellat. Locus à fine: nam vita, cuius inſtrumentum eſt, & in quam ſeruus, generaliterque vnumquodque τῶν κτημάτων, dirigitur; eſt actio: actio autem, & effectio, cuius effectionis inſtrumenta ſunt illa, quæ vocari vulgò inſtrumenta dictum fuit in textu antecedenti; differunt inter ſe ſpecie, ideſt forma, & quiditate.

Text. xlj. [a] Ἔτι δ᾽ ἐπεὶ διαφέρει ἡ ποίησις εἴδει, καὶ ἡ πρᾶξις. [b] δέονται δὲ ἀμφότεραι ὀργάνων: [c] ἀνάγκη καὶ ταῦτα τὴν αὐτὴν ἔχειν διαφοράν: [d] ὁ δὲ βίος, πρᾶξις, οὐ ποίησις ἐστι: [e] διὸ καὶ ὁ δοῦλος, ὑπηρέτης τῶν πρὸς τὴν πρᾶξιν.

a. b. c. Elicitur: Res, quarum ſunt inſtrumenta, ſi ipſa inter ſe differant, & earum inſtrumenta inter ſe differre. d. e. Elicitur. Seruũ eſſe inſtrumentũ ad vitam.

[a] Prçterea, quoniam differunt ſpecie effectio, & actio; [b] & vtraque indiget inſtrumẽtis: [c] neceſſe eſt hæc etiam eandem differentiam habere: [d] vita autem actio eſt, non effectio: [e] quapropter & ſeruus miniſter eſt eorum, quæ ad actionem pertinent.

EXPLANATIO.

Inſtrumenta differũt inter ſe pro differentia operationum.

a. quomodo etc. c. neceſſe eſt etc.

RATIO, & vis inſtrumenti, quemadmodum ſępe admonuimus, conſiſtit in vſu. dirigitur autem vſus, tanquam in finem ſuum, omnino in aliquam eius, quod inſtrumento vtitur, operationem: ſic, vt dixi, in pręſentia ἐνέργειαν interpretor. quę operatio aliquando quidem cõiuncta eſt cum vſu, & ex eo naſcitur; vt vſu medicamẽti gignit medicus ſanitatem, & vſu ſecuris faber lignarius ſedile: aliquando eſt ab vſu diſiuncta; nec exiſtit per eum, licet non exiſtat ſine eo. Verbi gratia niſi cibaria, & veſtitum, & habitationem haberemus; non agendi ex virtutibus, nó contemplationi vacandi facultas nobis daretur: nec tamen per ædium, aut veſtium, aut cibariorum huiuſmodi vſum contemplamur, agimus'ue ex virtutibus. Sequitur itaque, quoniam vſus inſtrumenti pendet ex operatione, tanquam ex fine ſuo proprio; atq; idem vſus vim & rationem inſtrumenti continet; vt pro differentia operationum differant inter ſe inſtrumenta ipſa. Porrho autem, ſemota nunc contemplatione, quæ maiores, excellentioresque nos nobis ipſis, ac cœleſtes ciues reddit: operationes propriè humanæ, quę ab homine, quatenus homo eſt, proficiſcuntur, duplices ſunt; aliæ actionis; alię effectionis vocabulo nuncupatę. Et eſt hęc duplicitas eſſentialis, & quiditatiua. nam quemadmodum varia actioni, effectioniq; vocabula fuerunt tributa; ita ipſę variæ, ac differentes * ſpecies, & formæ ſunt: ſi hoc nomine vti licet in rebus ſumplicibus ad rationes, & quiditates, & eſſentias, quibus illæ inter ſe, & ab alijs diſtinguuntur, ſignificandas. Differre autem operationes iſtas humanas in actionem, effectionemq; diſtributas, quum propriè, ex oppoſituq́ue hęc vocabula accipiuntur, forma, & ſpecie, & eſſentia, & quiditate, & ratione; planè liquet. Siquidem, vt ſuprà declarauimus, ex Ariſtotelis doctrina actio, & effectio

Actionũ propriè humanarum in actiones et effectiones diſtributio

a.

Actiones & effectiones differunt inter ſe ſpecie, hoc eſt ratione, & quiditate: vel eſt eſſe eas ſpecies, vel etiam genera differentia.

** ſpecies.*

diuerſa

diuerſa principia, diuerſos fines, diuerſasq́; res ſubiectas habent: quorum trium vnumquodque, vbi eſt diuerſum, reddit operationes ſpecie hoc eſt ratione & quiditate differentes. Erat actionis principiũ electio, finis, ſummum bonum, & felicitas ciuilis ſeu actiuæ vitę: res ſubiectæ, vitia, virtutes, mores, conſuetudines, ſocietates hominum. At effectionis principia erant mens, & ars, & poteſtas quædam, ſuo vnaquæque modo: fines, formæ artificioſæ, quę certi quidam, ac ſpeciales fines, bonaq́; erant; & quanquam ad generale, ſummumq́ue bonum, & finem dirigerentur, non tamen vt eò dirigebantur, ſed per ſe erant fines effectionis: tandem res ſubiectæ, eædem, quæ artibus ſubijciuntur. Ex quibus colligeret aliquis rationem vtriuſq; in hunc modum: Actio eſt operatio ex electione in conſuetudinibus & ſocietatibus hominum ad vitæ ciuilis felicitatem: effectio eſt operatio ex mente, & arte, vel poteſtate alia pari, ad formam ſimilem ei, quam mens ipſa concepit, inducẽdam in certum genus materiæ, quod ſubijcitur eiuſmodi arti. Diſtant igitur prorſus ſpecie, quiditateq́; actio, & effectio: quod eſt eſſe eas, ſpecies, vel etiam genera differẽtia; ſpecies, quia vno comprehenduntur genere, quod eſt operatio, genera, quia in alias & ipſę de integro ſcinduntur ſpecies. [b] Et quoniam vtraque harum, ſeu ſpecies ſit, ſeu genus, quò probe fiat, eget non ſolùm viribus, partibusq́; coniunctis primi operantis, ſed etiã adminiculis quibuſdam, & veluti partibus ſeparatis, quæ ipſa ſunt instrumẽta: [c] neceſſe eſt ob ea, quę initiò diximus, differre inſtrumẽta hæc, ſuarum operationũ in modum, ſpecie, & quiditate (ita vt ſint ſpecies & genera inſtrumentorũ differentia, quæ actionis ſunt, & quæ ſunt effectionis, quorum illa actiua, hæc effectiua Philoſophus nominauit) nec altera alteris miſceri. Sunt verò inſtrumenta effectionis, & effectiua illa, quæ vulgò dicũtur inſtrumenta, ideſt inſtrumenta artium, vt in ſuperiori textu cõſtitutum fuit: ſunt actionis, & actiua ſeruus, & τὰ κτήματα omnia. Ergo ſeruus, & τὰ κτήματα omnia ſunt inſtrumenta ſpecie, & genere differentia ab ijs, quæ vulgò dicũtur inſtrumenta, & ſunt inſtrumenta artium: quoniam ipſa actiua ſunt, & actionis; illa effectiua, & effectionis; quæ quidem ſunt ſpecies, vel etiam genera diuerſa inſtrumentorum. [d] At eſſe ſeruum, & omnia κτήματα inſtrumenta actionis, actiuaque, quum in antecedenti textu fuerit demõſtratum, ſumpta voce actiui paulò latiùs; hic, eâdem voce propriè ſumpta, iterum demõſtratur ad hunc modum. Vita, de qua nobis ſermo eſt, quæ in conſuetudine, & ſocietate hominum degitur, eſt * actio, non effectio, ideſt eſt πρᾶξις, latinè actio propriè dicta, non ποίησις. Eſt quidem omnis vita ἐνέργεια, hoc eſt operatio, ex multis Ariſtotelis locis, præſertim ex principio ij. de Animæ, & ex text: com. 16. ix. Poſtnaturalium. Sed vita, de qua loquimur, nõ vegetalis, non ſenſualis, verùm animæ rationis compotis, atque huius, quum ipſa etiam ſit duplex, pars ea, quæ mores, ac cœtus humanos ſpectat, tandem quam excolit hæc diſciplina; non ſolum eſt operatio, græcè, ἐνέργεια, ſed etiam πρᾶξις, ideſt actio, quæ verè, proprieq́; dicitur, ex 7. cap. P. ad Nicom. & p. & 2. vj. & 6. 7. 8. x[i]. quanquam enim confunditur aliquãdo vſus horum vocabulorum: tamen propriè ἐνέργεια, ideſt operatio latiùs patet, continẽs pręter operationes naturales contemplationem, actionem, & effectionem: actio, ideſt πρᾶξις, eſt ſpecies illius, quæ ad mores, & ſocietates hominum pertinet. Eſt igitur huiuſmodi vita actio, quæ propriè ſic dicitur: & ſanè ſeruus, generaliterq́; κτήματα omnia inſtrumenta ſunt huiuſmodi vitæ, ex

Actionis principium, finis, res ſubiecta. Effectionis principium, finis, res ſubiecta.

Definitio actionis. Definitio effectionis.

Inſtrumenta actionũ, & inſtrumenta effectionum differre inter ſe ſpecie & quiditate.

Seruum & τὰ κτήματα omnia eſſe inſtrumẽta differẽtia ſpecie, vel etiã genere ab ijs, quæ vulgò inſtrumẽta nominantur, ideſt ab artium inſtrumentis.

Seruum & τὰ κτήματα omnia eſſe inſtrumẽta actiua ſumpto propriè actiui vocabulo.

Vita, quæ in ſocietate hominũ degitur, eſt actio, quæ propriè dicitur, & nullo modo effectio.

** actio eſt, nõ effectio.*

ſuperioribus textibus *56. 57. 58*: [e] ergo ſeruus eſt inſtrumentum, & [*] miniſter (nam ſibi hæc duo reſpondent in artibus, vt miniſter inſtrumentum ſit animatum, & inſtrumentum miniſter inanimatus) eſt, inquam, ſeruus inſtrumentum, & miniſter non artium, ſed eorum, quæ ad actionem attinet, vel, ſi malis vno vocabulo, eſt actiuum verè, propriéq; inſtrumētum, non effectiuum. *[*] miniſter.*

Partes textus. Partes textus duæ. Prima (a b c) oſtendit actiua, & effectiua inſtrumēta eſſe ſpecies, vel etiam genera diuerſa inſtrumenrorum. Secunda (d e) probat ſeruum, & κτήματα omnia eſſe inſtrumenta actiua.

SCHOLIA.

Errores Explanator. in aſſignāda differētia actionis et effectionis, q hac fiat in exteriori materia illa maneat in operante. *Differunt ſpecie effectio, & actio.* Inaniter D. Thomas, & alij eum ſequentes, ad declarandam differentiam actionis, & effectionis transferunt hûc, quæ ſcribuntur ab Ariſtotele in 16. textu ix. Poſtnaturalium. Neque enim ibi hæ voces, πρᾶξις, καὶ ποίησις, ideſt actio, & effectio vſpiam leguntur: neque de his, aut de earum differentia quicquam omnino traditur. At quod facit Philoſophus eo in loco, eſt illud, quod nos ſuprà annotauimus. diſtinguit enim actus potentiarum, quatenus alij ſimplices ſunt, & ſolitarij; alij quaſi duplices, quia ex vſu potentiæ res alia exiſtat: ac quæ ſint ſubiecta vtriusque generis docet. Non manet præterea omnis actio in operante, vt quom reſpublica formatur, aut domus inſtituitur, aut bellica opera eduntur: neceſſe enim eſt mutationē conſpici in rebus externis; & non quemadmodum ſi quis aliquid intueatur, aut contempletur; ex quibus actibus, quà huiuſmodi ſunt; res exteriores nihil mutantur. Nec verò contemplatio, quæ manet in contemplante, eſt propriè πρᾶξις. Verùm hæc & alius ſunt loci, & ſatis expoſita ſuprà. *In Scholio communi horum duorū textuū.* *Locus è ix. Poſtnaturalium. Locus ille nō eſt ad propoſitū huius rei. Falſa eſt differentia ex ea parte quòd actionis ratio propria ſit manere in operante.*

Vita autem actio. Dicit βίος non ζωὴ, indicans de qua loquatur quòd de humana, & rationali. At in 16. ix. Poſtnaturalium, in principio ij. de Anima, & in 7. P. ad Nicomachum, quum de omni loqueretur, alterum vſurpauit vocabulum ideſt τὴν ζωὴν, ſicut & in 39. xij. Poſtnaturalium, quando non loquebatur de humana, ſed de ſuperiori quadam vita, propria mentium diuinarum. *Vocabula βίος, καὶ ζωὴ.*

ARGVMENTVM. TEXT. XLII.

Seruum eſſe domini nō ſolùm ſeruum, ſed omnino, & ſimpliciter: dominum autem eſſe ſerui dominum tantùm, non etiam ſimpliciter. Locus à genere: quoniam τὸ κτῆμα, id ſcilicet, quod eſt in bonis, quod eſt genus ſerui, & ille, in cuius bonis eſt, græcè ὁ κτήτωρ, quem etiam dominum appellari, latè ſumpto hoc vocabulo dominus, ſuprà annotauimus, ſic ſe habeant inuicem. hoc autem oſtenditur per locum à proportione: quoniam id, quod eſt in bonis, & ille, in cuius bonis eſt, ad ſeſe inuicem ſic dicantur, & referantur, ſicut dicuntur, & referuntur inuicem ad ſeſe vnaquaq; pars, & totum ſuum: pars verò ſit omnino, non ſolùm pars ſui totius; totum ſit totum duntaxat, non omnino ſuæ partis. *In Scholio generali huius diſputationis.*

Textus xlij. [a] Τὸ δὲ κτῆμα λέγεται, ὥσπερ καὶ τὸ μόριον. [b] τό, τε γὰρ μόριον οὐ μόνον ἄλλου ἐστὶ μόριον, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου: [c] ὁμοίως δὲ καὶ τὸ κτῆμα. [d] διὸ ὁ μὲν δεσπότης τοῦ δούλου δεσπότης μόνον, ἐκείνου δ' οὐκ ἔστι: [e] ὁ δὲ δοῦλος οὐ μόνον δεσπότου δοῦλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἐκείνου.

Id verò,

a. b. c. Elicitur, Id, quod eſt in bonis, eſſe ſeruum eſſe tanquam partē, illud reſpectu τοῦ κτήματος: hunc reſpectu domini.
b. c. d. Elicit. dominum eſſe tanquam totū reſpectu ſerui. Idē infrà in text. 65. vbi ſcribit ſeruū eſſe quandam partē domini.

[a] Id verò, quod eſt in bonis, dicitur quemadmodum & pars. [b] pars enim non ſolùm alius eſt pars, ſed & omnino alius: [c] ſimiliter autem & id, quod eſt in bonis. [d] quocirca dominus quidem ſerui dominus ſolùm, illius autem non eſt: [e] ſeruus verò, non ſolùm domini eſt ſeruus, ſed & omnino illius.

c. d. Elicitur dominum eſſe ſpeciem τοῦ κτήτορος. d. e. Elicitur ſeruum eſſe ſpeciem τοῦ κτήματος.

a. b. c.

E X P L A N A T I O.

Prima expoſitio huius textus ex natura rei. Alius eſſe aliquid quot, et quibus modis dicatur.

[a] Eorvm, quæ dicuntur alius eſſe, quædam ἁπλῶς, καὶ ὅλως, ſimpliciter, & omnino, quædam κατά τι καὶ τοῦτο μόνον, ideſt quadam ex parte, & hoc ſolùm quod dicitur, ſunt alius. Sunt ſimpliciter & omnino alius quęcunque naturâ, ac ſubſtantiâ ſua in aliud diriguntur, ita vt ſine illo nec munus ſuum retinere, nec manere, eſſe'ue prorſus poſſint: vel, ſi maneant, retineant'ue aliquo modo vllum munus, careant certè extremo, ac generali fine, in quem nata videntur. Sunt quadam ex parte, & hoc ſolùm, quod dicitur, alius, quæ ſubſtantiam ſuam per ſe abſolutam habent, & ſine eo, cuius eſſe dicuntur, perfectiſſimè exiſtere, manere, obire munus, quod talis ſubſtantiæ proprium eſt, queunt; ſed tamen indigent eodem, cuius dicuntur, ex attributo, ſeu prædicato aliquo, quod in ipſa conuenit. Exempli cauſa Hector dicitur Priami; ex filij duntaxat prædicato; hoc eſt quia filius ſit Priami; non quia ſit omnino illius. Per ſe enim Hector ſubſtantiam abſolutam habet: huius hominis, inquam, qui non eſt Priami: manetque incolumis, & explet munus ſuum proprium ſine Priamo. At forma, quę compoſiti, & manus, quæ hominis cuiuſdam dicitur, & cætera id genus ſunt illorum, quorum dicuntur, ſimpliciter, & omnino: quoniam ſic diriguntur in ea, vt ab ijs nequeāt ſeparari; vel, ſi ſeparentur, munus, & eſſentiam ſuam minimè tueantur. Non eſt hęc diuiſio relatiuorum, ſi propriè ſumatur vocabulum relatiui: nam latiùs patet eſſe alius, quàm eſſe relatiuum propriè, vt declarauit Ariſtoteles in relationis categoria. Veruntamē, ſi fusè etiā relatiua acceperis ad ſignificanda ea omnia, quę quocunq; modo ad aliud dicuntur, ſicut acccipiunt Latini, ſtatuentes duo genera relatiuorum, quorū vnum dicatur ſecundum eſſe, alterum ſecundum dici, ſiue vnum ex eſſentia, ex dictione alterum; æqualis ambitus euadent hæc duo, eſſe alius, & referri ad aliud, ſiue eſſe relatiuum: continebitq; prior modus eorum, quæ ſunt alius, ſecundum relatiuorum genus, quod à Latinis ex dictione, vel ſecundum dici nominatur; & poſterior primum, quod ex eſſentia, & ſecundum eſſe vocant. Non ſunt igitur hi modi propriè relatiuorum; ſed poſterior tantùm: quanquam neuter eſt ſine propriè relatiuis. quippe & manus, & forma, & reliqua, quæ ſimili ratione dicuntur, ſunt partes, vel tanquam partes: omnis autem pars, vel tanquam pars, ideſt tandem quicquid in alio continetur, quatenus hoc nuncupatur nomine, eſt propriè relatiuum ex primo genere illorū trium, quibus concluduntur propriè, & per ſe relatiua in v. lib. Poſtnaturalium: eſſentiæ enim, & rationes illorum, eius, inquam, quod cōtinetur, & partis in hoc cōſiſtunt, vt ipſa ad aliud aliquomodo ſe habeāt, nēpe ad continēs, & ad totum. Proinde rerum, quibus cōtingit eſſe proprie relatiua, diuiſio hæc erit.

Alius eſſe, & eſſe relatiuum quemodo inter ſe habeāt.

lib. v. Metaphy. tex. com. 20.

Partem eſſe totius nõ ſolùm partem, ſed ſimpliciter, totũ eſſe partis nõ ſimpliciter, ſed ſolùm totum: & qua ratione.

hæc erit. Reſumatur itaque hoc modo oratio. Rerum, de quibus dicitur eſſe propriè relatiua, quædam eiuſmodi ſunt, vt vtræque alterarum ſint κατά τι, quodam duntaxat modo, & ſecundum illa ſolùm, quę dicuntur: quędam ſunt eiuſmodi, vt quum vnę alterarum verè ſint κατά τι, & ſecundum ea, quę dicuntur tantùm; alterę ſint illarum omnino, & ſimpliciter. Primi modi ſunt cęteræ omnes res, quibus contingit eſſe propriè, & per ſe relatiua. Etenim qui eſt pater, eſt filij pater duntaxat, non homo filij: & qui eſt filius, ſolùm eſt filius, non etiam homo patris: & in reliquis ſimiliter. At continens, & id, quod continetur, loquor de naturalibus; habens, & id, quod habetur; partes, & totum; & alia eiuſdem formæ, vt proprietates, & accidentia cuiuſque rei; quę omnia demum ad continens, & ad id, quod continetur, reducuntur; ſunt alterius modi. nam continens quidem, ac totum dicuntur eſſe, ſuntq; ſuarum partium, & eorum, quę continentur, κατά τι, & hoc ſolum, quod dicuntur, ideſt totum, & continens, nouiſſimeq; nihil aliud, niſi relatiua: haudquaquam par tamen fit reciprocatio. Partes enim, & ea, quę continentur, non ſolùm, quatenus partes, ſunt, & continentur, ideſt non ſolùm quatenus ſunt illorum relatiua, ſed omnino, & ſimpliciter vt res etiam, ac naturę abſolutę, quibus accidit contineri, & eſſe partes; ſunt totius, & continentis ſui: quippe quia ex ſua natura, & ſubſtãtia, vt res abſolutę, eò diriguntur; partes in totum; ea, quę continentur, in continens huius generis. Sic manus Socratis non ſolùm vt pars totius, & relatiuum, ſed omnino, abſoluteque, vt manus, & talis quędam ſubſtãtia, eſſe Socratis dicitur; & albedo Socratis eodem modo dicitur eſſe Socratis non ſolùm vt id, quod in Socrate continetur, ſed etiam abſolutè: quum tamen Socrates vt continens tantùm, ideſt relatiuè, & κατά τι illarum eſſe dicatur. Hoc eſt igitur, quod ait Philoſophus, Partem non ſolùm eſſe alius partem, ſed omnino etiam alius: & ſubaudiri oportet, totum alius eſſe duntaxat totum. Quo modo autem ſe habent inuicem, & dicuntur, referunturq; pars, & totum ob id, quia vnaquęque pars non ſolùm vt pars, ſed etiam vt res abſoluta in totum dirigatur ſuum: eodẽ modo τὸ κτῆμα, id, quod habetur in bonis, & habens in bonis, ὁ κτώμενος, inuicem ſe habent, & dicuntur, referunturq; ob eandem cauſam; nempe quoniam τὸ κτῆμα non ſolùm ſub hac ratione, vt τὸ κτῆμα dicitur, ſed etiam vt talis res prorſus dirigatur in habentem, licet obſcuriùs, & latentiùs, quàm pars in totum. Sumus nanque nos finis omnium, vt ſcribitur in tex. com. 24. ij. Phyſici; nec modò artificialium, verumetiam naturalium, quæ in bonis haberi poſſunt, ſeu quæ ortui, & interitui ſunt obnoxia, vt exponit Scotus in q.° ſecunda d. 48. iv. confirmaturq; ijs, quæ ſcribit Auerroes in com. 26. eiuſdem ij. Phyſici, & in com. 37. ij. de Anima, & alijs in locis. quæ quidem naturalia propter nos à natura generata eſſe, referriq; ad nos ſimpliciter, vt plantas, vt animalia, vt res inanimas huius, & illius naturæ, & ſubſtãtiæ ſuadent cum auctoritate Diuina etiam lumen, & ratio naturalis. Quanquam enim ſeparata hæc à nobis, nec in bonis habita, fungi muneribus ſuis, ſuamq; definitionem, & eſſentiam conſeruare videntur: tamẽ tandiu imperfecta ſunt, quandiu id, ad quod idonea, & ad quod nata ſunt, ſcilicet vt nobis deſeruiant, & in bonis habeantur, non aſſequuntur. Ob quam etiam idoneitatem, & naturam ſuam fiunt iuſtiſſimè, hoc eſt ex iure naturali primi occupantis: quod præter Philoſophos tradunt iuriſconſulti, vt in lib. 41. ff. de acquirendo rerum dominio & in

τὸ κτῆμα eſſe habentis nõ ſolùm κτῆμα, ſed omnino: habentẽ eſſe habitorum tãtùm nõ item omnino τοῦ κτήματος: & qua ratione.

Homo eſt finis omnium rerũ artificialium, & naturaliũ.

b.

a. & c.

& in ij. Inſtitutionum de rerum diuiſione. nulla enim à primo occupante iniuria infertur nec homini, nec naturæ: iuſtitiæ potius opus peragitur, atque ex naturæ quidem lege: quandò nõ contra naturam, ſed ſecundum naturam eſt illarum rerum; acquiri eas nobis, & iuuare vſum vitæ noſtræ. Rideant hæc alij quantuncunque velint; percunctenturque, ecquid boni, & perfectionis boues nanciſcantur, arantes, aut plauſtra nobis trahentes? ecquid lepores, perdices'ue, quom ijs veſcimur. Nam, vt multos etiam ex neſcientibus, negantibusq; immortalitatem prętermittamus; qui maximum bonum exiſtimarunt, fortaſſe & noſtris temporibus alicubi exiſtimãt, idolis ſe mactari ſuis, & pro patriæ, ciuiumq; ſuorum ſalute mortem oppetere: certè omnibus exploratum eſt, quos beatiſſimos vulgus appellet ob hoc, quia Regibus ſeruiant ſeruitutem, ad nutum eorum viuant, & iuſſa capeſſant vel iniuſtiſſima. quod quidem ex doctrina Platonica, & Peripatetica eſt morte ipſa exitioſius. Mirantur iſthęc quidam eruditiores, ſed qui ordinis vim, atque excellentiam nunquam ſint contemplati; nunquam gradus, nexusq; rerum, quibus alia aliam excipit, ac ſubit, vt omnes perficiantur; nec quos ludos ars, conſiliumq; hominis faciant, quom, naturã imitari cupientia, falſis imaginibus ab ea aberrant. Quamobrem minus mirum eſt quod de beſtijs dicebamus, diceturq; infrà à Philoſopho in textu 84: causâ noſtrâ generari ipſas à natura; & quaſdam earum laboribus, quaſdam etiam interitu ſuo ſecundum naturæ ordinem, & rationem vel victum, vel veſtitum, vel alias vitæ commoditates nobis ſuppeditare.

c. Etiã infrà in com. 84.

Sed de his aliâs copioſiùs & apertiùs. [c] Sequitur igitur planè, τὸ κτῆμα, hoc eſt id, quod habetur in bonis, eſſe alius nõ ſolum κτῆμα, ſed omnino etiam alius, nimirum habentis: at habentem eſſe habentem tantùm, quod eſt,

c. d. e.

eſſe relatiuum τοῦ κτήματος, & non omnino. [c] Huic enunciato ſi addideris, quod ſæpenumero poſitum eſt ſuprà, ſeruũ ſubeſſe τῷ κτήματι, rei ſcilicet, quæ in bonis habetur, tanquam ſpeciem generi; & eodem modo do-

d. e.

minum, ſubeſſe habenti in bonis, ideſt τῷ κτωμένῳ; [d] conficies propoſitum, dominum, inquam, ſerui eſſe dominum tantùm, & relatiuum, non ſimpliciter, ideſt non rem, nec hominem ſerui; at ſeruum eſſe non ſolum ſeruum, & relatiuum domini, ſed etiam abſolute rem, & hominẽ illius. Imò tanto magis, quàm reliqua κτήματα, erit ſeruus omnino, & ſimpliciter domini ſui: quãto minùs, quàm reliqua, ſine eo poteſt naturam, & officium, & finem ſuum tueri.

Seruum eſſe domini non ſolùm ſeruum, ſed omnino & ſimpliciter: dominũ eſſe ſerui dominum tãtùm nõ etiã ſimpliciter.

Illa enim, quoad in bonis non eſſent; perfectione, ac fine ſummo, & generali, cui naturâ ſua idonea, & ad quem nata ſunt, deſtituebantur: proprias tamen naturas ex quibus nomina, ac definitiones habent; propria quædam munera retinebant. At ſeruus, ſi à domino deſeratur, nec functionem aliquam, nec naturam hominis, quà homo eſt, ac dicitur, conſeruat. quippe natura, ac functio humana pendet ex ratione: rationem autem, ideſt aciem illam mentis, qua cernere, prouidereq; poſſumus quæ ſunt conuenientia, ipſe per ſe non videtur habere ſeruus, ſed audire tantùm, & accipere à domino, vt declarabitur infrà in textu 53. & 151. quocirca nec viuere quidem diu poteſt ſine ope domini ex textu 6. ſuperiori: ſimiliſq; eſt in hoc parti appetenti animæ noſtræ; quæ, expers ipſa per ſe rationis, capax eſt & conſilij, & decretorum eius ex fine P. & multis locis vij. lib. ad Nicom. Sic exponerem ego hunc textum ex natura rei: quam expoſitionem alij etiam attigerunt. At ex vſu loquendi facilior eſſet interpretatio. nam vſus ſermonis obtinuit, vt pars non modò

Altera expoſitio huius tex: ex loquẽdi vſu.

pars,

pars, verumetiam omnino & ſimpliciter eſſe alius dicatur; totum verò duntaxat totum, non ſimpliciter alius: & eodem ſermonis vſu τὸ κτῆμα dicitur, quemadmodum pars, ſimpliciter habentis in bonis, id eſt τοῦ κτήσαντος; habens in bonis, ὁ κτήσας, dicitur, quemadmodum totum, non ſimpliciter, ſed ἐκείνου ſolùm τοῦ κτήματος.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a) proponit ſimilitudinem τοῦ κτήματος, & partis: quia vtrunque dicatur eodem modo eſſe alius. Secunda (b c) declarat hanc ſimilitudinem, & qualis ſit ille modus, quo vtrunque eſſe alius dicitur. Tertia (d e) concludit propoſitum.

S C H O L I A.

Vis quorundã verborum.

Id rurſus, quod eſt in bonis, dicitur &c. Conſydera verbum λέγεται: cui in ſequentibus reſpondet verbum ἐκεῖ. hæc .n. indicanr ſic loqui homines, quia eriam res ſic ſe habent.

Vox pars qd.

Quæſtiones de relatiuis.

Pars enim non ſolùm alius eſt pars &c. Intellige rem, quæ eſt pars. nam ſi partem formaliter, id eſt partem, quà pars eſt, acciperemus; eſſet tantùm pars & relatiuum, non res abſoluta, quæ ſimpliciter dici poſſet. De relatiuis, & relationibus, vtrum ſint nudæ, inanesque imagines mentis noſtræ, an ex rebus pendeant: & ſi pendeant ex rebus; ex quibus, & quomodo pendeant, vtrum omnes ex illis, quibus attribuuntur, an quædam ex illis, quædam ex aliis: rurſusque ex quibus omnino pendent, vtrum in illis radices, & originem tantùm habeant, vnde eas ducat, ac perficiat mens noſtra; an ſint per ſe res perfectæ, quanuis poſteriores, & additæ illis: tum quales omnino res ſint, & quam naturam, quam've habeant quiditatem: poſtremò quas alias res ſequanrur tãquam fundamenta, ſedesque ſuas: quotq; hac de cauſa relatiuorũ differentiæ, & genera exiſtant: iſta, inquam, oĩa de relatiuis, & relationibus videnda ſunt in Metaphyſicis. Hoc vnum in præſentia admonebo: qui negant in vniuerſum relationes, & relatiua eſſe veras res, vt multi Scholaſtici, quos appellant Nominales, & cum iis Aureolus, & Greg. quadam ex parte; non poſſe eos vllomodo explicare, non dicam quî pars ſit pars totius, & totum partis, & ſeruus domini, & dominus ſerui; quæ tamen veriſſima ſunt; &, ſi vera, certè non in mente tantùm; ſed explicare eos non poſſe, quî pars, & ſeruus ſint omnino, & ſimpliciter, illa totius, hic domini; quod in hoc loco ſumit Philoſophus, & res ipſa docet. Nam quæ differentia eſſet inter totum & partem, Inter dominũ & ſeruum? equidem qua ratione domini uendicant ſibi ſeruos; eâdem, qui ſerui ſunt, dominos ſibi vendicarent. omnia eſſent communia, eiuſdemque prorſus iuris, & naturæ. Imò nec communia, nec eiuſdem iuris: quandoquidem idem, & commune, quia relatiua ſunt, eſſent verba inania. Sed inaniora fortaſſe hæc ſunt; & in Prima Philoſophia, cuius eſt peruicaces impudentesque redarguere, ſi vſpiam, dicenda.

Qui negẽt relationes, et relatiua eſſe veras res: et quã tum errent. — *Ockam et alij in P. Sent. Aureol. lib. p. d. 30. q. 1. Gregorius lib. p. d. 28. q. 2.*

Dominium et ſeruitutem eſſe in mẽte tãtùm, nõ in rebus quidã tenent. — *Areol. vbi ſuprà. Capreol. lib. p. d. 30. q. pri.*

Dominus eſt ſerui dominus ſolùm. Quidam, inter quos eſt Aureolus, argumentantur dominium, & ſeruitutem eſſe in mente tantùm, non in rebus. Argumẽta ſunt ſimilia theoremati, id eſt vana, & futilia. Capreolus etiã in iis diluendis ſic loquitur: quaſi non ſint aliæ res, niſi naturales: & actiones, operaque noſtra in rebus non numerentur. Sed putidum eſt in his moram trahere.

Ius ſerui & domini, partis & totius inter ſe.

Seruus non ſolùm domini eſt ſeruus, ſed omnino illius. Ecquid igitur ſeruo eſſe poteſt in dominum iuris; ſi ipſe, quicquid eſt, domini eſt? non amplius certè quàm parti eſſet in totum ſuum. & ſanè ſeruus eſt quædam pars domini, vt ex hoc loco colligitur, ſcribiturque expreſſè infrà in tex. 65. Quodnam autem foret ius parti in totum, docet fortaſſe apologus Menenij Agrippæ apud Liuium in lib. ij: quanuis pro toto ille ventrem ponit. Etenim partes toti, & domino ſerui quærere omnia, laborare, miniſtrareque debent, tuentes acerrimè eorum incolumitatem. manent nanque ſerui, partesque incolumes; quandiu incolume totum,

totum, incolumis dominus fuerit: & cum ſalute vtriuſque vtrorumque ſalus periclitatur. Viciſsim totum, ac dominum conuenit ex naturæ lege alere, reficere, fouere partes, ſeruoſque ſuos, reddendo illis vtilitates pro vſu, & neceſsitate eorum. Nec tamen ſi hæc non efficerent dominus, aut totum; fas eſſet partibus, ſeruis'ue in illa inſurgere. Prætermitto quod illorum ſalute ſalus ipſorum contineatur: etiam nihil habent, quod non ſit illorum. Hinc leges illæ manarunt: [a] Inter dominum & ſeruum obligationem nullam conſiſtere: [b] Nullam poſſe domino ſuo ſeruum nec actionem, nec accuſationem intendere; niſi illa ad libertatem ſerui, qua ſe fraudatum iri conquereretur; hæc ad ſtatum publicum pertineret: [c] Acquirere, poſsidere, agere non ſibi, ſed domino, quatenus inde aliquid iuris, aut commoditatis ad dominum peruenire poteſt, quicquid agit, poſsidet, acquirit ſeruus: & ſimiles aliæ. [d] Inter quas vna erat ferè omnium gentium, & nouo correcta iure, quæ dominis vitæ, necisque poteſtatem in ſeruos ſuos concedebat. Correcta autem fuit, nō quia putarent, qui hoc ius ſtatuerunt, ſeruum non eſſe ſimpliciter rem, & hominem domini ſui; ſed quia id maximè putarent; intelligerentque expedire tam ipſis dominis, quàm reipublicæ, quemadmodum in ea emendatione dicitur ab Imperatore Antonino, & Iuſtiniano, ne re ſua quis malè vteretur. Fortaſſe & Athenienſes ob hãc eandem cauſam multis ante ſeculis legem ſimilẽ tulerant, vt iniuriæ, accuſationesque ſeruorum audirentur: cuius legis mentionem facit Athenæus in vi. Cœnarum. Nec obſtat, quòd multæ illarum legum de filiis etiam ſint latæ. æquarunt enim noſtri iuriſconſulti, ac legumlatores Romani filios ſeruis; ſimiliterq́; vtroſque eſſe res, & homines, illos patrum, hos dominorum opinati ſunt. qua in re vtrum rectè ſenſerint, fecerintque; infrà quæremus. Hæc eſt veriſsima ratio cur inter ſeruum & dominum ius non exiſtat; id eſt quia ſeruus eſt ſimpliciter domini, tanquam res, & poſſeſsio illius, vt in v. ad Nicomachum etiam ſcribitur. Alio, & poſteriori modo, qui hunc ſequitur, negat Ariſtoteles in viij. ad Nicomahum, eſſe domino ius, & amicitiam in ſeruum: nempè quoniam inter eos nihil commune, nulla æqualitas eſſe videatur. de quo modo meminit etiam Scotus in d. 46. iiij. quæſtione prima, & nos alibi diximus.

a. Inſtit. de Noxal act. §. Si ſeruus. b. ff. de Iudiciis l. 53 et ad legem Iuliam maieſt l. 7. & ad leg. Corn. de fal l. 7. C. Qui accuſare non poſſunt. c. ff. de Acqr. rerum dom. l. 10. Inſtit. Per quas perſ. nobis acquir. d. ff de his qui ſui vel alieni iuris. l. 1. & 2. Inſtit. eodẽ tit. Athenæus lib. vi. cap. 7.

Legũ quarundam de dominis & ſeruis origo.

In ſcholio ſ. 140.

lib. v. ad Nicom. cap. 6. lib. viij ad Nicom. cap. 11.

ARGVMENTVM. TEXT. XLIII.

Quæ ſit natura, & eſſentia; & quæ vis, & poteſtas ſerui naturâ. Natura eius eſt, vt ſit homo non ſuiipſius naturâ, ſed alius: vis eſt, vt ſit inſtrumentum actiuum, & ſeparabile. Vtrunque infertur ex iis, quæ hactenus ſunt demonſtrata: & conficitur rurſus per locũ à genere; quoniã ſeruus ſit è genere τῶν κτημάτων; τὸ κτῆμα *autem & ſit alius, & ſit inſtrumentum actiuum ſeparabile.*

Text: xliij. [a] τίς μὲν οὖν ἡ φύσις τοῦ δούλου, [b] καὶ τίς ἡ δύναμις, ἐκ τούτων δῆλον. [c] ὁ γὰρ μὴ αὑτοῦ φύσει, ἀλλ' ἄλλου, ἄνθρωπος δὲ οὗτος φύσει δοῦλός ἐστι. [d] ἄλλου δ' ἐστὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ, ἄνθρωπος ὤν. [e] κτῆμα δὲ ὄργανον πρακτικὸν, καὶ χωριστόν.

[a] Quæ ſit igitur natura ſerui, [b] & quæ poteſtas, ex his manifeſtũ eſt. [c] qui enim nō ſuiipſius naturâ eſt, ſed alius, homo autem eſt, hic naturâ eſt ſeruus. [d] alius autẽ eſt homo, qui κτῆμα, ideſt qui in bonis fuerit, quum ſit homo. [e] κτῆμα autẽ, id, inquam, quod eſt in bonis, eſt inſtrumentum actiuum, & ſeparabile.

Eliciuntur ex hoc text. definitiones ſerui naturâ, ſerui cõditione, ſeu generaliter, & eodẽ modo domini naturâ, conditione, generaliter.

c. homo autẽ eſt. Elicitũ nõ poſſe eſſe ſeruum, nec dñm niſi hominem. c. hic naturâ eſt ſeruus Elicitũ duplex eſſe ſeruorũ genus, & alios eſſe ſeruos naturâ, alios non naturâ. d. & e. Elicitur ſeruum naturâ eſſe κτῆμα, & eſſe inſtrumentum actiuum ſeparabile.

T EXPLA-

EXPLANATIO.

Actus vis. *a. b.*

Actus diuiſio in primũ et 2. *a. b. natura, & poteſtas.*

ᵃ A ʙ actu vnaquæque res habet, vt exiſtat : ab actu, vt dignoſcatur. & vbi actus non apparet ; dominantur non ens, & ignorantia ; ſeu tenebræ, & nihil: quod alibi eſt declaratum. ᵃ Duplex autem eſt actus ex initio ij. de Anima; primus; & ſecundus. Primum vocant naturam, & rationem, & eſſentiam, & quiditatem, & aliquando differentiam rei. Secundum appellant operationem, ideſt ἐνέργειαν, & opus, & munus, & officium, & latè ſumptam actionem, aut effectionem. Cum quo ſecundo actu coniuncta ſunt vis, & modus operandi. Horum actuum ſecundus maximè, perpetuoq; cernitur in rebus longè remotis à materia: primus in materialibus adeo, vt ſine ſecundo interdum ad tempus conſpiciatur. Nec tamen ſine ſecundo omnino huiuſmodi res, quæ perfectam obtineant eſſentiam, aut eſſe, aut intelligi poſſunt. Vniuſcuiuſque igitur rerum iſtarum, quæ vel materiam in ſe habent; vel reſident in materia, & materiam habentibus; ſunt ambo actus perfectè exquirendi ad ſcientiam, & cognitionem eius perfectam.

Conſyderatio vtriuſq; actus in vnaquaque re quam neceſſaria.

Proinde Philoſophus quæcunque hactenus oſtendit de domino & ſeruo, quemadmodum initio admonui, húc direxit, vt naturas, & vires agendi eorum explicaret: quod hîc præſtat. quanuis enim de ſeruo tantùm dicere videtur: nihilominus eadem oppoſitorum ſciẽtia eſt; & alterius intelligentia alterum declarat, vt planum fiet. Loquitur autem de domino & ſeruo, qui naturâ ſunt tales, ob cauſam à nobis ibidem expoſitam, quum ſit hæc prima ſpecies generis analogi.

In Scholio cõmuni huius capitis.

Quæ hic faciat Philoſophus, & cur.

Quæ ſit natura, ſiue eſſentia, & actus primus ſerui naturâ. *c.*

Conficitur ex ſuperioribus. *a. Quæ ſit igitur.*

Serui naturâ itaque actus primus, ſeu natura, ſeu ratio, ſeu eſſentia, ſeu quiditas, ſeu habitus, qui etiam dicitur differentia in primo text: iij. de Anima, hac definitur oratione, & nota: Homo qui naturâ ſuâ non ſuiјpſius eſt homo, ſed alius. ᵃ Euenit hoc manifeſtè, inferturque (ideſt ſeruum naturâ eſſe naturâ & quiditate, ſeu actu ſuo primo iſtud, quod dicitur) ex textu proximè antecedenti. nam probatum eſt eo in textu, ſeruum eſſe domini non ſolùm ſeruum, ſed omnino quicquid eſt: &, ſi eſt domini, non eſt ſuijpſius: certum eſt autem ſeruum eſſe hominem, & ſubiectum homini, tãquam ſpeciem generi; quod genus materię reſpondet, ſicut differentia reſpõdet formæ: ergo ſequitur, ſeruum naturâ eſſe hominẽ, qui naturâ ſuâ etc; & hoc eſſe eius rationẽ, & quiditatem ex primo actu.

Probatur rurſus per locum à genere. *d.*

ᵈ Conficitur hoc idem deintegro per locum à genere in hunc modum. Seruus naturâ eſt κτῆμα, ideſt vnum quiddam eorum, quę ſunt in bonis: κτῆμα autem intellige ſecundum naturam, quemadmodum & ſeruum; eſt.n. τὸ κτῆμα etiam genus ſerui, quãuis minus propriè, & alia ratione, quàm homo; quippe ſimilius differentiæ, vt poſtea oſtendemus; omnino tamen hæc tria eandem vim habent; homo alius; homo qui eſt κτῆμα; κτῆμα quod eſt homo) ſed τὸ κτῆμα in textu antecedenti dicebatur eodem modo, quo pars; quia alius erat non κτῆμα ſolùm, ſed ſimpliciter: ergo &c. *e.*

ᵉ Verùm quid tandem ſignificat hæc oratio: homo, qui naturâ ſuâ non ſuijpſius eſt homo, ſed alius? nempe ſi in vniuerſum alius ſimpliciter ſunt quæcunque naturâ, ac ſubſtantiâ ſuâ in aliud diriguntur, ſicut vidimus in textu antecedenti; erit ſanè homo non ſuijpſius, ſed alius naturâ ſuâ, qui ita factus, conſtitutuſq; eſt naturaliter, vt per ſe quidem non ſit perfectus, nec ſibi ſit ſatis ad vitæ munera vel cum quauis copia rerum externarum, ſed alio indigeat, & in alium dirigatur tanquam in perfectionem, & finem ſuum, cuius ope obtineat quæ opportuna ſibi

ſunt

ſunt ad viuendum. dirigitur autem in alium hoc modo is, qui non mente proſpicere, ſed corpore exequi poteſt ea, quæ ille alius, in quem dirigitur, poteſt mente prouidere, & quæ vtrique conducunt, vt in 6. textu dicebatur; ideſt tandem qui non poteſt regi, niſi ab alio, quemadmodum ait D. Thomas. Huius ergo, quam ponimus deffinitionem ſerui naturâ ex primo actu; [c] genus eſt homo, ſeparans ſeruum naturâ cùm à cæteris omnibus rebus, quę ſunt in bonis, ideſt quæ ſunt κτήματα, videnturq́; eiuſdem generis eſſe, cuius eſt ſeruus, in domo, tum ab alijs etiam, quæ non ſunt in bonis, dummodo homines non ſint. Ad hoc genus, duæ adduntur differentiæ. [c] prima, quam exprimit hæc vox, *alius*, ſeparat ſeruum naturâ à liberis hominibus, ſeu naturâ dominis, qui per ſe in alium non diriguntur. [c] altera differentia, cuius nota eſt vox, *naturâ*, diſtinguit eundem ſeruum naturâ à ſeruis conditione: qui quidem ſerui conditione homines aliorum ſunt, ſed non ſunt eorum, niſi vi aut pacto, non naturâ. [c] Nunquid verò hoc genere, hisq́; duabus differentijs informatus ſeruus naturâ, nulla re amplius egebit, ſed perfectè erit ſeruus naturâ? An potius pręter primum actum in omni re perfectam eſſentiam habente, quod ſuprà admonui, eſt neceſſarius ſecundus, ſine quo primus, & id, cuius primus eſt, eſſent inania. hic autem ſecundus actus, quanuis, vt profluit ex primo, ita ex eius intelligentia cognoſci per quandam conſecutionem poſſit, quemadmodum nos interpretabamur hominem, qui non ſuijpſius, ſed alius naturâ eſt, eſſe eum qui poteſt corpore exequi, quæ ille alius mente prouidet: tamen illa cognitio ex conſecutione nimis generalis, rudisq́; eſt; niſi eam excipiat alia abſoluta, & ſpecialis. Itaque Philoſophus, poſtquam expoſuit primum actum ſerui naturâ, exponit ſecundum, munus nimirum, ſeu operationem ipſius, & cum operatione vim etiam, & modum operandi. hoc enim eſt perfectè docere operationem alicuius rei, explicare vnà cum illa vim, & modum, quo illa efficitur. Et hoc ſignificat planè Philoſophus, quom ait, *quæ ſit poteſtas ſerui naturâ.* nam poteſtas, vt hic quoque inquit D. Thomas, ad operationem refertur. & cōſyderata poteſtas, vt naturæ, ideſt vt primo actui opponitur; iungitur operationi; vnàq́; cum vi, & operatione modum operandi, qui ſtatui inter eas quodammodo medius poteſt, nobis deſignat. atque hęc omnia pertinent ad actum ſecundum. Quæ igitur eſt vis operandi ipſius ſerui naturâ? &, quoniam vis, vt naturę opponitur, quemadmodum opponitur hîc (dicitur.n. *quæ ſit natura, & quæ poteſtas*) iungitur operationi, ſignificans ſimul quoque eam, & operandi modum; quis ſecundum vim operandi erit operandi modus, & quę operatio ſerui naturâ? Reſpondet Philoſophus vim, & poteſtatem ſerui naturâ, vt à natura diſtinguitur, ideſt vim operandi cum operatione, & operandi modo eſſe hanc: vt ſeruus naturâ ſit inſtrumentum actiuum, & ſeparabile. [a] Qui dicit inſtrumentum, quemadmodum & qui efficiēs dicit, neceſſariò dicit operationem vel actu, vel poteſtate. efficiens enim, & inſtrumentum ſunt efficiens, & inſtrumentum operationis alicuius. hoc intereſt inter ea, quòd efficiens eſt cauſa abſoluta & principalis; inſtrumentum adiuuans & ſubſidiaria eius operationis, ad quam refertur: efficiēs, vnde principium primum motus, ſeu operationis, ſicut etiam definitur; inſtrumentum non principium primum, ſed quod conducit, ac pręſtò eſt ei, quod eſt principium primum: denique efficiens eſt illud, quod propriè operatur inſtrumento vtens; inſtrumentum non eſt illud, quod operatur,

c. homo.

c. ſed alius.

c. naturâ.

c.

Quæ ſit poteſtas, ideſt vis operandi cum operatione, & operandi modo ſerui naturâ.

Operationis cōſyderatio perfecta quæ.

c. inſtrumentum.

Inſtrumēti, et efficiētis cauſæ inter ſe cōparatio.

ſed illud, quo, vel cum quo aliud, ipſo vtens, operatur; quo, ſi ſit inſtrumentum coniunctum, & inſeparabile, ideſt pars quæ ſit inſtrumentum; cum quo, ſi fuerit inſtrumentum ſeparabile, & quod non ſit pars.

Operationum humanarum genera. *c. actiuum*

c Operationum autem, quæ in nobis cernuntur, quædam ſunt propriè noſtræ, quarum ſimiles non habent aliæ ſubſtantiæ: quædam ijs inferiores, quæ nobis communes ſunt cum beſtijs, & cum alijs rebus naturę: quædam ſuperiores, quibus beatę mentes excellunt. Significantur hę nouiſſimæ operationes vno contemplationis vocabulo: medię dicuntur naturales: primę iterum diuiduntur, & alię effectiones, alię propriè actiones humanę ſunt nominatę, quemadmodum explicatum eſt ſuprà. *In com. 40. et 41.* In ſingula porrho genera harum operationum quædam inſtrumenta habemus, partim à natura, partim à nobiſipſis parata. & de alijs quidem alio loco: ſed quę ad humanas actiones, eas, quas propriè ſic appellant, conducunt; nuncupantur actiua.

Actiua inſtrumenta, et eorũ modi. *c. ſeparabil.*

c Hæc actiua inſtrumenta rurſus duplicia ſunt. nanque alia ad humanas actiones duntaxat pertinent; & ſunt illa omnia, quę dicuntur eſſe partes bonorum, ac rei, ideſt τῆς κτήσεως: alia, quum primùm vtilia ſint ad operationes naturales; ſunt ſecundo loco vtilia, vel potius neceſſaria ad actiones humanas. tales ſunt partes noſtri corporis, datę quidem nobis à natura propter functiones munerum naturalium, quemadmodum & animalibus reliquis: ſed ſine quibus tamen, ſi aut deſint, aut corruptæ, vitioſęq; fuerint; nec bene agere, nec agere omnino poſſumus. vt ſine lingua, & ſine manibus, faceti, bellicoſique reipſa nunquam erunt; licet animum haberent optimè ad hæc conſtitutum. Hæ partes corporis noſtri, quæ hac ratione dici poſſunt actiua inſtrumenta, & ſimpliciter naturalia; ſunt inſtrumenta ſic coniuncta cum primo operante, cuius ſunt partes, vt ſeparari ab eo nequeant; &, ſi ſeparentur, deſinant eſſe inſtrumenta. Illę verò partes rei, & bonorum, vno verbo τὰ κτήματα, quę prorſus actiua ſunt, ſunt actiua inſtrumenta ſeparabilia ab eodem primo operante, cuius non ſunt partes, ſed tanquam partes, & verè inſtrumenta: quapropter etiam inſtrumenta remanent, quum ſeparantur. Ergo, vt tandem concludam, operatio, ad quam ſeruus naturâ refertur; eſt actio humana, quę verè, proprieq; ſic nominatur, ſeu opus benè viuendi. Et quoniam ad hoc opus refertur ſeruus naturâ vt inſtrumentum, non vt primum efficiens; neceſſe eſt ſerui naturâ operationem, & munus proprium, ex quo opus benè viuendi exiſtit, veriùs appellari vſum ad operationem, quam operationem, vt ex ſuperioribus liquet.

Operatio & munus propriũ ſerui naturâ. *In ſcholijs tex: 40.*

Ita propria operatio ſerui naturâ non operatio erit, ſed vſus ad operationẽ, hoc eſt ad actionem, & opus benè viuẽdi, ad quod ſeruus refertur: qualis ſanè eſt inſtrumẽti operatio, & inſtrumẽti quidẽ ſeparabilis, atque actiui; nam ex hoc genere inſtrumentorũ eſt ſeruus naturâ.

Vis operandi ſerui naturâ.

Vis etiam ſerui naturâ ad huiuſmodi operationem, quam actionem & opus benè viuendi, propriè appellamus; erit vis inſtrumenti ſeparabilis. initium nanque motus ad operationem huiuſmodi (latiſſimè interdum capimus vocabulum motus, quandò aptius non extat) venit extrinſecus in ſeruum à domino ſecundũ naturâ. & non eſt ſeruus naturâ cauſa principalis, abſolutaq; benè viuendi; nec ipſe eſt propriè qui benè viuit: ſed dominus vtens eo, & per eum quaſi per cauſam quandam ſubſidiariam, & inſtrumentum ſeparabile peragit opus benè viuendi, ac benè viuit.

Mod9 operãdi ſerui naturâ.

Similiter modus operandi in ſeruo naturâ, ideſt peragendi opus beatæ vitæ, ad quod ipſe refertur & pertinet; eſt modus adiunctæ, ac vtilis cauſæ, non

princi-

principalis, quę à principali etiam poſſit ſeparari; eſt modus vſus potiùs, quàm operationis; & modus eſt denique qualis cernitur in inſtrumento ſeparabili. Eſſe autē talem operationem, & vim, & modum operandi ſerui naturâ, qualem diximus, ideſt eſſe eum inſtrumētum actiuum ſeparabile, ita & infertur ex ſuperioribus, & deintegro oſtenditur: quemadmodum alterum huius textus theorema de natura & quiditate eiuſdē ſerui naturâ tum inferebatur, tum deintegro oſtendebatur. [b] Infertur hoc ſecundum theorema ex ſuperioribus: quandoquidem in textu 36. & 37. probatum fuit ſeruum naturâ eſſe inſtrumentum, & in 40. ac 41. eſſe inſtrumentum actiuum: Eſſe autem ſeparabile, eſt per ſe euidens, ſenſuique manifeſtum: quapropter non indiget probatione. [c] Oſtenditur deintegro eodem loco, & medio, quo oſtenſum eſt theorema alterum. nam ſeruus naturâ eſt κτῆμα, ideſt res, quę habetur in bonis: τὸ κτῆμα autem eſt inſtrumētum actiuum, & ſeparabile; quod quidem & ex ſe, & ex tex; 38. & 40. notum eſt. Sic igitur omnia, quæ ad vtrunque actum, tam primum, quàm ſecundum, ideſt tam ad naturam & eſſentiam, quàm ad vim & operationem ſerui naturâ attinent, expoſuit Philoſophus: non tradens quidem illius definitionem, vt Interpretes putant, ſed ſtatuens principia definitionis. Ex quibus nos talem definitionem ſerui naturâ cōficiemus: Seruus naturâ eſt homo, qui naturâ non ſuijpſius eſt, ſed alius, vim habens inſtrumenti actiui, & ſeparabilis ad ea corpore exequenda, quæ ille alius, cuius eſt, poteſt mente proſpicere, vtrique conducentia. Et ex hac definitione ſerui naturâ colligemus primùm definitiones ſerui conditione, & ſerui generaliter; huius, dempto vocabulo naturâ; illius, pro hoc ſubſtituto vocabulo conditione: tum definitiones domini naturâ, domini conditione, & domini generaliter, per oppoſita. quæ omnes definitiones huiuſmodi erunt. Seruus conditione eſt homo, qui conditione non ſuijpſius eſt, ſed alius, & cætera vt in definitione ſerui naturâ. Seruus generaliter eſt homo, qui non ſuijpſius eſt ſed alius, & cætera eodem modo. Dominus naturâ eſt homo, qui naturâ eſt ſuijpſius, & cuius eſt alius, quo alio vtendi ipſe vim habet tanquam inſtrumento actiuo & ſeparabili ad ea, quæ ipſe poteſt mente proſpicere, & ille alius poteſt corpore exequi, vtrique conducentia. Dominus conditione eſt homo, qui conditione ſuijpſius eſt &c. Dominus generaliter eſt homo, qui ſuijpſius eſt &c.

b. & qua. — *c.*

Eſſe talē operationem, & vim, & modū operādi ſerui naturâ.

Conficitur ex ſuperioribus.

Probatur deintegro per locū à genere.

Concluſio eorū, quæ in hoc textu traduntur.

Definitio ſerui naturâ.

Aliæ definitiones cognatorū ſerui naturâ, ideſt ſerui cōditione et ſerui generaliter, tū domini naturâ, cōditione, generaliter.

Partes textus quatuor. Prima (a b) proponit vtrunque theorema, quæ eueniunt ex ſuperioribus. Secunda (c) explicat primum actum, ideſt naturam & eſſentiam ſerui naturâ. Tertia (d) principium, quo hoc primum theorema oſtendi poteſt, ideſt maiorem ſyllogiſmi proponit. Quarta (e) proponit maiorem ſyllogiſmi probantis ſecundum theorema.

Partes textus.

SCHOLIA.

Quæ ſit igitur natura &c. D. Thomas, & alij putant Philoſophum hîc ex iis, quæ hactenus ſunt demonſtrata, concludere definitionē ſerui, quòd ſeruus eſt inſtrumentum &c. Primùm reclamat ipſe Philoſophus, qui teſtatur ſe non definitionem concludere, ſed quæ ſit natura, & quæ ſit poteſtas ſerui patefacere. Deinde ſi concluderet definitionem; inferret ordine eius partes, non perturbaret; vt quæ primo loco eſſent ponenda, diceret poſtremo: quod facit ex iſtorum ſententia. Adhæc quàm peruerſa oratio, & confuſa ſic explicantibus? Præterea qualis tandem definitio, quam iſti afferunt? certè ridicula: ſeruus eſt inſtrumentum &c. quod eſt homo alterius. Nouiſsimè, non animaduertunt

Sententia Interpretum de argumēto huius textus.

Refutatio.

Philo-

Philoſophum loqui propriè de ſeruo naturâ; non de ſeruo generaliter, niſi ex conſecutione.

Seruus naturâ eſt ſimpliciter alius, ſeruus cōditione nequaquam.

Qui non ſuipſius naturâ eſt, ſed alius &c. Eſt naturâ homo non ſuijpſius, ſed alius ille, qui ex natura ſua propria hominis, & quâ talis eſt homo, alius eſt. Continetur autem homo, ac natura hominis animo, & corpore: magiſque animo etiam, quàm corpore homines ſumus, ac tales homines. quocirca tam animo, quàm corpore, & magis animo eſſe alius oportet eum, qui naturâ eſt alius, & naturâ ſeruus. Ita ſimpliciter, omninoque alius eſt, qui eſt ſeruus naturâ: quandò quicquid eſt, alius eſt: nihil enim habemus præter corpus, & animum. At ſeruus conditione non eſt ſimpliciter alius: propterea quòd corpore tantum, nō animo eſt alius. lex nanque, & fortuna per ſe animū non mutāt, niſi perſuadeant.

Seruus n. fit aliquis etiam mēte, nō corpore tantùm.

De hoc igitur ſeruo conditione intelligo verba Senecæ in iij. de Beneficiis cap. 20. & D. Thomæ in 2. ſecundæ q. 104. à 5. & q. 122. à 4. quom inquiunt ſeruitutem non in totum hominem deſcendere, nec fieri hominem ſeruum mente, ſed corpore duntaxat: quare & ſeruire in corporalibus hominem homini, non in iis, quæ ad mentem attinent. Etenim certiſsimum eſt ex iis, quæ hactenus ſunt conſtituta, ſeruum, & dominum, qui naturâ ſunt huiuſmodi, ſic ſe habere, vt mens ſerui menti domini, & voluntas ſerui voluntati domini ſubijciantur, tanquam imperfectiores perfectioribus; hacq; de cauſa non coactæ, ſed liberæ, & ſponte ſua. Eſſe enim domini naturâ & mentem perſpicaciorem, & appetitum, voluntatemque rectiorem, illam ad acrius prouidendum, hanc ad melius præcipiendum quicquid vtile eſt ſeruo in omnibus, quæ ad eum pertinent, quàm ſint ipſius ſerui mens, & voluntas: vnde ſeruus iuſſa, & rationem domini accipiat ad ea peragenda, quæ ambobus conducunt, quemadmodum in tex: 6. & 42. & aliis declarauimus. nec eo diſtare inter ſe dominum, & ſeruum naturâ, quòd ille poteſtatē cogendi habeat, hic habeat neceſsitatē parendi; ſed, quòd ille animo, hic corpore valeat ad vitæ opera, quibus inuicem ſe iuuant.

Seruus naturâ .n. poſſit aliquid facere nō iubēte, aut neſciente, aut etiā inuito domino.

Poteſt'ne igitur, &, ſi poteſt quomodo poteſt ſeruus naturâ, qui totus, & ſimpliter eſt domini ſui, facere aliquid per ſe, non iubente, aut neſciente, aut etiam inuito domino? Multa ſanè facere poteſt, & facit, quæ nec iubet, nec ſcit dominus nominatim; quum tamen ea generaliter & ſciat, & iubeat: quippe quia vult incolumitatē, & vtilitatem, & iucunditatē ſerui ſui is, qui naturâ eſt dominus. Proinde nō ſolùm, quæ ad diuinū cultum, & quæ ad naturales functiones ſpectant, agere ſeruus ab eo permittitur; ſed & quædam eorum, quæ ad actus, resque propriè humanas pertinēt, quorum capax eſt natura ſeruilis. Inuito verò domino nihil prorſus efficiet. nam regi, non regere ſeruus debet. & in pietate quoque, ac cultu Deo exhibendo, vt pueris, ita ſeruis, qui aliquando minus vigent intelligentia, quàm pueri, viam oſtendet ſtimulosque addet dominus naturâ, retinens eos in diſciplina, & correptione Dei. Nec his repugnāt, vt putare quiſpiam poſſet, illa, quæ ſcribuntur à D. Thoma in 2. ſecundæ q. 104. à 5. & in iiij. d. 36. q. p. a 2. Loquitur .n. D. Thomas, vt dicebam, de ſeruo non naturâ, ſed conditione, & ſtatu: quod liquet ex oratione vtriusque loci. Et tamen adhuc ſeruus, & dominus ſtatu, & conditione, ſi iuſti fuerint, nec hic iubebit, quod ille non exequatur; nec exequetur ille, quod huic non placeat.

Ex D. Paulo in epiſt. ad Ephesios cap. 6.

Dubitatio de ſeruis & dominis naturâ ſi nō tales inueniuntur.

Vtrum autem verè, & abſolutè tales quidam, quales informati ſunt, ſerui, & domini naturâ reperiantur; alia quæſtio eſt infrà examinanda. Sed tamen perfectiſsimæ earum rerum, quarum diſciplina traditur, ideæ deſcribi ſolent, vt orationis, poetæ, fortitudinis, ſanitatis: licet fortaſſe rem tam abſolutam nec ars, nec natura vllam pariat.

Locus Platonis.

Non ſuijpſius naturâ. Ideſt ab origine, & ſecundum naturam ſuam, quia ſic fuerit procreatus, conſtitutusque & corpore, & animo. Huic ſimile eſt, quod ſcribit Plato in exitu iij. libri de Republica, de auro, argento, ære, ferro à Deo hominum animis in eorum generatione admixto.

Sētētiq quadā iuriſcōſultorū hinc pficiſcētes q ſeru⁹ nō ſit ſuijpſius et ſit domini ſui.

Homo non ſuijpſius naturâ, ſed alius. Iureconſulti, qui ſæpe ea, quæ naturalium rerum ſunt, ad legitimas transferunt, magis nonnunquam, quàm fieri par eſſet, conſyderaunt hæc duo in ſeruo, quòd ſuijpſius non ſit, & quòd ſit alius. Ob primum

mum, ideſt quoniam ſuijpſius nõ ſit, [a] priuant ſeruum vtroque iure ex inſtitutione, ideſt tam gentium, quàm ciuili, & à communi hominum ſocietate exterminant, ſtatuẽtes eum, quod ad ſe attinet, [b] nullum, & [c] mortuum, imò [d] infra omnes mortuos poſitum eſſe: nam qui mortuus ſit, in ſuo hærede quaſi reuiuiſcere: ſerui nec viui, nec mortui rationem haberi. Hoc eſt, quod dicunt [e] ſeruos nec ſtatum, nec caput habere vllum; [f] & in maximã capitis diminutionem incidere, qua & libertas, & ciuitas, & cognatio, vnaque cũ his dignitates, commodaque omnia à gemino iure proficiſcentia prorſus amittantur, quicunque quouis modo addicitur ſeruituti. [g] Et hac de cauſa nec deportationis, nec exilij, nec ignominiæ pœna ſerui vnquam mulctantur: quoniã non libertatis, non ciuitatis, non exiſtimationis vllius participes ſint. Statum autem recipiunt, & facti iuris conſortes, quaſi homines modò nati cœtui hominum aſcribuntur ſerui, quom primum manumittuntur, & à ſeruitute liberantur, ſicut ait [h] Modeſtinus: *incipit ſtatum habere ſeruus, quom manumittitur*. Ex altera parte, ideſt quoniam ſeruus ſit alius, & domini ſui, tanquam res, & acceſsio, & pars quædam illius, vt dicetur in textu 65. à quo hac de cauſa diſtingui non videatur; voluerunt ſeruum non viuentem ſibi, viuere, & exiſtere domino; ei ſoli acquirere, poſsidere, agere, quicquid agit, acquirit, poſsidet, vt diximus in ſuperiori commentario.

Homo autem eſt. Si propriè accipiantur, &, vt ad ſe inuicem referuntur, ſeruus & dominus; homines ſunt neceſſario; nec vlla alia res præter hominẽ nuncupari his vocabulis poteſt, non dæmon, non angelus, non Deus, non beſtia, non ſubſtantia inanima, non accidens vllum. id quod ex eſſentiis, muneribus, definitionibus tandem domini, & ſerui, quæ potiſsimùm ex hoc, & ex textu ſexto colliguntur, clariſsimum eſt. eiuſdem nanque naturæ, formæque eſſe debent dominus, & ſeruus; vt inuicem referantur, opitulenturque ſibi; atque hic mente proſpicere, ille corpore exequi valeat, quæ vtrique ſint conducentia. Quando ergo dæmones, homines, angeli ſerui Dei dicũtur; & Deus omnium horum dominus; ex tranſlatione, ac ſimilitudine quadam potentiæ imperandi, & cogendi, quæ in dominis conditione maximè apparet, & eſt infinita in Deo, atque ex neceſsitate parendi, agendique ad nutum alterius, qua neceſsitate inprimis ſerui conditione aſtricti ſunt, ſic nominantur; non propriè. Qui .n. res quæ Deo conducant, aut angeli, aut dæmones, aut homines corpore exequi poſſunt; vel eſſe ei pro inſtrumentis actiuis, & ſeparabilibus ad propriam ipſius actionem, & vitam? Alio autem generaliori ſignificatu, & magis proprio, cuius mentionem feci in Scholio argumenti huius diſputationis; Deus vocatur rerum, & creaturarum omnium dominus ex eminentia, poſſeſsione, firmitate: in quo quidem ſignificatu loquuntur de hoc nomine, & attributo diuino D. Dionyſius in lib. de Diuinis nominibus cap. p. & 2. & D. Thomas in articulo 10. & 11. ſeptimæ quæſtionis de Potentia. Verùm hæc alius ſunt loci. Nec propriè quidem canes, & boues, & equos, & alia bruta animalia cæteris obedientiora ſeruos vocant. nullum nanque animal brutum præſentit, aut accipit iuſsa, vt antè cõſtitutum eſt: ſed hæc propria ſunt hominum, & ſeruorum. quapropter Philoſophus ſuprà in textu 9. bouem pro ſeruo eſſe non ſeruum dixit. Minus propriè ſerui pœnæ, ſerui iuſtitiæ, ſerui peccati, ſerui diaboli, ſerui mulierum, quas amant, & generaliter cuiuſuis rei, ſubſtantiæ, aut accedentis, cuius ſtudio, cupiditateque impelli identidem homines ſolẽt, & cui ſunt obnoxij, leguntur apud iuriſconſultos, theologos, & alios artifices: nimirum ob hoc, quia propriè ſerui ſimiliter obnoxij ſunt dominis ſuis, & eorum voluntate aguntur. Vſurpant verò hæc vocabula theologi, & alij artifices ex trãſlatione ob eaſdem cauſas, ob quas in vniuerſum vtũtur tranſlationibus, vel quom propriis egent vocabulis, vel ad faciliorem doctrinam, vel ad ornatum.

Qui κτῆμα fuerit, quum ſit homo. Plato in vi. de legibus difficile κτῆμα ait ſeruum eſſe ex eo, quòd homo ſit δύσκολον θρέμμα, ideſt ſe vix domari patiatur; & reipſa ſeruum, & liberum, & dominũ diſtingui. Hoc probat exemplis ex hiſtoria petitis. indeque ſuam de ſeruis doctrinam orditur tria præcipua capita

haben-

[a] ff de Capi[tis] diminu. l. 3. [b] Regulis iuris l. 32. [c] loco ſuprà [ci]tato. [d] l. 210 eo[d]em tit. & ibi Doctores, nominatim ... Connanus. [e] Inſtit. de Capitis dimin §. ſeruus autem eod. tit. l. 4. [f] Inſtit. & ff. eod. tit. [g] ff. & C. de Pœnis. [h] ff de Capitis domin. l. 4.

Ex prima parte ſeruus Priuatur iure tam gentium, quàm ciuili. Habetur pro nullo & mortuo. Nec ſtatũ, nec caput habet. Maximæ capitis diminutio quid. Nec deportationis, nec exilij, nec ignominia pœna mulctatur. Ex altera parte. Viuit, agit; acquirit, poſsidet domino ſuo.

Serui et domini vocabula quot et quibus attribuantur, et quibus magis, quibus minus propriè.

In com. 39.

Cauſa, ob quas vtuntur artifices tranſlationibus. Locus Platonis.

habentem: qui ſerui cõparandi; quo pacto tractandi; & quo modo iis vtendum.

De genere ſerui vtrum homo an κτῆμα an inſtrumentum.

Homo, id, quod eſt in bonis, inſtrumentum. Quæritur quodnam horum trium ſit genus ſerui. D. Thomas, & Acciaiolus inſtrumentum eſſe genus dicunt: Victorius id, quod eſt in bonis, ideſt τὸ κτῆμα: iuriſconſulti hominem. Quæ ſententia eſt potior. Primùm in omnibus rebus per ſe naturalibus, & corporeis, licet etiam non vt tales, ſed vt ciuiles, aut in ciuiles directæ conſyderentur, genus eſt ſimile materiæ, & ab ea ſumitur: differentiæ ſumuntur à forma, & à partibus formæ, quibus ſunt ſimiles. iſthæc vero tria, homo, id, quod eſt in bonis, & inſtrumentũ ſi inter ſe, & cum ſeruo cõparentur, homo locũ tenet materiæ; id, quod eſt in bonis, inſtrumentumq; formę, ac partiũ formę. aduenĩũt enim hęc ad hominẽ, non homo ad hęc, vt ex homine ſeruus euadat: ſubſidet his homo, & ſubſternitur materię more, nõ in his reſidet: & ex homine planè, quom alius fit, ideſt quom fit κτῆμα, & inſtrumentũ, ſeruus generatur. Deinde antecedit genus differentiis, quæ illud diuidunt, ſpeciesq; ex eo faciunt: & antecedit eodem modo homo κτήματι, & inſtrumento. Poſtremò ex vſu loquendi. nam ſeruos noſtros libentius appellamus homines, quàm vel κτήματα, vel inſtrumenta: &, ſi interroges quempiã è vulgo, quid ſit eius ſeruus, proculdubio hominẽ reſpondebit. Adde quòd homo quoq; eſt res ſeruo propinquior, paucioraque cõprehendit, quàm aut inſtrumentũ, aut κτῆμα. latiſsimè .n. hæc patent: & multa genera rerũ tam animatarum, quàm inanimarum cõplectuntur. ita quanquam vtrunuis horum eſſe genus ſerui daretur: adhuc tamẽ propinquius, & omnino proximũ eius genus homo eſſet. Vtrum verò ex duobus reliquis ſimilius eſt generi? Et puto τὸ κτῆμα eſſe ſimiliùs. quippe τὰ κτήματα omnia, quatenus ſic nominãtur, vnã naturam, & rationẽ vnius generis, & in vna certa materia, certaq; facultate rerum ciuiliũ efficere videntur. At inſtrumentorũ multa ſunt genera: nec eadem omnium ratio eſt, nec ex forma, nec ex fine, nec ex efficiente: non vna materia; non vna facultas, ad quam pertineant. ſunt naturalia inſtrumẽta; ſunt effectiua; ſunt actiua; ſunt contemplatiua, vt ſuprà eſt declaratum: & vnaquæq; ars ſua propria inſtrumenta habet. Quamobrem nõ ſolùm non eſt genus ſerui inſtrumentũ; ſed prorſus genus non eſt: vox æquiuoca potius, vel, vt noſtri vocãt, analoga partim ex proportione, partim ex attributione. Nec de ſeruo quidẽ omnino propriè hoc vocabulũ dicitur: ſed penè ex tranſlatione, ac ſimilitudine, quam hic habet cum artium inſtrumentis, quæ propriè inſtrumenta vocantur, vt vidimus ſuprà in textu 38. 39. & 40. *Præcipuè in com. 40. et 41.*

Diuiſio inſtrumentorum in ſeparabilia et inſeparabilia.

Separabile. Differentia inſtrumentorum ex accidente, quod accidens tamen pendet ex eſſentia: Inſtrumentorum quædã ſeparabilia, quędam inſeparabilia à primo operante. Inſeparabilia ſunt ea, quæ, ſi ſeparentur, non remanẽt inſtrumenta, nec id, quod erant, antequã ſepararẽtur, niſi ęquiuocè: propterea quod nõ ſolùm inſtrumenta, ſed etiã partes ſunt primi operãtis: partes aũt ſeparatæ à toto intereunt, nõ permanent, vt ſuprà fuit declaratũ. Separabilia ſunt illa, quę, etiã ſeiuncta, & ſepoſita, retinent eandẽ vim inſtrumentorum, eandemq; naturam rerum, quam prius habebant. Et hoc quidem diſtat ratio inſtrumenti à ratione partis: quòd pars neceſſario cõiuncta eſt cum ſuo toto, nec ab eo ſeparari ſine interitu ſuo poteſt: inſtrumentum, quà inſtrumentum eſt, nõ oportet ſic adhærere operanti, & vtenti eo, quin ab illo poſsit ſeparari.

Differentia inſtrumenti & partis.

Differẽtię partiũ inſtrumẽtalium & nõ inſtrumentalium.

Sed ſi quædam partes etiã ſunt inſtrumenta, vt in plantis, & in animalibus; qua tandem nota internoſcentur partes, quæ ſunt, & partes, quæ non ſunt inſtrumenta? An pars, quæ inſtrumentũ eſt, habet aliquam operationem, & functionẽ muneris propriam; vel potius vſum exhibet toti ſuo ad talem operationem; quæ operatio, & qui vſus in nullam aliarum partium in eodem toto ſibi cõiunctarum poteſt conuenire: pars, quæ inſtrumẽtum non eſt, non habet operationem, nec vſum exhibet pręcipuum vllum præter cæteras partes eiuſdem totius; ſed ipſum totũ vnà cũ omnibus ſuis partibus ſimplicis cuiuſdã, & ſingularis operationis primò, & per ſe eſt compos. Atque hoc ſanè erit alterum diſcrimen iſtarum partium, quę ſunt, & quæ nõ ſunt inſtrumenta: quòd in toto earũ, quę inſtrumẽta non ſunt, vna tantum cernitur per ſe operatio; in toto earũ, quę ſunt inſtrumenta, multæ

Textus

Textus. XXXIIII.

*

Approbatio trium theorematum aientium.

CAPVT X.

I

Eſſe naturâ liberos, dominosq́ quoſdã ex hominibus, & quoſdam ſeruos, quos ſeruire nõ ſolùm dominis, ſed etiã ijs ipſis, qui ſeruiunt, expediat, ac iuſtum ſit. Quæ eſt approbatio trium theorematum aientium contra tres partes ſecundæ ſententiæ in textu trigeſimoquinto ſuprà expoſitæ.

Πότερον δ' ἐστί τις φύσει τοιοῦτος &c. Tex: XLIV. ad LVII.

SCHOLIVM.

Dominij genera tria ex rebus ſubiectis.

In Scholio argumẽta huius diſputationis.

RERVM omnium, quæ ſunt in bonis, & quarum domini dicimur, fusè, proprieq́ue accepto hoc vocabulo, dominus, tria omnino ſunt genera, vt antè admonui. Primum prædia complectitur, & numos, & omnes deniq; res anima carentes, ac plantas, quæ noſtræ dicuntur: ſecũdum bruta animalia: tertium ſeruos. Atque ex his tribus generibus rerum ſubiectarum tria ſunt genera dominij; per ſimplicẽ vſum; per impulſum; per iuſſum. quorum vnum, & alterum, ad res inanimas, plantasq́ue, & ad belluas attinentia, eſſe ſimpliciter naturalia conſentiunt omnes, philoſophi, theologi, iuriſconſulti.

De primo & 2 genere conſentiunt oẽs, eſſe naturalia.

De tertio genere, quod ad ſeruos refert, videtur eſſe cõtrouerſia inter Philoſophos theologos ac Iuriſcõſultos, vtrũ ſit an nõ ſit naturale.

Vide de hac eadẽ re etiam infrà in ſcholijs tex: 56.

De tertio, quod ad ſeruos refertur, & propriè facit hanc primam partem curationis domeſticæ, philoſophi à iureconſultis, & ab vtriſque theologi diſſentire videntur. Nam philoſophi quoſdam ſeruos, & quoſdam dominos naturà eſſe putant. [a] Iuriſconſulti oẽs naturà dicunt liberos naſci. [b] Theologi diſtinguunt duplicem ſtatum, innocentiæ, ſeu naturæ integræ, & naturæ corruptæ. In ſtatu naturæ corruptę, & poſt peccatum, in cuius pœnam ſeruitus inducta ſit tam corporea, quàm ſpiritalis, concedunt naſci quoſdam homines dominos, & quoſdam ſeruos. At in ſtatu innocentiæ nec ſeruos, nec dominos futuros fuiſſe, niſi quatenus hæc vocabula impropriè aliquando ſumpta ſignificant eos, qui regunt, & eos, qui reguntur, pari vtriq; libertate. Huius controuerſiæ cauſa, & conciliatio hæc eſt. Philoſophi ſtatum innocentiæ, & originalis iuſtitiæ non cognouerunt. in quò ſtatu haud eguiſſent homines ſeruis. quippe, vt tradit D. Thomas in q. 96. PP, & bruta animalia ijs paritura erãt; & nihil impediturum quominus ipſi plãtis, rebusq; inanimis vti arbitratu ſuo poſſent. nudi præterea degebant, & corpora robuſta, agiliaq; habebant, veſcebanturq; lignis paradiſi. Quamobrem non diſtant philoſophi à theologis. Iureconſulti autem poteſtates, & conuenientias rerum conſyderant, iura vocant ipſi, non quæ ab intimis earum naturis, & proprietatibus manant, ſed quæ extrinſecus ex moribus, pactisq; quibuſdam humanis in eas adducũtur: hoc eſt iura, & poteſtates naturales vix, aut ne vix quidem attingunt iuriſconſulti; ſed, illa philoſophis relinquentes, in humanis vertuntur. quanquam hæc, ſi verè fuerint iuriſprudentes, & omnia, & ſemper ex illis deriuant; ſæpe illatione, vt quæ in iure noſtro de ſicarijs, de veneficis, de furibus, & de alijs eiuſdem generis ſtatuta ſunt, quorum omnium fons eſt hoc ius naturale, Nemini nocendum, & altior iſto, conciliatio, conſociatioq; totius generis humani; aliquando determinatione, & præſcriptione, vt quæ de matrimonio, attinẽtibusque ad matrimonium, quibus definitur, dirigiturq; tanquam certis quibuſdam regulis, ac formulis naturalis illa, ac commu-

a. ff. de Iuſt. & iure l. 4. et de ſtatu hominũ l. 4. Inſtit. de iure perſ. § ſeruit⁹ autẽ. b. ade D. Auguſtinũ de Geneſi ad lit. lib. xi. cap. 37. et de Ciuitate Dei lib. xix. cap. 15 & alios Doctores in cap. 3. & 9. Geneſeos D. Thom PP. q. 96. a. 4. ſecũda q. 189. a. 6. & 3 q. 46. a. 3. & alijs in locis.

Cauſa, & cõciliatio huius controuerſia.

Fontes humanarum legum, et eas deriuandi modi.

communis omnibus animalibus maris fœminæq; coniugatio; aliquando ſimilitudine, vt quę de ordine, inſtitutione, ornatu reipublicæ, ac ciuitatis, à iuriſconſultis penę ex toto prætermiſſa, eſſent ad exemplũ huius mundanæ vrbis, atq; reipublicę, quemadmodũ in principio Timæi Proclus ait, deſcribenda: de quibus alibi copioſiùs. Sicut igitur de matrimonio, & de pœnis criminum loquitur Iuriſconſultus; nec tamẽ peruenit ad vim, cupiditatemq; generandi, nec ad prima illa naturę pręcepta, inſita, reconditaq; in animis noſtris; propterea quòd hęc ſint penitus naturalia: ſic naturalem ſeruitutem minimè agnoſcẽs, quæ eſt vis, conſtitutioq; animi, & corporis quorundam hominum ſecundum naturam talis, vt in alios dirigãtur, quemadmodum antea eſt declaratum; dicit de illa, quam facit humana conuentio: quæ quidẽ ſi ex pacto, & conuentu hominum exiſtit, quomodo eſſe naturalis ſeruitus poteſt? Itaq; nec theologo, nec Philoſopho aduerſatur Iuriſconſultus, quom hic negat, illi aiũt naſci aliquos homines naturà ſeruos. Etenim diuerſæ ſunt ſeruitutes, de qua hic, & de qua illi loquuntur. Vtrum verò hæc ſeruitus iuriſconſultorum, quæ naſcitur ex conuentu humano, iuſta ſit, nam certum eſt eam ſeruis non expedire, niſi vnà fuerit naturalis, quod aliquando contingit; exquiremus infrà. Et infrà quoque ſuperiorem controuerſiam, cuius dirimendę hìc quaſi iacta ſunt ſemina, diligentiùs examinabimus. Nunc autem quærendum eſt cum Philoſopho de philoſophica ideſt de naturali ſeruitute, vtrum exiſtat, an nõ exiſtat omnino; & ſi exiſtat, poſsitne eſſe vtilis etiam ſeruienti, non modò ei, cui ipſe ſeruit, & an ſit iuſta. Partes huius decimi capitis ſunt tres.

In ſcholijs tex: 64.
In ſcholijs text 56.

Propoſitio.	*Argumentatio.*	*Concluſio.*
Pars p. tex: xliiij.	*Pars 2. tex: xlv.*	*Pars 3. tex: lvi.*
*	*	*

PARS PRIMA CAP. X. TEX: XLIV.

ARGVMENTVM. TEXT: XLIIII.

Propoſitio trium quæſtionum, quæ ſimul ſunt diſſoluendæ; & duplicis viæ ad earum diſſolutionem perducentis. Prima quæſtio, vtrum ſit vllus naturâ ſeruus: altera, vtrum ſeruire ſit melius, & conducat alicui ſeruienti: tertia, Vtrum aliquem alicui ſeruire iuſtum ſit. Prior via, contemplatio vniuerſalium: poſterior, obſeruatio ſingularium.

Text: xliv. [a] Πότερον δ' ἐστί τις φύσει τοιοῦτος, ἢ οὔ· [b] καὶ πότερον βέλτιον, [c] καὶ δίκαιον τινὶ δουλεύειν, ἢ οὔ, [d] ἀλλὰ πᾶσα δουλεία παρὰ φύσιν ἐστί· [e] μετὰ ταῦτα σκεπτέον. [f] οὐ χαλεπὸν δὲ καὶ τῷ λόγῳ θεωρῆσαι· [g] καὶ ἐκ τῶν γινομένων καταμαθεῖν.

a et d. Elicit hæc reciprocari, nõ eſſe naturâ & eſſe præter naturâ. f. g. Elicitur duos eſſe modos cognitionis humanæ, nempe cõtemplationẽ vniuerſaliũ et obſeruatione ſingularium.

[a] Vtrum verò ſit aliquis naturâ talis, an non; [b] & vtrum melius, [c] ac iuſtum ſit alicui ſeruire, an non, [d] ſed omnis ſeruitus ſit præter naturam, [e] poſt hæc conſyderandum. [f] non eſt autem difficile & ratione cõtemplari; [g] & ex ijs, quę fiunt, perdiſcere.

EXPLANATIO.

Series textuũ. [a] DICTVM eſt, ſeruum naturâ eſſe hominem, qui nõ ſuijpſius eſt &c. a.

Pri. quæſtio. Quęrendum igitur [a] primùm, vtrũ ſit aliquis naturâ talis, qualem diximus, a. qui ſcilicet non ſuijpſius ſit, ſed alius, vim habens inſtrumenti actiui, & ſeparabilis. [e] Hinc collige, cur iſtorum problematum, an ſit, & quid ſit e. ſeruus naturâ, ordinem inuerterit, prius diſſerens de poſteriori. euidens eſt nanque, & omnes concedunt ſeruos eſſe: ſit verò, an non ſit naturâ aliquis ſeruus, dubitabatur: & plerique, qui in abditas rerũ cauſas, & facultates minimè introſpiciebãt, negabant vſpiam reperiri. hoc igitur vt ſtatueretur; antè declarandum fuit, quid eſſet ſeruus naturâ: quãdò etiam quid ſit ſimpliciter ſeruus ferè non diſſentiunt; & Iuriſconſulti definiunt ſeruum, qui alieno dominio ſubijcitur, quaſi qui ſit alius. [b] Secundum hanc quæſtionem, an ſit aliquis naturâ ſeruus, duæ aliæ terminabuntur: vna, vtrum alicui homini conducat, & melius ſit, vt ſeruiat, quàm vt non ſeruiat: [c] altera, nunquid iuſtum ſit aliquẽ alicui ſeruire. Nam ſi quidam ſunt ſerui naturâ; planè illis vtilius, meliuſque eſt ſeruire, quàm non ſeruire: quæ .n. ſecundum naturam eueniunt, proſunt ſemper, & bona ſunt illi rei, cui eueniunt ſecundum naturam. Similiter & iuſtum eſt, eos alijs ſeruire, quorum naturâ ſunt ſerui: ſiquidem naturę repugnant maximè, tantùm abeſt vt ſint ſecundum naturam, iniuria, & iniuſtitia. [d] Quòd ſi nullus eſt ſeruus naturâ, ſed omnis ſeruitus eſt præter naturam, hæc .n. ſeſe ſequuntur ex primo de cœlo, non eſſe naturâ, & eſſe præter naturam; erit violenta omnis ſeruitus; idem nanque violentum, & præter naturam ex iij. de cœlo: & ſi violenta; iam damnoſa ijs, qui ſeruiunt, & iniuſta erit. lædit .n. non iuuat, niſi fortè aliquando ex accidẽti, & iniuſtum eſt, quicquid vim affert, vt diximus in commentario tex: 35. Eo in textu exponebatur ſecunda illa ſententia trium partium; quibus partibus reſpondent hæ tres

Cur prius qd ſit, quàm an ſit ſeruus naturâ, diſſeruerit Philoſophus.

ff. de ſtatu hominũ l. 4. Inſtit. de iure perſonarũ §. ſeruitus. b.

Secũda et tertia quæſtio. c. d.

f g. hæ tres quæſtiones, quæ nunc proponuntur. [f]Porrho autem has quęſtiones perſoluere haud difficile fuerit duplici via aggrediētibus. [f]vna via eſt ratio, & cōtemplatio ex pronunciatis quibuſdam generalibus: [g]altera eſt animaduerſio, & obſeruatio ex ijs, quæ fiunt, ideſt ex rebus ſingularibus. quæ in ſumma ſunt viæ, & modi cognitionis noſtræ; hęc per ſenſum, imaginationemq́ue, ac tandem memoriam, & vſum, ſiue experientiam, quæ fit ex memoria; illa per rationem, ſeu cogitationem, & mentem. Atque his quidem duabus vijs Philoſophus vtetur non ſeparatim, ſed promiſcuè; confirmans ijs, quæ fiunt, ipſa pronunciata; & pronūciatis lucem addens ad ea, quæ fiunt, vt procedentes videbimus.

Geminę vię ducētes ad diſſolutionē harū trium quæſtionum.

Cognitionis humanæ via.

His duab[us] vijs vtetur promiſcuè Philoſophus.

Textus habet duas partes. Prima (a b c d) proponit quæſtiones. Secunda (f g) vias. *Partes textus.*

Textus XLIV.

*

Argumentatio.

PARS SECVNDA CAP. DECIMI.

Argumentatur, & probat multis modis, partes aientes trium propoſitarum quæſtionum veras eſſe.

Τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι &c. Textus XLV. ad LVI.

SCHOLIVM.

OMNIA argumenta, ſi ſubtiliter diſtinguantur, ſunt numero decem & ſeptem: ſed multa inter ſe implicita, aptaq́ue alia ex alijs. Nouem ſunt, quæ proponuntur vſq; ad textū 52, omnia ex officijs domini, ſeruiq; ducta, loco interdum à genere, interdum à ſimilitudine. In textu 51. indicatur decimum argumentum à cauſis formalibus imperātis, & parentis: quod pòſt in ſequētibus abſoluitur. In 52. infertur communis concluſio ſuperiorum argumentorum. In 53. commoſtrantur quinque alia argumenta, propoſitis quinque differentijs, conditionibusq́ue eſſentialibus, ſeu finitionibus quibuſdam dominorum, & ſeruorum naturâ, vnde illa duci poſſunt. In 54. additur argumentū decimum ſextum ab inſti-

ab inſtituto, machinationeque naturæ in corporibus noſtris formandis. Et in 55. decimum ſeptimum per locum à minori. Horum argumentorum quinque prima, in communibus pronunciatis nitentia, pertinent quidem magis ad primam viam, quę eſt ratio, contemplatioque generalis; reliqua magis ad ſecũdam, quam facit animaduerſio, & obſeruatio rerum ſingularium: attamen & hæc contemplatione, & illa obſeruatione indigent; adhibeturque in vtriſque vtraque via viciſsim, quod res ipſa declarabit.

ARGVMENTVM. TEXT: XLV.

Pronunciata quatuor aſſumit, confirmanda deinceps expoſitione; & quartum adhuc in præſentia demonſtrat tum exemplo, tum ratione ab opere ducta. ex quorum pronunciatorum vnoquoque confici poſſunt theoremata quæſtiones propoſitas definientia. Loci principales, quibus confici poſſunt, ſunt tres, ab officijs, à genere, à ſimili. Loci adiuncti, multi.

Text: xlv. [a] Τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι οὐ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν συμφερόντων ἐστί. [b] καὶ εὐθὺς ἐκ γενετῆς ἔνια διέστηκε, τὰ μὲν ἐπὶ τὸ ἄρχεσθαι, τὰ δ' ἐπὶ τὸ ἄρχειν. [c] καὶ εἴδη πολλὰ καὶ ἀρχόντων, καὶ ἀρχομένων ἐστί. [d] καὶ ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ, ἡ τῶν [*] βελτιόνων ἀρχομένων· [e] οἷον ἀνθρώπου, ἢ θηρίου· [f] τὸ γὰρ ἀποτελούμενον ἀπὸ τῶν βελτιόνων, βέλτιον ἔργον· [g] ὅπου δὲ τὸ μὲν ἄρχει, τὸ δ' ἄρχεται, ἐστί τι τούτων ἔργον.

[*] *In quibuſdam græcis libris legitur* βελτιόνων καὶ ἀρχομένων.

[a] Imperare enim, & parêre ſunt non ſolùm è neceſſarijs, ſed etiam è commodis rebus. [b] ac ſtatim ab ortu quædã diſtincta ſunt, alia quidem ad parendum, alia verò ad imperãdum. [c] & ſunt ſpecies multæ & imperantium, & parentium. [d] & ſemper melius imperium eſt, quod eſt meliorum parentium; [e] vt hominis, quàm belluæ: [f] quod enim peragitur à melioribus melius eſt opus; [g] vbi autem hoc quidem imperat, hoc verò paret, eſt aliquod horum opus.

f Elicit. Cauſę meliorũ meliorem effectũ eſſe.

EXPLANATIO.

Numerus, ſupplementũ, cõfirmatio, vſus pronũciatorũ, quę in hoc tex: aſſumuntur.

PROPONIT quatuor pronunciata. In vnoquoque horum quatuor pronunciatorum ſubaudienda ſunt ex textu proximè ſequenti hæc, aut ſimilia verba: *vbi ex multis fit vnum aliquod commune.* etenim niſi vnum commune aliqua ratione fiat, nec imperantia eſſe poſſunt, nec parentia; quorum ratio in ſocietate, & coniunctione conſiſtit. Vnunquodque confirmabitur expoſitione in ſequentibus textibus; & vel per ſe eſt ſatis conſtãs, vel firmari inductione poteſt: quartum tamen, quod paulo obſcurius videbatur; demonſtratur in hoc eodem textu exemplo, & ratione. Ex vnoquoque

quoque tandem, quibuſdam additis, tria colligũtur theoremata tres pro-
a poſitas in ſuperiori textu quæſtiones perſoluentia. ᵃ Primum igitur pro- *Pronũciatum primum.*
nunciatum, quod inductione oſtendi poteſt, confirmabiturq́; expoſitione
in tex: 47. 49. 50. 51. eſt tale. Imperandi, & parendi differentia non ſolùm
neceſſaria, verùm etiam vtilis eſt, vbicunque ex multis fit vnum aliquod
commune. Ex hoc pronunciato conficitur theorema primæ quæſtionis in *Primi theorematis ex primo pronũciato demonſtratio.*
hunc modum. Sed ex multis hominibus fit vnum aliquod cõmune, quom
iunguntur tum aliæ ſocietates, tum ipſa dominica ſocietas: ergo & in alijs
ſocietatibus, & in dominica non ſolùm neceſſaria, verùm etiam vtilis eſt
imperandi, & parendi differentia. At quod eſt ſimul neceſſarium, & vtile
in aliqua re, eſt in illa ſecundũ naturam, quod etiam inductione cõfirmari
poteſt: ergo differentia imperãdi, & parendi eſt tum in alijs ſocietatibus,
tum in dominica ſecundum naturam: ergo ſeruus, & dominus, quorum
iſta ſunt officia, illius quidem parere, huius autem imperare, ſunt in do-
minica ſocietate ſecundum naturam. Locus primi ſyllogiſmi eſt à genere.
nam dominica ſocietas eſt vna ſpecies eorum, quæ vnum quiddam fiunt
ex multis. Locus ſecũdi ſyllogiſmi eſt à proprietate eius, quod eſt ſecun-
dum naturam, & ipſius naturæ. Sola enim natura in omnibus facit ea, quæ
a è neceſſarijs è cõmodis rebus. neceſſaria ſunt ſimul & vtilia: ᵃ Neceſſaria appello, ſine quibus res eſſe,
ideſt, ad pręſens propoſitum, viuere prorſus non poteſt; vtilia ſine quibus
bene eſſe, & bene viuere non poteſt. Ars autem, & omnino mens noſtra vel
vtilia tantùm præſtat; vt pictura; vel neceſſaria tantùm, vt agricultura, &
ad architecturam cæmentaria; vel ſi aliquando neceſſaria & vtilia ſimul,
vt ſutoria, nõ tamen in omnibus. Locus tertij ſyllogiſmi eſt ab officijs do-
mini, & ſerui. Secundum pronunciatum, quod confirmabitur item expo- *Pronũciatum ſecundum.*
b. ſitione in iiſdem textibus 47. 49. 50. 51. eſt hoc. ᵇ Statim ab ortu quędam
illorum, quę vnum ex multis fiunt, inter ſe perſpicuè hac ratione diſtin-
guuntur, vt alia ad parendum, alia ad imperandum ſint idonea: ergo per
locum à ſimili etiam in dominica ſocietate conuenit ſtatim ab ortu quæ-
dam ad parendum, quædam ad imperandum idonea eſſe, ideſt eſſe quoſ-
dam ſeruos, & quoſdam dominos, quorum iſta ſunt officia: ſed cuiuſcun- *Primi theorematis ex ſecũdo pronũciato demoſtratio.*
que modi res ſunt ſtatim ab ortu, eius modi naturâ ſunt, per locum à de-
Lib. 4. Phyſicorũ tex: com. 14. finitione; generatio enim eſt via in naturam ex ij. Phyſico: ergo conuenit
quoſdam ſeruos, & quoſdam dominos eſſe naturâ. ᶜ Tertium pronuncia- *Pronũciatum tertium.*
tum ſatis per ſe manifeſtum, & ſimiliter confirmandum expoſitione in tex:
c. 47. 49. 50. 51. ᶜ Multæ ſunt ſpecies & imperantium, & parentium illis in
rebus, quæ ex pluribus vnum fiunt, inter quas ſpecies vnę ſunt ſeruorum,
& dominorum: ſed in alijs imperij ſpeciebus ſunt quædam imperantia, & *Primi theorematis ex tertio pronũciato demonſtratio.*
quędam parentia naturâ; quod partim declarabitur infrà, partim eſt ſuprà
conſtitutum, vbi probatum fuit hominem naturâ eſſe ciuile animal, & ci-
uitatem eſſe naturâ: ergo per locum à ſimili etiam in hac ſpecie dominici
imperij erunt naturâ quædam imperantia, & quędam parentia, ideſt erunt
d. naturâ quidam domini, & quidam ſerui. Quartum pronunciatum. ᵈ Quo *Pronũciatum quartum.*
meliora ſunt quæ parent, eo ſemper imperium eſt melius. Confirmabitur
quoque hoc pronunciatum, vt ſuperiora, expoſitione in textibus ſequen-
tibus. 49. & 50: tamen & hîc, quia fit illis obſcurius, tum exemplo decla-
e. ratur, tum oſtenditur ratione. ᵉ Exemplum eſt hoc: Imperiũ in hominem
f. g. melius, præſtantiusq́; eſſe, quàm quod in belluã habetur. ᶠ Ratio ducitur
g. ab opere, vno modo ſic. ᵍ Quotieſcunq; aliquid imperat, & aliquid paret;

existit

exiſtit primò quoddam opus, ideſt munus amborum, quod imperium ap-
pellamus, profluens ab imperante, & in parente adhæreſcens; deinde exi-
ſtit quicquid tandẽ ex hoc munere, atque officio naſcitur ſiue operationis
duntaxat, ſiue prẹter hanc etiã operis, ſed alius ſignificationis, quàm quom
imperium eſſe opus dicimus: hẹc propoſitio nota eſt, nam imperium ten-
dit neceſſariò in aliquod opus, & ipſum eſt opus, ideſt munus, & vis, & ra-
tio imperantis, & parentis: [f] Omnis autem operatio, & opus, & munus eo f.
meliora ſunt, quo à melioribus proficiſcuntur, per locum à cauſis: ergo
cùm opus, & operatio, quæ oriuntur ab imperio, tum ipſum imperium,
quod ſimul eſt cauſa illorum operum, ſimul munus imperantium, paren-
tiumque; eo ſemper erunt meliora, quo meliorum erũt, quemadmodum
imperantium, ita etiam parentium. Vel faciliùs: [f] Opus, quod efficitur à f.
melioribus eſt melius: [g] imperium eſt opus; & hoc quidem efficitur ab im- g.
perante, & parente: ergo imperium, quod eſt meliorum tam parentium,
quàm imperantium, eſt melius. Tertio modo, qui fuit D. Thomæ: [g] Omne g.
imperium dirigitur ad aliquod opus: vbi enim imperium eſt, & vnum im-
perat, alterum paret, neceſſe eſt exiſtere opus quoddam, ad quod & illud
imperet, & hoc pareat: itaque, per locum à fine, quale eſt opus, ad quod im-
perium dirigitur, tale eſſe imperium oportet, quod eò ſpectat: [f] opus au- f.
tem omne tanto melius eſt, quanto meliora ſunt ea, à quibus efficitur; &
hac de cauſa tanto melius eſt òpus, ad quod dirigitur imperium, ideſt
quod imperando, & parendo nouiſſime efficiunt imperans, & parens, illud
vt cauſa prima, hoc vt proxima, quanto illa meliora ſunt: ergo etiam im-
perium erit tanto melius, quanto fuerit meliorũ non ſolùm imperantium,
ſed etiam parentium; atque horum fortaſſe magis, certè euidentius, quo-

Primi theorematis ex quarto pronũciato demonſtratio.

niam ſunt proxima operis cauſa, vt dictum eſt. Ex hoc autem quarto pro-
nunciato euenit propoſitum manifeſtè. nam homo belluis eſt melior, &
vir muliere, & totus homo ſuo corpore: ergo imperium melius erit, quod
in hominem, quàm quod vel in belluas, vel in mulierem, vel in proprium
corpus homo habet: omnia autem illa imperia ſunt naturalia, vt poſtea de-
clarabitur: ergo & imperium hominis in hominem naturale erit, imò
tanto magis naturale, quanto eſt illis prẹſtantiùs: facit enim natura liben-
tiùs ſemper, quæ meliora ſunt, & prẹſtantiora: ergo quidam ſunt domini
naturâ, & quidam ſerui. Sic itaque ex vnoquoque horum quatuor pro-
nunciatorum concluditur primum theorema de tribus propoſitis, quod

Alia duo theoremata quomodo cõficiant ex vnoquoque horũ quatuor pronunciatorum.

eſt, eſſe naturâ quoſdam dominos, & quoſdam ſeruos. At ſi hoc ſequitur,
ſimul ſequuntur & alia duo; nimirum quibuſdam hominibus melius,
vtiliusque eſſe ſeruire, quàm non ſeruire; & quoſdam quibuſdam ſerui-
re iuſtum eſſe. comitantur enim hæc illi, vt declarauimus in ſuperiori
commentario.

Partes textus.

Partes textus quinque. Primæ quatuor proponunt quatuor pronun-
ciata. Poſtrema probat quod eſt ex illis quartum.

Textus XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI.

Declarat, confirmatq́; expoſitione in tota animalis natura, & tam in vno, quàm in multis animalibus ſpecie, ſexu'ue differentibus quatuor pronunciata ſuperioris textus: quod dum facit, vnà oſtendit ſex alijs argumentis propoſitum .i. partes aientes trium propoſitarum quæſtionum veras eſſe.

Ὅσα γὰρ ἐκ πλειόνων &c.

S C H O L I V M.

SVMPTA ſunt in textu proximè antecedẽti quatuor pronunciata: ex quibus concluduntur theoremata quęſtionum propoſitarum. Illa pronunciata, quanquam per ſe ſatis manifeſta eſſent; tamen, vt maiorem firmitatem, euidentiamq́; habeāt, confirmare vult Philoſophus expoſitione, & obſeruatione eorum, quę fiunt. ſimul verò hoc præſtat, ſimul alijs quibuſdam rationibus etiam ab animaduerſione eorum, quę fieri cernuntur, ductis, eadem demõſtrat theoremata. Cæterùm ordo, & diſpoſitio eſt huiuſmodi. Primùm generaliter proponit, in omnibus omnino tam animatis, quàm inanimis, quę ex multis ſic cõſtant, vt fiant vnum quippiam commune ſiue ex cõiunctis, ſiue ex diſiunctis; eſſe perſpicuè naturà imperantia, & parentia; imperantia meliora, parentia deteriora. Atque hoc quidem dici quintum pronunciatum poteſt, ex quo, vt videbimus, illa eadem theoremata, conficiuntur. Sed valde patebat tam latè ſumptum, quemadmodum & ſuperiora. plus autem clareſcunt expoſitione, quæ minus, quàm, quæ magis patent; imò aduerſatur quodammodo communitati ipſa expoſitio, obſeruatioq́; rerum ſingularum: & nobis ſat eſt ad præſentem diſputationem pronunciata hæc vera conſpici in animalibus. itaque ad animalia contrahit in textu 46. Philoſophus hoc, & ſimul cum hoc, quippe cuius pars in illis ſubaudiretur, etiam ſuperiora

text: 46.

pronunciata. Deinde verò, quoniam multa illa, ex quibus vnum aliquod commune exiſtit, poſſunt eſſe, quemadmodum dicebamus, vel coniuncta, continua'ue, vel diſiuncta; oſtendit de vtroque genere per expoſitionem in animalibus iſthæc pronũciata vera eſſe. Et primò quidem vbi ſunt coniuncta, ideſt in vno animali, & in vno homine, in textu 47. 48. 49: pòſt vbi diſiuncta, ideſt in diuerſis animalibus; quæ diuerſa eſſe poſſunt vel ſpecie, vel ſexu, vel conditione. In differentibus ſpecie expoſitionem facit in textu 50. in differentibus ſexu in textu 51. Conditionis differẽtiam prætermiſit, ne principium petere videretur. text. 47.48.49. text. 50. text. 51.

ARGVMENTVM. TEXT: XLVI.

Proponens in omnibus omnino, quæ ex pluribus conſtant, & fiunt vnum aliquod commune ſiue ex continentibus, ſiue ex diſiunctis, apparere imperantia, & parentia ſecundum naturam, illa meliora, hæc deteriora; iſtudque, quod dehinc appellabimus quintum pronunciatum, oſtendens in rebus inanimis exemplo harmoniæ; contrahit ipſum, & in ipſo quatuor ſuperiora, quæ eo abſoluebantur, ad animalia: addita etiam cauſa contractionis, nempe quia hoc ſolùm modo ad præſens inſtitutum pertineant.

Text: xlvj. [a] Ὅσα γὰρ ἐκ πλειόνων συνέστηκε, [b] καὶ γίνεται ἕν τι κοινὸν, [c] εἴτε ἐκ συνεχῶν, [d] εἴτε ἐκ διῃρημένων· [e] ἐν ἅπασιν ἐμφαίνεται τὸ ἄρχον, καὶ τὸ ἀρχόμενον. [f] καὶ τοῦτο ἐκ τῆς ἁπάσης φύσεως ἐνυπάρχει τοῖς ἐμψύχοις. [g] καὶ γὰρ ἐν τοῖς μὴ μετέχουσι ζωῆς ἐστί τις ἀρχὴ, οἷον ἁρμονίας· [h] ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἐξωτερικωτέρας ἐστὶ σκέψεως.

[a] Quæcunque enim è pluribus cõſtant, [b] & fiunt vnum aliquod cõmune, [c] ſiue ex continentibus, [d] ſiue ex diſiunctis; [e] in omnibus ijs apparent imperans, & parens. [f] & hoc ex vniuerſa natura ineſt in animatis. [g] nam & in ijs, quæ expertia ſunt vitæ, eſt quoddam imperium, vt harmoniæ: [h] ſed hæc fortaſſe ſunt conſyderationis magis extrariæ.

E X P L A N A T I O.

Vnum & ens aliquid quot quibusq; modis fit, ac fiat.

[a] QVICQVID eſt, aut per ſe eſt, ſimplex, & vnum, vt Deus; aut ex alijs conſtat. &, ſi conſtat ex alijs; vel conſtat ex vno tãtùm, vt quom pars aeris in ignem conuertitur; vel conſtat ex multis. [b] rurſus, ſi ex multis, vel ex multis, quæ intereunt, non manent, faciuntq; hac de cauſa vnum quoddam ſimplex; vt ex abolitis, aere, ac terra aliquando genitus dicitur conſtare a. b.

conſtare ignis, vnus, & ſimplex, quatenus ex illis eſt genitus: vel conſtat ex multis manentibus, efficientibusq́; ob hoc ipſum, quia manent, vnum aliquod non ſimplex amplius, ſed compoſitum, ſeu commune, quemadmodum hîc appellat Philoſophus:

t. 4.

& ex manentibus quidem, quæ vel cohæreant inter ſe, & ſint continentia, græcè συνεχῆ, vt ex membris corpus; vel ſint diſiuncta, & diſcreta, grçcè διῃρημένα, vt exercitus ex militibus. Poſſent verò & continentia, ideſt τὰ συνεχῆ adhuc diuidi: quoniam vel maneât ſimpliciter; vel certo quodam pacto. Manent ſimpliciter in colligatis, confixis, conglutinatis, quæ omnia vno verbo Plutarchus in Coniugalibus præceptis, ſimilem huic corporũ diuiſionem molitus, συναπτόμενα appellat; & in mixtione, quæ fit ad ſenſum. Manent certo quodam pacto in vera mixtione.

De hac duplici mixtione vide in ext. u p. libro de Generatione & interitu.

e.

[c] In nulla igitur re, quæ vna ſit, & ſimplex, ſiue per ſe ſit eiuſmodi, ſiue è multis conflata, quæ in illam prorſus abierint; eſſe ſimul poſſunt imperans, & parens. hæc enim ſunt multa. quamobrem in multis, [b] vel potius in vno multiplici, propterea quòd ad ſe referuntur, & neceſſarium eſt aliquomodo eſſe coniuncta, reſideant oportet. Ergo in vno communi, quod ſolum multiplex eſt, quia ex multis conſtat, ſunt hæc duo, quæ vocantur imperans, & parens:

b vnum aliquod cõmune.

Imperans, & parens nõ eſſe in ijs rebus vnis, quæ ſimplices ſunt, ſed in ijs, quæ ex multis conſtant.

c. in omnibus ijs.

[c] & ſic ſunt, vt nullum ſit eorum, quorum vnumquodque hoc modo eſt vnum commune, conſtans ex multis ſiue cohærentibus, ſiue diſiunctis, in quo non appareant. [f] Ergo, & ſecundum naturam, vt iterabit ſubſequens textus, neceſſe eſt eſſe imperans, & parens in his omnibus, quibus conuenit nuncupari hoc vocabulo, vnum commune. quicquid enim in omnibus alicuius generis rebus cernitur adeſſe; id neceſſe eſt adeſſe in illis ſecũdum naturam; atque eo magis, quo genus fuerit communius. in paucis enim omnino eſt, quod eſt præter naturam, vt ſępe admonui.

f. ex vniuerſa natura.

Imperans, & parẽs naturâ eſſe in omni re, quæ vocari poteſt vnũ commune, ſeu ex multis cõſtans ſi in ea ſit aliquis actus.

f.

Non [f] ſunt igitur propria animantium imperare, & parere; imperans, & parens; vt fortaſſe credere aliquis poſſet ex eo, quòd de animantibus frequentiſſime dici ſoleant: ſed communia omnium rerum, quarum vnaquæque vnum commune ideo nuncupatur, quia conſtat ex multis vel continentibus, vel diſiunctis, dummodo in illis ſit aliquis ex ſe actus, vel motus, ſine quo imperium eſſe prorſus non poteſt. nam ædes quidem ex coniunctis, tecto, parietibus, fundamentis, ſunt coagmentatę; non tamen in ædibus eſſe imperans, & parens vllus affirmaret. Et ex hac natura vniuerſa, ideſt ex hoc genere latiſſimè patente, quod non ſolùm naturalia, ſed etiam ciuilia, & pleraque ex artificioſis complectitur, aduenniunt hęc animantibus. neque .n. ex propria natura, & quatenus ſunt animantia, habent in ſe imperans, & parens: ſed ex natura huius generis; vt efficiunt, inquam, aliquod vnum commune quod ex multis conſtat coniunctis, diuiſis'ue, & in quo motus aliquis per ſe conſpicitur.

Imperans, & parẽs à genere vniuerſo re vnum ex multis cõſtantiũ aduenniſſe in animantia.

g.

[g] Eſſe autem hoc verum, & res quoque vitæ expertes, quęcunque vnum tale reddunt, ſic à natura diſtinctas, vt alię imperent, aliæ pareant, declaratur exemplo harmoniæ. In qua quidem acutiſſima vox, & nete ex fidibus tanquam domina eſt: cæterę, atque in his grauiſſima, quæ in fidibus hypate vocatur, tanquam ſeruæ. Eſt enim nete fidium omnium vehementiſſima, vt ſcribitur ab Ariſtotele in quęſtione 42. xix. ſectionis Problematum, commouens motu ſuo, quomodocunque id faciat, alias omnes, & in ſuo ſono aliarum cõtinens ſonos. Ob quam cauſam muſici noſtrorum temporum acutiſſimam tam vocem, quàm chordam ſupranum, cantumq́; appellant, quaſi ſuperiorem, ac dominam dixeris: grauiſſimam baſſum, quod Italico

In harmonia imperans et parens.

X 2 idiomate

Boethius primo Musica cap. 20.

idiomate depreſſum, atque humile ſignificat. Sunt tamē qui putent antiquos contrarium ſentiſſe, & grauiſſimo ſono primas in concentu partes, acutiſſimo poſtremas dediſſe: indeq; nomina facta fidibus hypati, & neti; huic ab humilitate; illi ab excellentia & quaſi dominatu. cui ſententię ſubſcribere etiam Ariſtoteles videtur in quibuſdam quęſtionibus eiuſdem particulæ xix. Sed de his alio loco. Satis eſt ad præſentem locum, omnes conſentire, in harmonia eſſe formam quandam imperij, ac dominationis.

Harmoniā alijs modis q̄ vt cōmuniter ſumitur interpretantium errores.

At qui harmoniam hic interpretātur harmoniām quatuor elementorum in corpore mixto, aut harmoniam mundi elementaris, aut harmoniam globorum cœleſtium: non animaduertunt, ex prima, & ſecunda interpretatione Philoſophum inutiliter vti metaphoris; ex tertia, ſi propriè ſumatur vox harmonia, confutatam fuiſſe in ij. Cœli priſcam hanc Pythagoræorum ſentētiam: vt nunc omittam globos illos à philoſophis putari animatos. Quanquam maximè probo & in mixto corpore vnum aliquod quatuor elementorum dominari, ac mouere, cætera ſubeſſe ſuis carentia motionibus, quemadmodum ſeruus caret: & orbibus elementarijs præſidere cœleſtes; qui illos, ac concreta ex illis gubernant: & inter cœleſtes primum illum potiri imperio, cuius vi cæteri ab ortu in occaſum quotidie circunferuntur. Imò, vt dicebamus, generaliter quicquid cuiuſcunque rationis eſt vnum aliquod commune conſtās ex multis continuatis, aut diſtinctis, quorum ſit aliquis motus per ſe; in eo ſunt imperans, & parens ſecundum naturam, illud quidem melius, hoc autem deterius; quod addendum eſt ex textu ſequenti 51: vt etiam in primis cōpoſitis ex materia, & forma dominatur, & imperat quodammodo forma materiæ.

Lib. ij. Cœlo tex: com. 52. ad 57.
Ex primo Cœl tex: com. 7. & 12.
Ex primo primo Meteorologi ci.
Ex ij. Cœli multis in locis & textu ij de Generatione et interitu.

Ex hoc quinto pronūciato quomodo eueniāt tria theoremata propoſita.

Et eſt hoc quintum pronunciatum, ex quo propoſitum confici poteſt. nam ſi ei altera propoſitio addatur, nempe ſocietatem dominicām eſſe tale vnum commune ex multis diſtinctis conſtans, quorum eſt aliquis motus per ſe; ſequitur in dominica ſocietate eſſe imperās, & parens, ideſt eſſe dominum, & ſeruum ſecundū naturam, illum meliorē hunc peiorem, vt liquet ex antè cōſtitutis, cōfirmabuntq; potiſſimùm tex: 53. & ſequētes. ex quo theoremate deinceps alia duo colliguntur, quemadmodum declaratum eſt ſuprà.

Imperans & parens, ac dominum rano imperij in quibus magis, in quibus minus ꝓpriè, & quę ciuilis cōſyderationis ſit, quę minimè. Exotericis lib. & conſyderationes.

h In commentario 44. et 35.

[h] Cæterùm quæ de harmonia, deq; alijs rebus inanimis, prout ijs attribuitur ratio imperij, dicta ſunt, dici'ue poſſunt; nō ſunt huius ciuilis, ſed alius, ac magis vulgaris cōſyderationis. Habent nanque à natura iſthæc oīa, quæ animam non habent, formā quandam ſecundariam, & ſimilitudinē imperij potius, quàm imperiū, quod propriè, vereq; in animalibus nominatur; & maximè propriè, ideſt maxime perfectè, ac primò in hominibus. Itaq; [illegible], magis extraria, hoc eſt ab exquiſito, ſummoque, ac proprio in primis philoſophandi genere alienior; plauſibilior autē, & ſenſui vulgi accōmodatior adhuc, quàm ciuilis, eſſet huiuſmodi cōſyderatio, & tractatio. Sic.n. exotericas conſyderationes, & ſermones, & libros ſoleo interpretari: de qua re alibi copiosè. Sat verò in pręſentia fuerit, oſtēdere in animalibus hoc, & ſuperiora quatuor pronūciata vera eſſe: quod ſtatim pręſtare incipit Philoſophus expoſitione, vel inductione quadā, quia plures ſunt expoſitiones.

In quibus & quomodo demonſtrādaſint deinceps quatuor propoſita pronunciata. Partes textus.

Partes textus iiij. Prima (a b c d e) ꝓponit generaliter quintū pronūciatum. Secūda (f) admonet nō eſſe ꝓpriū hoc pronūciatum rerū animatarū, ſed illis cōmune cū inanimis. Tertia (g) confirmat eſſe cōmune exemplo harmonię. Quarta (h) cōtrahit hoc, & cū hoc quatuor ſuperiora pronunciata in animalia; delegata latiori ſumptione cōſyderationi magis extrarię.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. XLVII.

Docet in animali, & homine vno, quod eſt vnum commune conſtans ex cohærentibus, anima, & corpore; eſſe id, quod imperet, & id, quod pareat naturâ; illud animam, & melius; hoc corpus, & deterius. Ex quo eueniunt tum per locum à ſimili tria illa theoremata propoſiti principalis; tum per expoſitorias rationes quatuor ex pronunciatis duorum textuum antecedentium, quintum, ſcilicet, & ſecundum, & primum, & aliquo modo etiam tertium.

Text. xlvij. [a] Τὸ δὲ ζῷον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος: [b] ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δ' ἀρχόμενον.

b. idem inuenies in vij. ad Nicom. & ad Eudemũ cap. 11. idẽ ſcribit Plato in principio v. de legibus, & alijs in locis.

[a] Animal autem primùm conſtitit ex anima, & corpore: [b] quorum alterum quidem eſt imperans naturâ, alterum verò parens.

EXPLANATIO.

a. primùm. [a] VNVM commune aut ex cohærentibus conſtabat, aut ex diſiunctis. *Ordo diſputationis.* Primùm igitur exponendum ait de eo, quod conſtat ex cohærentibus. Et hoc quidem modo interpretor ego hanc vocem primùm: referendo eam ad ordinem diſputationis: ad quē referri oportere indicio eſt hæc eadem vox repetita infrà in textu 49. Vel ſi omnino cum verbo conſtitit eſt coniungenda, intelligerem primùm, ideſt ſtatim ab ortu, & quom generatum fuit, conſtitiſſe animal ex anima, & corpore. D. Thomas, & alij, qui eum ſequuntur, ſic exponunt, quaſi ſignificet hęc vox primam compoſitionem animalis: qui in re multum laborant, nec ſe ſatis expediunt. *a.* [a] Cohærent ergo anima, & corpus, ex quibus conſtat vnum quippiam commune, animal nimirũ, & magis propriè homo vnus numero, verbi gratia Antonius, *Animalis, & hominis vnius conſtitutio ex anima & corpore.* *b.* vt liquet ex ſequentibus textibus. [b] Harum duarum partium, ex quibus hoc vnum commune conſtat; altera imperat, altera paret ſecundum naturam; imperat quæ melior eſt, ideſt anima; paret corpus, quod eſt deterius. Porrho autem eſſe animæ imperium, & dominationem naturalem *Anima in corpus, cui adhæret, dominatio.* in ſuum proprium corpus, conſentiunt vulgus, & ſapientes; philoſophi, & theologi; ſenſus & ratio. pleni ſunt libri hiſtorijs, & teſtimonijs mirabilium in hac re accidentium: vſus comprobat: mens docet. quæ quidem cuncta, tam quæ literis tradita ſunt, quàm quæ omnino vel experimentis deprehendi, vel cogitatione inueniri poſſunt, collegit Marſilius Ficinus vir doctiſſimus, in xiij. librũ Theologiæ Platonicæ. Atque ob hãc cauſam Plato, & alij antiqui philoſophi corpus vocarũt inſtrumentũ animę. Sed de his ſatis. In animali, & homine vno igitur ſunt natura imperans, & parens; *Deductiones quatuor pronunciatorum, et propoſiti principalis ex hoc aſſumpto.* illud anima, hoc corpus: atque animal, homoq; vnus eſt vnum aliquod commune, quod conſtat ex his duobus cohærentibus, anima, & corpore: ergo in rebus, quæ ſunt vnum aliquod commune &c. ſunt natura imperans, & parens. quod fuit pronunciatum proximi textus. Rurſus, animal, & homo vnus conſtitit ſtatim ab ortu ex anima, & corpore; quorum illa imperat, hoc paret: ergo ſtatim ab ortu quędam illorum, quæ ſunt vnum commu-

commune, ſic diſtincta ſunt, vt alia ad imperãdum, alia ad parendum ſint idonea. quod erat ſecundum pronunciatum. Item, in animali, & homine vno anima imperat, corpus paret: atque hoc non ſolùm neceſſarium, ſed etiam vtile eſt ambobus: ergo imperandi, & parendi differentia non ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtilis eſt &c. vt in primo pronunciato. Nouiſſimè, in animali, & homine vno ſunt imperans, & parens; illud anima, hoc corpus: ergo multæ ſunt ſpecies & imperantium, & parentium, vt dicebat tertium pronunciatum: nam ſaltem per hypotheſin ſunt etiam imperans dominus, & parens ſeruus. Omnes hi quatuor ſyllogiſmi ſunt expoſitorij; qui ex eo, quod in parte explicatur, concludunt quod latet in toto: parumque habent firmitatis, niſi locis à ſimili, & ab eadem natura totius, & partium fulciantur. Tandem verò, ſi in animali, & homine vno, qui eſt vnum aliquod commune, & ex multis conſtans, ſunt naturâ imperans, & parens: ſequi videtur per locum à pari, vt ſint etiam in dominica ſocietate, quę & ipſa eſt aliquod vnum commune eodem modo conſtans, ex multis. Quòd ſi in dominica ſocietate ſunt imperans, & parens naturâ; iam non ſolùm naturâ ſunt quidam domini, & quidam ſerui; verumetiam ſeruire his prodeſt, & iuſtum eſt, vt illis ſeruiant, quemadmodum declarauimus ſuprà. *In comment. 44. & 35.*

Partes textus. Partes textus duæ. Prima docet animal, & hominem vnum numero eſſe vnum commune ex cohærentibus. Secunda, eſſe in eo imperans & parens naturâ.

ARGVMENTVM. TEXT: XLVIII.

Occurrit obiectioni naſcenti de hominibus prauum corpus, prauam'ue animam aut ſimpliciter, aut κατά τι *nactis vel ab ortu, vel ex educatione, inſtitutione'ue: in quibus ſæpe videtur corpus animæ imperare, contra id, quod proximo in textu ſumebatur. Et reſponſio eſt: id genus homines malè ſe habere; quocirca & præter naturam: quicquid autem naturâ ſit alicuius modi, conſyderandum eſſe, non in corruptis, ſed in habentibus ſe magis ſecundum naturam. Locus obiectionis, ab accidentibus qualitatis, ideſt ab habitu, & diſpoſitione. Locus reſponſionis, a munere contemplatoris.*

a. b. Elicitur: Habentia ſe ſecundum naturam, & corrupta oppoſita. c. Elicit: Quærendum eſt homo optime diſpoſitus & corpore & animo. et quis ſit maxime ſe habens ſecundũ naturam. d. e. Elicitur: Malè ſe habentes præter naturã ſe habere idẽ eſſe vltra, rurſus bene et ſecũdũ naturã. Idẽ elicit: Quæ ſint homines malè & præter naturã ſe habentes.

Text: xlviij. [a] Δεῖ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, [b] καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις· [c] διὸ καὶ τὸν βέλτιστα διακείμενον καὶ κατὰ σῶμα, καὶ κατὰ ψυχὴν ἄνθρωπον θεωρητέον: [d] ἐν ᾧ τοῦτο δῆλον. [e] τῶν γὰρ μοχθηρῶν, ἢ μοχθηρῶς ἐχόντων δόξειεν ἂν ἄρχειν πολλάκις τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς· [f] διὰ τὸ φαύλως, καὶ παρὰ φύσιν ἔχειν.

[a] Oportet autem conſyderare in ijs, quæ ſecundum naturam ſe
habent magis id, quod natura eſt, [b] & nõ in corruptis. [c] quo-
circa etiam eum hominem, qui & corpore, & animo optimè
diſpoſitus ſit, conteplari debemus: [d] in quo hoc eſt manifeſtũ.
[e] prauorũ .n. aut praue ſe habentiũ exiſtimaretur ſane corpus
animæ ſæpe imperare; [f] propterea quòd malè & præter natu-
ram ſe habeant.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Partes textus.

Partes textus quinque. Prima (a b) tradit regulam, & præceptum quoddam præclariſſimum ad inquirendum quid in quaque re ſit naturale. Secunda (c) ex hoc præcepto infert, cõtemplandum eſſe hominem & corpore, & animo optimè diſpoſitum, vt cognoſcamus vtra pars imperando, vtra parẽdo ſit naturaliter idonea. Tertia (d) aſſeuerat in homine ſic diſpoſito eſſe iſtud perſpicuum. Quarta (e) concedit, quod ſumitur in obiectione, hoc eſt prauorum, aut praue ſe habentium corpus animæ frequenter imperare. Quinta (f) vnde hoc eueniat; ediſſerit. Cætera ad reſolutionẽ attinentia clara ſunt ex argumento, & clariora euadent ex ſcholijs.

SCHOLIA.

Præceptũ primę partis textus, et eius declaratio.

Quid quærat quemquęritur an aliquid ſit alteri naturale vel an aliquid ſit naturâ cuiuſdam modi.

Oportet autem conſyderare &c. Præceptum præclariſsimum: quod ſpectat officium contemplantis, perueſtigantisque, vt inueniat, ſit'ne aliquid, quod de altero quæratur, & quod alteri adhæreat, naturale ei, cui adhæret, & de quo quęritur: ideſt adhereat'ne illi ex natura, & vi propria illius, ex qua illud nomen, definitionemque habet; an minime: exempli gratia in propoſito, & in ſingulis hominibus vtrum animæ imperare, corpori parêre conueniat ex ſua vtriusque natura, & facultate. Sed nunquid, vt ſit aliquid alteri naturale, ſatis eſt vt adhęreat illi ex illius natura; nec oportet vt adhæreat ex ſua? An verò iſta reciprocantur: & cuicunque adhæret ex natura illius, etiam ex natura ſua; & cuicunq; adhæret ex natura ſua, etiam ex natura illius neceſſe eſt adhærere id, quod alteri adhæret. ſimilitudo enim, & congruentia, vnde hæc pendent, ſita in duobus terminis, eſt neceſſariò vtriuſque eorum ad alterum. quanquam natura adhærentis latius aliquando patet, vt dixi in primo Poſteriorum: & hac de cauſa primas obtinere in hoc videtur natura ſubiecti. Quom igitur ſcire volumus, vtrum aliquid hoc modo ſit naturale, ideſt vtrum aliquid ſit naturale alteri, vel vtrum aliquid ſit naturâ cuiuſdam modi: hæc enim contrario ordine eandem vim habent: exempli cauſa imperare dicimus eſſe alteri naturale animæ ſcilicet, & animam eſſe naturâ cuiuſdam modi, ideſt imperantem: Quom ſcire volumus inquam, vtrum aliquid hoc modo ſit naturale; quoniam ex natura ſubiecti id primùm æſtimatur, & pendet, vt dicebamus; inſpicienda ſunt ſubiecta adherentium non quæ præter naturam, ſed quæ ſecũdum naturam, & maximè quidem ſecundum naturam ſeſe habent. Itaque non corrupta; non vitioſa vllo pacto, ſed integra, proba, perfecta ſunt inſpicienda. Et, ſi in his probis, perfectisque inueniemus illa, de quibus quæritur, vtrum naturâ inſint, affirmare certò licebit naturâ ineſſe. Sic interpretarer ego hoc in loco vocẽ τὸ φύσει, latinè autem quod eſt naturâ: vt ſignificarer varia ratione, eadem vi, quemadmodum paulo antè admonui, habere aliquid, & ineſſe alicui naturâ: quod quidem Ariſtoteles in ij. Phyſico appellat ineſſe ſecundum ſe iis, quæ naturam habent, vt igni ineſt ferri ſurſum. Fuſiùs etiam poſſes accipere τὸ φύσει pro eo, quod ibidem vocatur κατὰ φύσιν, ideſt ſecundum naturam, continetque & id, quod dictum eſt, & id, quod naturam habet. Nam quæcunque ſunt naturalia, ſiue naturalia ſint, quia habeant naturam, ſiue quia inſint per ſe in naturam habentibus, omnia dijudicanda ſunt ex rebus perfectis, & integris, non ex corruptis, & vitioſis. Hæc tamen ſecunda expoſitio paulò durior, & minus quadrans verbis, ac ſcopo philoſophi. Nota hîc τὰ κατὰ φύσιν ἔχοντα, καὶ τὰ διεφθαρμένα, ideſt quæ ſecũdum naturam ſe habent, & corrupta opponi. Ergo etiam opponentur integra, & quæ ſunt præter naturam. Illa infra in ſecunda parte textus optime diſpoſita: hæc in ſecunda, & in quinta praua, praueque, & malè ſe habentia Philoſophus appellabit. Omnino quicquid corrumpitur, peruertitur'ue; à natura recedit ſua: & quantum à natura ſua recedit aliquid; tantum à ſuo proprio bono ſimul recedit.

Primo Poſteriorum cap. de vniuerſali.

Duplex expoſitio vocis τὸ φύσει.

Ariſtoteles ij. Phyſico text: comment. 5.

Secundum naturã, integrè, benèque rurſus præter naturã, corruptè, prauè, malè idem: atque hæc illis opponuntur.

recedit. Sine bono enim natura non eſt; nec ſine natura bonum. Imò ſi acrius in vnamquanque rem introſpicias; nullum aliud ad extremum eius bonum inuenies, præterquam naturam, & perfectionem naturæ ipſius. Idem itaque integrè, & bene, & ſecundum naturam: idem corruptè, & prauè, male'ue & præter naturam.

Anima an & quomodo corpori imperet in belluis.

Hominem contemplari debemus. Cur hominem? nonne in bellua quoque anima corpori imperat? &, ſi imperat anima corpori, quandiu bellua naturalem retinet ſtatum: nonne quando ab eo exorbitauerit, acceperitque non naturalem, imperabitur à corpore? Equidem imperat corpori anima belluæ: & illud mouet naturâ: ſed quum nihil ſapiat ſupra corpus, propterea quod ſit forma corporis, ea tantùm, quæ corporis ſunt, quærit. Quærunt igitur, & appetunt idem ambo: quapropter nec tentat quidem reniti animæ corpus in belluis. quemadmodum enim nulla forma violat, oppugnat'ue ſubiectum ſuum: ita nec ſubiectum in propriam rebellat formam: ſed alterum ſemper perficitur, ſuſtentaturque ab altero. Ob quam cauſam nec incontinentes, nec vitioſæ belluæ fiunt; ſicut viciſsim nec probæ, nec continentes: ac demum, quod Cicero ait in ij. de finibus, Beſtiæ, quamuis prauæ eſſe poſsint, deprauatæ tamen eſſe prorſus non poſſunt. quippe vitium, & virtus, continentia, & incontinentia non ſunt omnino ſine exercitatione, & pugna antecedente, vel comitante. At hominis anima, id eſt pars eius ſuperior mirum quantum ſupra corpus, in quo inhabitat, attollatur, cupiens quæ ſunt incorporea, & quæ corpus non ſolum affligant, ſed ſæpenumero etiam interimant: ſic enim imperat corpori, vt non huic vni, quemadmodum anima belluarum, verùm huic cum ſuo ſenſu, appetituque coniuncto imperet. Diuerſa itaque penitus eſt ratio imperij, quod anima hominis, & quod anima belluæ, in ſuum vtraque corpus, exercet. magisque apertum eſt in homine, in quo renixus, pugnaque cernitur, quàm in beſtiis, animæ imperium.

Bellua nec vitioſa, nec incontinentes, viciſſimque nec ſtudioſa, nec continentes. Anima humana in ſuum corpus dominatio.

Differentia et modi diſpoſitionũ ſeu conſtitutionũ humanarum ad probitatem & improbitatẽ, probasque ac prauas actiones.

Qui & corpore, & anima optimè diſpoſitus. Duas, dictum eſt in textu antecedenti, eſſe ſtatim ab ortu cuiuſque hominis partes, animam, & corpus. Aut vtraque igitur, aut alterutra etiam quiſque homo eſſe vel benè, vel malè diſpoſitus poteſt: & ſiue benè, ſiue malè; vel benè, male'ue tantùm, vel etiam optimè, aut peſsimè. Priores dicuntur propriè diſpoſiti, & habere ſe vel benè, vel malè, id eſt κατάλ, vel boni, vel mali, aut corpore, aut animo, aut vtroque: poſteriores non amplius ex diſpoſitione, ſed ex habitu corporis, animi, vtriusque boni mali'ue ſimpliciter nominantur. Prima diuiſio, quę ad partes hominis pertinet, in hac ſecunda textus parte; reliquæ duæ, quæ ad habitus, diſpoſitionesque in hac, & in quarta indicantur. Vnoquoque autem duodecim modorum, quos tres iſtæ diuiſiones efficiunt, diſponuntur homines vel ſtatim ab ortu, vel poſt; &, ſi pòſt, quantum ad corpus, vel educatione, vel accidenti aliquo interno, externo'ue; quantum ad animum, præter hæc etiam inſtitutione. modi omnes ſimplices quinquagintaduo: compoſiti multo plures: & quoniam corpus, & animus mutare ſe inuicem aliquando ſolent, adhuc plures. Sed & modi illi ſimplices in alios minutiores diuiderentur. quippe variæ inſtitutiones, variæ educationes, varia accidentia eſſe poſſunt tam intima, quàm extima; varij item ortus ex variis principiis, & annexis principiorum. Hi autem ſunt fontes, & cauſæ primæ probitatis, & improbitatis, probarumque, ac prauarum actionum omnium.

Vnde imperet corpus animæ in prauis, & prauè ſe habẽtibus hominibus.

Exiſtimaretur corpus animæ imperare. Cur dicitur corpus animę imperare in prauis, & prauè ſe habentibus animo, aut corpore hominibus? Nempe corpus imperare dicitur, quotieſcunque corporis voluptatibus, cupiditatibus'ue quibuſdam homines ſupra modum, ac præter rationem fuerint obſtricti. Hoc autem patiuntur & qui corpus habent prauum, aut praue diſpoſitum, niſi ratio eos coerceat; docentibus etiam medicis animi mores corporis temperaturam ſequi; & qui animum: qui animus ſi prauus ſit, per ſe improbos facit; ſi praue diſpoſitus, incontinentes. Sed de his, & aliis id genus in vii. ad Nicomachum. Quemadmodum autem in quibus contra naturæ inſtitutum corpus imperat,

anima

anima paret; ij aut praui ſunt, aut prauè ſe habent: ita ſocietates neceſſe eſt prauas eſſe; vbi imperant, qui parere; parent, qui imperare ex ſuo vtrique ingenio debebant. quòd ſi prauæ ſunt; etiam corruptæ, ac præter naturam ſint oportet ob ea, quæ diximus paulo antè: & imperia eodem modo, quibus illæ conſtringuntur (neque enim ſine imperio vel ſimplici, vel reciproco conſtare ſocietates poſſunt) corrupta, & praua, & præter naturam. Hinc dominationes, aliæque domeſticæ poteſtates, coniugalis, & paterna, ſeuæ, ac violentæ: hinc tyrannides, oligarchiæ, democratiæ, reliquarumq́; improbi tum cœtus, tum imperij formarum iniuſta vocabula. Quæ quoniam ſunt prauæ, ac præter naturam ſocietates; tantò magis neceſſe eſt alias eſſe his oppoſitas & in domibus, & in vicis, & in ciuitatibus rectas, ac ſecundum naturam.

Eſſe quaſdam ſocietates prauas, & quaſdã probas, & vtrinque.

ARGVMENTVM. TEXT. XLIX.

Procedit docendo in animali, & homine vno, qui eſt vnum commune, conſtans ex cohærentibus, anima & corpore, mente & appetitu; eſſe imperium tum dominicum, animæ in corpus, quod corpus eſt deterius anima; tum ciuile & regium, mentis in appetitum, qui appetitus eſt mente deterior: atque vtrunque, quod per ſe notum eſt, notiusq́ue redditur ex oppoſitis; eſſe ſecundum naturam, commodumq́ue ijs etiam, quæ parent. Ex quibus eueniunt, vt in textu 47 eueniebãt, per locum quidem à ſimili tria theoremata propoſiti principalis; per rationes autem expoſitorias primum, quintum, ſecundum, tertiumq́ue pronunciatum, ac præterea quartum.

Text: xlix:

[a] Ἐςι δ' οὖν, ὥσπερ λέγομεν, πρῶτον ἐν ζώῳ θεωρῆσαι καὶ δεσποτικὴν ἀρχὴν, [b] καὶ πολιτικήν. [c] ἡ μὲν γὰρ ψυχὴ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχήν: [d] ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως, πολιτικὴν, καὶ βασιλικήν. [e] ἐν οἷς φανερόν ἐςιν, ὅτι κατὰ φύσιν, [f] καὶ συμφέρον τὸ ἄρχεσθαι τῷ σώματι ὑπὸ τῆς ψυχῆς, [g] καὶ τῷ παθητικῷ μορίῳ ὑπὸ τοῦ νοῦ, καὶ τοῦ μορίου τοῦ λόγον ἔχοντος: [h] τὸ δ' ἐξ ἴσου, [i] ἢ ἀνάπαλιν, βλαβερὸν πᾶσι.

c ſimile ſuprà in tex: 47. d. ſimile infrà in tex: 149. de qua re in extu primi & in principio vi. ad Nicom. & Plato in iv. de Repub. et multis alijs in locis.

[a] Licet igitur, quemadmodum dicimus, primùm in animali ſpectare & dominicum imperium, [b] & ciuile. [c] anima enim corpori imperat dominico imperio: [d] mens autẽ appetitui, ciuili & regio. [e] in quibus manifeſtum eſt, ſecundum naturam, [f] ac commodum eſſe, vt imperetur corpori ab anima; [g] & parti patibili, *hoc eſt affectibus obnoxiæ*, à mente, parteq́; ea, quæ rationem habet: [h] quod autem per compares vices, [i] aut ex contrario, fore incommodum omnibus.

EXPLANATIO.

IMPERII, quod maximè propriè, primoq́; hoc nomen habet, quod cernitur in hominibus, vt dicebam ſuprà in 46. commentario, & eſt eorum inter ipſos ex ſocietate, ideſt ex coniunctione aliqua poteſtas, & actus imperandi, ac parendi; multæ ſunt diuiſiones, & formæ: de quibus expoſui in libro viij. ad Nicomachum. Diuiditur primùm ex terminis: nam vel vnus, vel plures, vel omnes, qui ſocietate continentur, imperare poſſunt.

Imperiũ, quod propriè, primò que dicitur quid.

Huius imperij diuiſiones, & formæ.

Lib. viij ad Nicõ. cap. 10.

Iterum ex fine: quòd vel probum eſt imperium, vel prauum. Tertiò ex ſubiectis rebus: quia imperia vel ciuilia ſunt, vel domeſtica. Et vtraque pars huius tertiæ diuiſionis in alias rurſus diſtribuitur partes, & formas. Inter illas formas duæ ſunt; vna domeſtica, quam δεσποτικὴν, ideſt dominicam; altera ciuilis, quam βασιλικὴν, ideſt regiam vocant. [a] Has duas formas imperij, vel potius, ſi propriè loquendũ eſt, ijs ſimiles, & imagines earum; nam illæ propriæ ſunt hominum, nec hominis partibus, multoq; minus alius animalis conueniunt; cernimus [a] in animali, & homine vno: [a] quem vnum hominem primùm contemplandum ſumpſit Philoſophus in textu 47, tanquam vnum commune ex multis cohærentibus coagmentatum. [c] Siquidem conſtat [c] homo vnuſquiſq; ex anima, & corpore; [d] itemq; eius anima ex mente, & appetitu, [g] ſiue ex parte rationem habente, & parte affectibus obnoxia, græcè παθητικῷ: quæ omnes ſunt partes cohærentes, & coniunctæ ipſius hominis. [c] Imperat autem anima corpori, vt poſitum eſt ſuprà in eodem textu 47: [d] & imperat mens, ideſt pars animæ rationem habẽs appetitui, ſiue parti patibili, hoc eſt affectibus obnoxiæ: quod in exitu primi, & v. & in initio vj. libri ad Nicomachum fuit declaratum; repeteturq; infrà in textu 149. huius primi Politici. Vtrunq; etiã eſt notum per ſe. [c] Porrho imperium, quo animæ corpus obtemperat, eſt dominico ſimile, vt ſcribitur quoque in capite ii. viij. ad Nicomachum: [d] imperium, quo mens appetitui moderatur, refert imaginem regij. Sed quænam erũt iſtæ ſimilitudines; & in quibus conſiſtent? Fortaſſe, vt ait D. Thomas, quemadmodum ſeruus nulla in re domino refragari debet, nec poteſt; quia eſt ſimpliciter illius ex textu 42: ita corpus, eiuſque membra ſine repugnantia, aut renutu officium exequuntur ſuum; prout anima, quæ eorum forma eſt, imperat. Appetitus autem videtur ſui iuris eſſe: quippe qui alias habeat motiones præter eas, quibus ipſum mens ciet; & pareat menti tunc demum, quom ab illa ſibi quodammodo perſuaſum fuerit, rationemq; acceperit, vt patet in locis citatis: quæ quidem licet intueri in hominibus liberis; dum regio imperio coercentur. Cauſam huius diſcriminis inter corpus, appetitumque; & huius duplicis imperij in hominem hãc ſolam dicerem: quòd nobilior, valentiorq; ſit natura appetitus, quàm natura corporis. [e] Non modò autem ſeſe offerunt manifeſtè ſingulos homines intuentibus hæc duo imperia, quæ dicta ſunt; regium, mentis in appetitum, & dominicum, animę in corpus: verùm etiam perſpicuum eſt, eſſe ambo ſecundum naturam; &, quoniam ſecundum naturam, prodeſſe quoque ipſi corpori, ac parti animæ affectibus obnoxiæ, non ſolùm alijs duobus, vt parti affectibus obnoxiæ mens imperet, corpori anima. [e] Perſpicua hæc ſunt, & tam perſpicua, quàm ſua oppoſita, ex quibus alioquin hæc confirmarentur. [h] Sunt verò oppoſita iſtorum: detrimento omnibus quatuor, animæ, corpori, menti, appetitui, ac præter naturam fore, ſi contrarium accidat vel ſimpliciter, vel per compares vices: vt ſcilicet [h] vel alternis, & æquis portionibus in vtroque genere ambo parẽrent imperarentque; modò anima, modò corpus; modò mens, modò appetitus: [h] vel ſemper appetitus, & corpus menti, & animæ dominarentur. Quæ enim incommoda ſequuntur quotieſcunq; mentem ducit, trahit'ue appetitus, cæcus perſpicacem? aut quæ euenirent, ſi fingeremus à corpore, quod nullum motum, niſi elementi, nullum ſenſum per ſe habet, animam regi? Sunt igitur in vno homine, qui ſtatim ab ortu eſt vnũ aliquod commune,

Imagines imperij dominici, & ciuilis cernuntur in partibus animalis et hominis vnius.

Imperiũ animæ in corpus dominico, mẽtis in appetitum regio eſt ſimile: et ratio vtriuſque.

Vtrunque imperium eſt in illis partibus animalis et hominis ſecũdũ natura, prodeſtq; etia 91. quæ parent.

Cõcluſio eorũ, quę in hoc tex. poſita ſunt.

a. b. — a. in anima'g. — a. primum — c. d. — anima corpori. — d. mens appetitui — g. — c. — d. — c. — d. — e. f. g. — e manif. ſtã eſt. h. quod autẽ per compares &c. — h. — h. per compares vices. — h. ex contrario.

constans

conſtans ex corpore, & anima, partibusque animæ, rationem habente, & ſubdita affectibus; duo imperia; vnum dominicum, animæ in corpus; alterum regium, animę rationem habentis in ſubiectam affectibus: quorum vtrunque eſt ſecundum naturam, & commodum, conferensq; ei etiam, quod paret. Atque ex iſta ſumptione concludi poſſunt eodẽ modo, quo in textu 47. cõcludebantur, per expoſitorias quidẽ rationes quintum, primum, ſecundum, & tertium pronunciatum; per locum autem à ſimili tria theoremata propoſiti principalis. Addimus tantùm hîc perfectiùs, quàm ibi confectum iri tertium pronunciatum, propterea quòd duo imperia præter dominicum exponantur; & continuò, aperteque pronunciatum primum, & theorema ſecundum ob vocem, συμφέρον, quæ hîc apponitur ad ſumptionem. Sed & quartum pronunciatum in hoc textu per rationem expoſitoriam colligemus. ſiquidem anima, cui regio imperio imperatur, melior eſt corpore, cui imperatur dominico: meliusq; eſt regiũ imperium mentis in animam, quàm dominicum animæ in corpus.

Quomodo ex poſitis in hoc textu, cõficiantur quinq; ſuperiora pronũciata, & tria theoremata principalia.

Textus habet quatuor partes. Prima (a b) proponit duo imperia, quæ in ſingulis hominibus cernuntur. Secunda (c d) declarat expoſitione, quod propoſitum eſt. Tertia (e f g) ſumit pro manifeſto ambo illa imperia eſſe ſecundum naturam, & commoda ijs etiam, quæ parent. Quarta (h) confirmat hoc ex oppoſitis.

Partes textus.

S C H O L I A.

Quemadmodum dicimus, primùm in animali ſpectare. Ergo aduerbium *primùm* eodem modo in textu 47, vbi hoc dicebatur, referendum erat ad ordinem diſputationis, non ad animalis compoſitionem.

Vox primùm.

Et ciuile. Et paulo pòſt, *ciuile, & regium.* Hæc non ſignificant duo imperia, quaſi alterum ciuile ſit, alterum regium. Sed regium ſubeſt ciuili tanquam ſpecies generi; quemadmodum & dominicum domeſtico. Itaque ſic interpretare: ciuile, & regium, hoc eſt illud ciuile, quod regium vocatur. Quidam tamen per ciuile intelligunt ariſtocraticum, ideſt optimatum imperium: dicentes mentẽ hoc ciuili imperio dominari appetitui; quando eum nondum planè addictum ſibi rationis fræno, ac ſtimulis regit, cohibens, impellens'ue pro incidentibus temporibus, & cauſis: regali autem præſidere imperio; quom appetitus iam rectus eſt, & ſola eget admonitione. Sed hæc expoſitio nec proprios ruetur ſignificatus verborum, ciuilis, & ariſtocratici; nec huic loco conuenit. ſententia fortaſſe non eſt improbanda.

Ciuile & regiũ imperium.

Mentis imperia in appetitum.

Mens appetitui, ciuili. Scotus in 33. q. iij. citans hunc locum, quia ex eo colligatur appetitum poſſe rationi obſiſtere, ait Philoſophum putaſſe conditionem naturæ corruptæ eſſe conditionẽ naturæ inſtitutæ. Concluſio vera neque enim cognouerunt ſtatum innocentiæ, & originalis iuſtitię Philoſophi. Vtrum verò conficiatur ex hoc loco, & vtrum melius fuerit in ſtatu innocentiæ imperare rationem appetitui dominico, an regio imperio, dixi in lib. ad Nicomachum. Certum eſt, eos, qui regio imperio gubernantur, minimè refragari: quanuis ſint liberi, & liberè pareant, non coacti, ſed admoniti, hacque de cauſa etiam iucundè, & alacriter.

Mens & pars rationem habens quomodo.

Mens. Et paulo pòſt. *à mente, & parte rationem habente.* Accipe iſta ἐκ παραλλήλου. Fortaſſe, quum dixiſſet mentem, addidit partem animę compotem rationis, vt ſciremus non eſſe diuerſas res; & loqui illum de mente, quæ eſt pars animæ noſtræ, non de externa. Mentem autem, & partem rationis compotem intellige ex initio vi. ad Nicomachum non ἐπιστημονικὴν, ſed λογιστικήν.

Appetitui. & paulo pòſt. *parti patibili, hoc eſt affectibus obnoxiæ.* Hæc ſimiliter ἐκ παραλλήλου ſunt accipienda. Mutauit appetitũ in partẽ affectibus obnoxiam:

Appetitus & pars affectib' obnoxia.

vel vt partem opponeret parti: vel vt intelligeremus, quia vocabulum appetitus ſignificat & actum, & facultatem appetendi; eſſe quoque facultatem à mente diuerſam, & ſubiectam menti, cuius facultatis ille ipſe ſit actus, qui à mente regitur. Vtrum autẽ hic appetitus, & pars animæ affectibus obnoxia, cui mens præſidet, ſit appetitus ſenſualis duntaxat, an cõmunis, qui cum ſenſuali etiam continet voluntatem, alibi diximus:

Pars animæ, cui mens præſidet quid.

ARGVMENTVM. TEXT: L.

Docet in diuerſis ſpecie animalibus, homine, cæteriſque, quod eſt vnum quoddam commune ex diſiunctis conſtans; eſſe melius ob ſalutem ijs etiam, quæ parent, vt alia imperent, alia pareant, imperet homo; pareant belluæ manſuetæ, quæ feris ſunt meliores naturâ. Ex hac expoſitione euenit primùm, per locum ab effectis, eſſe imperantia, & parentia ſecundum naturam in animalibus ſpecie diuerſis: deinde eueniunt, ſicut eueniebant in textu 47. & 49. primum, ſecundum, tertium, quintum, & quartum pronunciatum per expoſitorias rationes; & tria theoremata propoſiti principalis, per locum à ſimili: poſtremò tollitur dubitatio, item per locum à ſimili, qui naturæ humanæ excellentia non repugnet ſeruituti.

Text: l. [a] Πάλιν ἐν ἀνθρώπῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ὡσαύτως. [b] τὰ μὲν γὰρ ἥμερα τῶν ἀγρίων βελτίω τὴν φύσιν: [c] τούτοις δὲ πᾶσι βέλτιον ἄρχεσθαι ὑπ' ἀνθρώπου: [d] τυγχάνει γὰρ σωτηρίας οὕτως.

[a] Rurſus in homine & alijs animalibus eodem modo. [b] manſueta enim agreſtibus, *& feris* meliora naturâ: [c] his autem omnibus melius eſt, vt ab homine ipſis imperetur: [d] ſic nanque ſalutem aſſequuntur.

b. eadem diuiſio animaliũ etiam infrà in tex: 84.

E X P L A N A T I O.

Proponitur q̃ in hoc text: eſt aſſumendum.

[a] QVEMADMODVM in vno animali, & in vno homine liquebat, partes quaſdam imperare, & quaſdam parêre naturâ, cõmodumq; eſſe ijs, quæ parent, ideſt corpori, appetituique, vt ipſis meliores imperent, anima, & mens: [a] eodẽ modo hæc eadem, ideſt imperare quædam, quædam parêre naturâ, prodeſſeq; hoc etiam parentibus, ſunt perſpicua in multis animalibus differentibus ſpecie, in homine ſcilicet & belluis; quæ in eo, quòd ſunt animalia, referunturq; inuicem ex hoc munere, de quo loquimur actionis, & vitæ, efficiunt vnum quoddam commune, conſtans ex diſiunctis, & ſeparatis animalibus. Eſſe autem perſpicua ita planum fiet. [b] Belluarum alię ſunt manſuetæ, cicures, mites, aliæ feræ, agreſtes, immanes; & ſunt feris manſuetæ naturâ meliores, vt per ſe conſtat, & dictum eſt in problematibus. quocirca licet fortaſſe probari etiam poſſet, feris profuturum, & ſecundum naturam fore, ſi homini pareant: tamen in manſuetis propriè conſyderare hoc debemus, ex præcepto textus 48', quòd in ijs, quæ ſecundum naturam ſe habent, atque optimè ſunt conſtituta, ſpectandum ſit illud, de quo quæritur, an ſit naturale. Quodq; dicimus de belluis,

a. eodẽ modo.

a.

Belluarum & hominũ diuiſio in manſueta, et fera, et cur de mãſuetis tãtùm Philoſophus loquatur.

b.

Sect. x. probl. q. 44.

belluis, illud idem de hominibus intelligendum eſt. Sunt .n. & homines quidã feri ex cap. 3. primi de Partibus, & q. 44. ſect. decimę Problematũ.
c. d. [c] Certum eſt autem melius eſſe cunctis belluis manſuetis, vt ipſis ab homi-
d. ne imperetur: [d] quippe quæ, dum à nobis reguntur, multò melius vitam
degunt, & ſalutem tuentur ſuam, cùm pabula copioſiora, commodiora,
iucundiora, ac quouis anni tempore, tum remedia multorum morborum,
quibus infeſtantur, adeptæ; quæ ſine opera, auxilioq; noſtro habere non
d. poſſent. [d] Melius eſt, & ſic melius, vt ſit accõmodum, neceſſariumq; ad
a. ſalutem cunctis belluis manſuetis, viuere eas ſub hominis imperio: [a] ergo
in diuerſis ſpecie animalibus ſunt imperans, & parens naturâ. reciprocantur enim iſta, eſſe aliquid alij ſecundum naturam; & eſſe ei melius ſic, vt ſit accommodum, neceſſariumq; ad ſalutem: quorum primum eſt cauſa ſecundi propria, & perfecta. Ex vtroq; deinde, ideſt quia in diuerſis ſpecie animalibus ſint imperans, & parens naturâ, illud homo, hoc bellua manſueta; & huic ſit melius ab illo imperari; concludentur per expoſitorias rationes, & per locum à ſimili, eodem prorſus modo, quo concludebantur in textu 47, & 49, quatuor ex quinque pronunciatis textuum 45, & 46, videlicet primum, ſecundum, tertium, & quintum, triaque theoremata quæſtionum propoſitarum in textu 44. At quartum pronunciatum ſimiliter expoſitoria ratione colligetur ex his duobus, quòd manſuetæ belluæ ſint feris meliores; & quòd imperium, quo manſuetæ hominibus ſubijciuntur, opusq; inde naſcens ſint meliora, quàm opus naſcens ab imperio, & illud imperium, quo quaſdã feras eidem homini ſubijci aliquãdo videmus. Tandem verò quaſi occurritur dubitationi exoriẽti ex præſtantia naturæ humanæ. poſſet enim vereri quiſpiam, ne huic, quod eſt, perfectiſſimam inter omnes animantes hominem naturam obtinuiſſe, contrarium ſit illud, eſſe quoſdam homines naturâ ſeruos. Hic ergo ſcrupulus ita eximeretur per locum à ſimili. E beſtijs illę, quæ manſuetæ ſunt, præſtantiorem naturam habent, quàm feræ; & tamen manſuetis magis, quàm feris, ab homine imperatur; hocque illis prodeſt ad ſalutem. quapropter non impedit perfectio rei vtilitatem parendi; imò adiuuat, dum illa pa et perfectiori. Quod conſentit etiam cum quarto pronunciato conſtituto ſupra in textu 45, Meliorum parentium ſemper melius imperium eſſe: & tale ex ſe præceptum creat, Quanto melior vnaquæque res, præſtantiorq; eſt naturâ ſuâ; tanto plus commodi aſſequetur, eritq; magis ſecundum naturam, ſi adhuc meliori ſeipſa paruerit.

Belluis manſuetis expedire, vt homini pareant.

Eſſe imperans & parens naturâ in animalibus ſpecie diuerſis.

Deductiones pronũciatorũ, et trium theorematum propoſiti principalis.

Dubitatio vtrum præſtantia naturę humana repugnet ſeruituti.

Solutio.

Textus habet quatuor partes. Prima proponit. Secunda, diſtinguens belluas in feras, & manſuetas, pronunciat manſuetas eſſe feris meliores ſecundũ naturam: vt has excludat, illis vtatur. Tertia ſtatuit principium, ex quo pendent cætera huius textus, ideſt belluis manſuetis melius eſſe, vt homini pareant. Quarta probat hoc per locum ab effectis.

Partes textus.

S C H O L I A.

[a] *Manſuetæ ſunt agreſtibus, & feris naturâ meliores.* Hæc alibi ſunt demonſtrata, & omnes concedunt. Diuiſio autem animalium εἰς ἄγρια, καὶ ἥμερα, in fera ſiue agreſtia, ſiue immania, & in manſueta cicura'ue, aut mitia, eſt nota omnibus. Repetetur infrà in textu 84. & frequẽter legitur in libris de Animalibus. Plato in Sophiſta pedeſtria animalia in hæc duo genera partitur, & in manſueto genere hominem ponit.

Bellua mãſueta feris meliores.

Diuiſio animaliũ in fera & manſueta.

His au-

An melius ſit belluis parere homini.

His autem omnibus melius eſt, quòd ab homine ipſis imperetur. Plutarchus in lib: Vtrum bruta animalia ratione vtantur, magna eruditionis, ac ſubtilitatis vi tentat perſuadere hominem animal omnium pernicioſiſsimum ſimul, infælicisſimumque eſſe. Ex quo euenit miſerrima eſſe illa, quæ ei parent: quod alij inducunt. Sed hæc poetica ſunt, & fabuloſa.

ARGVMENTVM. TEXT: LI.

Docet in eadem ſpecie animalium diſtincta ſexibus, quod eſt vnum quoddam commune item ex diſiunctis conſtans, eſſe imperans, & parens naturâ; illud marem, hoc fœminam; & illud melius, hoc deterius. Ex qua expoſitione eueniunt, ſicut eueniebãt in ſuperioribus textibus 47, 49, 50, per expoſitorias rationes quatuor pronunciata, primum, ſecundum, tertium, quintum, & per locum à ſimili tria theoremata propoſiti principalis. Tum ſumi poteſt aliud argumentum numero decimum à cauſis formalibus imperantis, & parentis, quo ſyllogiſticè eadem tria theoremata concludantur.

Text: lj. [a] Ἔτι δὲ τὸ ἄῤῥεν πρὸς τὸ θῆλυ, φύσει τὸ μὲν κρεῖττον, τὸ δὲ χεῖρον· [b] τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

[a] Præterea verò maſculum ad fœminęum genus, naturâ hoc quidem melius, hoc autem deterius; [b] hoc quidem imperans, hoc autem parens. *a. ſimile infra text: 140.*

EXPLANATIO.

Deductiones quatuor pronunciatorum, & triũ theorematum propoſiti principalis. Decimum argumẽtum, quo conficiuntur tria theoremata propoſiti principalis.

CÆTERA huius textus ſunt euidentia: & tria theoremata propoſiti principalis per locum à ſimili, quatuorq; pronunciata, primum, ſecũdum, tertium, quintum per expoſitorias rationes, eodem prorſus modo conficientur, quo conficiebantur in textibus ſuperioribus 47, 49, 50. Aliud autem argumentum, quod indicatur, à cauſis formalibus imperantium, & parentium, eſſet huiuſmodi: In quibus rebus conſtituentibus aliquod vnum commune, eſt aliud melius, aliud deterius naturâ; in ijs, quod melius eſt, imperat; quod deterius, paret ſecundum naturam; atque hoc, vel illo genere imperij paret, & imperat, prout tale, aut tale fuerit genus tum eius communis, quod conſtituitur, tum bonitatis, ac prauitatis rerum conſtituentium: ſed in hominibus, ex quibus ſanè efficitur aliquod vnum cõmune, nempe ſocietas, & dominica ſocietas; ſunt naturâ alij meliores, alij deteriores; ſicq; meliores, deterioresque, vt illi ad dominationem, hi ad ſeruitutem ſint aptiſſimi: ergo in hominibus ſunt alij imperantes, alij parentes; & tandem alij domini, alij ſerui ſecundum naturam. Maior eſt nota. nam cauſa formalis, & effectus ſemper ſeſe comitantur. In ijs autem rebus, quæ vnum commune efficiuntur, eſt cauſa formalis imperantis, præſtare, ac melius eſſe; eſt cauſa formalis parentis, eſſe deterius. quippe in eo, quòd deterius, inferius've eſt, vnumquodque paret; & in eo, quòd præſtat, ac melius eſt, vnumquodque imperat. Qua verò re hoc præſtare,

Imperantis et parentis vera cauſa formales.

illud

tex: 6. & 43. illud deterius eſſe debeat, non dico dominum, & ſeruum, nam de his iam eſt definitum, ſed generaliter imperans, & parens, vtrum corpore, an animo, & qua animi, corporisue facultate, aut virtute, naturali, vel quæſita, *In iij. horum lib. cap. 7. & ſequentibus.* perſcrutandũ eſt in lib. iij. vbi Philoſophus hãc quæſtionem tractat. Minorem demonſtrabunt textus ſequentes, quinquageſimustertius, & quinquageſimusquartus. Textus duas partes continet. *In hominibus alij ſunt meliores, alij deteriores.*

S C H O L I A.

Præterea verò maſculum ad fœmineum genus. Generaliter Philoſophus loquitur de omnibus animalibus, nõ de hominibus tantùm, vt quidam putant. & ſunt hęc vera in omnibus animalibus: mares pręſtantiores, fœminas deteriores eſſe, *Libr. iiij. de Gener. animalium cap. p. et alijs locis.* maresque imperare, parẽre fœminas. Sed hæc in lib. naturalibus copiosè. *In omnibus animalibus mares præſtant et imperant, fœminæ ſunt deteriores, et parent.*

Hoc quidem imperans, hoc autem parens. Pœna fuit peccati, ex 3. cap. Geneſeos, vt vir dominus eſſet mulieris. Sed & ante peccatum mulierem viro paruiſſe credere decet, inquit D. Auguſtinus hoc verò magis cõfirmatur eo, quod fieri *In ſcholijs tex: 140.* videmus in cæteris animalibus. Sed de his latiùs infrà ſuo loco. *Vir imperãs, mulier parens vnde.*

ARGVMENTVM. TEXT. LII.

Infert per locum à ſimili, eſſe in genere hominum alios meliores, alios deteriores, alios imperantes, alios parentes naturâ; quibus etiam proſit, vt ab alijs ipſis imperetur. Unde eueniunt tria theoremata propoſiti principalis.

Text: liij. • τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων.

Eodem autem modo neceſſe eſt eſſe & in omnibus hominibus.

E X P L A N A T I O.

QVEMADMODVM in vno animali, homineque, & in diuerſis animalium ſpeciebus, & in eadem ſpecie diſtincta ſexibus ſunt quędam meliora, quædam deteriora, & alia imperantia, alia parentia naturâ, quibus etiam parere eſt melius, imperantia quidem meliora, parentia autem deteriora: ita & eodem prorſus modo in genere hominum, quod genus eſt vnum quoddam commune, conſtans ex diſiunctis, rationi conſonum eſt ex ijs, quæ hactenus ſunt declarata, & in ſequentibus clarius oſtendetur, eſſe alios meliores, alios deteriores, alios ad imperandum, alios ad parendum aptos naturâ &c: & meliores, aptosq; ad imperandum; deteriores, aptosq; ad parendum tum alijs generibus imperij, quæ diximus multa eſſe, tum eo præſertim, vt docebunt textus ſequentes 53, & 54, quod dominatione conſtat, & ſeruitute. Ergo hominum alij ſunt domini, alij ſunt ſerui naturâ, quod eſt primum theorema propoſiti principalis. Ex eo au- *In com. 35. et 40.* tem reliqua duo conficiuntur quemadmodum diximus ſuprà. *Hypotheſis, quæ in hoc textu ſtabilitur.* *Deductiones trium theorematum ex hac hypotheſi.*

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: LIII.

Exponens conditiones, ſeu finitiones quaſdam, & differentias eſſentiales, numero quinque, dominorum, ac ſeruorum naturá; quarum prima ab imagine, & ſimilitudine quadam; ſecunda à propriis muneribus, partibuſque; tertia à forma, & quiditate; quarta à parte hominis præſtantiſſima; quinta à fine, ac functione muneris ducitur; cõmonſtrat quinque alia argumenta, quibus propoſitum principale oſtendi poteſt; ſimulque docet in hominum genere eſſe naturá alios meliores, aptoſque ad imperãdum, alios deteriores, aptoſque ad parendũ eiuſ generis imperio, quod vocatur ſeruitus, & dominatio; quæ quidem erat minor propoſitio decimi argumenti, indicati in textu quinquageſimoprimo.

Text: liij. [a] Ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν, ὅσον ψυχὴ σώματος, καὶ ἄνθρωπος θηρίου διάκεινται τοῦτον τὸν τρόπον. [b] ὅσων ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔστ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον οὗτοι μὲν εἰσὶ φύσει δοῦλοι: οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχήν· [d] εἴπερ καὶ τοῖς εἰρημένοις. [e] ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος, ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι. [f] διὸ καὶ ἄλλου ἐστί. καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἔχειν. [h] τὰ γὰρ ἄλλα ζῷα οὐ λόγου αἰσθανόμενα, ἀλλὰ παθήμασιν ὑπηρετεῖ. [k] καὶ ἡ χρεία δὲ παραλλάττει μικρόν· [l] ἡ γὰρ πρὸς τἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παρά τε τῶν δούλων καὶ παρὰ τῶν ἡμέρων ζῴων.

[a] Quicunque igitur tantum diſtant, quantum anima à corpore, & homo à bellua; conſtituti ſunt hoc modo. [b] Quorumcunq; opus eſt vſus corporis, & hoc eſt optimum, quod ab ijs proficiſcitur; hi ſunt naturá ſerui: [c] quibus melius eſt imperari hoc imperio; [d] ſiquidem & ijs, quæ dicta ſunt. [e] Eſt enim naturá ſeruus qui poteſt alíus eſſe: [f] quapropter & alíus eſt. [g] Et qui eſt particeps rationis vſque eò, vt ſentiat, ſed non habeat. [h] alia enim animalia rationem non ſentiunt, [i] ſed affectibus obſequũtur. [k] Et vſus verò parum variat: [l] ad neceſſaria enim corpori præſtatur corpore auxilium ab vtriſque, & à ſeruis, & á manſuetis animalibus.

a. Simile cap. 7. lib. iij. quod differunt quida à belluis?

g. Vide ſuprà tex: 6. et infrà 151. & 161.

EXPLANATIO.

Prima differẽtia de ſimilitudine domino rũ naturá cũ homine, et anima, ſeruorũq; naturá cũ corpore et belluis in viribus imperãdi & parẽdi, perfectionisq; & defectus.

[a] PRIMA differentia à ſimilitudine, & cõparatione quadam, ex text: 47, 49, 50: Domini, ſeu liberi naturá ſunt illi homines, qui tantũ diſtãt ab alijs, tantumq; alijs, ad quos liberi, dominiq; dicuntur, præſtant; quantum anima præſtat corpori, homo belluæ: Et ſerui naturá contrà, qui tanto inferiores ſunt illis; quanto inferior eſt bellua homine, corpus anima. Sed quantum diſtant, præſtant'ue, & quæ eſt randem diſtantia, quæ hîc ſignificatur inter animam & corpus, hominẽ & belluam? nempe ἐκ διαμέτρου diſtant, habentia oppoſitas vires; hæc imperandi, illa parendi alteris, veluti rebus, quæ ipſorum ſunt, & rebus, quarũ ſunt ipſa: quod eſt proprium dominici imperij, vt ex antea poſitis liquet. Homo enim, & anima vim habent

habent naturâ imperandi, ille belluæ, hæc corpori, tanquam rebus ſuis, proſpiciendo ea, quæ vtriſque conducunt: corpus, & bellua habent vim illis parendi, tanquam rebus, quarum ipſa ſunt, exequendo ea, quę imperantur. quorum quidem actuum primus, qui eſt imperandi, ad excellentiam, perfectionemq́; pertinet: alter, qui eſt parendi, ad indigentiam, &

b. defectum. [b] Secunda differẽtia à proprijs muneribus, ac partibus, quibus vtrique pollent, & domini, & ſerui naturâ, ex textu ſexto: Sunt ſerui naturâ, quorũ opus, & munus omne conſiſtit in vſu corporis; nec quicquam melius ab ijs proficiſci poteſt. Id quod non euenit in dominis naturâ. mente enim præſtant domini naturâ magis, quàm corpore: & quanquam corpus etiam validum, robuſtumq́; aliquando ſortiuntur; tamen hoc non eſt in ijs optimum; nec conſiſtit in corporis, ſed in mentis vſu, ideſt in mentis, cogitationiſque perſpicientia munus eorum, vt declarauit textus ſextus. Eſt autem hæc ſecunda differentia quaſi expoſitio, & cauſa quædam primæ. quia enim corpore ſeruus naturâ, mente dominus naturâ valet; & huius opus in mentis perſpicacia, illius in corporis miniſterio poſitum eſt: ſequitur planè tantum inter ſe hos diſtare; quantum diſtant inter ſe bellua, & homo; corpus, & anima: atque eodem quidem genere,

Secunda differẽtia de proprijs muneribus, ac partibus dominorũ, ſeruorũq́; naturâ.

Secunda differentia eſt cauſa primæ.

c. modoq́; diſtantię, de quo dictum eſt in differentia ſuperiori. [c] His, & per hæc inducitur, tanquam corollario, theorema ſecundæ quęſtionis: melius eſſe huiuſmodi naturâ ſeruis imperari ſibi, quàm non imperari hoc genere imperij. Siquidem, quum eorum opus vſu corporis contineatur, ſitq́; hoc in ijs potiſſimum; ſeipſos regere haudquaquam poſſunt, nec, quæ

Deductio ſecundi theorematis quaſi ꝑ corollariũ ex his duabus differentijs.

d. optima ſunt, animaduertere; qui eſt mentis actus. [d] Et accedit, quòd corpori, belluiſque, quibus quidem ſerui naturâ hîc ſimiles ſtatuuntur, me-

e. f. lius erat, tex: 49, & 50, vt ab anima, & ab homine ijs imperaretur. [f] Tertia differentia à forma, & quiditate ſerui, & domini naturâ, ex textu 42, & 43:

f. quapropter. Seruus naturâ eſt ille, qui eſſe alius poteſt; [f] & hac de cauſa etiam eſt alius. Ad quod enim vnumquodque vim, & poteſtatem nactum eſt; ad id fertur ſecundum naturam, peruenitque, niſi impediatur. ſiquidem hæc eſt illius perfectio, quatenus in ſe eiuſmodi habet poteſtatem. Et dominus naturâ viciſſim, vt dicebamus in com. 43, ille erit, cuius poteſt eſſe alius, ac reipſa eſt ſecundum naturam. Quid ſignificẽt hæ voces, aliquid eſſe alius, & alicuius eſſe aliud; & qua ratione ſeruus ſit alius, domini ſit alius; declarauimus in com. 42. & 43. Confirmat hæc tertia differentia ſecundam, & primam, velut effectus cauſas ſuas. Nam, quia dominus mente, & prouidentia; ſeruus corpore, ac miniſterio viget; vnde tantum inter ſe diſtant, quantum homo, & bellua, anima, & corpus, vt dicebatur; eò neceſſarium eſt, ſeruum eſſe poſſe, atque eſſe alius ſecundum naturam; & in domino contrarium cerni, vt ipſius ſit alius. Mens enim, & ratio eſt, quæ hominem facit: quantoq́; magis ab eius præſtantia aliquis recedit, tanto magis à propria recedit hominis natura, ac quiditate. Itaque in alium dirigatur, & ab alio perficiatur oportet: vt humanæ vitæ, quoad poterit, compos euadat, quod quidem eſt alius eſſe. Sed hæc explanata ſunt in ſuprà citatis commentarijs. Quanquam autem illud, non vigere ſeruum naturalem mente, ſed corpore; eſt quodammodò cauſa huius, quod dicimus; ſeruum naturalem eſſe poſſe, & eſſe alius ſecundũ naturam: tamen hoc eſt notius illo. De hoc.n. omnes conſentiunt, ſeruum eſſe hominem alius, etiam iuriſconſulti, definientes ſeruitutem, quòd ſit cõſtitutio, qua quis dominio

Tertia differẽtia de forma & quiditate ſerui, ac domini naturâ.

Tertia differẽtia cõfirmat ſecundã et primam.

ff. de ſtatu hominum l.4 & inſtit. de iure perſonarũ §. ſeruitus.

Z alieno

Quarta differentia de ratione, cuius differenter participes ſunt dominus & ſeruus naturâ. Tollitur ſcrupulus.

alieno ſubijcitur, vt dicebamus in commentario 44. [g] Quarta differentia, affinis ſecundæ, ſumitur à parte hominis præſtantiſſima, ideſt à ratione: cuius quidem particeps ſimpliciter eſt dominus naturalis; ſeruus naturalis autem vſque eò duntaxat, vt ſentiat illam, non vt habeat. de qua re dixi in commentarijs 39, & 42, & 43. [h] Nec timendum, ne hæc naturalium ſeruorum conditio ſtatuat eos in numero belluarum. Siquidem belluæ nullo modo rationis capaces ſunt: nec modò eam non habent, ſed nec ſentiunt quidem, vt ſuprà in cõmentario 39. dicebamus. viuunt prorſus imaginatione ex fine ij. de Anima; & affectibus ducuntur ſuis. [k] Quinta, & nouiſſima differentia, conſtans quodammodo ex prima, & ſecunda, ſumitur à fine, ac functione muneris. Nam ſerui naturales ſunt qui, ſimiles in hoc belluis manſuetis, præſtant corpore auxilium ad res corpori neceſſarias: & domini naturales ſunt, quibus ſecundum naturam eiuſmodi ab illis auxilium præſtatur. Omnes porrho iſtæ differentiæ fieri maiores propoſitiones, ſingulæ ſingularum ratiocinationum poſſunt, quibus oſtendatur propoſitum principale. Exemplum ſtatuatur in prima: à qua in alias transferatur. Ex prima igitur, Qui tantum inter ſe diſtant, quantum diſtant inter ſe anima, & corpus, homo, & bellua modo diſtantiæ, & diſſimilitudinis ſuprà expoſito, illorum quidem qui ſimiles ſunt animæ, & homini, ſunt domini naturâ, qui corpori, & belluæ, ſunt naturâ ſerui: ſed ex hominibus alij, & alij tãtum inter ſe diſtant; quantum diſtant inter ſe anima, & corpus, homo, & bellua. modo diſtantiæ, & diſſimilitudinis ſuprà expoſito: ergo ex hominibus alij ſunt domini, alij ſunt ſerui naturâ. Hoc autem eſt theorema primæ quæſtionis, ex quo alia duo conficiuntur, vt dictum eſt ſuprà. Ex iiſdem differentijs, ſeu conditionibus dominorum, & ſeruorum naturâ planum euadit alios noſtrûm meliores, alios deteriores naturâ eſſe; & ita quidem meliores, ac deteriores, vt illi ad dominationem, hi ad ſeruitutem ſint maxime idonei: quæ erat minor decimi argumenti, indicati in textu 51. nam quibus conueniunt vel ſingulæ conditiones dominorum naturâ, illi ſine dubio meliores, & ſic meliores: quibus aliæ conueniunt, quæ ſunt naturâ ſeruorum; hi deteriores, & ita deteriores.

Quinta differentia, de functione muneris, & auxilio, quod a ſeruo naturali domino præſtatur.

Deductiones trium theorematũ propoſiti principalis ex his differentijs.

Confirmatio minoris decimi argumenti, quod in textu 51. indicabatur, ex his differentijs.

In com. 44.

Partes textus.

Partes textus ſeptem. quarũ aliæ, ſingulæ ſingulas differentias tradunt: tertia autem, & ſexta, illa (c d) apponit corollarium ſecundæ differentiæ, hæc (m n) obiectionem contra quartam tollit.

S C H O L I A.

Vſus corporis eſt optimum quod à ſeruo naturâ poſſit proficiſci.

Expoſitio quorundam verborum.

Quicquid poteſtatẽ habet, fertur in actũ eius rei, cuius poteſtatẽ hĩ, & quare.

Seruitus volũtaria vnde & qualis.

Et hoc eſt optimum, quod ab iis proficiſcitur. Neque enim viget animo ſeruus naturâ, quia audit tantum non habet per ſe rationem, vt paulo pòſt dicitur: & ratio eſt vis animi noſtri. quamobrem nihil melius ab eo naſci poteſt, quam hic vſus, opuſque corporis, quo maximè valet.

Siquidem & iis, quæ dicta ſunt. Hæc ad corpus & belluam ſunt referẽda, non ad rationes expolitas in textibus antecedentibus; ad quas rationes referunt ea D. Thomas, & alij Explanatores.

Quapropter & alius eſt. Omnis poteſtas dirigitur in actum. & quod habet poteſtatem, tandiu imperfectum eſt, quandiu poteſtatem habet; vbi autem actum fuerit adeptum, ad quem reſpicit illa poteſtas, perfectum erit. Hinc multos videmus ex hac vi, ac poteſtate naturæ, qua eſſe poſſunt aliorum, ſponte ſua aliis, quorum prudentia regantur, ſeſe mancipare. Nec vituperanda eſt ſeruitus voluntaria. quanquam enim turpiſsimam eam quidam dicunt, ideſt, vt

ego

Macrobi⁹ lib. p. Saturnal. cap. 11. In ſcholijs tex: 64.

ego interpretor, hominum, & animorum abiectiſsimorum: tamen vel ſola, vel maximè ob hanc ipſam cauſam eſt iuſta, & naturalis, vt infrà vberiùs explicabimus.

Seruus naturalis quaten⁹ mentis & rationis ſit compos.

Qui eſt particeps rationis tantùm &c. Rationem intellige non eſſentiam, ſed ſubtilitatem, & aciem rationis, & mentis, vt dicebamus in commentario 42. firmiusque ſtatuetur in textu 151. & 161. quo in textu 161. affirmabit Philoſophus errare eos, qui priuant ſeruos ratione. Habent enim ſerui naturâ mentem quoque, & rationem, ideſt facultatem, ac partẽ illam animæ, quam mentem, & rationem vocant; alioquin homines non eſſent, quum forma carerent humana: cæterum eam habent cæcam, imbecillamque; cui opus ſit duce greſſus eius vſquequaque adiuuante, ac dirigente, vt annotauimus ad textum 6. Huc reſpexiſſe Homerus putatur in xvii. Odyſſeæ, vbi ita cecinit:

Locus Homeri.

Nanque homini altiſonus virtutis Iupiter aufert
Dimidium, quando ſeruilis preſſerit hora.

Locus Platonis.

Et ſic Plato in vi. de Republica hæc carmina Homeri interpretatur, vocans eum, qui hæc ſcripſerit, ſapientiſsimum poetarum. quapropter mutat vocem ἀρετῆς, ideſt virtutis in vocem νόου, quæ eſt mens, & ἀνέρος in ἀνδρῶν:

Mentis dimidium altiſonus nam Iupiter illis
Aufert, quos homines ſeruili preſſerit hora.

In ſeruis quærenda obedientia, nõ perſpicacia.

Miniſtri, ſocij, & ſerui.

Nomen etiam ἦμαρ, ideſt dies, oſtendit de ſeruo naturali Homerum loquutum: quaſi dicat, dimidio mentis carere eos, quos dies, & hora natalis ſeruos fecerit. Falluntur itaq; qui ſeruos perfectè prudentes, aut perfectè perſpicaces quærunt. nam ſi eiuſmodi eſſent, non eſſent ſerui naturâ. &, ſi prouideant ambo, dominus, ac ſeruus; neuter exequetur; perturbabunturque eorum officia. Magnum quippe diſcrimen eſt inter ſocium, & ſeruum; inter miniſtrum, & ſeruum: illos expedit ingenioſos eſſe, ac perſpicaces: in ſeruo, quod ad animum pertinet, poſcenda eſt obedientia; non perſpicacia: atque hoc eſt, quod hic dicitur a Philoſopho, audire eum, non habere rationem. Nec parum delinquunt Principes illi, qui miniſtros, ciueſq; ſuos pro ſeruis habent: occæcantes eorum animos, quibus lucem addere potius debebant. ſed de his alibi. Similis quadam ex parte huic ſeruo naturali, ſi nõ habenti, ſed audienti rationem, videtur is, cui Heſiodus medium locum inter homines tribuit:

Cui ſimilis ſeruus naturalis en eo, quòd audis rationem.

Eſt etiam ille bonus, credit qui recta monenti.

Primo ad Nicomachum cap. 4.

De qua re in primo ad Nicomachum.

Expoſitio duplex horũ verborum.

Sed affectibus obſequuntur. Hoc dupliciter exponi poteſt. Vel quòd affectibus ſuis obſequantur & obtemperent belluæ ſimpliciter. Vel quod nobis ſeruiãt propter affectus ſuos, vt propter metum, vel propter cupiditatem eorum, quibus recordantur ſe aliquãdo, aut benè, aut malè accepiſſe fuiſſe. Priorem expoſitionem, quam magis probo, attulerunt Acciaiolus, & Caſus: poſteriorem D. Thomas, & Victorius. Qui D. Thomas etiam ex hoc ponit differentiam inter ſeruum, & belluam.

Cur bis reddita ſit latinè vox σώματι, ideſt corpori, & corpore.

Bruta & ſerui corporibus ſuis & corpora tantùm dominorũ iuuare poſſunt.

Ad neceſſaria corpori præſtatur corpore auxilium. In græco exemplari vna eſt vox τῷ σώματι, quam duabus reddidimus, corpori, & corpore. Ille enim datiuus græcus, ſi coniungatur cum nomine τἀναγκαῖα, datiuo ſimiliter latino eſt excipiendus, vt talis fiat oratio; Ad ea quæ ſunt corpori neceſſaria: ſi cum verbo γίνεται, ablatiuo exprimetur hoc modo; Præſtatur corpore auxilium. Et vtrunque eſt verum, Nam opus tam ſeruorum, quam manſuetorum animalium eſt vſus corporis, vt ſtatim prima differentia: nec iuuare conſilio poſſunt ob animas imperfectas ſuas. lis etiam, quæ dominorum corporibus ſunt neceſſaria, duntaxat auxiliantur: non eorũ animos, actus'ue rationis promouent per ſe vllo modo. quod etiam annotarunt D. Thomas, & Victorius.

ARGVMENTVM. TEXT: LIV.

Qualia eſſe debeant liberorum corpora, & qualia ſeruorum, colligens ex traditis in ſuperiori textu, quòd hæc robuſta ad neceſſarios vſus, illa recta, & vtilia ad pacis, bellique actiones, in quas duas partes diuiditur ciuilis vita: obiectionem inde naſcentem, cur igitur permutari hæc ſæpe videantur, tollit ex eo, quòd velit quidē natura, efficiatque vtrorunque corpora ſic differentia, quanuis non ſemper propoſitum aſſequatur; quemadmodum nec in aliis effectibus ſuis ſemper aſſequitur. A quo demum inſtituto, actuque naturæ manat aliud argumentum ad demonſtrandum propoſitum principale.

Text. liv. [a] Βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις, [b] καὶ τὰ σώματα διαφέροντα [*] ποιεῖ τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων· [c] τὰ μὲν ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν· [d] τὰ δ᾽ ὀρθὰ, [e] καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, [f] ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον [g] οὗτος δὲ καὶ γίνεται διῃρημένος εἴς τε τὴν πολεμικὴν χρείαν, καὶ τὴν εἰρηνικήν: [h] συμβαίνει δὲ πολλάκις καὶ τοὐναντίον· τοὺς μὲν τὰ σώματ᾽ ἔχειν ἐλευθέρων· τοὺς δὲ τὰς ψυχάς.

[*] Sic legunt Aretinus, & Ald. vet. aut & b alter. & Basil. habet ποιεῖν.

[a] Atqui vult natura, [b] & facit corpora differentia liberorum, & ſeruorum; [c] hæc quidem robuſta ad neceſſarium vſum; [d] hæc autem recta, [e] & inutilia ad huiuſmodi operas, [f] ſed vtilia ad ciuilem vitam; [g] hæc autem diuiſa eſt in bellicam functionem, & eam, quæ eſt pacis: [h] contingit vero ſæpe & contrarium; hos quidem corpora habere liberorum; hos autem animas.

g. eadem diuiſio multis in locis, ſed potiſſimũ in cap. 14. 7. libri.

EXPLANATIO.

Corpora ſeruorum qualia, & cur.

Ex ſecunda conditione earum, quæ in textu ſuperiori expoſitæ ſunt, opus ſeruorũ erat vſus corporis: & ex prima ſimilitudinem habebant ſerui belluarum, quatenus ab vtrisque, ex quinta, præſtabatur corpore auxilium ad ea, quæ ſunt corpori neceſſaria. Ergo omnino corpora ſeruorum idonea, ideſt robuſta, validaque eſſe conuenit ad hos vſus vitæ, & corpori neceſſarios, quos corpore præſtant. Talia autem erunt, ſi fuerint corporibus iumentorum quodammodo ſimilia; prona magis, quam recta; non longa, ſed quadrata; firmis humeris, ſurisque; mole oſſium, compagumq; inſignia; minus neruis, minus ſpiritibus referta; aſperis, durisq; carnibus; non decora, non concinna, non pulchra. [a] At liberi homines, qui, ex prima, ſecunda, tertia, & quarta conditione, mente, conſilioq; pollent; ſeruis vtentes ad neceſſaria miniſteria, ipſi honeſtiora, potioraq; tractant, vitam ciuilem continentia. [g] Vitæ autem ciuilis duæ ſunt partes, bellum, & pax, de quibus dicetur in vij. horum librorum. [c] Corpora igitur liberorum inepta, inutiliaq; ad ſeruiles operas, [f] ſed vtilia, & apta ad omnem vitam ciuilem, ideſt tam ad bellicas, quàm ad vrbanas actiones eſſe debent: iidem enim ſunt alia, & alia ætate, quibus vtrunque opus committitur ex eodem vij. libro. [d] Recta itaque ſint oportet: & ſanè figura corporis recta

Corpora liberorum qualia, & cur.

c. — d. e f g. — g. In 7. lib. horum librorum cap. 11 14 et 15. — e. f. In eodem lib. vij cap. 9. d.

ſignum

In libr. τῶν φυσιογνωμικῶν cap. 3.

ſignum eſt fortitudinis, ex lib. τῶν φυσιογνωμικῶν: tum porrectiora, quod & ad agilitatem facit, & ad maieſtatem, iuſto tamen membrorum commenſu, muſculis, neruiſq; grandioribus, molliori carne, viuacia, & plena ſpiritibus. [b] Sed ſi diſtant inter ſe his notis corpora liberorum, & ſeruorum; cur ſæpenumero contrarium cernitur, vt quæ liberorum eſſent, animas ſeruorum habeant; quę ſeruorũ tribuantur liberorũ animis? [a] Et reſponſio eſt, velle quidem naturam ſemper, & quoad poſſit, etiam facere corpora liberorum, ſeruorumq; eo modo differentia, quo dictum fuit: dirigitur enim corpus ipſum in animam, & natura agit propter finem ex fine ij. Phyſici; quapropter neceſſe eſt in fabricatione corporum ab ea operam dari, vt quęque animis ſuis, quarum cauſâ efficiuntur, ſint congruentia. [h] Quandocunque igitur contrarium euenit; euenire ex accidenti, & contra naturæ propoſitum, ob contumaciam materiæ, inſtrumenti'ue infirmitatem, aut impedimentum rei externæ: quemadmodum & in alijs rebus naturalibus, ob eaſdem cauſas, fieri aliquando, & ſæpe quidem videmus aliquid, quod ſit præter naturam; nec id abſurdum; dummodo plerunque fiat id; quod eſt ſecundum naturam. Ex hoc porrho ſtudio, machinationeq; naturæ conficitur apertiſſimè primum trium theorematum, ideſt in hominibus quoſdam ſeruos, quoſdã dominos, ac liberos naturâ eſſe: & ex hoc alia duo conficiuntur, vt dictum eſt ſuprà.

Dubitatio cur hæc differentia corporũ nõ ſit perpetua. Solutio.

Cauſæ, ob quas natura à propoſito aberrare ſolet.

Deductiones trium theorematum propoſiti principalis.

Partes textus.

Partes textus quinque. Prima (a b) docet inſtitutum naturę, quod penè obiectionem tollit. Secunda (c) qualia eſſe debeant corpora ſeruorum, aperit. Tertia (d e f) qualia liberorum. Quarta (g) diuidit ciuilem vitam in duas partes. Quinta (h) proponit id, ex quo naſcitur obiectio, atque hanc prorſus diluit.

S C H O L I A.

Voluntatis vocabulum quomodo hic.

Atqui vult natura. Voluntatem hic accipe pro conatu, & impetu, & tandem appetitu cognitionis experte, qualis in natura ponitur neque .n. de ea dicitur propriè voluntas. Aut agnoſce atticam phraſim, quam ſæpe Philoſophus vſurpat.

Robuſti et fortis differentia. Fortis corporis ſignum. Roboris et robuſti definitiones. Actionis violentæ modi.

Hæc quidem robuſta ad neceſſarium vſum. Differunt τὸ ἰσχυρὸν καὶ τὸ ἀνδρεῖον, robuſtũ, & forte: illud ad corpus magis refertur; hoc magis ad animum. Fortis corporis ſignũ eſſe ait Philoſophus in Phyſiognomicis cap. 3. ſi rectæ figuræ fuerit. Robur autem, ac robuſtum definit in cap. 5. primi Rhetorici; illud, quòd ſit poteſtas mouendi; hoc, quòd poſſit mouere aliud, vt velit, vel trahendo, vel pellendo, vel attollendo, vel deijciendo, vel comprimendo. de quibus alibi.

Rectitudinem corporis antecedentia & comitantia.

Hæc autem recta. Quom rectum eſt corpus, calor mediocriter dominatur. quocirca optimè temperatum eſt, & cætera ſequuntur, quæ diximus in explanatione.

Verbum συμβαίνει. Quod accidit ei per ſe opponitur. Accidentia, et quæ fiunt ex accidenti, unde, et quorũ propria, à quibusq; aliena.

Accidit verò ſæpe etiam contrarium. Verbum συμβαίνει ſimul excitat dubitationem: ſimul indicat in ea nihil eſſe negotij. Quod enim accidit, opponitur ei, quod eſt per ſe; nec repugnat ſi ſæpe accidat, dum fiat ex minori parte, hoc eſt non ſemper, nec plerunque. Sunt autem accidentia, & quæ fiunt ex accidenti, propria naturæ, mentiſque noſtræ, quom materiæ, aut inſtrumenti vitio, aut interuentu rei externæ in caſum, & fortunam degenerauit; longè remota à diuinitate, & rebus cœleſtibus.

Quas corporũ partes neceſſe ſit animis reſpondere, quas minimè, & quatenus.

Hos quidem corpora habere liberorum &c. Partes corporum aut interiores, aut exteriores. Quod ad interiorum conſtitutionem attinet, inquit D. Thomas, & rectè, animæ ſeruiles neceſſe eſt, vt habeant corpora apta ſeruituti, & liberæ apta dominationi: nunquam enim aliquis bene conſtitutam animam habere poterit, ſi inſtrumenta imaginationis, facultatumque aſſinium fuerint malè

conſti-

conſtituta; aut contra male conſtitutam, ſi hæc fuerint conſtituta benè. At in partibus exterioribus, quod ad figuram, & magnitudinem, & cætera huiuſmodi accidentia pertinet, non ſeruantur vtrorunque, liberorum, inquam, & ſeruorum propriæ notæ.

ARGVMENTVM. TEXT. LV.

Probat nouiſsimè per locum à minori, ideſt ex ſola corporum diſsimilitudine ratiocinando de diſsimilitudine animarum, & animarum ac corporum, theoremata huius capitis: indicata demum, per locum à cauſa, ſolutione cuiuſdam emergentis dubitationis.

Text. lv. [a] Ἐπεὶ τοῦτό γε φανερὸν, ὡς εἰ τοσοῦτον γένοιντο διάφοροι τὸ σῶμα μόνον, ὅσον αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες· [c] τοὺς ὑπολειπομένους πάντες φαῖεν ἂν ἀξίους εἶναι τούτοις δουλεύειν. [d] εἰ δ' ἐπὶ τοῦ σώματος τοῦτ' ἀληθὲς, [e] πολὺ δικαιότερον ἐπὶ τῆς ψυχῆς τοῦτο διωρίσθαι. [f] ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ῥᾴδιον ἰδεῖν τό, τε τῆς ψυχῆς κάλλος, καὶ τὸ τοῦ σώματος,

[a] Nam hoc quidem manifeſtum eſt, [b] quòd ſi exiſterent, qui tantum præſtarent ſolo corpore, quantum Deorum imagines; [c] omnes dicerent, reliquos dignos eſſe, qui his ſeruirent. [d] Si autem in corpore hoc verum eſt, [e] multo iuſtius fuerit in anima hoc eſſe definitum. [f] Sed non æque facile videre & animæ pulchritudinem, & corporis.

E X P L A N A T I O.

Argumentatio à minori probãs tria theoremata propoſiti principalis.

Si ſola corporis pulchritudine aliqui plurimum præſtarent; illis ſanè alios ſeruire dignũ eſſe, ideſt ſecundũ naturam, & iuſtum, & melius etiam ſeruientibus, vniuerſi diceremus: ergo multò magis vbi eſt par animæ præſtantia, ac multo etiam magis quom ad eam accedit præſtantia corporis, hæc dici conuenit: ſic autem pręſtare anima quoſdam, liquet ex conditionibus textus quinquageſimitertij; & pręterquam anima, etiam plerunque corpore, ex textu proximè antecedenti.

Dubitatio, & eius ſolutio.

Cur igitur non ſimiliter de hoc homines conſentiunt, vt conſentirent de illo? nempe quia non tam facilè animæ, quàm corporis pulchritudo, & præſtantia cognoſci poteſt.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a b c) ponit aſſumptum, tanquam notum, de conſenſione hominum, vbi aliqui ſola corporis pulchritudine plurimùm præcellerent. Secunda (d e) infert, & ratiocinatur à corpore ad animam. Tertia (f) cauſam explicat, atque hoc modo diluit naſcentem dubitationem: cur non ita conſentiant homines, quandocunque anima eſt præſtabilior, quemadmodum conſentirent, ſi pręſtabilius corpus eſſet.

S C H O L I A.

De argumento huius textus.

Nam hoc quidem eſt manifeſtum, &c. Putat D. Thomas oſtendi hoc loco id, quod in textu antecedenti eſt conſtitutum, dari, inquam, operam a natura, vt faciat corpora differentia liberorum, & ſeruorum: in quam ſententiam induxit eum coniunctio ἐπεὶ, ideſt nam, quæ eſt coniunctio cauſalis. Non nego

poſſe his

poſſe his quodammodo confirmari ea, quæ dicta ſunt ſuprà, aut coniunctionem, nam, cauſam indicare. Sed ſic confirmantur ſuperiora, vt propriè fundamentum iaciatur nouæ argumentationis. Et coniunctio, nam, aliquando notat cauſam ſubſequentium, nõ antecedentium; aliquando etiam ingreſſum, & initium rei potius, quàm cauſam. Vox φανερὸν, ideſt manifeſtum, oſtendit ſumi hîc, quod dicitur, vt notum, nec egere probatione.

Coniunctionis, nam, vſus.

φανερὸν.

Si tantum præſtarent ſolo corpore &c. Non præſtarent duntaxat; ſed tãtum preſtarent, quantum cæcis illis temporibus præſtabant Deorum imagines: quas pulcherrimas humanæ effigiæ pingebant, fingebantque. Atque hæc quidem cum imaginibus comparatio docet, qua re dicat nunc Philoſophus corpora præſtabiliora: nempe non ſanitate dicere, non agilitate, non robore, non vigore ſenſuum; ſed pulchritudine. Hæc .n. ſola exprimi in imaginibus poteſt. Sed tamen, ſi vera, plenaque fuerit in humanis corporibus, ceteras eorum virtutes vnà continebit, vt liquet ex 5. cap. P. Rhetorici. Idem confirmabit tertia pars textus .i. eſſe ſermonem de pulchritudine.

Qua et qualis præſtãtia corpora, de qua dicit Philoſophus hoc in loco. Corporum virtutes.

Vera pulchritudo in humanis corporibus ceteras eorum virtutes continet.

Omnes dicerent, Conſenſiones, iudicataque cõmunia falſa eſſe nõ ſolent, nec ſine ratione. Vnde igitur dignos putaremus eos, qui pulchritudine corporis maximè antecellerent, vt aliis dominarentur? An quia pulchritudo, vt dicunt, Platonici, ſit ſplendor diuinitatis, qua de cauſa etiam elegantioris formæ homines angelos, & ſimiles angelis appellat communis loquendi conſuetudo, quemadmodum hîc ait D. Thomas. An quia in pulchro corpore plerunque inhabitat animus pulcher, & hoc eſt naturæ conſilium: quod docuit textus antecedens. In iiij. horum librorum ſcribitur, Aethiopas diſtribuere honores, & magiſtratus ſolitos fuiſſe pro magnitudine, & pulchritudine corporum.

Qui pulchritudine corporis maximè antecellerẽt cur digni putarentur vt aliis præſſint.

Multo iuſtius in animæ. Tanto iuſtius, quanto anima, cuius natura prope accedit ad diuinitatem, eſt nobilior corpore.

Vis argumentationis

Sed non æque facile videre &c. Ob hanc cauſam iuriſconſulti, pretermittentes ſeruitutem naturalem, de qua præfinire nihil poterant, ad alteram ſe conuerterunt.

Cur iuriſconſulti prætermiſſa naturali ſeruitute legitimã induxerint.

Et animæ pulchritudinem, & corporis. Alibi diximus de pulchritudine: quæ ſit generaliter eſſentia illius; quod vel ſplendor, vel vis naturalis actus, ſeu formæ, & ſpeciei emicans, ac proſiliens, nec tamen egrediens ab ea: quot genera; quòd duo ſumma, vnum aſpectui, alterum auditui ſubiectum; & vtriusque bina, nam aſpectus vel corporeus, vel incorporeus, ſimiliter & auditus: quot tãdem, & quæ ſubiecta; quòd voces, corpora, anima, mens; & quæ ſunt iſtorum, concentus, orationes, colores, figuræ, officia, virtutes, ſcientiæ, notiones; de prima omnium cauſa dubitatur vtrũ in ſe ipſa habeat pulchritudinem, an ſolum ſit fons, & radix omnis pulchritudinis. Tam verò animæ, quam corporis pulchritudo eſt duplex; vna naturalis, & inſita; altera aſſumpta, & aduentitia. Eſt naturalis in corpore pulchritudo vis exiliens, & quaſi flos formæ, quæ materiam ſuperauit, ac ſibi ſubiecit perfectiſsimè. Et pari ratione in anima pulchritudo naturalis eſt quidam fulgor virtutis ipſius attollentis ſe ſupra corpus, in quod perfectè dominatur, & ad diuina gradientis. At pulchritudo aduentitia vel vera eſt, vel ſimulata. In corpore ſimulatur fuco, ornatuque: verè acquiritur exercitatione, aliaque corporis cura; quibus quidem tum medica, tum gymnaſtica facultas colores, lineamentaque corrigere ſolent, & ad commenſum reuocare, in quo conſiſtit huiuſmodi corporis pulchritudo. Ab anima autẽ ſtudio itidem, diſciplinaque actualis, ſpectatiuæq; facultatis comparantur ſcientiæ, & virtutes, erigentes eam per actionem, contemplationemque à fæce corporis, atque expurgãtes: quibus virtutibus, ſcientiiſq; continetur eius pulchritudo aduentitia, & vera: ſed falſa falſis doctrinis, quibus ſophiſticen nomen fecerunt, aſtutiaque ſimili prudentiæ, nobis imponit. Hic de naturali ſolùm pulchritudine animæ, & corporis, quæ exiſtit ex victoria, dominationeque actus in poteſtatem, Philoſophus loquitur.

Pulchritudinis quidditas, genera, ſubiecta res.

Terne pulchritudines animæ, & corporis.

Textus

Textus XLIV.

*

Concluſio.

PARS III. CAPITIS X. TEXT: LVI.

ARGVMENTVM. TEXT: LVI.

Concludit tria theoremata, quæ hactenus ſunt demonſtrata, quæſtiones in textu quadrageſimoquarto propoſitas definientia.

Text: lvj. [a] Ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς, οἱ μὲν ἐλεύθεροι, οἱ δὲ δοῦλοι, φανερὸν: [b] οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν, [c] καὶ δίκαιόν ἐστιν.

[a] Eſſe igitur naturâ quoſdam, hos quidem liberos, hos autem ſeruos manifeſtum eſt: [b] quibus etiam prodeſt ſeruire, [c] & iuſtum eſt.

E X P L A N A T I O.

Partes textus.

PARTES textus tres, pro numero theorematum, & quæſtionum propoſitarum; de quibus copioſè in commentario 35. & 44.

S C H O L I A.

Cur dicat Philoſophus quoſdam non oẽs. Vtrum quidã, an oẽs homines diſtinguãtur in liberos & ſeruos naturâ.

Eſſe igitur naturâ quoſdam &c. Satis eſt Philoſopho in præſentia ad euertendam contrariam ſententiam, eſſe quoſdam ex hominibus, quorum alij ſint liberi, alij ſint ſerui naturâ. Vtrum autẽ verè ſubijciũtur his differentijs omnes homines, vt eorum vnusquiſque naturâ aut liber, aut ſeruus dici debeat? Fortè, ſi nomen liberi propriè accipiamus, generalis diuiſio erit. Opponitur .n. liber ſeruo vel ex affirmatione & negatione, vel ex priuatione & habitu, vt diximus in cõmentario 35. At ſi liber hîc ſignificet dominum; fortaſſe multos inuenies, quos nec ſerui, nec liberi naturâ appellationem mereri exiſtimes; quotquot ſcilicet ſeipſos regere poſſunt, alios non ęquè. quanquam acri cogitatione intuentibus difficilius quoque videtur regere ſeipſum, quàm alium. Et hac ratione rurſus generalis diuiſio eſſet: eſſentque omnes homines partim liberi, & domini; partim ſerui naturâ. Vel intellige quoſdam non ex hominibus, ſed ex ſeruis, & liberis eſſe huiuſmodi naturâ, vt alij liberi, alij ſerui naturâ ſint.

Altera expoſitio, cur dicat Philoſophus quoſdã. Quæſtio vtrũ natura faciat quoſdã ſeruos & quoſdã liberos. Quæſtio valdè antiqua et cõtrouerſa.

Natura quoſdam, hos quidem liberos, hos autem ſeruos. De hoc theoremate, vtrum diſtinguat natura homines in liberos, & ſeruos; an ſola lex, aliáue cauſa ſeruos faciat, liberi omnes naſcantur; diu, multumque dubitatum eſt etiam ante Philoſophi noſtri tempora, vt prodidit textus 35. Et ſanè philoſophi, theologi, ac iuriſconſulti contraria de eo ſtatuere videntur. quorum quidem conciliandorum verum modum, niſi fallimur, in initio huius capitis, indicauimus: ſed tamen ob celebritatem, obſcuritatemque rei, & magnas grauiſsimorũ virorum

contro-

Theologorum ſententia.
Cauſa prima, et perfecta ſeruitutis peccatum eſt.

controuerſias, ſunt hîc paulo fuſiùs, & diſtinctiùs eorum ſententiæ explicandæ. Dicunt igitur theologi peccatum eſſe cauſam primam, & perſectam ſeruitutis.

cap. 15.

Conditio ſeruitutis, inquit D. Auguſtinus in xix. lib. de Ciuitate Dei, *iure intelligitur impoſita peccatori: proinde nuſquam ſcripturarum legimus ſeruum; antequam hoc vocabulo Noa iuſtus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura: & prima ſeruitutis cauſa peccatum eſt, vt homo homini conditionis vinculo ſubderetur. Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, ſeruus eſt hominis, aut peccati &c.*

cap. 37.

Et in xi. de Geneſi ad literam: *Talis ſeruitus, qua homines hominibus poſtea eſſe ſerui cœperunt, de pœna peccati reperitur exorta.* Multis præterea aliis in locis, & ipſe & alij Eccleſiaſtici ſcriptores hoc idem teſtantur. Quòd ſi peccatum eſt cauſa ſeruitutis, non eſt eius cauſa natura. nulla enim natura, ne dæmonum quidem, per ſe mala eſt; quia tanquam radius, & ſplendor à ſummo Sole, Deo, proficiſcens aliquid lucis retineat oportet.

Iuriſcōſultorum opinio.
Seruitutis cauſa non eſt natura, ſed ius gentium, & ciuile.
Auctoritates iuriſconſultorum.

Iuriſconſulti autem cauſam omnis ſeruitutis hominibus, ideſt iuri gētium, ac ciuili aſcribunt; naturæ negant. Caius in leg. prima de iis, qui ſui, vel alieni iuris ſunt, & Iuſtinianus in Inſtit. cod. tit: Serui ſunt, inquiunt, in dominorum poteſtate, quæ poteſtas eſt iuris gentium. Martianus in leg. 5. de ſtatu hominum, & Iuſtinianus Inſtit. de iure perſonarum: Serui in dominium noſtrum rediguntur iure aut ciuili, aut gentium. Florentinus in leg. 4. cod. tit. de ſtatu hominum: Seruitus eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur. Hactenus fortaſſe reſponderi poſſet, duplicem eſſe ſeruitutem; vnam legitimam, de qua loquantur iuriſconſulti; alteram naturalem, de qua non loquantur. Sed Vlpianus in leg. 4. de iuſtitia & iure penè omnem præcidit concordiæ ſpem. Iure naturali, inquit, omnes homines liberi naſcebantur, inuaſit ſeruitus iure gentium.

Auctoritas Iſidori, & duo modi quo eam explicat D. Thomas.

His auctoritatibus iuriſconſultorum accedit Iſidori auctoritas ſcribentis in libr. Etymologiarum, vnam omnium hominum libertatem eſſe iure naturali, ſeruitutem ad ius gentium pertinere. Quam ſententiam Iſidori duobus modis explicat D. Thomas, vt conciliet eam philoſophi noſtri ſententiæ.

P. ſecunda q. 96. a. 5. & 2. ſecunda q. 57. a. 3.

Vnus modus hic eſt: Seruitutem non eſſe naturalem ſimpliciter, & ratione abſoluta; quia à natura non inducatur, nec vlla ſit ratio naturalis primò, & per ſe, cur hic homo ſit magis ſeruus, quam ille: eſſe tamen naturalem ex conſecutione; propterea quòd ratio naturalis induxerit eam ad vtilitatem vitæ humanæ, oſtendens prodeſſe vtrique, vt & hic ſeruiat, & ille dominetur. Itaque dici ſeruitutem ſimpliciter iuris gentium: tum quoniam ratio, cuius eſt conſyderare conſequentia, & comparationes, ſit hominum propria, nō communis omnibus animalibus; ſic autem proprium hominum ſit ius gentium, ſicut commune omnium animalium eſt naturæ ius, ex Vlpiano in l. prima de iuſtitia & iure: tum quoniam propriè definitur ius gentium à Caio in leg. 9. cod. tit. quòd ſit id, quod ratio naturalis inter omnes homines conſtituit.

Lib. iiij. d. 39. q. prima, a. primo.

Alter modus, quo explicat D. Thomas eam ſententiam Iſidori, eſt talis: Poſſe aliquam rem, quæ ex primo naturæ conſilio non ſit naturalis, eſſe naturalem ex ſecundo eiuſdem conſilio, vt liquet de ſenio, & interitu: ſic itaque ſeruitutem eſſe naturalem, & non naturalem: nam primum conſilium naturæ in hac re eſſe, vt oēs homines ſint liberi, & boni, & perfecti: ſecundum conſilium, ſi aliqui peccent, vt pro peccatis conuenientes perſoluant pœnas; quas pœnas poſtea conſtituit iudicio rationis ius conditum, atque inter alias conſtituit ſeruitutem. Vterque horum modorum ponit ſeruitutem eſſe naturalem ex eo, quòd vtilis ſit: vtilem autem eſſe ait primus per ſe, & ſimpliciter; ſecundus ex accidenti. Ambo aſſignant cauſam ſeruitutis legi, non naturæ.

Auctoritas Ariſtotelis ex viij. ad Nicomachum.
Deciſio controuerſia.

viij. ad Nicom. cap. 10.

Addatur poſtremo loco id, quod ſcribit Ariſtoteles in viij. ad Nicomachum: Dominicum imperium eſſe tyrannicum. nam tyrannis ſine controuerſia eſt prorſus præter naturam. Hæc ſunt præcipua ex multis, quæ contra hoc theorema philoſophi afferri poſſent. Vtinam verò philoſophis noſtris ita de aliis conueniret cum theologis, ac iuriſconſultis: quemadmodum de hoc conuenit. Equidem arbitror explicatis vocabulis nihil diſſenſionis ſuperfore.

Nomina ſerui & ſeruitutis liberi dominique, & libertatis naturalis quid philoſophus ſignificet.

Quid igitur ſignificant ſeruus & ſeruitus naturâ; quid item naturâ liber, dominus'ue, ac libertas philoſophus? Diximus ſæpe vocari ab his

naturâ ſeruum cum hominem, qui alius eſſe poteſt, ideſt qui poteſt corpore efficere; & naturâ liberum, ac dominum, cuius eſſe alius poteſt, hoc eſt qui poteſt cogitatione prouidere res, quæ vtrique proſunt ad vſus vitæ neceſſarios: eſſeque tandem ſeruitutem, & libertatem philoſophicam ſecundum naturam conſtitutiones, & vires quaſdam naturales animi, & corporis, quibus naſcimur idonei ad actus proprios alij ſeruiendi, & exequendi, alij dominandi, & prouidendi ea, quæ humanæ vitæ conducunt. Colligebantur hæc potiſsimùm ex tex: 6. & 43. & 45. & 53. Quippe in 6. ſic definiebantur naturâ dominans, & naturâ ſeruum; dominans naturâ eſſe id, quod poſſet cogitatione prouidere: ſeruum naturâ eſſe id, quod poſſet corpore efficere, etcæt. In 43. eodem modo ſeruus naturâ definiebatur, vt eſſet is, qui naturâ ideſt qui facultate naturali eſſet homo alius. In 53. item ſeruus naturâ erat is, qui poterat eſſe alius. Et in 45. quædam diſtare dicebantur ſtatim ab ortu, vt alia ad imperandum, alia ad parendum eſſent idonea. Eædem ergo prorſus philoſophis appellationes ſunt dominorum, & ſeruorum naturâ: quæ ſunt etiam naturâ curſorum, & pugilum, manſuetorum, & fortium, & aliorum ſimilium nominum; quibus illi deſignant, quom addunt hanc vocem naturâ, non habitus, actus'ue vllos, in quos propriè hæc nomina conueniunt, ſed vires, facultateſque naturales eorum habituum, & actuum. Vocantur enim naturâ curſores, & pugiles, qui eiuſmodi præditi ſunt corporis habitudine, facultateque naturali, vt apti, idoneique ſint ad curſum, & ad pugillatum, non qui reipſa iam ſunt curſores, & pugiles; & ſerui, dominique naturâ ſimiliter, qui idonei, habileſque ſunt naturali quadam facultate, hi ad dominandum, illi ad ſeruiendum; nõ qui reipſa iam ſeruiunt, ac dominantur. Quòd ſi facultate, & vi naturali duntaxat horum actuum definiuntur domini, & ſerui naturâ: ecquis tandem iuriſconſultorùm, aliorum'ue artificum negare audebit, eſſe quoſdam naturâ dominos, & quoſdam naturâ ſeruos, hoc eſt eſſe quoſdam, qui ad ſeruiendum, quoſdam, qui ad dominandum ſint accommodati ex naturali corporis, atque animi conſtitutione? Si quiſpiam fuerit tam perfrictæ frontis, vt hoc neget, nihil addam: proferam ſolùm in medium, quos Philoſophus in tex: 53. tantum diſtare inter ſe aiebat; quantum diſtant inter ſe homo, & beſtia; anima, & corpus: quales ſanè multi, & paſsim nobis occurrent. Vrgebis forſitan ex aduerſo: Quid attinet de his dicere, qui re vera nec ſerui ſunt, nec domini; ſed eſſe tantùm poſſunt? num ſcientiæ quærunt quæ ſunt poteſtate? an non potius quæ ſunt actu talia? His autem reſpondit Philoſophus in eodem tex: 53. oſtendens naturalem hanc poteſtatem, qua aliquis dicitur ſeruus, aut dominus naturâ, aliarum poteſtatum in modum, eſſe talem, vt eam plerunque actus ſequatur; & qui eſt naturâ ſic ſeruus, aut dominus, vt talem vim habeat ad ſeruiendum, vel ad dominandum, euadat reipſa ſeruus, aut dominus, dum fertur impetu naturali ad id, quod naturæ ſuæ eſt maximè accommodatum. Si negaueris hæc vera eſſe, quia nemo ſponte ſua ſeruire videatur: opponam ſeruos temporarios, qui apud nos ſponte ſeruiunt, & eos, qui olim tum apud Hebræos, tum apud alias nationes, cogente nemine, vel vt pretium participarent, vel alia quacunque conditione, & pacto ſeſe aliis in ſeruitutem tradebant. Nec dicas, coactos eos egeſtate hoc feciſſe, aut facere. ſiquidem viri pauperrimi, ſed animo præditi generoſo, & imperio nati, C. Fabritius, Curius Dentatus, Ariſtides, Phocion, & tot alij nobili opera, non indigno ſeruitio ſeipſos, ſuos, dignitatemque ſuam tutati ſunt. At quicunque animo ſunt imbecillo, & abiecto, quemadmodum ſcripſit etiam Poſsidonius Stoicus in lib. xi. Hiſtoriarum, nec tantum habent prudentiæ, quantum ad parandas res neceſſarias ſit ſibi ſatis; addicunt ſe prudentioribus, vt inuicem adiuuent, & adiuuentur. Hoc non ſolùm cernitur quotidie in ſingulis hominibus: ſed aliquando etiam in vniuerſis nationibus, & populis conſpectum fuit. Maryandini enim, quorum Plato in vi. de legibus, & Athenæus ex eodem Poſsidonio in vi. Cœnarum meminerunt, Heracleotis; atque ex incolis Arnæ quicunque victi ab Hæmone non receſſerunt in Bœotiam, poſtea Meneſtæ, tãdemq; Peneſtæ appellati, teſte Archemacho in iij. rerum

Conuincitur eſſe quoſdam ſeruos, et quoſdã liberos naturâ, vt hæc nomina vſurpantur à philoſophis.

Serui voluntarij multi ſunt, & fuerunt.

Athenæus lib. vi cap. 7.

Euboica-

Euboicarum Theſſalis ſe mancipatunt certis quibuſdam conditionibus, quæ referuntur ab eodem Athenæo in loco paulo antè citato, & à Suida in verbo πενέσται. Sæpenumero autem euenire contrarium, vt de corporibus in tex: 54. Philoſophus dicebat; & dominari, qui debebant ſeruire; abripi in ſeruitutem, quos aptos dominationi natura fecerat; minimè mirum eſſe poteſt conſyderantibus tum vim fortunæ, in humanis rebus opes, fauoremque ſuum penè ſemper ad indigniores conuertentis; tum libertatem voluntatis, actionumque noſtrarum, ad quas nos inclinat natura, non cogit; tum denique φιλαυτίαν noſtram, qua vnuſquiſque nimis magno æſtimat ſua, nimis aliena negligit. Hoc itaque modo naturam ponunt Philoſophi eſſe cauſam primam ſeruitutis, & dominationis, ſeu libertatis. Nec à theologis diſsident, niſi quà ſtatus integræ naturæ ipſis fuit ignotus, vt admonui in principio huius capitis. Etenim Adæ peccatum, quo natura humana corrupta eſt, eam ſic corrupit, vt detractis ei gratuitis bonis, obſcurarentur, vulnerarenturq; bona eiuſdem naturalia. Ab his autem duabus radicibus, detractione ſcilicet gratuitorum, & vulneratione naturalium bonorum pullulauerunt ſtatim omnes miſeriæ, infirmitatesque naturales noſtræ tam corporum, quàm animorum; & cum cæteris etiam conſtitutio in quibuſdam idonea ſeruituti, in quibuſdam perfectior quidem, ſed quæ tamen ſua imbecillitate ſeruis indigeret ad vitæ vſus: quorum neutrum, nec neceſsitas ſeruorum, inquam, nec conſtitutio animi, & corporis, qualem ſerui habent, fuiſſet in ſtatu innocentiæ. Eandem ergo vim habent hæ duæ propoſitiones: peccatum eſt cauſa ſeruitutis, quod theologi dicunt: & natura peccato corrupta, hoc eſt natura noſtra, qualis in præſentia apparet, eſt eius cauſa, quod dicunt philoſophi. vtraque enim ſignificat naſci homines quoſdā aptos ſeruituti. Verùm dubitabis: Si peccatum Adæ, quo corrupta eſt humana natura, fuit per huiuſmodi corruptionem cauſa noſtræ ſeruitutis, atque vt alij ad ſeruitutem, alij ad dominationem idonei naſceremur; cur ſcribit D. Auguſtinus in ſuprà allegato loco de Ciuitate Dei, nuſquam legi ſeruum in ſcriptura, antequam hoc vocabulo Noa iuſtus peccatum filij vindicaret; inde colligens
Cap. 5. nomen iſtud culpam meruiſſe, non naturam? Et cur Ambroſius in lib. de Helia, & Ieiunio, ante vini inuentionem omnibus inconcuſſam manſiſſe libertatem, neminemque ſciuiſſe à conſorte naturæ ſuæ obſequia ſeruitutis exigere, nec fore hodie ſeruitutem, ſi ebrietas non fuiſſet, quæ ſcilicet Chamo occaſionem obtulit ad delinquendum? An duplex peccatum in humano genere ab Ada deſcendente, naturæ nimirum, & perſonæ, ſeu commune, & proprium, duplicem induxit ſeruitutem. Primum, quod fuit ipſius Adæ, manauitque ab eius anima per carnem ad poſteros, in quibus vocatur originale, ſeruitutem originalem, vt ſic appellem, hoc eſt naturalem, & vt apti naſcerentur quidam ſeruituti, quidam dominationi, effecit, ex 3. cap. Geneſeos, in mundo recenti adhuc, & naturali, in quo omnia interiori lege partim rationis, partim cupiditatis adminiſtrabantur. Alteri, quod dicitur actuale, eſtque proprium vniuſcuiuſque, à quo delinquitur; conſtituta eſt pœna, cap. 9. eiuſdem libri Geneſeos, ipſa conditio ſeruitutis, hoc eſt ſeruitus actualis, & legitima in mundo renouato, & legitimo: cuius initio, ſtatim egreſſo de arca Noa patre, leges, & præcepta quædam Deus tradere incœpit de carne cum ſanguine non edenda, & de homicidis viciſsim occidendis, nimirum per eos, quibus legitimè hoc cōmiſſum eſſet, & ex magiſtratus decreto. Quanquam enim Cainus Hebelum fratrem ſuum interfecerat. tamen, quia nondum lata lex fuerat, nec adminiſtratio exterior à Deo inſtituta; nullo ſupplicio corporali eſt affectus: ſed multauit eum Dominus terra, in quam ille fratris ſui ſanguinem effuderat: vt perpetua peregrinatione circuiret eam; &, ſi coleret, negaret illa ſuos fructus colenti. Eſſe autem neceſſarium ſic exponi de duplici peccato, & de geminis ſeruitutibus, adminiſtrationibusque hæc duo loca ſcripturæ vnà cum dictis DD. Auguſt. & Ambroſij, liquet ex eo, quod multa ante diluuium, & multo inſigniora flagitia, quam illud Chami perpetrata fuerunt, vt omittatur etiam Adæ peccatum: nec tamen vſpiam legitur vocabulum ſerui, quemadmodum

Conciliantur philoſophis theologi.

Malorum & infirmitatum omniū noſtrarum vera radices.

Dubitatio ex duobus locis Auguſtini & Ambroſij, qui deciſioni propoſitæ aduerſari videntur.

Solutio. De duplici peccato, quod duplicem ſeruitutem induxit, duplici mūdo, duplici lege, duplici adminiſtratione.

ait Auguſtinus. cur autem non legatur, aut non ſtatuatur peccato pœna, non apparet, niſi hoc modo exponamus. Et accedit quòd ipſe quoque Auguſtinus explicans locum illum 3. capitis Geneſeos, ſignificari inquit ſeruitutem, quæ eſt cuiuſdam conditionis: vt talis ſeruitus, qua homines hominibus poſtea eſſe ſerui cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta.

Lib. xi. de Geneſi ad literã cap. 37.

Conciliantur philoſophi iuriſconſultis. Loquuntur iuriſconſulti de altera tãtùm ſeruitute, quæ reipſa exhibetur, & de altera tantùm huius cauſa, quæ eſt ius humanũ, alteris prætermiſſis, & cur.

Hactenus de theologis. Iuriſconſulti, quum definiunt ſeruitutem, quòd ſit conſtitutio iuris gentium &c. & quum inquiunt ſeruos eſſe in dominorum poteſtate, quæ poteſtas ſit iuris gentium; & quum rurſus ſeruos redigi in dominium noſtrum iure, aut gentium, aut ciuili; ſatis oſtendunt ſe loqui de cauſa ſeruitutis, ex qua aliqui homines reipſa ſeruiunt, non ex qua idonei ſunt ad ſeruiendum; imò nec de illa quidem omni, ſed de ea tantùm illius parte, quæ ad humanum ius pertinet, reiecta altera, quæ, huic contraria, ad iniuriam, & latrocinium reuocatur. Qui à latronibus captus eſt, inquit Vlpianus in leg. 24. de Captiuis, non eſt ſeruus latronum. Et tamen hic, quem non eſſe ſeruum latronum Vlpianus ait, venditur à latronibus tanquam ſeruus: & reipſa ſeruus eſt illorum; licet nullo iure, ſed per violentiam tantùm, & iniuriam. Itaque quum tres ſint ſummæ cauſæ ſeruitutis; vna inſita, quæ eſt natura aptos homines procreans, dirigenſque ad ſeruitutem, & duæ externæ, ius humanum, iniuriaque, quarum vtraque iugum ſeruitutis reipſa, & actu nobis imponit; iuriſconſulti mediam tantùm conſyderant, extremis neglectis. Cur hoc faciant, iam declarauimus, & eſt in promptu. nempe ad iudicia ſpectant, & fora, non ad doctrinam, & contemplationem. Proinde iura tractant humana, ſtatus, conditioneſque hominum, quæ ex eiuſmodi iuribus, legeque naſcuntur: naturas rerum, & poteſtates, proprietateſque ab illis fluentes prætermittunt: nec pro rebus habent quæ à nobis fiunt per iniuriam, & contra leges.

An negaturi eſſent iuriſconſulti naturales illas vires, quibus liberos & ſeruos naturâ diſtinguunt philoſophi.

Attamen quanquam non agnoſcunt, nec nominant iuriſconſulti ſeruitutem naturalem, haud negarent porrho, vt ſuprà diximus, naturales illas vires, quibus ſeruos, & liberos naturâ diſtinguunt philoſophi. Sed Vlpianus dicebat omnes homines naſci liberos iure naturali, hoc eſt facultate naturali, vt interpretatur Florentinus ſic definiens libertatem in l. 4. de hominum ſtatu: libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut iure prohibetur. Et, ſi omnes homines liberi naſcuntur iure, ac facultate naturali; in nemine eſſe ſanè poteſt facultas naturalis ad ſeruitutem. Fateor omnes homines liberos naſci, ideſt non ſeruos legitima ſeruitute, quod ſignificat habere eos naturalem facultatem faciendi quicquid voluerint, niſi extrinſecus impediantur. Cùm hac tamen naturali facultate liberè operandi minimè pugnat ſeruitus naturalis: quin poſſint ijdem reipſa liberè operari; & idonei eſſe conſtitutione naturali animi, & corporis ad ſeruitutem.

Tres dubitationes, quæ naſcuntur in cõmemoratis ſententijs iuriſconſultorum. Prima. Secunda. Tertia.

Illa difficiliora, & inquiſitione digna de his iuriſconſultorum ſententiis. Primùm cur in definitione libertatis hæc ſint adhibita: niſi ſi quid vi, aut iure prohibetur. quaſi verò liberi homines non habeant facultatem naturalem faciendi illa quoque, quæ ius prohibuit, imò & illa, quæ aliquando vi impediuntur. non enim eſt neceſſarium, ſi habent facultatem faciendi, vt ſemper faciant: quandò aliud facultas eſt, aliud actus. Deinde quomodo hæc non ſit definitio ſeruitutis potius, quàm libertatis. vi nanque, & iure, quo dominis ſunt mancipati, ipſi ſerui ea facere prohibentur, quorum efficiendorum in ſeipſis naturalem facultatem habent. Poſtremò qua ratione libertatem iuri naturali hic attribuat Vlpianus: qui tamen paulo antè, ideſt in leg. p. eod. tt. affirmauerat, ius naturale eſſe illud, quod cuncta animalia natura docuit; quodque commune eſt; commune, inquam, ex ſimilitudine omnium animalium. etenim animalia reliqua ſerua, & ſubiecta hominibus ſunt, non libera tam iure naturali, vt diximus ſuprà, dixitque Philoſophus apertè in text: 50, repetiturusq; eſt in 84, quam diuino, vt docet primum caput Geneſeos, & declarant D. Auguſtinus, & alij ſacri doctores. Sed hęc, & vtrum in hac 4. leg. ſignificet Vlpiano vocabulum iuris naturalis ius gentium primum, quod Connanus, & quidam alij voluerunt, iuriſconſultis perſcrutanda relinquamus.

In commentarijs 42 et 52 & alibi.

Ad auctoritatem Iſidori.

Iſidorus idem prorſus dicit, quod iuriſconſulti: & nos ad eius auctori-

auctoritatem eodem modo reſpondemus. Explicationem autem, conciliationemque, ac tandem ſententiam D. Thomæ in hac re non recipimus. Nam præter alia vtriuſque modi propria, quæ probanda non ſunt, aſtruunt etiam cõmuniter ambo ſeruitutē ideo eſſe naturalem, quia ſit vtilis: & tamen contrarium ſtatuendũ erat, ideo eſſe vtilem, quia ſit naturalis. nanq; antecedit naturâ, nō ſequitur vtilitatem. Quæ cauſa etiã fuit, vt tali ordine propoſuerit, concluſeritque Philoſophus quæſtiones iſtas: vtrum ſeruitus aliqua ſit naturalis, vtrum ſit vtilis, vtrum ſit iuſta. interiacet enim quod verè vtile, meliuſque eſt inter naturam, & iuſtitiam. Locus Ariſtotelis in viii. ad Nicomachum, niſi exponendus ſit de vulgari, & legitima ſeruitute, docet ſolùm dominicum imperium eſſe ſimile tyrannidi hac re, quòd dominus quærit propriã vtilitatem, cuius non eſt particeps ſeruus. diuerſæ enim vtilitates, ac bona ſunt ſerui, & domini ob differentes eorum naturas; non vna, & eadem, ſicut filiorum, & patris: quod ibi indicauit Philoſophus. Tamen eſt poſtea diſsimilis tyranno dominus, qui eſt talis naturâ: quòd hic ſerui quoque ſui ſalutem, & vtilitatem ei conuenientem, quantum ſatis eſt, curat ex doctrina tum philoſophorum, tum theologorum D. Pauli ad Epheſios, & D. Auguſtini in xix. de Ciuitate Dei; tyrannus negligit, &, præterquam negligit, premit inſuper ærumnis, perditque ciues ſibi ſubiectos.

Modi quibus D. Thomas an ctoritatē hanc explicat, et cõciliat Philoſophus, non ſunt probandi.

Natura eſt prior vtilitate.

Ad auctoritatem Ariſtotelis in viij. ad Nicom.

Dominicũ imperium quomodo ſimile, quomodo diſſimile tyrannidi.

D. Paulus ad Epheſios cap. 6. D. Auguſt. in xix. de Ciuitate Dei cap. 15. & 16.

Textus

Textus xxxiiii.

*

Quatenus verum attingant oppoſitorum theorematum aſſertores.

CAPVT XI.

Quatenus verum attingant oppoſitorum theorematum aſſertores: nempe ſeruitutem, quam bellum, & in vniuerſum quam fortuna, & homines faciunt, nec naturalem, nec vtilem ſeruientibus, aut ijs quidem quibus ſeruiunt, nec iuſtam eſſe; niſi fuerint naturâ ſerui ipſa mancipia; & naturâ domini, quibus mancipantur. Hoc autem præſtat Philoſophus, tractans controuerſiam de ſeruitute legitima ex bello, & lege, quæ hanc ſeruitutem facit, vtrum ſint iuſta, hinc illinc fultam rationibus; ſedansq́ eam iſto modo ex ijs, quæ in proximo capite ſunt demonſtrata.

Ὅτι δὲ καὶ οἱ τἀναντία φάσκοντες &c. tex: LVII. ad LXV.

SCHOLIVM.

Series & argumētum huius capitis.

QVAEREBATVR in textu 35. & 44. vtrum eſſet aliquis ſeruus naturà; vtrum expediens alicui, vtrum iuſta eſſet aliqua ſeruitus. nam multi propoſitiones negantes harum trium quæſtionum amplectebantur. Probatum eſt in cap. antecedenti vera eſſe oppoſita, & aientia theoremata: Eſſe aliquos naturà ſeruos: His expedire, vt ſeruiant: Seruitutemq́ue eorum iuſtam eſſe. Supereſt, vt indagetur, quod facere Ariſtoteles

ſolet,

ſolet, ecquid recti in contraria ſententia contineatur, cuius aſſertores, quanquam non intelligentes, collineent tamen aliquo modo veritatem: vnde vim, & lumen maius accipiat hæc, quæ hactenus eſt conſtituta. Emendari igitur contrariam ſententiam, & rectam euadere, ſi in parte ſumat, quæ ſumebat in vniuerſum, aperiet hoc capite Philoſophus. Ita ambas ſententias, quæ pugnare inter ſe videbantur, conciliari: eſſeque trium infinitarum quæſtionum, an ſeruitus ſit naturalis, an ſit vtilis, an ſit iuſta, propoſitiones vtrasque veras hoc modo, quòd aliquæ ſeruitutes ſunt naturales, aliquæ præter naturam; aliquæ vtiles, aliquæ damnoſæ; aliquę iuſtæ, aliquę iniuſtæ. Cæterùm, quoniam ambigi poteſt, & ambigebatur eo ſeculo non ſolùm generatim de ſeruitute vtrum eſſet, an non eſſet prǽter naturam, &c. ſed etiam nominatim de ſeruitute cuiuſdam certi modi, ideſt de ea, quam lex belli facit, de qua ſeruitute, & lege exiſtebat celebris controuerſia, eſſent'ne, an non eſſent iuſtę: ſimul quod dictum eſt pręſtabit Philoſophus; ſimul inſtruet, & componet hanc litem. Qua via, & ratione vnà oſtendet in quibuſdam etiam ſeruitutibus certę formę, non modò in omnibus generaliter, vſuuenire, vt alię ſint naturales, & vtiles, & iuſtę: alię iniuſtę, & damnoſę, & pręter naturam: confirmabitque tam expoſitione ipſius rei, quàm teſtimonio aliorum inter ſe diſsidentium tum è multitudine, tum è ſapientibus, ſententiam ſuam. Poſtquam ergo propoſuerit in textu 57. & 58. rectè dicere quodammodo, qui contraria illis, quę poſita ſunt, ponunt; & rectè quidem dicere, propterea quòd non vnus ſit modus ſeruitutis; conſtituet in 59. 60. 61. diſceptationem, ac controuerſiam de iuſtitia legitimę ſeruitutis ex bello: ad cuius exemplum de alijs quoque legitimis ſeruitutibus, imo de omnibus omnino, quibus reipſa homines ſeruiunt, iudicandum erit. In conſtitutione controuerſiæ tres opiniones enarrabit cum ſuis cuiuſque rationibus, & fundamentis: quarum vna prorſus iuſtam; altera prorſus iniuſtam ſeruitutem ex bello ſtatuit; tertia, inter illas media, partim iuſtam, partim iniuſtam;

Partitio huius capitis et quid in vnaquaque parte, præſtetur.

tex: 57. et 58.

tex: 59. 60. 61.

ſtam; iuſtam quodammodo, & ob ſuam cauſam; iniuſtam per ſe, & ſimpliciter. Addet corollarium huius tertiæ opinionis in textu 62. vnde initium ſumet decidendæ controuerſiæ. *tex: 62.* Decidet autem, & ſedabit eam in 63. & 64. *tex: 63. & 64.* rebus in ſuperiori capite demonſtratis: quas quidem non perfectè comprehendi, explicari'ue, perſentiſci tamen, & peti, nec negari poſſe ab auctoribus tertiæ opinionis, quæ propior eſt veritati, declarabit.

ARGVMENTVM. TEXT. LVII.

Propoſitio. Eos quoque, qui contraria, & negantia theoremata ſtatuunt, dicere quodammodo rectè.

Text: lvij. [a] ὅτι δὲ καὶ οἱ τἀναντία φάσκοντες, τρόπον τινὰ λέγουσιν ὀρθῶς, οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν.

Quòd verò & qui contraria aiunt, modo quodam dicant rectè; non eſt difficile videre. *Hoc eſt, quod cõcludit infrà in textu 65.*

S C H O L I A.

Qui contraria aiunt. Theoremata contraria iis, quæ hactenus ſunt demonſtrata, hæc ſunt: ſeruitutem eſſe rem præter naturam: eſſe damnoſam ſaltem ſeruientibus: eſſe iniuſtam. Tuentur autem hæc contraria theoremata illi, de quibus dictum fuit in textu 35.

Dicere quodammodo rectè. Dicunt rectè, ſi non vniuersè, ſed in parte ſumant, quod dicunt: idest ſi intelligamus non omnes, ſed quaſdam ſeruitutes eſſe eiuſmodi, præter naturam ſcilicet, damnoſas, iniuſtas.

ARGVMENTVM. TEXT: LVIII.

Initium, & fundamentum commentationis propoſitæ, de aientibus contraria iis, quæ conſtituta ſunt: quod quidem fundamentum eſt partitio ſerui, ſeruientiſque in talem naturã, de quo dictum fuit ſuperiori capite, & in talem lege; qua lege, per quendam conſenſum ſtatuuntur bello capta victorum eſſe.

Text: lviij. [a] Διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δουλεύειν καὶ ὁ δοῦλος. [b] ἔστι γάρ τις * καὶ κατὰ νόμον δοῦλος, καὶ δουλεύων. [c] ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναι φασί.

** Ita legitur in cod. Ald. In Baſil. Victor. & aliis hæc vox non legitur.*

[a] Dupliciter enim dicitur ſeruire, & ſeruus. [b] eſt enim aliquis etiam lege ſeruus, & ſeruiens. [c] hæc nanque lex conſenſus quidam eſt ex eo, quòd bello ſuperata ſuperantium eſſe aiunt.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Si vna tantum cauſa efficeret ſeruos, difficilis planè foret conciliatio harũ duarũ ſententiarum, quarũ vna ait, altera negat ſeruitutem eſſe naturalem, & vtilem, & iuſtam. ſequerentur enim ſeruitutes conditionem cauſæ ſuæ: & pro ea omnino vel comites, vel aduerſariæ naturæ; vel vtiles, vel damnoſæ; vel iuſtæ, vel iniuſtæ eſſent. [a] At quoniam duæ cauſæ ſunt, in quibus apparet aliquid iuſti, natura, & lex (prætermittantur enim nunc quæcunque ad iniuriam attinent, tanquam à ſocietate, & ab ordine omni maximè aliena) vſuuenit aliquando vt ſuffragetur, aliquando vt refragetur altera alteri; &, quod molita natura eſt, lex ſubſequens vel confirmet, vel infringat. [b] Hinc poſſunt ambæ ſententiæ eſſe verę de alijs, & alijs ſeruitutibus. Nam in quibus naturę à lege quaſi ſubſcribitur, eas ſeruitutes naturales; & quia naturales, vtiles, ac iuſtas abſolutè eſſe oportet, quemadmodum in ſuperiori capite fuit declaratum. Quas verò, à natura conſtitutas, lex irritas reddit, vertitque in contrarium; illæ erunt præter naturam; & ob id nec iuſtæ, nec vtiles ſimpliciter, & per ſe: quanquam ex accidenti, & quodammodo vtiles, ac iuſtæ aliquando videbuntur; ſi ad propoſitum, non ad opus naturæ ſpectauerimus, quę eodem tempore idem faceret, quod lex facit; corrigeretque in eo ſe ipſa, in quo eam lex corrigit, quemadmodum infrà declarabitur. [a] Cæterum quom hîc ſerui, & ſeruitutes nominantur; vtrunque intelligitur, id eſt tam id, quod actu, & reipſa, quam id, quod poteſtate, aut habitu tantùm eſt eiuſmodi. Propterea cum ſeruo ſeruire, & ſeruiens ſunt copulata. Et ſanè qui eſt ſeruus poteſtate, aut habitu duntaxat; diuidi non poteſt in ſeruum naturâ, & in ſeruum lege; ſed eſt ſeruus duntaxat naturâ. Similiter & qui re ipſa, atque actu ſeruus eſt, non poteſt eſſe ſeruus naturâ tantùm: ſed vel lege tantùm, vel naturâ ſimul & lege ſeruus eſt. Omnium autem in vniuerſum, qui ſerui, dicuntur, alij ſunt, dicunturq; ſerui ex ſola natura, alij ex ſola lege, alij ex natura & lege ſimul. [b] Porrho autem ex omnibus formis legitimarum ſeruitutum, id eſt illarum, in quibus lex naturę vel coniungitur, vel aduerſatur, quæ noſtris iuriſconſultis ſunt quinque, & plures eſſe poſſunt; [c] delegit Philoſophus eam, quę oritur ex bello; in qua exemplum ſtatueret omnium, omnesque doceret quodam veluti conſecutionis modo à maiori ad minus. Hanc enim, quia iuri gentium tribuunt iuriſconſulti, eam iuſtiſſimam omnium debeat exiſtimare. Et eſt quidem lex iſta mancipiorum, qua ſancitur, bello capta victorum fieri, iuri gentium ſimilis; quia [c] non ſcripta lex eſt, ſed conſuetudo, & tacitus quidam hominum ſic putantium, moremque hunc colentium maiori ex parte conſenſus.

Vt ſe eueniat, vt hę duæ ſententiæ, quæ contrariæ videntur, poſſint eſſe ſimul veræ.

Quæ ſeruitutes naturales, vtiles, ac iuſtæ: quæ contra, præter naturam, damnoſæ, iniuſtæ.

Seruorum, & ſeruitutis, quorum hîc fit diuiſio, vocabula quid ſignificent.

Ex omnibus formis legitimarũ ſeruitutũ, quam & cur delegerit Philoſophus, in qua de omnibus doceret quod propoſitum fuit. Lex de ſeruis bello captis qualis.

Textus habet tres partes. Prima proponit ſeruire, & ſeruum dici duobus modis. Secunda hoc probat ex eo, quòd ſit etiam aliquis lege ſeruus, & ſeruiens. Tertia, qualis ſit iſta lex declarat.

Partes textus.

SCHOLIA.

Dupliciter enim dicitur ſeruire, & ſeruus. Sæpenumero natura, & lex in rebus iuſtis, iniuſtis; vtilibus, inutilibus; turpibus, honeſtis; omnino bonis, & malis contrariæ uidentur. Vnde multæ dubitationes, & quæſtiones, & controuerſiæ exiſtunt tam vulgarium hominum inter ſe, quàm inter iſtos & ſapientes, vt nos docet Plato in Gorgia, & ſub initium primi ad Nicomachum Ariſtoteles teſtigit.

Legis et naturæ repugnantia in rebus iuſtis iniuſtis, &c.

Vnde exiſtant hæ quæſtiones de ſeruitute, ſit'ne iuſta, an iniuſta &c. Seruorũ, et ſeruitutũ diuiſio plena ex cauſis efficiẽtibus, & finalibus.

git. Quod igitur de reliquis, idem etiam euenit de ſeruitute: vt in diſputationem cadat, ſit'ne iuſta, an iniuſta; vtilis, an damnoſa; naturalis, an præter naturam, ob hanc legis, naturæque repugnantiam, quæ aliquando in ſeruis conſpicitur. de qua repugnantia generaliter aliâs diximus.

Eſt enim quidam etiam lege ſeruus, & ſeruiens. Cur Philoſophus ſecundum naturalem ſeruitutem legitimę tantùm, & eius legitimæ, quę ex bello naſcitur, mentionem faciat, diximus in explanatione. Nunc ad faciliorem intelligẽtiam eorum, quæ dicta, quæque dicenda ſunt; age, diſtribuamus ſubtiliùs, quam hactenus factum ſit, ſeruitutes, ac ſeruos, qui propriè ſic nominantur, ideſt qui ad humanam referuntur dominationem, in formas ſuas ex cauſis efficientibus, & finalibus: alio deinde loco ex miniſteriis, ſubiectis, accidentibusque eoſdem diſtributuri. Serui omnino appellantur vel ex natura, ideſt ex vi, poteſtateque naturali, qua idonei, habileſque aliqui naſcuntur ad ſeruitutem; de quibus ſeruis dictum eſt in capite antecedenti: vel ex ſtatu, conditioneque; quod ſignificat eſſe iam actu, & reipſa ſeruos, atque homines aliorum. Hæc autem conditio, & hic actus aliquando cum ſimili, aliquando cum diſsimili natura, & poteſtate coniungitur: illi ſunt ſerui pariter naturâ, & conditione; iſti conditione tantùm, non naturâ. Serui rurſus actu, & conditione ſeu cum ſimili, ſeu cum diſsimili natura, & poteſtate aut ſunt ſerui ex aliquo inſtituto iure (ius inſtitutũ appello, quod alij ius poſitiuũ, alij ius legitimum, omnino quodcunq; eſt preter naturale) aut ſunt ſerui ex iniuria, ideſt ex fraude, violentia'ue iniurioſa. Sunt ſerui ex iniuria quicunq; à prædonibus clam, vel palàm, furto, latrocinio, dolo malo capti, aut decepti, in ſeruitutem adducti ſunt. vocantur enim prædones, definiente Vlpiano in l. 28. de Petitione hæreditatis, ij omnes, qui bona aliqua inuadunt, ſcientes ea ad ſe non pertinere, & cauſam vllam poſsidendi non habentes. Ex iure inſtituto quatuor ſunt genera ſeruorum. quippe inſtituti iuris aut Deus, aut homines auctores ſunt: illud diuinum, hoc humanum appellant, Quod ius humanum deinde vel omnium populorum, gentiumque commune eſt, & dicitur hac de cauſa ius gentium, conſiſtens in conſenſu, & more quodam communi: vel eſt proprium vnius alicuius gentis, populi'ue, aut etiam aliquorum ſub vno quodam imperio viuentium, quale eſt Romanorum ius, tractatum à iuriſconſultis noſtris, quo multę gentes vtuntur. Atque hoc ius proprium, quod item iuris ciuilis vocabulo nuncupatur, eſt illud, quod propriè diuiditur in ſcriptum, & non ſcriptum. Itaque aut iure diuino ſerui fiunt; aut iure gentium; aut iure ciuili ſcripto; aut iure ciuili non ſcripto. Iure diuino factus eſt ſeruus populus maior minoris populi, ideſt proles Heſau prolis Iahacobi cap. 25. Geneſeos: fortaſſe & poſteri Chami poſterorum Semi, & Iepheti cap. 9. ſerui facti ſunt, non proprio quidem domini verbo, vt ſuperiores, ſed per verbum Noæ à domino. Eſtque hæc diuina iuſtitia, vt infideles ſeruiant fidelibus. [a] Iure gentium noſtri iuriſconſulti ſeruos fieri inquiunt duobus modis: vno, ſi ex ancillis noſtris naſcantur: [b] altero, ſi capiantur ab hoſtibus, ideſt ab iis, qui bellum aliis, vel quibus alij publicè decreuerunt. Ciuili iure fiunt ſerui, vt dicebamus, vel ſcripto, vel non ſcripto, & vtroque vario pro variis ciuitatibus, nationibuſque. Scripto iure, verbi gratia noſtro, ideſt Romanorum, primùm ex venditione, & contractu, deinde ex aliquo crimine. Ex venditione, & cõtractu vel ſuiipſius, vel eorum, qui ad ſe attinent. [c] Ex cõtractu ſuiipſius qui patitur ſe venundari, aut donari, aut in dotem dari, aut pignori obligari, efficitur ſeruus; quinque adhibitis conditionibus; vna, vt ipſe ſit maior viginti annis; altera, vt ſe nouerit liberum eſſe; tertia, vt eo animo ſe venire, donari, in dotem dari, pignori obligari patiatur, vt pretium participet; quarta, vt reipſa participet pretium; quinta, vt emptor, & qui in dotem, donum, pignus'ue accipit, neſciat eum eſſe liberum. Quæ tamen conditiones non ſunt ſeruatæ in cap. 47. lactæ Geneſeos, quom populus Aegyptiorum vendidit ſe Pharaoni. [d] Ex contractu eorum, qui ad ſe attinent præter ſeruos, nam horum contractus ſicuti aliarum rerum eſt iuris gentium, filios vendere patribus licebat iure antiquo Romano, quod anteceſ-

ſit ius

Marginal notes (left): *Serui ex natura tantùm.* — *Serui ex natura et cõditiõe.* — *Serui ex cõditione tantùm.* — *Seruorũ ex cõditiõe ſiue cõiũcta ſiue ſeparata à natura geſta ſũma.* — *Ius inſtitutũ quid.* — *Serui ex iniuria, & eorum modi.* — *Prædones qui.* — *Seruorum ex iure inſtituto genera.* — *Iuris inſtituti diuiſio.* — *Serui ex iure diuino.* — *Serui ex iure gentiũ et eorũ modi.* — *Nati ex ancillis.* — *Capti ex hoſtibus.* — *Serui ex ciuili iure, & eorum genera.* — *Serui ex ciuili iure ſcripto et eorum modi.* — *Serui ex contractu.* — *Suiipſius.* — *Suorum, qui nõ ſint ſerui.*

Marginal notes (right): *In ſcholijs text. 69.* — a *Martianus de ſtatu hominũ l. 5. & Inſtit. de Iure perſonarum.* — b *Martianus. & Inſtit. vbi ſuprà Vlpianus de Captiuis l. 24 et alij.* — c *Lib. 40. ff. 18. 12. & 13.* — d *C de Patrib. qui filios ſ. os diſtraxerunt, l. 1 & 2 et de Liberali cauſa l 1. & 37.*

ſit ius duodecim tabularum: poſtea tamen non licuit, niſi propter nimiam paupertatem, egeſtatemque victus cauſâ id facerent. Et illud idem Hebræis ſuo iure fuiſſe conceſſum, colligitur ex cap. 21. Exodi, cap. 25. Leuitici, & cap. 15. Deutor. [a] Ex crimine omnes, quicunque in metallum, & in opus ſeu miniſterium metallorum, ſalinas, gypſum, & huiuſmodi alia, atque in venatorium ludum perpetuo damnati, ſerui pœnæ fieri dicebantur, amittebant libertatem antiquo iure: quod ius corrigitur à Iuſtiniano [b] in Nouellis conſtitutionibus. [c] Inter eos autem, qui in metallum, & eos, qui in opus metalli damnabantur, differentia, docente Vlpiano, in vinculis tantùm fuit: quòd qui damnabantur in metallum, grauioribus premebantur vinculis; qui in opus metalli, leuioribus; ideoque refugæ ex opere metalli in metallum transferebantur; ex metallo grauius coercebantur. [d] Ex crimine item libera mulier, ſi ſeruo nupſiſſet, ſenatuſconſulto Claudiano ſerua efficiebatur: quod ſenatuſconſultum etiam tollitur iure nouo. [e] Et libertus, ſi aduerſus patronum ingratus fuerit, ex libertate relabitur in ſeruitutem: quod fuit ius Athenienſium, [f] vt tradunt Valerius Maximus, & Alexander ab Alexandro. Tandem non ſcripto iure ciuili, idest conſuetudine, & more alicuius populi, gentis'ue peculiari variis de cauſis ſeruitus conſtituitur. Verbi gratia apud nos aliis alij pacta mercede menſtrua, annua'ue ad tempus ſeruiunt: & apud Aethiopas, Indoſque aliquos legimus in hiſtoriis nauigationum Hiſpanicarum hunc morem fuiſſe, vt parentes filios in perpetuam darent ſeruitutem vel ad habendum ipſi pretium, vel vt illi felicius alibi, quàm in patria viuerent. Omnes igitur cauſæ efficientes ſeruitutis, ſi ad capita reuocentur, proximæ quidem ſunt numero ſeptem; vna poteſtatis, & habilitatis, idest vt idonei ſint quidam ad ſeruitutem; reliquæ actus, hoc eſt vt reipſa ſint ſerui. illa eſt natura vniuſcuiuſque propria, ac ſua: hæ ſunt ius diuinum, ius gentium, ius ciuile ſcriptum, ius ciuile non ſcriptum, violentia iniurioſa, fraus iniurioſa. Quarum cauſarum vnaquæque multos fontes, multaſque partes haber, & plures etiam habere poteſt. Cauſæ autem, quæ iſtas antecedunt, in ſex genera rediguntur: nempe in crimen proprium; in cupiditatem, & vitium alienum; in contractum, qui naſcitur ex indigentia; in bellum; in captiuitatem: quæ captiuitas eſt duplex: nam capi potuerunt vel illi ipſi, qui ſeruiunt; vel parentes eorum. Et cauſæ finales ſummæ duæ ſunt: vna eſt commoditas: altera eſt ſupplicium, vt vel ipſi dent pœnas, vel aliis ſint exemplo. Sed de his ſatis.

a. Vlpian⁹ de Pœnis l. 8. & Martiã. eod. ti. l. 17. Hermog. eod. ti. l. 36.
b. Nouellę cõſtitutiones ſeu Authẽtica de Nuptijs §. Quòd autem.
c. Vlpianus de Pœnis l. 8.
d. C. de Senatuſconſulto Claud. l. 1. & de Cauſa liberali l. 34. & Inſtit. de ſucceſſionibus ſublatis §. fin.
e. Modeſtinus de Libertis agnoſcendis l 6. Martianus de Iure patronatus l 5 C de Libertis et eorũ liberis l. 2.
f. Valeri⁹ Maximus lib. ij. cap. 6 Alexãdro ab Alexãdro Genialiũ dierum lib. iij cap. 20.

Serui ex crimine, & eorum modi.
Serui pœna.
Differẽtia eorũ, qui in metallum, et qui in op⁹ metalli damnabãtur.
Mulier, quæ ſeruo nupſiſſet.
Libertus ingratus.
Seruus ex ciuili iure, non ſcripto.
Efficientiũ ſeruitutis cauſarũ ciuium tùm proximarũ tũ antecedẽtium ſumma capita.
Cauſa finales ſeruitutis ſumma.

Textus LIX. LX. LXI.

Conſtitutio controuerſiæ, & expoſitio trium in ea opinionum cum ſuis cuiuſque principijs, rationibusq́, vtrum ſeruitus legitima ex bello ſit, an non ſit iuſta, & quomodo. Ad cuius exemplum de alijs quoque omnibus, quibus reipſa homines ſeruiunt, ſtatuendum erit.

ARGVMENTVM. TEXT: LIX.

Duæ opiniones contrariæ in hac controuerſia, quarum vtraque multos non ſolùm è vulgo, ſed etiam è ſapientibus aſſertores habet: vna accuſantium legem, iuſque ſeruitutis ex bello, tanquam omnino iniquum; altetera laudantium, tanquam omnino æquum: & quánam in re propriè accuſent, & laudent; nempe quòd in radice, illis graue exiſtimantibus; his decens, & minime graue, ſi parens, ſeruumq́ue fiat id, cui illata eſt vis, ei, quod inferre poteſt, præſtatq́ue poteſtate.

Text. lix. [a] Τοῦτο * δὲ τὸ δίκαιον πολλοὶ τῶν ἐν τοῖς νόμοις, ὥσπερ ῥήτορα, γράφονται παρανόμων: [b] ὡς δεινὸν, εἰ τοῦ βιάσασθαι δυναμένου καὶ κατὰ δύναμιν κρείττονος ἔσται, δοῦλον καὶ ἀρχόμενον τὸ βιασθέν. [c] καὶ τοῖς μὲν οὕτω δοκεῖ· τοῖς δ' ἐκείνως, καὶ τῶν σοφῶν.

* *Sic legitur in Ald. et Baſil. In Victor. Aretin & alijs legitur δή.*

[a] Hoc itaque ius multi legum profeſſores, tanquam oratorem, accuſant promulgationis legibus contrariç: [b] quaſi graue ſit, ſi eius, quod vim inferre potuit, & ſuperius eſt poteſtate, ſeruum fuerit, & imperio ſubiectum quod vim eſt paſſum. [c] & his quidem hoc modo videtur; his verò illo, etiam ſapientum.

E X P L A N A T I O.

Partes textus. Tres ſunt partes huius textus. Prima (a) proponit opinionem accuſantium, vt iniuſtam, legem ſeruitutis ex bello. Secunda (b) tradit firmamentum, & id, in quo propriè eam accuſant. In tertia (c) eſt conflictio ambarum opinionum.

S C H O L I A.

Quibus reprehenſorũ fides maior adhibeatur. *Multi legum profeſſores.* Maior fides adhiberi ſolet iis qui ſua, quàm iis, qui aliena reprehendunt; præſertim ſi eius rei, quæ in diſputationem cadit, periti vſu, & ratione, profeſſoresque fuerint.

Accuſatio promulgatiõis cõtra leges quæ, & cur propriè de oratoribus. *Tanquam oratorem accuſant promulgationis legibus contrariæ.* Accuſant, inquit, eiuſdem criminis, & quaſi in iudicium vocant hoc ius ſeruitutis ex bello, cuius oratores ſæpe in Athenienſium ciuitate agebantur rei, ideſt promulgationis,

&roga-

& rogationis contra leges. hoc enim ſignificat vox τὰ παράνομα. Agebantur autem rei huius criminis vel ſoli, vel maximè oratores in republica Athenienſi: propterea quòd in ea ſummam poteſtatem ipſi habebant, eamq́ue penè ſoli adminiſtrabant. itaque etiam ſoli plebiſcita, & rogationes, quæ patriis legibus repugnarent, ferre audebant, & poterant; ferentesq́ue ab aliis in ius vocabantur, vt hîc annotat P. Victorius, liquetq́ue ex duabus illis luculentis orationibus Aeſchinis, & Demoſthenis, in Cteſiphontem, & pro Cteſiphonte. Budæus γράφεσθαι παρανόμων, inquit, ὅτι κατηγορεῖν τοῦ παράνομα γράφοντος, eſt accuſare eum, qui aliquid promulgat contra legum interdicta.

Quaſi ſit graue &c. Cauſam, & rationem legis ſtatuentis ſeruos fieri victorum illos, qui bello capiuntur, hanc putarunt eſſe antiqui, quæ in hoc, & in ſequenti textu exponitur: nimirum aptum, & conueniens, & omnino iuſtum eſſe naturâ, vt quod præſtat poteſtate, & ſuperius eſt, vim inferat, ſibiq́ue ſubijciat imbecilliores, ijsque dominetur imbecillioribus. quam ſententiam examinat Plato in Gorgia, & in primo de Republica defendentibus eam Callicle, & Thraſymacho, Socrateq́ue refellente. Noſtri ſeculi philoſophi, & iuriſconſulti iuſtitiam huius ſeruitutis, legisque alij ad iuſtitiam belli reuocant; alij ad iuſtitiam ſupplicij, quod mitius videatur; alij ad publicam vtilitatem, in qua maximè reſideat iuſtitia; alij ad alias cauſas: de quibus poſtea. Firmamētum autem accuſantium aduerſus illam rationem antiquorum eſt hoc: grauiſsimum eſſe, & minimè ferendum, bonis contrarium moribus, naturæ repugnans, ſi infirmiores, quia minus aliquando poſsint, licet prudentiores, licet meliores, vi ſubiiciantur imperio potentiorum, ſeruique eorum fiant.

Rationes iuſtitia & iniuſtitia legis de ſeruis ex bello. Ratio antiqua iuſtitiæ. Rationes nouæ iuſtitiæ. Ratio iniuſtitiæ.

Graue. Ergo iniuſtum, & minimè æquum. nam iuſtum eſt æquum, & minimè graue.

Vocabulorum quorundam conſyderatio.

Quod potuit vim inferre, & ſuperius eſt poteſtate. Hæc duo aut accipe ἐκ παραλλήλου, aut diſtingue tēporibus: quaſi nō ſolùm vim inferre potuerit, ſed maneat in eadem excellentia poteſtatis. Addidit autem Philoſophus ad τὸ κρεῖττον, hoc eſt ad id, quod ſuperius eſt, vocem, κατὰ δύναμιν, ideſt poteſtate, vt intelligeremus quaénam re ſuperius diceretur id, de quo eſt controuerſia, conueniat'ne, an non conueniat ipſum dominari inferiori: nec his contentus adiunxit τὸ βιάσασθαι δυνάμενον, id, quod vim inferre potuit. Etenim quom ſimpliciter quæritur, vtrum τὸ κρεῖττον, id, quod ſuperius eſt, par ſit dominari: nulla adhuc eſt diſcordia. nam etiam qui dicunt graue eſſe, ſi vim inferentis ſeruus fiat ille, cui vis eſt illata, concedunt quod ſuperius, præſtantiusq́ue eſt dominari oportere; ſed hi ſuperius inquiunt vera virtute, quæ fuit ſententia Platonis, Ariſtotelis, & omnium rectè philoſophantium; alteri de opibus & rebus externis, de viribus corporis, de aſtutia loquuntur, quibus quicunque alios ſuperare poſſunt, iis vt imperent quoque, æquum cenſent. Quamobrem Socrates in Gorgia Calliclem refellens, hæc omnia vocabula colligit, ac inter ſe comparat; κρεῖττον, βέλτιον, ἰσχυρότερον, ἄμεινον, ἀνδρειότερον, ideſt ſuperius, ſiue præſtantius, melius, robuſtius, potius, fortius, & ſimilia: vt tandem ſummam quæſtionis ſtatuat, omnemq́ue tollat ambiguitatem, qua ille orationem ſuam obſcurauerat. de quorum vocabulorum vi etiam agitur in primo de Legibus.

ARGVMENTVM. TEXT. LX.

Cauſa, & origo prima huius controuerſiæ, opinionumque expoſitarum, duabus comprehenſa propoſitionibus: quarum vna, de affinitate violentiæ, & virtutis, exprimitur, probaturque tum à coniugatis, quia virtus vim inferre maximè poſſit; tum ex genere, quia quicquid vincit, ſuperet aliquo bono: altera ſubindicatur, & ſumitur tanquam nota; quoniam præſtabilius virtute imperare debeat. Atque ab hac cauſa deriuata propria principia vtriuſque opinionis; damnantis quidem legem, quoniam dominatio, & imperium iuſtum beneuolentia nitatur; approbantis autem, quoniam ſuperiorem dominari ſit iuſtum. Additur quæri tantùm de iuſto, non de eo, quod oportet: & ratio affertur ab infirmitate rationum, quæſtionumque huius modi, & robore aliarum, quæ ſunt illius, ſi vtræque ſeorſum ab alteris inducantur.

Text. lx. [a] Αἴτιον δὲ ταύτης τῆς ἀμφισβητήσεως, [b] καὶ ὃ ποιεῖ τοὺς λόγους ἐπαλλάττειν, [c] ὅτι τρόπον τινὰ ἀρετὴ, τυγχάνουσα χορηγίας, [d] καὶ βιάζεσθαι δύναται μάλιστα· [e] καὶ ἔστιν ἀεὶ τὸ κρατοῦν ἐν ὑπεροχῇ ἀγαθοῦ τινός: [f] ὥστε δοκεῖν μὴ ἄνευ ἀρετῆς εἶναι τὴν βίαν: [g] ἀλλὰ περὶ τοῦ δικαίου μόνον εἶναι τὴν ἀμφισβήτησιν· [h] διὰ γὰρ τοῦτο [i] τοῖς μὲν εὔνοια δοκεῖ τὸ δίκαιον εἶναι· [k] τοῖς δ' αὐτὸ τοῦτο δίκαιον, τὸ τὸν κρείττονα ἄρχειν: [l] ἐπεὶ διαστάντων γε, χωρὶς τούτων τῶν λόγων, οὔτ' ἰσχυρὸν οὐδὲν ἔχουσιν, οὔτε πιθανὸν ἅτεροι λόγοι, [m] ὡς οὐ δεῖ τὸ βέλτιον κατ' ἀρετὴν ἄρχειν, καὶ δεσπόζειν.

[a] Cauſa autem huius controuerſiæ, [b] & quod facit rationes variari, eſt, [c] quòd virtus, cui ſuppetunt, quę requiruntur, modo quodam, [d] etiam vim afferre maximè poteſt; [e] & eſt ſemper quod ſuperat in exuperatione alicuius boni: [f] vt videatur non ſine virtute violentia eſſe: [g] ſed de iuſto tantùm eſſe controuerſiam; [h] ob hoc enim [i] his quidem beneuolentia videtur eſſe iuſtum; [k] his autem hoc ipſum iuſtum eſſe, imperare potiorem: [l] quoniam diſſidentium, ſeorſum ab his rationibus, nec robuſtum quicquam habent, nec appoſitum ad perſuadendum aliæ rationes, quòd [m] non oportet melius virtute imperare, ac dominari.

EXPLANATIO.

Series et argumentum huius textus. [a] Proposita eſt proximo in textu controuerſia de lege ſeruitutis ex bello, quam legem alij vt iuſtam laudant, alij reprehendũt vt iniuſtam; & de re, in qua eam laudant, ac reprehendunt; aientibus his; illis negantibus graue, & iniquum eſſe, ſi, cui vis affertur, id, ſeruum fiat, ſubiectumq; imperio illius, quod vim affert, antecellitq; poteſtate. [a] Eius controuerſiæ, [b] & ſententiarum, rationumque oppoſitarum, cauſa nunc eſt aperienda. [c] Continetur hæc cauſa duabus propoſitionibus, de quibus omnes quodammodo conſentiunt. Harum propoſitionum vna expreſsè ponitur à Philo-

a. *a. autē huius controuerſia.* *a.* *b.* *c. & iij.*

f. Philoſopho noſtro: altera ſubindicatur. ^f Prima eſt huiuſmodi: violentia, & coactus ſine virtute eſſe prorſus non poteſt. Et confirmatur hæc propoſitio bifariam. ^c Primò ſic: Virtus, cui ſuppetunt ea, quæ requiruntur, inſtructa copijs, & quaſi inſtrumentis rerum agendarum, aliquo modo etiam ad vim inferendam maximè valet. Ergo per locum à coniugatis violentia non videtur eſſe prorſus ſine virtute; ſi id, quod valet maximè ad inferendam vim, eſt virtus inſtructa copijs, & adiumentis rerum gerendarum. Secundo ſic: ^e Quicquid vincit, & edomat aliud; exuberat ſanè, ac præualet aliquo bono: bonum autem, & virtus aut nihil, aut parum diſtare inter ſe videntur, ex P. ad Nicomachum, & quia vtroque, tam virtute, quàm bono dicitur perfici ſubiectum, & opus ſubiecti ſui: ergo quod vim inferre valet, ſuperiuſq; eſt poteſtate, per locum à genere, nam hoc vincere edomareq; aliud poteſt, exuberat aliquo bono, ac tandem virtute: ergo violentia non videtur eſſe ſine virtute. ^f Altera propoſitio, quę ſubindicatur, eſt talis: Quod præſtat virtute, imperare, ac dominari debet ei, cui præſtat. Atque hæc quidem propoſitio, præterquam quòd per ſe nota eſt, etiam declarabitur in iij. horum librorum. ^h Ab hoc fonte bifido, quoniam nec violentia videatur eſſe ſine virtutē; &, quod pręſtat virtute, debeat dominari; fluxerunt contrariæ ſententiæ de lege ſeruitutis ex bello, vtrum ſit iuſta; hoc eſt vtrum iuſtum ſit, & conueniens, an contra graue, & iniuſtum, fieri ſeruum id, quod vim pertulit, eius, quod potuit vim inferre, & ſuperius eſt illo poteſtate. ^g Nam de iuſto tantùm eſt dubitatio, & controuerſia, non de eo, quod fit, poteſt'ue, aut neceſſe eſt fieri: quæritur, inquam, non vtrum reipſa dominetur, poſſit'ue, aut neceſſarium ſit dominari in illud, cui illata eſt uis, iſtud, quod vim potuit inferre, eſtq; altero ſuperius poteſtate; ſed vtrum ſic fieri ſit iuſtum, & conueniens, an iniuſtum, & graue. ^i Quicunque igitur graue eſſe aiunt, opponunt ei, iuſtum imperium, dominationemq; eſſe non poſſe, quæ beneuolentia, & amore vtriuſque erga alterū non nitatur. ^h Hoc autem deducitur ex proximè poſitis ad hunc modum. ^i Decet, & iuſtum eſt imperare, ac dominari id ſolùm, quod præſtat virtute, vt dicebat ſecunda popoſitio: ſed virtutem comitatur vtrinque beneuolentia; quippe virtus & beneuola, & benefica eſt, nec quicquam odit, niſi vitia, & peccata; tum hominem virtute præditum vniuerſi non ſolum amant, ſed in oculis ferunt; atque eâdem beneuolentia remunerantur: ergo ſine mutua beneuolentia imperium, ac dominatio, ſeruituſq; iuſta eſſe non poſſunt. Locus eſt ab adiunctis. Et accedit per locum à fine, quòd quicquid iuſtum eſt, prodeſt, & vtilitatem affert omnibus, ad quos dicitur iuſtum, vt ſæpe Plato, & Ariſtoteles declararunt: ſequitur autem beneuolentia neceſſariò vtilitatem; quaſcunque enim res prodeſſe ſibi homines vident, eas, vrgente natura, amore proſequuntur, ac charas habent: ergo quicquid eſt iuſtum, comitem beneuolentiam habeat oportet. Quod etiam confirmat Platonis auctoritas, declarantis ſub exitum P. de Republica, naſci ex iniuſtitia inimicitias, & contentiones; ex iuſtitia concordiam, & amicitiam. Sit itaque poſitum, & conſtitutum, quod probatum eſt his rationibus, dominationem, ſeruitutemque, ac tandem imperium iuſtum non eſſe ſine beneuolentia: itemq; illud, quod ſumebatur in ſecunda ratione tanquam manifeſtum; iuſtam dominationem, ác ſeruitutē prodeſſe tam domino, quàm ſeruo. Sed neutrum iſtorum, nec beneuolentia, inquam, nec vtilitas violа-

Left margin: e. d. — e. — P. ad Nicom. cap. 7. — f. h. m. — In iij. lib. cap. 7. & ſequent. h. & g. — i. — h. — i.

Prior duarum propoſitionum quibus continetur cauſa huius controuerſię. Violentiā non eſſe ſine virtute.

Poſterior duarū ꝓpoſitionū quib. continetur cauſa huius controuerſia. Quod virtute præſtat, debere imperare, dominariq; ei, cui præſtat. Sētētia contraria ab his duabus propoſitionib. manātes, vtrū iuſtū ſit, necne dominari qđ vim inferre, ac cogere poteſt. De quo ꝓpriè quæratur, aut non quæratur. P ſententia negantis id eſſe iuſtū & legē, ſeruituteq; ex bello tanquā iniuſtā damnatis rationes. Imperiū, dominationémq; iuſtā mutua niti beneuolētia. Virtutē comitatur beneuolentia.

Vtilitatē ſequitur beneuolentia.

Violatio, & coactus repugnat beneuolētia neq; vtilitate.

violationem, coactum'ue per ſe admittit: hic enim cernitur in contrarijs; beneuolentia, & vtilitas in ſimilibus: & violentum præter naturam; vtile, & beneuolum ſunt ſecundum naturam. Sequitur igitur non eſſe iuſtam dominationem, ſeruitutem'ue, aut omnino imperium; ſi, quod vim fecit, imperet, ac dominetur; cui facta eſt, pareat, ac ſeruiat. At violentia non eſt prorſus ſine virtute per propoſitionem primam. Conceditur. Verùm alius generis virtus fortaſſe eſt, quam non ſequitur beneuolentia: nec ſtatim oportet iuſtum eſſe, quicquid eſt, ad quod adiungitur aliqua virtutis ſpecies. Et quanquam hanc ſpeciem virtutis cæteroqui beneuolentia ſequeretur: haudquaquam tamen ſequi violentiam, & coactum poteſt: qui coactus inuito adhibetur, ideſt contra naturam, & voluntatem, ponitur'q; cauſa dominationis. Hoc modo vrgent, qui legem damnant, & ſeruitutem ex bello tanquam iniuſtam. [h] Alij, qui eas laudant, & iuſtas eſſe volunt, hoc ipſum eſſe iuſtum dicunt, vt qui ſuperior eſt poteſtate, & violentia, imperet, dominetur'q; ijs, quorum eſt ſuperior. [h] Atque hoc deriuant ab eodem fonte duarum illarũ propoſitionum. Violentia, inquiunt, non eſt ſine virtute: quod præſtat virtute, iuſtum, & conueniens eſt imperare ac dominari ei, cui præſtat: ergo illum, qui præſtat, & ſuperior eſt poteſtate, & violentia, iuſtum, conueniens'q; eſt imperare, ac dominari ijs, quibus præſtat, & eſt ſuperior. [g] Sunt quidem iſtæ rationes, atque iſta quæſtio de iuſta ſeruitute, dominatione'q; vel ſolùm, vt dicebamus, vel maximè omnium expendendæ. Etenim ſi ipſis ſeparatis, ac ſeorſum poſitis, quę de iuſto loquuntur; diffideant aliqui de eo, quod oportet, aut non oportet, ideſt de eo, quod fit, fieri ue poſſibile, aut neceſſe eſt, ſine vllo iuſtitiæ, vel iniuſtitiæ reſpectu: rationes aliæ diffidentium, quibus oſtenderetur non oportere id, quod melius eſt, veraque ſuperat virtute, imperare, ac dominari; ſimiliter'que, & multo euidentiùs, quia in his perpetua eſſet petitio principij, quibus oportere oſtenderetur; nihil habebunt firmitatis, nihil quod probabile ſit, aut appoſitum ad perſuadendum. Porrho autem in hoc textu alienas ſententias de re propoſita, & quæ magis diſtant à veritate, cum earum fundamẽtis, & cauſis exponit Philoſophus. Quamobrem ex diſputatione potius, quàm ex doctrina accipienda ſunt, quæ dicuntur. Sed hæc præcipue animaduertes. Vocabulum virtutis, vt omnes conſentiunt, liquet'q; potiſſimum ex P. libro ad Nicomachũ, aliquando ſumitur communiter, & ſignificat bonum, perfectionem'q; inſitam, aut comparatam cuiuſuis rei, etiam anima carentis; ex qua perfectione illa res ad opus aliquod probè efficiendum redditur idonea: vnde vocamus etiam hanc perfectionem, & virtutem vim, ac facultatem agendi. Aliquando ſumitur propriè pro virtute, quam humanam appellant. Hæc autem non corporis, ſed animæ virtus eſt, & animæ quidem rationis compotis. Tum pro duabus huius animæ partibus duorum eſt generum: quorum vnum morum; alterum intelligentiæ nuncupatur: gignitur'que vtrunque non natura; ſed illud ex more, & conſuetudine, hoc ex doctrina. In prima duarum propoſitionum, cauſam controuerſiæ efficientium, vt vera ſit propoſitio, neceſſe eſt ſumi virtutem primo modo, hoc eſt fusè, & communiter. Nam certè excellentiâ alicuius boni, & facultate agendi præualeat oportet id, quod vim eſt illaturum. vera autem virtus, quanuis cogit interdum, & violenta eſt, nempe in malis: tamen per ſe violentiæ aduerſatur. Eodem modo accipitur euidenter hoc vocabulum in ſecunda

probatio-

Reſp. pro hac p. ſententia ad priorem propoſitionem.

Secunda ſententia aientis illud eſſe iuſtũ, laudãtisq; vt iuſtã legem, & ſeruitutem ex bello rationes.

De quo propriè quæratur, aut non quæratur, & cur.

Quomodo accipienda ſint, quæ in hoc textu dicuntur.

Vocabuli virtutis ſignificationes.

Propoſitionis prioris, violentia nõ eſt ſine virtute, vera intelligentia.

h. *h.* *g. l. m.*

In p. ad Nicõ. potiſſimũ cap. 7. & 13.

probatione eiuſdem propoſitionis primæ. At in prima probatione veram virtutem ſignificat: hæc nanque eſt, quæ inſtructa copijs maximè omnium poſſet vim adhibere, & cogere. Significat item veram virtutem in altera propoſitione principali: quod indicauit Philoſophus in vltima parte textus, dicens melius virtute, βέλτιον κατ' ἀρετήν. Iſtud enim nomen melius, & græcè βέλτιον, iunctum cum virtute mirum ſi aliam retineat ſignificationem. Et ſanè imperare debet non quod qualibet, ſed quod vera virtute cæteris præſtat, quemadmodum in lib. iij. docebimur, conſentiuntq; Plato, & alij, vt ſupra annotaui. Ex homonymia igitur huius vocabuli ſophiſmata nectunt, qui legem laudant, conficientes iuſtum eſſe, vt vis dominetur. Sed adhuc in prima probatione propoſitionis primæ eſt ſophiſma κατὰ τὸ ἁπλῶς, καὶ μὴ ἁπλῶς, ex eo, quod eſt ſimpliciter vel non ſimpliciter. Non enim, ſi poteſt virtus vera iuſtructa copijs maximè vim alijs afferre; ideo ſimpliciter etiã maximè vim affert. ad poteſtatem enim accedat voluntas, & impetus neceſſe eſt, vt opus ſequatur: & omnino qui præditus eſt aliqua virtute, præſertim intelligentiæ, niſi inſtrumentis deſtituatur, ſemper maximè poſſet tam benè agere, quàm malè, vt colligitur ex Hippia minori Platonis; hoc tamen refugit, illud amplectitur perpetuò. Aſſumptum eorum, qui legem damnant, nempe iuſtum imperium niti neceſſariò beneuolentia; hanc exceptionem habet: niſi praui fuerint, quibus imperatur: de qua re Plato in libro de Regno. Ergo, & in vtraque probatione illius aſſumpti eodem modo excipiendum eſt: Hominem virtute inſignem omnes amant niſi mali, qui virtutem oderunt: Res ſibi vtiles, quas nouit, diligit vnuſquiſque, & charas habet, niſi ab improbitate perſuaſus fuerit, eas aliquando nocituras, aut cupiditatibus ſuis futuras impedimento.

Expoſitio iniuſdæ enunciationis ſuperioris, quæ vincit ac edomat aliud, exhuberat aliqua virtute.

Expoſitio alterius enunciationis ſuperioris: virtus inſtructa copijs maximè omnium poteſt vim adhibere.

Propoſitionis poſterioris, id, quod præſtat, imperare ac dominari debet ei, cui præſtat, vera intelligentia.

In Scholijs textus antecedentis.

Sophiſmata rationum ſuperiorum, quibus illa lex laudabatur.

Opus nõ efficitur, niſi ad poteſtatem accedat voluntas, & impetus.

Virtute ſola, præſertim intelligentia, vtrũq; maximè poteſt, id eſt benè & malè agere.

Partes textus.

Textus habet ſeptem partes. Prima (a b c d) cõtinet probationem primam primæ propoſitionis earum duarum, quæ cauſam controuerſię efficiunt. Secunda (e) ſecundam. Tertia (f) ipſam primam propoſitionem, cum qua propoſitione prima ex alijs, quæ dicuntur, & præſertim nouiſſimis verbis textus, ſubauditur ſecunda propoſitio. Quarta (g) admonet controuerſiam ad iuſtum ſpectare. Quinta (h i) deriuat à cauſa communi controuerſiæ proprium principium opinionis legem damnantis. Sexta (k) ab eadem cauſa communi deriuat item proprium principium, & decretum alterius opinionis tuentis legem. Septima (l m) cauſam aperit, cur de iuſto ſit controuerſia, non de eo, quod oportet, ideſt non de eo, quod fit, fieriue poteſt, aut neceſſe eſt fieri.

Correctio enunciatorũ, et rationũ ſuperiorũ, quibus lex laudabatur.

Iuſtum imperiũ niti beneuolentia quomodo.

S C H O L I A.

Cauſa autem huius controuerſiæ &c. Omnis dubitatio, & quæſtio, & controuerſia (horum enim trium vocabulorum ad extremum eadem vis eſt) duabus contrarijs propoſitionibus continetur: quas propoſitiones, decreta, & ſententias, & opiniones appellare poſſumus. Atque huiuſmodi quidem ſeu propoſitionum, ſeu opinionum, & ſententiarum vtraque ſuas quaſdam rationes, ac fundamenta habet neceſſario, quibus ſuſtinetur, à rationibus alterius omnino diuerſas, ſicut inter ſe diuerſæ ſunt ipſæ ſententiæ. Hæ vero rationes diuerſæ inter ſe, & aliquando contrariæ, ex quibus contrariæ ſententiæ conficiuntur, interdum ab eodem, & communi fonte manant; vt in hac controuerſia de iuſtitia ſeruitutis ex bello vtræque ducuntur ab ea potiſsimum propoſitione, quod præſtantiores virtute debeant dominari. interdum manant à fontibus, &

Controuerſia cuiuſuis cupiditas, fundamenta, origo.

cauſis diuerſis; hocq; accidit crebriùs. Hæc ſunt igitur quę dicit Pholoſophus *cauſa huius controuerſiæ, & quod facit, vt varient rationes*. Pręter duas tamen contrarias ſententias, efficientes controuerſiam, exiſtunt nonnunquam aliæ quædam mediæ, quarum rationes itidem proficiſcuntur vel ab eadem cauſa, vel à diuerſis. Et huius rei exemplum habemus in hac eadem controuerſia, de qua loquimur, cuius tertia ſententia mox explicabitur.

Syntaxis verborum.

Modo quodam. Alij vocem iſtam referunt ad proxima verba; *cui ſuppetunt ea, quæ requiruntur*: alij ad ſequentia; *etiam vim afferre maximè poteſt*. Vtro modo expoſueris, haud multum refert. Et vtrôque etiã referre poteſt: vt intelligamus, cui quodãmodo ſuppetunt quæ requiruntur; & quodammodo vim inferre maximè poteſt.

Expoſitio verborum.

His quidem beneuolentia eſſe iuſtum &c. Nemo diceret iuſtitiam, & beneuolentiam idem eſſe. Proinde exponendum eſt hoc, vt fecimus: iuſtam dominationem, imperiumque niti beneuolentia.

Duæ ſententiæ huius controuerſiæ.

His autem hoc ipſum eſſe iuſtum &c. Hæc fuit multorum etiam ſapientiæ nomine illuſtrium, vt Pindari, Calliclis, Thraſimachi ſententia, explicata multis in locis à Platone, preſertim in Gorgia, & in primo de Republica. Superior autem eſt finitima Socratis ſententiæ.

Expoſitio verborum.

Quoniam diſſidentium &c. Nec alij quidquam afferunt, quo hæc pars illuſtrari vllo modo poſsit: nec mea expoſitio, vt ingenuè dicam, vſquequaque mihi ſatisfacit. Iungo iſthæc verba cum ſuperioribus quartæ partis, quibus monebãmur eſſe de iuſto cõtrouerſiam: quaſi tradat hîc Philoſophus rationem, & cauſam, cur de iuſto quæratur, non de eo, quod oportet, vt declaraui. Qui meliora excogitauerit, palmam ferat.

Diſſidentium. Sic verto διαςάντων in ſecundo caſu, referoque ad ſuperiora τοῖς μὲν, τοῖς δὲ. Alij coniungunt cum ſequẽtibus τούτων τῶν λόγων, reddentes latinè in caſu ſexto, & interpretãtes ſatis durè, & impropriè aduerbiũ χωρὶς, inter ſe.

Quæſtiones aliæ infinitæ aliæ definitæ. & quæ, ac quibus rebus cõgruentes vtraque.

Quòd non oportet Quom aliquid quęritur de aliquo, aut infinitè quæritur, aut definitè. Infinitè quæritur, quom quæritur ſimpliciter, & ſine modo, aut adiunctione vlla prædicatum de ſubiecto, exempli cauſa vtrum præſtans virtute dominetur. Suntque infinitæ iſtæ quæſtiones propriæ rerum æternarum, quæ nunquam variantur, nec modum mutant. Conueniunt etiam in nõ æternas; ſi more æternarum, ideſt ſecundum ſuas proprias naturas, & eſſentias conſyderentur. Quæritur definitè; quando ex modo, & adiunctione aliqua quæritur.

Modi quæſt. ex quib. illa definita. ac modales nominãtur, quot, & qui, & quibus quiſque rebus accõmodatus.

Modi autem, & adiunctiones ſunt genere quatuor, ſpecie multo plures: quod eſſe, fieri'ue dicitur; quod poteſt eſſe; quod neceſſe eſt eſſe; quod iuſtum eſt eſſe, cum ſua cuiuſque negatione: vt in exemplo propoſito, vtrum præſtans virtute reipſa dominetur: vtrum dominari poſsit: vtrum ipſum dominari neceſſe ſit: vtrum ipſum dominari ſit iuſtum. Horum quatuor modorum duo primi ad res naturales magis pertinent; tertius ad eas, & ad diuinas; quartus, quem hîc iuſtum, & conueniens appellamus, ad ciuiles. Quom dico iuſtum, & conueniens, intelligo ſimul vtile, iucundum, honeſtum, optabile, eligendũ, bonum, ac cætera eiuſdem formæ, voluntatem noſtram afficientia: hæc enim, ſi verè ſint talia, qualia nominantur, diſiungi nequaquam poſſunt: ſed iuſti vocabulum omnium accommodatiſsimum eſt ad res ciuiles.

Duorũ modorũ, qui dicũt Neceſſe eſt, & Iuſtum eſt, ſimilitudo.

Modus, Iuſtũ eſt an prætermiſſus ab Ariſtotele ĩ libris dialecticis.

Modi, Iuſtum eſt, eſt propriè hæc controuerſia, alij tres indicantur verbo oportet.

Quam autem in naturali propoſitione vim habet ille modus, qui dicitur neceſſe eſt; eandem hic, quem vocamus iuſtum eſt, habet, aut ſaltem habere debet in ciuili. Siquidem ſtatim, ac iuſtum, honeſtum'ue eſſe aliquid apparet, faciendum eſt ſine vlla hæſitatione ex ciuilibus principiis. Ob hanc cauſam Ariſtoteles in libris Priorum reſolutoriorum, & de interpretatione prætermiſit hunc quartum modum, explicato altero, ad quem hic reuocatur. Tamen in iij. Topico addidit, recenſuitque ſeparatim meliorum, & optabiliorum rerum locos, qui huic modo propriè deſeruiũt. Sed hæc in illis libris copioſè. Iſtorũ igitur quatuor modorũ quum quarti eſſe hanc controuerſiam Philoſophus dixiſſet; fortaſſe indicat alios tres verbo, *oportet*, nanque & quod reipſa eſt, quandiu eſt, opus eſt eſſe; & quod poſſibile eſt, eſt opus aliquando, & aliquo modo eſſe; & quod neceſſe eſt, eſt opus

omnino eſſe. Sunt autem quęſtiones ex his tribus modis, ſi à iuſto ſeparentur, inanes in ſcientia ciuili: quippe quia nulla in ea eſt neceſſitas, niſi ex iuſtitia: & quod ſit, quodque fieri poteſt, cernuntur quidem in ciuilibus rebus, ſed ſolidæ earum doctrinæ minimè conducunt. Sentio expoſitionem hanc meam paulò aſperiorem eſſe: ſed voluiſſe, & alios excitaſſe in obſcuriſsima oratione ſat erit. emendanti, atque in viam reducenti maximas habebo gratias. *Excuſatio.*

ARGVMENTVM. TEXT: LXI.

Tertia opinio, media inter duas ſuperiores, atque hac de cauſa propior veritati, ſtatuens ſeruitutem ex bello iuſtam ſimul, & non iuſtam: iuſtam quodammodo ob eius cauſam; quia lex ſit quoddam iuſtum: non iuſtam ſimpliciter; tum ab initio ipſius belli, quod poteſt eſſe non iuſtum; tum ab euentu repugnantium; quoniam accidere poſsit hac ſeruitute eſſe ſeruos, & his ſeruos, ſi capti venundentur, indignos qui ſeruiant, quos porrho nemo diceret ſeruos: & adhuc (ſi quem fortè tam generale enunciatum minus contineat) eſſe ſeruos, & his ſeruos eodem modo illos, qui omnium conſenſu ſunt nobiliſsimi.

Text: lxj: ἁπλῶς Verum. [a] Ὅλως δ' ἀντεχόμενοί τινες, [b] ὡς οἴονται, δικαίου τινός ([c] ὁ γὰρ νόμος δίκαιόν τι) [d] τὴν κατὰ πόλεμον δουλείαν τιθέασι δικαίαν: [e] * ἅμα δ' οὔ φασι· [f] τήν τε γὰρ ἀρχὴν ἐνδέχεται μὴ δικαίαν εἶναι τῶν πολέμων· [g] καὶ τὸν ἀνάξιον δουλεύειν οὐδαμῶς ἂν φαίη δοῦλον εἶναι· [h] εἰ δὲ μὴ, συμβήσεται τοὺς εὐγενεστάτους εἶν δοκοῦντας δούλους εἶναι, [i] καὶ ἐκ δούλων, ἐὰν συμβῇ πραθῆναι ληφθέντας.

[a] Omnino autem retinentes quidam, [b] vt putant, aliquod iuſtum, [c] lex enim iuſtum quoddam eſt; [d] ſeruitutem ex bello iuſtam ponunt: [e] ſimul verò non aiunt; [f] principium enim bellorum fieri poteſt, vt non iuſtum ſit; [g] & indignum, qui ſeruiat, nullo modo aliquis diceret ſeruum eſſe; [h] ſi autē non; continget eos, qui nobiliſſimi exiſtimātur, eſſe ſeruos, [i] atque ex ſeruis, ſi contigerit captos eos venundari.

EXPLANATIO.

Dvæ opiniones, de quibus hactenus diximus, inter ſe contrariæ, & extremæ erant. Vna prorſus iuſtam; altera prorſus iniuſtam ſeruitutem ex bello affirmabat: & hæc accuſabat; illa commendabat legem poſitam de eiuſmodi ſeruitute. *Series huius textus.*

a. & ill. [a] Intercedit tertia quædam, ac media ſententia, cuius auctores, retinentes, *Tertia opinio, media inter duas ſuperiores.*
b. [b] vt putant aliquid iuſti; vt putant, inquam, quia
d. a. quod verè in hac re iuſti eſt, ipſi non attingunt; [d] ſimul iuſtam eſſe, atque iniuſtam talem ſeruitutem aſſeuerant: & hac aſſeueratione propius, quàm ſuperiores, accedunt ad veritatem. *Quatenus accedant ad veritatem huius opinionis auctores.*

b. vt putant. b. aliquod iuſtum, & d. e. [b] Longo tamen interuallo, vt dicere incœperam, propius accedunt. Siquidem exponentes aſſeuerationē iſtam ſuam, [b] ſeruitutem ex bello iuſtam eſſe aiunt modo quodam, [c] ideſt ob ſuam duntaxat cauſam; in qua aliquid iuſtitiæ reſideat: pendere enim ſeruitutem hanc à lege, quæ eam introduxit: & legem generaliter eſſe quod- *Quatenus & qua ratione ſeruitutem ex bello iuſt. eſſe dicant.*

Quatenus, & quib. rationib. dicat iniuſtã eſſe.
Prima ratio.

dam iuſtum; quandò in partibus iuſti lex numeratur. [e] Rurſus verò eſſe iniuſtam ſimpliciter, & per ſe eandem ſeruitutem inquiunt. [f] Atque hoc duobus argumentis confirmant. [f] Primum argumentum ducitur ab iniu-tijs, & cauſis bellorum. Hæ nanque cauſæ iniuſtæ eſſe poſſunt, quod eſt per ſe euidentiſſimum: ſi autem bellorum cauſæ, & ob id ipſa bella fuerint

Secũda ratio.

iniuſta; ſeruitutes quoque, quæ ex ijs bellis naſcentur, iniuſtæ erunt. [g] Secundum argumentum, ſumptum ex euentu repugnantium, ducit ad abſurda. Nam ſi vis, & bellum ſeruos facit: multi indigni hac fortuna ob virtutem, & præſtantiam ſuam ſerui erunt. Connexum hoc clarum; bello enim aliquando ſuperantur viri præſtantiſſimi à minus præſtantibus: ac ſemper in quouis deuicto exercitu, quantumuis inerti, ignauoque ſunt quidam pollentes virtute, qui vnà cum alijs capiuntur. Eſſe autem iuſtè

Cõfirmatio ſecundæ rationis & quaſi tertia ratio.

ſeruos homines, qui indigni ſunt, vt ſeruiant, nemo planè diceret. [h] Eſt quidem hoc aſſumptum, & enunciatum ſatis per ſe euidens; indignos, qui ſeruiant, non poſſe eſſe iuſtè ſeruos: tamen quia valde generale eſt, minus fortaſſe aſtringit animos parum acutè conſyderantium, vt de eo etiam dubitare aliquis poſſit, an indigni, qui ſeruiant, digni euadant, & iure fiant ſerui, quom fuerint bello deuicti, ob iuſtitiam legis. Itaque corroboratur, & quaſi additur nouum argumentum. Sequetur enim ſimul cum hoc, indignos, qui ſeruiant, ſeruos eſſe; illud quoque; vt, qui nobiliſſimi ab omnibus exiſtimantur, ſint ſerui: nam & hos bello ſuperari, ac capi interdum continget. [i] Nec ſolùm ſequetur, vt ſint ſerui, ſed vt ſint ſerui ex ſeruis, hoc eſt bis ſerui, nimirum ſi capti veneant. Priùs nanque quom ſerui eſſent eorum, qui cœperant; iterum fiunt ſerui ementium. Repugnant verò iſta inter ſe omnium conſenſu tam multitudinis, quàm ſapientum: eſſe

Peccata auctorum tertia ſententia.
Bellũ & victoriã iniuſtã iuſta ſeruitus ſequi poteſt.
Seruit⁹ ex bello ſi ex ſe ſit iniuſta, iuſta dici non poteſt q̃a lex faceret eam ſit quoddã iuſtum.
Quæ iuſta, iniuſtaq; euadere ex lege poſſint, et quæ minimè, ſed ex ipſis lex.

aliquem nobiliſſimum: & eſſe iuſtè ſeruum. Hæc ſunt, quæ dicunt auctores tertiæ ſententiæ de iuſtitia ſeruitutis ex bello. In quibus quidem dupliciter peccant. Primùm in primo argumẽto, nam bellum, & victoriam iniuſtam iuſta ſeruitus ſequi poteſt illorum, qui in deuicto exercitu reperirentur nati ad ſeruiendum. Deinde quom ſtatuunt, ſeruitutem ex bello iuſtam eſſe ob legem tantùm, quæ ſit quoddam iuſtum. Etenim ſi per ſe, hoc eſt ex natura rei nullo modo eſſe iuſta poſſet hæc ſeruitus, quam bellum facit; ne ex lege quidem, quæ de ea inſtituta eſt, iuſtitiam aſſequeretur: imò potius legem illam ipſa redderet iniuſtam. Nam ea quidem, quæ ab initio, vtro modo fierent, nihil referebat, propterea quòd ipſa per ſe nihil congruens, nihil repugnans æquitati, ac conuenientiæ naturali obtinerent; vbi definita ſunt legibus vetantibus, iubentibus'ue, euadunt officia, aut peccata: & leges, quæ de illis ſtatuunt ad cõmunem vtilitatem, ſine controuerſia ſunt iuſtæ. At cætera, in quibus æquum, vel iniquum ſecundum naturam, hoc eſt naturę conſentiens, vel diſſentiens per ſe ſta-

Excluſio alterius interpretatiõis, quã aliqs afferre poſſet de duab cõditionibus ſeruitutis ex bello, vt ſit iuſta. Nõ duę, ſed vna tãtùm conditio, appoſita ſeruituti ex bello, eã iuſtã facit.

tim apparet: ſi contrarijs modis imperentur, aut prohibeantur iuſſu maioris poteſtatis; nec ipſa ex talibus iuſſis iuſtitiam, iniuſtitiamq; ſuam naturalem commutant; nec iuſta illa leges iuſtæ appellandę ſunt, ſed iniuſtæ, & iniquæ. Sic exponerem ego hunc textum. Fortaſſe aliquis præterea exiſtimabit indicari illis duobus argumentis, ad poſtremam partem huius ſententię attinentibus, conditiones duas, quę appoſitę ſeruituti ex bello, eam iuſtam faciant; vnam, vt belli initium ſit iuſtum; alteram, vt dignus, natusq; ad ſeruiendum capiatur. Sed prima iſtarum cõditionum eſt inutilis tum ob ea, quę paulò antè dicebam, tum quia in ſecunda continetur: &

ſecunda

ſecunda eſt ſatis. Eſt enim ſatis, atque in hoc conſiſtit iuſtitia huius ſeruitutis ex bello: capi ſeruos natura: contra quos, ſi ſeruire denegent, bellum ſemper eſt iuſtum. Sed de his poſtea.

Textus habet quinque partes. Prima (a b c d) tradit, quomodo, & vnde iuſtam dicat hæc tertia opinio ſeruitutem ex bello. Secunda (e) proponit dici quoque à tertia opinione eandem ſeruitutem ex bello eſſe non iuſtam, per ſe ſcilicet, & ſimpliciter. Tertia (f) affert primum argumentum ad hoc. Quarta (g) ſecundum. Quinta (h i) confirmationem aſſumpti huius ſecundi, & quaſi nouum argumentum. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Retinentes aliquod iuſtum. D. Thomas, Iuſtum ſimpliciter eſt, inquit, iuſtum naturâ ſuâ; iuſtum aliquod eſt iuſtum, quod refertur ad hominum commoditatem, & eſt iuſtum humanæ legis: ad commoditatem enim noſtram legem intueri; cuius commoditatis noſtræ cauſâ omnes leges ſint poſitæ. Quaſi verò naturæ ius ad vtilitatem noſtram non referatur. Impoſuit D. Thomæ, aliiſque multis vocabulũ, vtilitas, quod Ariſtoteles in cap. 7. v. ad Nicomachum, quom de iure legitimo loqueretur, vſurpauit. Sed de his, & omnino de differentia legitimi, naturaliſque iuris eo in loco eſt videndum. *Differẽtia iuſti ſimpliciter, et iuſti alicuius, ſiue naturalis, & legitimi, quòd hoc referatũ ad humanam cõmoditatẽ, illud minime, nõ eſt probanda.*

Lex eſt iuſtum quoddam. Ex hoc, quòd lex iuſtum ſit, concludit apud Platonem Thraſimachus in P. de Republica iuſtum eſſe id, quod eſt vtile potentiori: quem Socrates multis modis refellit. Vtrum verò lex generaliter, ideſt omnis lex ſit pars iuris; & quæ contra æquitatem ſanciuntur ad ſolam eorum, qui regunt vtilitatem, quales multis locis multas videmus, legis nomen non mereãt; an ſint etiam iniquæ leges, dummodo à maiori poteſtate, ac ſolenni more iuſſæ fuerint; & quatenus iſtæ ſint obſeruandæ, aliàs diximus. Hoc pro certo affirmandum eſt: ſi lex ſtatuens captos bello ſeruos fieri eorum, qui illos cœperunt, ſit iuris gentium, quod inquiunt noſtri iuriſconſulti, negari non poſſe, quin ſit iuſta. Eſt enim ius gentium conſenſio omnium populorum: quę conſenſio lex naturę putanda eſt, vt Cicero ait. Sed illud vertitur in dubium, an illa lex ſit iuris gentium. De qua re infrà. *Locus Platonis.* *De quaſt. vtrũ iuſſa maioris poteſtatis ſolenni more ſancita cõtra æquitatẽ naturalẽ ſint leges & quatenus obſeruandæ.*

Principium enim bellorum, fieri poteſt, ut non ſit iuſtum. Optimè principium belli, non bellum. Omne enim bellum per ſe repugnat naturæ, & iniuſtum eſt: cauſæ autem bellandi ſunt aliquando iuſtæ, quæ iuſtum reddunt bellum ex accidenti, ſemper tamen dirigentes in pacem. De quibus alibi. *Belli cauſa iuſta eſſe poteſt: bellum nõ poteſt, niſi ex accidenti.*

Et ex ſeruis, ſi contingat captos venundari. D. Thomas, & alij hoc, quod dicitur, *& ex ſeruis*, interpretantur ſeruos ex ſeruis natos, ideſt filios eorum, qui bello capti inciderant in ſeruitutem. Naſci enim ex ſeruis filios iſtos, nempe ex illis, qui iure belli ſerui erant: & ſeruos naſci, propterea quod ex ſeruis naſcantur. Non probo hanc expoſitionem. Primùm quia hęc vox, *& ex ſeruis*, neceſſario referenda eſt ad illam, *nobiliſsimi*: qui nobiliſsimi exiſtimantur, inquit Philoſophus, erũt ſerui, & ex ſeruis. Iidem igitur ſunt, qui ſunt ſerui, & qui ſunt ex ſeruis; ſi venundentur; non alij parentes, alij filij. Deinde cur ſint ex ſeruis hi, qui ſerui erant, cauſa affertur à Philoſopho, quod capti veneant, non quod naſcantur. Poſtremo nec [a] qui naſcuntur quidem ex ſeruis patribus, ſerui naſcuntur; [b] ſed qui ex ancillis duntaxat: cuius etiam rei multæ ſunt exceptiones; [c] vt ſi ancilla pariat, quem conceperit libera; [d] &, ſi pariat libera, quem ancilla conceperat; & aliæ, de quibus iuriſconſulti. Vnus Cœlius, cui tantùm hæc patria debet, quantum ipſe debet nominis immortalitati, veram attigit ſententiam, quam ego ſequutus ſum. Seruos ex ſeruis ait; quia in ſeruitutem relabantur. Et ad modum Philoſophi, quod capti veneant, alterum adiungit, ſi rurſus capiantur. *Vna expoſitio D. Thomæ, & aliorum.* *Confutatio. I Argumẽtũ.* *Secundum.* *Tertium.* *Verior expoſitio, quã attigit Calcagninus.*

a. Inſtit. de Ingenuis Impp. Diocl. et Max. de Poſtliminio l. 6. Imp. Anton: Soluto matrim. l. 3. b. Inſtit. de Iure perſonarũ. Martiã de ſtatu hoïum l. 5. & alijs locis. c. et d. Inſtit. de Ingenuis. Mart. vbi ſup. & alijs locis.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. LXII.

Corollarium tertiæ opinionis proximè expoſitæ, tollens inſtantias de iniuſtitia ſeruitutis ex bello, ac viam præbens ad veram huius controuerſiæ deciſionem. Barbaros tantùm, non Græcos bello captos ſeruos dicunt tertiæ opinionis auctores: ne ſequantur eam abſurda, quæ proximè inducebantur.

Text. lxij. Διόπερ αὐτοὺς οὐ βούλονται λέγειν δούλους, ἀλλὰ τοὺς βαρβάρους.

Quocirca ſe ipſos nolunt dicere ſeruos, ſed Barbaros. *Simile ſuprà tex: 8.*

EXPLANATIO.

Series textus. IVSTAM eſſe ſeruitutem ex bello aſſeuerabant auctores tertiæ opinionis: quoniam à lege ſtatueretur; & lex eſſet quoddam iuſtum. Eandem etiam iniuſtam eſſe oſtendebant duplici argumento: & quia initium belli iniuſtum eſſe poſſet: & quia vſuuenire, vt indigni ſeruitute, & qui nobiliſſimi exiſtimarentur, ſerui eſſent. Hæc verò poſteriora argumenta vim eam habere videntur, vt omnino probent eius generis homines, bello captos, & addictos ſeruituti, ſeruos eſſe iniuſtiſſimè; quantuncunq; iuſtam polueris legem. *Eleuãtur duæ inſtãtia text⁹ ſuperioris cõtra iuſtitiam ſeruitutis ex bello.* Itaque difficultatem ſentientes, ei, quoquo modo poſſunt, occurrunt. Seruos vocant captos bello, & venundatos, ac reipſa ſeruientes, ſi ijdem fuerint genere Barbari: nempe quia & in Barbaros bellum eſſe ſemper iuſtum; & ipſos Barbaros eſſe ignobiles, dignosq; vt ſeruiant, communiter exiſtimatur. Seipſos autem, ideſt Græcos, quantunuis mancipatos, quantunuis obſtrictos, nolunt appellare ſeruos: proptereaquòd contraria ratione tum ipſi nobiles, indigniq; hac calamitate eſſe poſſunt; ſolos enim Græcos reuera liberos, reuera nobiles eſſe; tum poſſunt cauſæ bellorũ aduerſus eos iniuſtæ fuiſſe. *Hoc corollariũ viã aperit ad deciſionẽ hu⁹ controuerſiæ.* Quomodo autem hoc viam aperiat ad veram dijudicationem huius controuerſiæ, totiusq; diſputationis ſummam declarabitur paulo pòſt.

SCHOLIA.

Vox, quocirca. *Quocirca.* Ideſt ne eueniant abſurda, quæ proximo textu inducebantur.

Seipſos. *Seipſos.* Sic verto in præſentia pronomen αὐτοὺς: quod rectè fieri confirmabit textus ſubſequens. Alij vertunt, ipſos, referendo ad nobiliſsimos, & indignos ſeruitute, de quibus in textu ſuperiori.

Syntaxis verborum. *Sed Barbaros.* Articulus, τοὺς, demonſtrat hanc vocem, *Barbaros*, ſubijci neceſſariò, non prædicari in propoſitione: vt intelligamus Barbaros vocari ſeruos, non Græcos, ſeu nobiles, & indignos ſeruitute, quom capti fuerint, vocari Barbaros ab auctoribus tertiæ ſententiæ. Qua in re lapſus eſt Faber cum aliis quibuſdam. *Barbari qui à Græcis, et cur. Græcorum & Barbarorũ cõparatio in libertate, et nobilitate.* Barbaros appellarunt Græci omnes alias nationes præter ſuam, priùs à linguæ, deinde à morum, atque ingenij duritie, & craſsitudine. Græci autem, & Barbari opponuntur: Barbari verè nuſquam liberi, & domi duntaxat nobiles: Græci, qui nobiles, & liberi apud Græcos ſunt, vbique etiam liberi, & nobiles, vt mox dicetur.

Textus LXIII. & LXIV.

Sedatio huius controuerſiæ per ea, quæ in ſuperiori capite ſunt declarata; quæ quidem auctores tertiæ opinionis volunt, quæruntq́; magis, quàm eloquantur; initium ſumens à corollario proximè expoſito.

Καὶ δεῖ ὅταν τοῦτο λέγουσιν &c.

S C H O L I V M.

Solos Barbaros ex ijs, quos bellum addicit ſeruituti, nomine ſeruorum nuncupant auctores tertiæ ſententiæ; Græcos nequaquam; vt traditũ eſt ſuperiori in textu, & corollario. Hoc autem faciunt declinantes duo illa abſurda, quæ ſeruitutem ex bello ſequi videbantur: Primùm, ſeruitutem hanc, à lege iuſtitiam habentem, & omnino iuſtam, quia legitima eſſet, exoriri aliquando ex iniuſto bello: deinde homines, vili hoc miniſterio indignos, & qui ad extremum nobiliſsimi exiſtimarentur, fieri, eſſeque aliquando ſeruos. Communem enim, ac conſtantem opinionem eſſe, ignobiles, dignosque, vt ſeruiant, eſſe ipſos Barbaros: qua etiam ratione aduerſus eos iuſtum bellum ſemper ſuſcipiatur. Hæc, atque his de cauſis ſtatuunt illi ſuperiori corollario. Vnde'nam igitur hæc Barbari habent; vt in eos iuſtum ſemper ſuſcipiatur bellum, ſintque ignobiles, & digni ſeruitute? à natura'ne, an à lege? Et certum eſt nihil aliud hos auctores tertiæ ſententiæ reſpondere poſſe, niſi habere hæc Barbaros à natura: quandoquidem ea generaliter Barbaris tribuunt; non his, aut illis Barbarorum. Ergo nihil aliud ipſi demum volunt, aut quærunt, quom quærunt, qui iuſtè bello ſerui fiant, qui minimè; decernuntque ſolos Barbaros in iuſtam adduci ſeruitutem, Græcos non adduci; niſi ſeruos naturà, & naturà dominos, de quibus dictum eſt in duobus capitibus antecedentibus; nihil aliud, niſi nobiles, & ignobiles naturà, quos à dominis & ſeruis vix, aut ne

Quæ, quib. de cauſis, & quò intuentes ſtatuãt tertiæ ſententiæ auctores ſuperiori corollario.

Proximè accedere ad veritatẽ ſuperiori corollario tertiæ ſententiæ auctores.

vix

vix quidem ſeiungunt. Quinimò hos ſeruos, & dominos; nobiles, & ignobiles naturà diſtinguunt penè, vt nos; ideſt virtutibus, vitijſque naturalibus, potiſsimùm animorum, deinde etiam corporum. Propè itaque attingũt veritatem. nam omnino ſentiunt, ſolos eos, qui naturà ſunt ſerui, nec cogitatione, aut conſilio, ſed corpore tantùm valent, fieri iuſtè ſeruos etiam bello, ac lege, ſi capiantur: alios nequaquam, qui pollent ratione & domini ſunt naturà. Quanquam .n. his vocibus non vtuntur: in Græcis tamen hos, in Barbaris illos intelligunt: quippe quum Barbaris ſeruorum; Græcis dominorum animos, & corpora tribuant. In hoc verò hallucinantur, quòd putant id, quod perpetuum, neceſſariumque non eſt, eſſe perpetuum, ac neceſſarium; ſumuntque non cauſam vt cauſam. Neque enim Barbarum eſſe, aut Græcum in cauſa eſt, vt hic ſit liber, ille ſit ſeruus naturà: ſed vera eſt huius differentiæ cauſa, quòd hic huiuſmodi, ille eiuſmodi habeat priùs animum, deinde corpus animo idoneum. Et quanuis daretur, quod optimo iure & Romani, & aliæ gentes negarent; naſci plerunque Græcos liberorum; Barbaros, vt ipſi hac appellatione vtebantur, ſeruorum animis, & corporibus prædítos: haudquaquam tamẽ hoc eſſet perpetuum. nequit enim natura ſemper, vt ex hominibus hominẽ generat, & ex beſtijs beſtiam; ſic ex bonis bonum generare: ſed variat ſæpe; & ex bonis malum; ex malis bonum facit multo magis in hominibus; quàm in beſtijs, & in plantis. Ecce quomodo corollarium textus ſuperioris aperuit nobis viam ad decidendam hanc controuerſiam, vtrum iuſta ſit ſeruitus ex bello; imò vtrum iuſta ſit generaliter ſeruitus, quæcunque à lege, & conditione nomen habet: & decidendam quidem per ea, quæ in ſuperiori capite ſunt conſtituta de liberis, & ſeruis naturà, qui animis vel ſolùm, vel maximè inter ſe diſtinguantur. Ab eo nanque corollario huc deducta res eſt, vt appareat, quicquid iuſtitiæ cernitur in eiuſmodi ſeruitute, id totum profluere à fontibus ſeruitutis, & libertatis naturalis: hoc eſt ſolos eos iuſtè ſeruire, qui ſunt naturà ſerui; ſolos eos

In quo. & quib' aberrẽt tertia ſententia auctores.

Corollarium tex: ſuperioris viã aperuiſſe ad decidendã controuerſiam de iuſtitia legitim. ſeruitutum.

iuſtè dominari, qui ſunt naturà domini. Omnino quum ſeruus, dominusque ſint, & dicantur vel naturà, vel conditione, & ſtatu tales, quemadmodum ſæpe annotauimus: fieri poteſt vt vel coniungantur hæc; vel ſint ſeparata. Proinde tribus modis vterque variabitur: eruntque cùm ſerui, tum domini, qui reipſa ſeruiunt, ac dominantur, vel naturà tantùm; vel conditione tantùm; vel naturà, & conditione ſimul. Si conditione tantùm, aut tantùm naturà fuerint domini, & ſerui, ideſt vt qui ſeruus eſt naturà, ſit conditione, & reipſa liber, ac dominus; & contrà qui liber, ac dominus naturà, reipſa ſeruiat; erunt iniuſtæ ſeruitutes, iniuſtæque dominationes. Illæ autem ſolæ erunt iuſtæ; quom ſerui fuerint, fuerintque domini tam conditione, quàm naturà: hoc eſt, vt qui ſerui naturà ſunt, reipſa ſeruiant; & qui ſunt domini naturà, reipſa dominentur. Ex hac autem deciſione controuerſiæ de iuſtitia ſeruitutis ex bello perſoluemus quoque alteram quæſtionem in hoc capite propoſitam; quatenus ſcilicet vero appropinquent qui aſſerunt ſeruitutem eſſe præter naturam, & damnoſam, & iniuſtam; de quibus in textu 35. & 44. Nam ſi omnes aliæ ſeruitutes à fortuna, & ab hominibus factæ, ad quas natura non concurrit, ſunt præter naturam; &, quia præter naturam, iniquæ, vnaque damnoſæ (quicquid enim eſt præter naturam, damnum neceſſariò infert; nec iniquum eſſe poteſt ſine damno) clarè apparet illos quodãmodo rectè dixiſſe, vt propoſitum fuit in textu 57. quanuis non rectè ſenſerint.

Summa deciſionis huius cõtrouerſia.

Perſolutio alterius quæſtionis quatenus accedũt ad veritatẽ qui ſeruitutẽ eſſe prę ter naturã, & damnoſam, et iniuſtã aiunt.

ARGVMENTVM. TEXT. LXIII.

Tertiæ opinionis auctores, quom bello captos, ſi Barbari fuerint, ſeruos aiunt; ſi Græci, negant; nihil aliud ad extremum velle, indagare'ue, quàm naturâ ſeruos, & naturâ liberos, de quibus dictum eſt in ſuperioribus capitibus. Probatur hoc expoſitione. nam neceſſe habent ponere quoſdam vbique, ac ſimpliciter liberos, nobileſque, ipſos videlicet Græcos; & rurſus quoſdam, nempe Barbaros, vbique, & ſimpliciter ſeruos, ac ignobiles, licet domi pro nobilibus, ac liberis haberentur. Atque hæ quidem libertatis, & ſeruitutis, ſeu nobilitatis, & ignobilitatis, quæ hic ſumuntur ἐκ παραλλήλου, *in duas formas diſtributio declaratur duobus ſenarijs Theodectis.*

Text. lxiij. [a] Καίτοι ὅταν τοῦτο λέγουσιν, οὐδὲν ἄλλο ζητοῦσιν, ἢ τὸ φύσει δοῦλον, [b] ὅπερ ἐξ ἀρχῆς εἴπομεν. [c] ἀνάγκη γὰρ εἶναι τινὰς φάναι, τοὺς μὲν πανταχοῦ δούλους, τοὺς δ' οὐδαμοῦ. [d] τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ εὐγενείας· [e] αὐτοὺς μὲν γὰρ οὐ μόνον παρ' αὐτοῖς εὐγενεῖς, ἀλλὰ πανταχοῦ νομίζουσι· [f] τοὺς δὲ βαρβάρους οἴκοι μόνον. [g] ὡς ὄν, τι, τὸ μὲν ἁπλῶς εὐγενὲς, καὶ ἐλεύθερον· τὸ δ' οὐχ ἁπλῶς· [h] ὥσπερ καὶ ἡ Θεοδέκτου Ἑλένη φησί· [i] θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν [*] ἐγγόνον ῥιζωμάτων, τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειε λάτριν.

[*] *Sic legit Vetus interpres. In multis exemplaribus legi* ἐκγόνοιν.

[a] Atqui quando hoc dixerint, nihil aliud quærunt, quàm naturâ ſeruum, [b] quod ab initio diximus. [c] neceſſe eſt enim affirmare quoſdam eſſe, hos quidem vbique ſeruos, hos verò nuſquam. [d] eodem autem modo & de nobilitate: [e] nam ſe quidem non ſolùm apud ſe, ſed vbique nobiles putant; [f] Barbaros autem domi ſolùm. [g] tanquam ſit aliquid, hoc quidem ſimpliciter nobile, & liberum; hoc autem non ſimpliciter: [h] quemadmodum & Theodectis Helena inquit: [i] Diuinis vtrinque genitam radicibus, Quis porrho æquum duceret, vt appellaret ſeruam?

EXPLANATIO.

Auctores tertiæ opinionis quæ ſtatuerent ſuperiori corollario, et quorſum.

a. quãdo hoc dixerint.

[a] AVCTORES tertiæ opinionis, ſi bello capti fuiſſent aliqui Græci, & ſeruirent vel apud Barbaros, vel apud Græcos; nolebant eos ſeruos dicere: ſolos Barbaros captos, & ſeruientes tali nomine appellabant. Atque iſta quidem ſtatuebant, ne accideret verè nobiles, & indignos ſeruitute ſeruos eſſe: quod videbatur abſurdum, ac repugnans iuſtitiæ legis de captiuis. [c] Ergo neceſſe eſt, vt ſimul affirment, alios eſſe vbique ſeruos, c. alios nuſquam, ſed vbique liberos: [d] & de nobilibus, & ignobilibus eo- d. dem modo, alios eſſe vbiq; nobiles, alios nullo loco, ſed ignobiles vbique, licet quidam horum in ſuis ſedibus pro nobilibus, & liberis celebrentur. Hæ, conſecutiones ſunt manifeſtæ. [e] Quippe Græcos nobiles, & indignos e. ſeruitute vbique ſtatuunt; quom refugiunt eos, quanquam ſeruientes, & bello captos, ſeruos appellare: [f] Barbaros contrà nuſquam, ſed vbique f. ignobiles,

Seruos et liberos, nobiles & ignobiles quoſdã vbiq; quoſdam nuſquã ponere coguntur auctores tertiæ opinionis.

ignobiles, vbique dignos qui ſeruiant, niſi fortè domi opinione ſuorum. alioqui vel nec bello quidem capti Barbari appellari ſerui poſſent; vel ſequererur verè nobiles, & indignos qui ſeruirent, ſeruos eſſe; quod, qui in hac ſententia ſunt, reformidant. [g]Neceſſe habent iſti affirmare eſſe quoſdam vbique liberos, & nobiles, nuſquam ſeruos, & ignobiles; item eſſe quoſdam vbique ſeruos, & ignobiles, nuſquam liberos, & nobiles: ergo duplicem omnino libertatem, & nobilitatem; duplicemq; ſimiliter ignobilitatem, & ſeruitutem, quanuis nollent, ſtatuant oportet; vnas quidem ſimpliciter; alteras non ſimpliciter, ſed quodam modo tales. [h]Et hoc etiã Theodectes cogitaſſe videtur. apud quem Helena in Tragœdia ſui nominis vel Athenis, vel Troiæ, vel in Aegypto, tametſi ex raptu aut alia quacunque ex cauſa captiua, ſeruaq; aliquomodo eſſet, [i]ſeruam tamen ſe eſſe poſſe, ideſt ſimpliciter ſeruam negat; proptereaquòd veriſſimè, & omnium conſenſu nobilis, vtrinque à Dijs originem traheret.

Seruitutes libertates, nobilitates, et ignobilitates duplices ij dem ſtatuat oportet, vnas ſimpliciter, alteras quodammodo tales. Illuſtratio eius, dum ſic iſt, ex quodam loco Theodectis.

[a]Porrho autem ſerui, & ignobiles vbique, & ſimpliciter nulli alij ſunt, niſi ſerui, & ignobiles naturâ; eodemq; modo liberi, & nobiles: in vnoquoq; enim genere vbique, & ſimpliciter tale eſſe eſt idem prorſus, quod eſſe naturâ tale: Ergo ad extremum tertiæ opinionis auctores, quom illud dicunt, nihil quærunt aliud, quàm ſeruos, & liberos naturâ; [b]de quibus expoſitum eſt in capitibus antecedentibus. Aduerte accipi hîc ἐκ παραλλήλου, ideſt pro eodem liberum, & nobile; itemq; pro eodem ſeruum, & ignobile. Quòd ſic accipiantur, trifariam liquet. Primum ex illis verbis: *eodem autem modo etiam de nobilitate*. nam eodem modo eadem de vtriſque dicenda eſſe affirmatur. Deinde quia paulò pòſt coniunguntur nobile, & liberum: *eſt quoddam*, inquit, *nobile, & liberum ſimpliciter, & quoddam non ſimpliciter*. Poſtremò quia in ſenarijs Theodectis opponitur ſeruum nato ex diuina ſtirpe, ideſt nobili. Ratio ſic accipiendi hæc fuit: quoniam illi, cum quibus diſputatur, ſimiliter hæc nomina accipiebant, vt conſtat ex tex: 61. & 62. Et accedit quòd verè, hoc eſt ex ſapientũ ſententia vtriſque, hinc liberis, & nobilibus ſimpliciter, illinc ſimpliciter ſeruis, & ignobilibus eadem res eſt ſumma, ac perfecta cauſa, vt ſint eiuſmodi; liberis quidem, & nobilibus animorum præſtantia, ac virtus; ignobilibus verò & ſeruis debilitas, atque infirmitas.

Quæri ab auctoribus tertiæ ſententiæ liberos, & ſeruos natura.

Liberũ & nobile, rurſusq; ſeruũ & ignobile accipi hic ἐκ παραλλήλου, & c.

Textus habet quinque partes. In prima (a b) eſt illatio, & propoſitum principale. In ſecunda (c) incipit probare hoc Philoſophus exponendo, quid neceſſe habeant affirmare de ſeruis, & liberis auctores tertiæ ſententiæ. In tertia (d e f) pergit exponere de nobilibus, & ignobilibus. In quarta (g) colligit non poſſe illos negare duplicem nobilitatem, & ſeruitutem. In quinta (h i) declarat hoc de dublici nobilitate, & ſeruitute duobus ſenarijs Theodectis.

Partes textus

SCHOLIA.

[a] *Se quidem*. Sic interpretor αὐτοὺς μὲν, vt etiam ſuprà in textu antecedenti: & Græcos intelligo, qui Barbaris opponuntur.

Vocũ quarundam conſyderatio.

Barbaros autem domi tantùm. Non quòd reuera nobiles, aut liberi in patria ſint ipſi Barbari: ſed quòd tales à ſuis putentur. Dictum eſt .n. in ſuperiori parte eos vbique ſeruos eſſe. Et, ſi reuera nobiles, aut liberi eſſent ipſi Barbari, antequam caperentur; ſequeretur contra ſententiam iſtorum, cum quibus diſſeritur, id, quod dicebam: verè nobiles, & verè liberos, hoc eſt indignos, qui ſeruiant, ſeruos eſſe.

Barbari domi nobiles quomodo.

Theodectes duo.

Theodectis Helenæ. Duo Theodectes apud Suidam, pater, & filius, Phaſeli oriundi, quæ eſt vrbs Pamphiliæ. Eſt autem Pamphilia regio minoris Aſiæ inter Ciliciam & Lyciam. Proinde Suidas Lycios ait; Volaterranus Cilicas vel quia ſic legerit in aliquo Suidæ exemplari, à quo hæc ſumit, vel ob vicinitatem earum prouinciarum. Filius, orator, & hiſtoricus fuit. Pater diſcipulus Platonis, & Iſocratis, & Ariſtotelis, primùm orator, deinde conuerſus ad tragedias ſcripſit fabulas quinquaginta. Nomina duarum, ex quibus petijt exempla, prodidit Ariſtoteles in lib. Poëticæ particulis 84. & 91. ex Madij præceptoris mei diuiſione, Tydeum, & Linceum. Ex reliquarum numero fuiſſe Helenam opinor, cuius hoc loco mentio fiat. Helena bis rapta: primùm adhuc puella, dum in fano Dianæ carmen orthium modularetur, à Theſeo, & Pirithoo, qui eam Athenas deportarunt: iterum à Paride, iam nupta Menelao, & ex Sparta Troiam deuecta: tertiò vel cum Paride Troiam nauigans, vel poſt Troiæ excidium reuertens Spartam cum Menelao, aduerſis iactata fluctibus in Aegyptum ad Proteum Regem perducta eſt. Quemadmodum igitur præclaras heroibus res gerendi occaſiones, ita varia Poetis ſcribendi argumenta dedit.

De Helena quadã ad hũc locum ſpectantia.

Diuinis vtrinque &c. Duo ſenarij Theodectis, qui paulò liberius verti ſic poſſent.

Diuina vtrinque cui genus radix dedit,
Hanc nominari iure quis ſeruam putet.

ARGVMENTVM. TEXT: LXIIII.

Adhuc definire iſtos, ſeparareque, quamuis non intelligant, liberum, & ſeruum, nobilem, & ignobilem virtute tantùm ac vitio naturali, animi potiſſimùm; deinde etiam corporis: dum affirmant Græcos vbique, ac ſimpliciter nobiles, & liberos eſſe; Barbaros vbique, ac ſimpliciter ignobiles, & dignos qui ſeruiant. Ratio huius tum aſſeuerationis, tum conſecutionis per expoſitionem cuiuſdam principij, ſiue iudicati eorum: quia id, quod dictum eſt, affirmantes, iudicent ex ſimilibus ſimiles bonitate, ac prauitate exoriri argumento à pari; quòd ex homine homo, & ex beſtijs beſtia generetur. Ac refutatio huius iudicati ab euentis: quoniam licet iſtud ſemper natura velit; ſæpe tamen fiat contrarium.

Text: lxiiij. [a] ὅταν δὲ τοῦτο λέγωσιν, οὐδενὶ, ἀλλ' ἢ ἀρετῇ, καὶ κακίᾳ διορίζουσι τὸ δοῦλον, καὶ ἐλεύθερον, καὶ τοὺς εὐγενεῖς, καὶ τοὺς δυσγενεῖς. [b] ἀξιοῦσι γὰρ, ὥσπερ [a] ἐξ ἀνθρώπου ἄνθρωπον. καὶ ἐκ θηρίων γίνεσθαι θηρίον· οὕτω καὶ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθόν: [c] ἡ δὲ φύσις βούλεται μὲν τοῦτο ποιεῖν, πολλάκις [a] μέν τοι οὐ δύναται.

[a] Sic Ald. Victor. Vetus. At Baſil. et Aret. ἀνθρώπων in numero plurali.

[c] Sic Baſil. et Aret. Ald. autem et Victor. οὐ μέν τοι copulatiue vel ſæpe, cũ verbo antecedẽti: vult.

[a] Quando autem hoc dixerint; nulla alia re, preterquam virtute, & vitio definiunt ſeruum, & liberum; & nobiles, & ignobiles. [b] cenſent enim, quemadmodũ ex homine hominẽ, & ex beſtijs generari beſtiam; ita & ex bonis bonum, [c] natura autẽ vult quidem hoc facere; ſæpe tamen non poteſt.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Grĕcos liberos, ac nobiles. Barbaros ſeruos, et ignobiles naſci, et eſſe natura dicunt tertia ſententia auctores, & quam cauſam huius rei aſſerre cogantur.

Cauſa varietatis nationū.

ᵃGræci vbique, ac ſimpliciter liberi, & nobiles; Barbari vbique, ac ſimpliciter ſerui, & ignobiles, ex ſententia iſtorum: ergo neceſſe eſt, vt in ſuperiori textu dicebatur, naſci, & eſſe naturâ illos quidem liberos, ac nobiles; hos autem ſeruos, & ignobiles. ᵇSed quæ eſt cauſa huius rei, vt ſemper Græci liberi, ac nobiles naſcantur, ſemper Barbari ſerui, & ignobiles? Certè nulla alia eſſe poteſt præter eas, ex quibus Græci, & ex quibus Barbari oriuntur. Hæ autem duplices ſunt: vnæ ſunt loca, & regiones diuerſæ; quia in talibus locis Græci; in talibus Barbari naſcuntur: alteræ ſunt ſtirpes, & genera differentia; quia ab alia ſtirpe, & alius generis ſunt Græci; ab alia, & alius Barbari. Veruntamen ſi ob proprietates locorum vni liberi, & nobiles; alteri ſerui, & ignobiles naſcerentur: non eſſent profectò vbique tales; nec, qui in regionibus Barbarorum procreantur à Græcis, Græci liberi, & nobiles; nec, qui Barbari in Græcis regionibus, ſerui, & ignobiles. Neceſſe eſt ergo hanc differentiam à ſtirpe, & à parētibus originem ducere: vt omnes Græco ſanguine geniti libertatem, & nobilitatem; omnes nati ſtirpe Barbara ſeruitutem, & ignobilitatem naturalem aſſequantur. ᵇItaque putant neceſſariò iſti, ex nobilibus, & liberis liberos, & nobiles, omnino ex bonis bonos; item ex ignobilibus, & ſeruis ſeruos, & ignobiles, ac omnino ex malis malos generari. ᵇId verò tam ęquum cenſent; quàm quòd generetur ex homine homo, ex beſtijs beſtia. ᵃQuid verò aliud habere in ſe poteſt græcus ſanguis, aut barbarus; ille, vnde liberos, nobilesq́; faciat, hic, vnde ſeruos, & ignobiles, præter quam virtutem quandam ille, hic vitium quoddam ſibi proprium, adherens animo, & corpori illius hominis, cuius eſt ſanguis? Ergo nulla alia re ad extremum definiunt ſeruum, ac liberum; nobiles, & ignobiles; eosq́; inter ſe diſtinguunt, niſi virtute quadam, & quodam vitio, hoc his, illa illis naturali, & ingenita animorum, & corporum, vt in capitibus ſuperioribus fuit declaratum. ᶜSed quemadmodum de hoc præcepto, quòd definiantur, diſtinguanturq́; inter ſe liberi, & ſerui, ac aliquo modo etiam nobiles, & ignobiles vitio quodam, quadamq́; virtute ingenita, & naturali, conſentit cum auctoribus huius ſententiæ Philoſophus: ita diſſentit de principio illo, quòd ex bonis boni neceſſariò generentur, non ſecus, ac ex homine homo, & ex beſtijs beſtia. Siquidem quæcunque in vna aliqua ſpecie oriuntur, omnia neceſſariò ſunt eiuſdem ſpeciei; ideſt eandem formam habent, quæ non ſuſcipit magis & minus: accidentia autem qualitatis, quæ formam illam, aut potius compoſitionem ipſius cum materia comitantur, in quorum numero planè ſunt impotētiæ, & potentiæ, ideſt vitia, & virtutes naturales, amplificari, & diminui, hacq́; ratione variari, & permutari etiam ſolent vel ex copia, vel ex inopia materiæ, vel ex robore, vel ex imbecillitate efficientis, vel ex occurſu, auxilio, & impedimento externę alicuius rei, vt loci, & corporum finitimorum. Hæc cauſa eſt, cur natura, quanuis per ſe ſemper vellet ex bonis bonos procreare, & malos omnino non extitere; ſæpe tamen propoſito aberrat, eduntúrque mali etiam ex bonis: quibus malis deinde ipſa, quantum poteſt, vtitur ad bonum, & ſeruos facit, quia domini eſſe nequeunt; perinde ac fœminas quoque, monſtraque generat, quom mares, perfectaque animalia generare ei non datur.

b. min...

b.

b. cenſent.

a. nulla alia re &c.

Ex ſimilib. ſimiles bonitate et prauitate generari putant tertia opinionis auctores.

Liberū, et ſeruū; nobilē, & ignobilē diſtinguūt à tertia opinionis auctoribus virtute, et vitio naturali dūtaxat, primū animi, deinde etiam corporis.

Verū, et quatenus ex ſimilib. ſimiles generentur.

Vnde ex bonis boni non ſemper generantur, ſicut ſemper generatur ex homine homo.

Cauſa varietatis accidentium in rebus eiuſdē ſpeciei.

Natura magnū conſilium.

Partes textus.

Partes textus tres. In prima proponitur diffiniri à tertiæ opinionis au-ctoribus liberum, & ſeruum, nobiles, & ignobiles virtute, ac vitio; quom ea dicunt, quæ in ſuperiori textu ſunt explicata. In ſecunda probatur hoc per expoſitionem cuiuſdam principij, ſiue iudicati eorum. In tertia refellitur hoc iudicatum, ducto argumento ab euentis.

SCHOLIA.

Vitij et virtutis vocabula quid hic.

Virtute, & vitio. Intelligo vitium, & virtutem naturalem, non comparatam, denique præſtantiam, & infirmitatem animorum cum conditionibus etiam corporum ad eas animorum conſtitutiones idoneis, de quibus ſupra in textu 54. Quî enim neceſſe ſit definiri vitiis, & virtutibus comparatis libertatem, & ſeruitutem; nobilitatemque, & ignobilitatem ab iis, qui dicunt Græcos nobiles, & liberos; Barbaros ſeruos, & ignobiles?

Nobilitatis vera principia, etymon, definitiones, modi, et differentia.

Nobiles, & ignobiles. Etiam præſtantia, & imbecillitate animi neceſſe eſt definiri, & diſtare inter ſe nobiles, & ignobiles; non tamen omnino, vt diſtant, definiunturque liberi; & ſerui natura, ſed aliquo modo. Etenim nobiles appellantur, qui noti ſunt, & inſignes re aliqua optabili, quaſi noſcibiles, Græci vocant εὐγενεῖς, ceu boni generis dixeris. Ex quo Etymo Ariſtoteles in Rhetoricæ artis lib. ij. nobilitatem definiuit, quòd eſſet claritas quædam maiorum: & eodem loco, atque in P. Hiſtoriæ animalium, quòd ſit generis virtus, ſeu ortum eſſe ex bono genere, & ex melioribus. quod item ſcribitur in iij. horum librorum. Siue igitur noti ſint, & inſignes proprijs virtutibus, actionibusq; virtutũ, qua in re ſitam eſſe veram nobilitatem multi aſſeuerant; ſiue ſint noti, & inſignes ex ſuis maioribus, qui viri clari, illuſtreſque fuerint ſimiliter virtutibus, actionibuſque virtutum: tam hæ, quàm illæ virtutes, & actiones virtutum vel à mentis, conſilijque præſtantia proficiſcuntur, vel non ſunt prorſus ſine illa. Quòd ſi etiam fuerint noti, & inſignes vel ipſi, vel maiores eorum aut magiſtratibus, adminiſtrationibuſque publicis; aut fauore populi, rectorum'ue ciuitatis, aut amicitiis, affinitatibus, agnationibus, aut diuitijs, omnino poteſtate ciuili: quamuis hæc ſine virtutibus, & ſine mentis præſtantia, ſolo fortunæ afflatu contingere nobis poſſe videantur: tamen aut nullo modo ſine aliqua mentis calliditate, & virtute, quæ in probas actiones fuerat dirigenda; aut vix, raroque contingunt. In rebus autem iudicandis ſpectant homines ad illud, quod plerunque accidit: nec ſunt illi nobiles, licet vocentur ex eo, quod accidere ſolitum eſt. Sed de nobilitate, in vniuerſum, quid ipſa ſit, vnde dicatur, quot, & quas cauſas, ſpecies, differentias habeat, quæ antecedentia, comitantia, conſequentia; præclarè, copioſeque diſputarunt Annibal Romeus, & Torquatus Taſſus, duo vrbis noſtræ egregij alumni: quorũ ille quãtum ad doctrinæ nobilitatẽ claritas natalium ſplẽdoris addat, eſt ætate noſtra exemplum illuſtre: alter illuſtri ingenio ſuo poeſin, cęteraſq; ingenuas artes ſummè nobilitauit.

In ij. Rhetor. cap. 15. In P. Hiſtoriæ anim. cap. p. In iij. Polit. cap. 8.

Annibal Romeus. Torquatus Taſſus.

Alia expoſitio horũ verborũ.

Cenſent enim &c. Volunt quidã referri hîc argumentum, quò auctores tertiæ opinionis perſuadere nitebãtur, definiri vitio, & virtute nobilitatem, & ignobilitatem: ſtatuẽtes enim ex probis, & virtute præditis hominibus probos, & virtute præditos naſci; hinc concluſiſſe nobilitatem, ignobilitatemque vitio, ac virtute eſſe definienda: nam quia ex probis probi generarentur, nobiles, & honore dignos iudicatos fuiſſe filios proborum parentum, tanquam ijs ſimiles. Expoſitio hæc præſefert quandam facilitatem, ſed non tuetur propoſitum Philoſophi, nec omnia verba textus, nec eorum inter ſe congruentiam, aut cum ſuperioribus connexionem. Quid enim illa ſignificabũt, *quando hoc dixerint*, ſi hic de virtutibus, & vitijs comparatis loquamur? Et cur illa addita, *ſeruum, & liberum*, ſi de nobilitate, & ignobilitate duntaxat ſermo erat?

Varia lectio.

Ex homine hominem, & ex beſtijs beſtiam. In codice baſilienſi legitur ἐξ ἀνθρώπων, ex hominibus. quam lectionem Aretinus quoque agnoſcit; fortaſſe vt ſimiles ſint numeri: ex hominibus: ex beſtijs. Sed nihil vetat eſſe diſſimiles: quandoquidem vna eſt ſpecies hominum, multæ beſtiarum.

Ex bonis

Ex bonis bonum. Intellige non doctrinæ, aut morum, vt quidam exponunt, ſed naturæ bonitatem.

De qua bonitate hic ſit ſermo.

Natura autem vult quidem hoc facere, ſed ſæpe non poteſt. Idem modus loquendi adhibitus eſt ſuprà in tex: 54. *vult igitur natura facere &c. contingit autẽ ſæpe contrarium*. Quidam coniungunt vocem, *ſæpe*, cum verbo antecedenti, *vult*. quod non probo. vult enim natura ſemper, non ſæpe facere ex bonis bonos, vt diximus: ſed ſæpe non poteſt.

Phraſis.

Syntaxis.

Sæpe non poteſt. Non ſemper ex bonis naſcuntur boni: quanuis hoc ſemper natura vellet. Ita etiam Plato multis in locis aduerſus ſophiſtas, & politicos viros, qui putabãt virtutem eſſe quiddam hæreditarium; oſtendit peſsimos plerunque ex optimis parentibus naſci liberos. Plenæ hiſtoriæ ſunt exemplorum hoc teſtantium. Et hinc factum prouerbium: Heroum filij noxę. Cui ſimilis eſt, qui noſtra ætate iactatur vulgaris iocus: ex ſapientiſsimis patribus ſtultiſsimos filios procreari. Cauſa huius euenti in 28. problemate primi libri eorum duornm, qui Alexandro aſcribuntur, refertur ad mentem magnorum, prudentiumque virorum, quæ nunquam ceſſet, ne in concubitu quidem, à contemplatione, ſtudioque rerum agendarum. Tota autem perſcrutatio de admirabili diſsimilitudine filiorum, & patrum non in forma, & figura, de qua dictum eſt in iv. de Generat. animalium, ſed in vitiis, virtutibusque animorum, & corporum, quæ ciuilis facultatis ſunt propria; diuidi poteſt in tres quæſtiones. quarum vna ſit de virtutibus, & vitiis naturalibus animorum in vtriſque: cur viri plerique ingenioſiſsimi, perſpicaciſsimi, & moribus optimè à natura compoſiti, vt Hippocrates, Camillus, Ariſtides, filios dementes, hebetes, atque in omnem effuſos libidinem procreauerint; contraque intemperati, & hebetes temperatos, ac perſpicaces. Altera quæſtio eſt de virtutibus, & vitiis animorum, in parentibus, comparatis, in filiis, naturalibus: cur ex doctiſsimis, prudentiſsimiſque hominibus naſcantur filij plerunque ſtolidiſsimi, & improbi, cuiuſmodi nati ſunt ex Socrate, & M. Tullio. Tertia quæſtio de vtriſque vitiis, virtutibusque, tam corporum, quàm animorum alternis; ideſt in parentibus, animorum ſeu quæſitis, ſeu naturalibus; in filiis, corporum naturalibus: cur homines ſtulti, & indocti filios robuſtos, pulchroſque gignant; docti, & prudentes deformes, atquę imbecillos; qualem narrant fuiſſe Scipionis maioris filium. Harum trium quæſtionum eadem perſolutio eſt, pendens ab eadem cauſa, quam indicauimus; & quæ explicatur perfectè in illo problemate. Sed de virtutibus, vitiiſque filiorum, vel vſu, vel inſtitutione comparatis, & eiectis, quibus ipſi patribus ſuis diſsimiles euadunt, de qua re hîc D. Thomas; nulla exoritur admiratio, nullaque ob id quæſtio excitari debet: quum cauſæ diſsimilitudinis ſint manifectæ. Itaque ad grauiora, inſtitutoque noſtro accommodatiora orationem conuertamus. Quid igitur ſentiat Philoſophus de iuſtitia ſeruitutis ex bello, aliarumque omnium (nam de omnibus eadem ratio eſt) quæ in conditione, & ſtatu hominum conſiſtunt, ideſt quæ reipſa, & actu, non vi, & poteſtate tãtùm ſunt ſeruitutes; hactenus vidimus: nempe iuſtas eſſe quaſque, aut non iuſtas; prout cum facultate naturali, ex qua ſerui naturâ dicuntur; aut cum alia, quæ ei contraria ſit, fuerint copulatæ. Reſtat, vt videamus quid alij dicãt, ſentiãt'ue: & ſepoſitis parumper naturalibus facultatibus, prætermiſsiſque illigitimis ſeruitutibus, quas naſci aliquandò ex fraude, aliquandò ex violentia iniurioſa antè docuimus: conſyderemus per ſe formas legitimarum; quandoquidem lex aut non differre, aut differre ratione tantùm à iure, & iuſtitia, comitarique omnino iuſtitiam videtur: quærentes vtrum vnaquæque, aut quædam illarum aliquid iuſtitiæ in ſe habeant, & quatenus, & qua ratione. Exordiamur autem ab iis, quas fieri lege, & iure gentium inquiunt. Etenim ius diuinum ipſum profecto ſupra naturam, & ſupra rationem eſt. quocirca ambas iſtas, licet plerunque repugnantes, accõmodare ad illud oportet, vt alibi diximus: abſurdum eſſet, & iniquum, ſi ad has illud traheremus, aut earum regulis metiremur. Duos modos ſeruorum ex iure gentium ſtatuebant noſtri iuriſconſulti: vnum, ſi bello publicè decreto capti fuiſſent: alterum,

In Theage, in Menone, in Politico, et alibi.

Diſsimiles valde naſcuntur ſæpenumero filij patrum ſuorũ in virtutibus, vitijſque animorũ, & corporũ: & quare.

In iv. de Gener. animal. cap. 3.

Quæſtiones de iuſtitia legitimarũ ſeruitutum.

De quib. ſeruitutib. nunc ſit habenda diſputatio.

In com. 58 ſuprà.

Modi ſeruorũ ex iure gentiũ ſecundum iuriſconſultos.

Seruit. ex bello an iuſta. Cauſæ, quæ aſſeruntur, vnde iuſta ſit ſeruitus ex bello. Prima ex iuſtitia legũ propria.

alterum, ſi ex ancillis nati. Quod attinet ad primum modum, vt iuſta ſit ſeruitus ex bello, multi nullam aliam cauſam dicunt, præter eam, quam in textu 61. afferebant tertiæ opinionis auctores: hoc eſt iuſtam eſſe hanc ſeruitutem ob id ſolùm, quòd lege, iureque gentium ab initio conſtituatur, & deinde etiam maneat. Eſſe enim iuſtum neceſſariò, quicquid lege, iureque conſtituitur. Nam legem, ius, & iuſtitiam ratione, & ordine tantùm differre: appellatumque aut ius à iuſtitia, vt tradit Vlpianus in leg. p. de iuſtitia & iure: aut à iure nominatam iuſtitiam, vt alij voluerunt etiam è iuriſconſultis; quæ ſententia eſt potior. Præcipuè autem quod iure gentium conſtituitur, iuſtum eſſe: quippe ius gentium inter omnes homines, vt ait Caius, à naturali ratione conſtitutum, quo per conſenſionem quandam gentes omnes vtuntur, legem naturæ putari oportere, quemadmodum Cicero ſcribit in P. Tuſculanarum. Alij præterea iuſtam eſſe ſeruitutem ex bello aiunt, propterea quòd ſtare conuentis æquum, iuſtumque videatur: ſit autem quaſi pactum, & conuentio quædam poſita omniũ populorũ, vt qui bello capiuntur, ſerui ſint capiẽtium. Tertiam cauſam alij addunt, quam etiam in textu 61. tertiæ opinionis auctores tetigerunt: ex iuſtitia belli, ſi belli principium iuſtum fuerit, iuſtè fieri ſeruos, qui eo bello capiuntur. Afferunt quidam, & inter eos D. Thomas, quartam cauſam, de qua diximus ſuprà: Iuſtum eſſe, nec ſolùm inſtitutione, verumetiam naturâ ex ſecundo naturæ conſilio, vt qui peccant, puniantur; definiri autem pœnas inſtituto iure, & iudicio rationis. Inter alias definitam fuiſſe ſeruitutem aduerſus eos, quibus cùm bellum publicè gereretur. Nec humaniorem ſanè vllam inueniri potuiſſe: quippe illos ſeruare, quos iure naturæ, vindicationem concedentis, fas erat occidere; ſummæ humanitatis videri. Hinc ſeruos appellatos, vt ſcribit Florentinus in leg. 4. de ſtatu hominum. atque hoc nomine etiam humanitatis, ac clementiæ, quæ iuſtitiæ eſt apex, floſque pulcherrimus, iuſtiorem adhuc, & naturæ, rationique congruentiorem euadere hanc ſeruitutem. Quintam cauſam ducit idem D. Thomas à publica vtilitate, propter quam omnes leges ponuntur, nulla habita ratione huius, aut illius hominis ſingularis, dummodo communi bono conducant. Quanquam igitur accidit ſæpenumero, prudentes ab imprudentibus, probos ab improbis ſuperari: tamẽ iuſtam eſſe ſeruitutem eorum, qui bello ſuperantur. nam & victoribus eſſe vtile, vt eos conſeruent, vnde fructum capiant vel vendendo eos, vel iis vtendo ad ſuas commoditates, ac quæſtus: & illis ipſis, qui vincuntur melius eſſe, vt viuant in ſeruitute, quàm vt interficiantur: & toti generi humano expedire, vt ſint aliqui fortes pugnatores ad coercenda multorum ſcelera; fortes autem fieri, ſi cõmodi aliquid ex victoria ſe nouerint percepturos. Sexta, & nouiſſima cauſa, cuius in textu 59. & 60. mentio facta eſt, inducta ab antiquis Philoſophis, renouataque à recentioribus iuriſconſultis: legem naturæ videri, vt victi victoribus obtemperent, ac ſeruiant: legem autem naturæ iuſtiſſimam eſſe. Hæ ſunt cauſæ, & rationes omnes, ob quas iuſtam eſſe inquiunt iuriſconſulti, & qui eos ſequuntur, ſeruitutem ex bello, licet naturæ repugnantem; à natura rei; ab vtilitate conſequenti; à fine quodam ſpeciali; à cauſa efficiente remotiori, quod eſt bellum; à proprietate huius legis, quæ eſt cauſa proxima efficiens; à proprietate omnium legum, naturalium præſertim, ductas. Ego verò multùm, diuq; cogitaui, ſi vllo modo decretum hoc iuriſcõſultorum tueri poſſem: nec vllum inueni. Quicquid enim iuri, & poteſtati naturali prorſus aduerſatur, iniuſtum per ſe, & iniquum puto. Detrahunt, adduntque iuribus naturalibus inſtituta iura definiendo, inferendo, imitando, vt ſuprà diximus. Sed non vertunt ea in contrarium, niſi ex accidenti, & ex ſecundo naturæ conſilio; vel ſi falsò, perperamque ipſa ſint inſtituta, & poſita. Nam ſi verè poſita fuerint, ex commentatione 2. Auerrois in primum de Cœlo ſimilia ſunt rebus naturalibus, easque imitantur. At iuriſconſulti derogare in omni ſeruitute ius humanum iuri naturali inquiunt, vt notat Accurſius ad Inſtit. de Iure perſonarum. §. & libertas: quo nihil abſurdius exiſtimari poteſt. Quibus autem cauſis iuſta eſſe ex accidenti, ſecundoq; naturæ conſilio hæc ſeruitus videbatur; eas inanes paulopòſt demon-

Marginal notes (left):

Secũda ex iuſtitia cõuentionis vtrium gentiũ ſeruanda. Tertia ex iuſtitia belli.

Quarta ex iuſtitia pœnæ.

Quinta ex vtilitate conſequenti.

Sexta ex natura rei.

Epilogus harũ cauſarum.

Seruitutem ex bello, nec naturalem, nec iuſtam eſſe. P. ratio à repugnantibus.

Marginal notes (right):

Commentus lib. p. com. cap. p.

Caius l. 9. de Iuſtitia et iure.

D. Thomas 4. d. 36 q. 1. a. 1. ſecunda 2. q. 189. a 6. tertia q. 46. a. 3. et alijs locis. Cõmanus lib. p. com. cap. 6. In com. 56.

D. Thom. ſup tex. 61. huius P. Politic.

Commanus lib. ij. com. cap p. n. 5. et alij quidam.

In Scholmarg. cap. 9.

demonſtrabo. Accedit quòd maximè omnium aduerſaria ſunt iuri violentia & iniuria: omnia autem bella per violentiam, multa per iniuriam peraguntur; atque ex bellis ſeruitutes. Poſtremò laudatur ab omnibus præclara illa Pyrrhi de captiuis reddendis ſententia:.

Secunda iuſt à repugnatib.

Tertia à iudicio.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt.

Regalis inquit Cic. & digna Aeacidarũ genere ſententia. quæ nõ laudaretur, ſi iuſtitiæ, ac pub. vtilitati repugnaret. Et has duas poſteriores rationes inducunt quoq; eruditiores quidã iuriſcon. Porrho aũt quod initiò ipſi ſumunt, eſſe iuris gentiũ hanc ſeruitutem; id non concedo: ſi quidem ius gentium rectè definitur quòd ſit illud, quo oẽs, & ſolæ gentes humanæ vtuntur: vt definiunt Vlpianus in leg. p. & Caius in leg. 9. de Iuſt. & iure, & Imperator in Inſtit. de iure naturali, gent. & ciu. Quot enim nationes nunc ſunt, quotque olim fuerunt conſuetudinis iſtius expertes? Apud Chriſtianos, quantam, & quam partem orbis, captiui ſeruitio non addicuntur. Indi occidentales (ſic vocantur hodie, licet Straboni Indi ſint tãtùm, qui ſpectant ad orientem) ſuperiori ſeculo, antequam ab Hiſpanis delerentur, quos bello capiebant, eos non faciebant ſeruos; ſed vel ſacrificabant, vel edebant: quem morem etiamnunc multos nondum ſubactos ſeruare aiunt. Priſcis temporibus, ab ortu generis humani, nullum omnino ſeruum, ſed pecora ſeruorum loco fuiſſe teſtantur tam Eccleſiaſtici, quàm Ethnici ſcriptores. Quorum temporum memoriam vt inſtaurarent Romani, quotannis primùm vno die, qui fuit decimusquartus Kalend. Ianuar. deinde tribus, tandem ſeptem Saturnalia celebrarunt; rerum omnium ſeruis data licentia, ac pari cum dominis poteſtate: cum quibus dominis etiam ſerui ipſi illis diebus veſcebantur; procurabanturque ab iiſdem. Et ante Romam conditam multis ſeculis eodem modo, eandemque ob cauſam eadem feſta ſolennia inſtituta, à Iano in Latio, à Cecrope in Attica. In Cydone quoque Cretæ vrbe his ſimilia celebrari ſolita fuiſſe Athenæus narrat: quibus liberi ciuitatem non ingrediebantur; ſed ſerui rerum omnium domini erant; atque liberos flagris, ſi libuiſſet, cædere poterant. Nullus in Græcia ſeruus ante Helotem captam; nullus in Taprobane inſula ad Plinij ætatem fuit. Non Locrenſibus, non Phocenſibus, lege in id lata, licebat ſeruos, ſeruas'ue poſsidere, vt tradidit Timæus Tauromenites in ix. libro Hiſtoriarum; ſed iuniores ſenioribus miniſtrabant. Quamobrem iis tẽporibus, regionibusq́ non ex bello ſeruitus conſtituebatur: ſed victores, qui cæde non gauderent, aut ſtatim liberabant captiuos, contenti, vt reſipiſcerent; aut, quemadmodum apud nos fit, certum conſtituebant pretium liberationis eorum, nihil amplius habentes in eos iuris, aut poteſtatis, quàm vt interim cuſtodirent, donec pretium perſolueretur. Primi inter Græcos Lacedæmonij huiuſmodi malum excogitarunt; redactis in ſeruitutem Helotibus, quum eorum vrbem vi cœpiſſent, euertiſſentq́ue, vt narrant Athenæus, Suidas, & Pauſanias. Primi Chij, ex xvii. Hiſtoriarum Theopompi, emptis mancipiis vſi ſunt. Et hac de cauſa creditum eſt, diuinum numen, Chiis iratum, in eos multa illa mala immiſiſſe, quę ab eodem Athenæo variis ex hiſtoriis referuntur. Non ergo eſt iuris gentium ſeruitus ex bello; quia multæ gentes eam non admiſerunt: nec iuris omnino; quando eſt naturæ contraria: ſed malæ, & peruerſæ cuiuſdam cõſuetudinis multorum hominum, nec naturam, nec rationem præ, vtilitate ſentientium. Quocirca ruunt prima, & ſecunda illarum ſex cauſarum antè inductarum, quæ iuſtam efficere hanc ſeruitutem dicebantur. Scio quoſdam iuriſconſultorum contra Iuſtiniani, Caij, & Vlpiani verba definire aliter ius gentium, quam ab iis ſit definitum; confundiq́ue hæc vocabula, ius gentium, & ius naturæ illis in locis putare, vt alterum pro altero accipiatur. Sed longiori diſputatione hæc res egeret, nec eſt præſentis inſtituti. Principes nunc ſequamur. Tertia cauſa de initio belli iuſto per ſe vacillat. Neque enim neceſſe eſt, ſi iuſtum eſt bellum, vt iuſta ſint ſtupra, & incendia, &

Connanus P. com. cap. 17.

Seruitutẽ ex bello non eſſe iuris gẽtium.

Ius ſeruitutis ex bello quib. populis, et quibus temporib. non fuerit.

D. Aug. xix. de Ciuit. Dei cap. 15. Athenæus lib. 6. cap. 7. et alij. Ex Macrob. in Saturnalib. Luciano in Saturnalib. Plutarcho in Numa, & alijs.

Serui quã, & vbi nulli.

Seruorũ feſta.

Athenæus lib. 6. cap. 7.

Athenæus vbi ſuprà. Plinius lib. 6. cap. 22.

Qui primi Græcorũ, et qũ ius ſeruitutis induxerint.

Athenæus loco ante citato. Suidas in verbo εἵλωτες. Pauſanias in Laconica.

Qui primi Græcorũ emptis mancipijs vſi ſunt.

Tertia cauſa refutatio.

cædes ætatis infirmæ, atque innocentis, cæteraque omnia, quæcunque bellum conſequuntur, à nequitia hominum, & prauo malitiæ more profecta. Solet quidem effectus proprius cauſam imitari ſuam; at non quælibet conſequentia, & quæ extrinſecus adueniunt ſimilia ſunt antecedentibus. Quanquam vero etiam hæc cauſa per ſe maneret; eſſetque neceſſariò ſimilis bello ſeruitus, quæ illud ſequitur: non video quem fructum ex ea perciperent iuriſconſulti in aſſerenda huius ſeruitutis iuſtitia. Siquidem certum eſt ab altera tantùm parte belligerantium initium belli iuſtum eſſe poſſe; non vtrinque: captos autem vtrinque ſimiliter ſeruos fieri iuſtè ipſi volunt: Captus ab hoſtibus, inquit Vlpianus leg. 24. de Captiuis, ſeruus eſt hoſtium; hoſtes autem ſunt, quibus bellum publicè populus Romanus decreuit, vel ipſi populo Romano. Hoc eodem argumento euertitur quarta cauſa.

Quarta cauſæ refutatio.

Nam ſi ideo inſtituta eſt ſeruitus ex bello, vt ſit pœna; & ob idipſum iuſta eſt, quia iuſtum ſit naturâ quoque ex ſecundo naturæ conſilio, vt, qui peccant, puniantur: ſolùm rebellantes, eoſque, qui bellum iniuſtè mouent, ſeruos facere lex deberet; nō æque vtroſque, tam eos, qui propulſant, quàm eos, qui inferunt armis iniuriam. Scotus acriùs ſic: Iniuſtum, inhumanumque eſſe mulctari pœna ſeruitutis, contra legem naturæ, eos, qui iam capti, ſuaque in poteſtate ſint; quanuis iniuſtum contra ſe bellum mouerint, quanuis rebellauerint, & in rebellione manſerint pertinaces: captos enim à pertinacia, rebellioneque ſua recedere, factoſque obedientes libertate ſibi donata rectè vti poſſe. Adde reſpublicas ſæpe, & tyrannos, iniqua bella decernentes, ciues ſuos inuitos in certamen mittere, qui nihilominus fiunt ſerui; & bis hoc modo immeritas luunt pœnas, afflicti ſeruitio non ob crimen, ſed ob ærumnam antecedentem. Quod verò addebatur de humanitate, & clementia, quibus acceptam ferunt hanc ſeruitutem; liquet falſum eſſe ex iiſdem verbis Florentini, quæ allegabantur: Serui ex eo appellati ſunt, inquit Florentinus, quòd imperatores captiuos vendere iubent; ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. Magis igitur auaritiæ, quàm humanitati, & clementiæ imputanda eſt hæc ſeruitus. Idcirco enim ſeruari cœperunt; quia maior vtilitas in ſeruandis iis, quàm in occidendis cernebatur, ſi operis, aut pretio eorum commodum noſtrum augeremus. Nec ſatis ſcio; nec, ſi ſciam, dicere nunc velim, an vltionem natura nobis permittat; quanquam permittit defenſionem, & ſupplicium. Similis, ſed apertior fallacia ab eodem loco, quem appellant cōſequentis, cernitur in quinta cauſa.

Scotus in 36. d. qu. q. p.

Quinta cauſæ refutatio.

Primùm, eſſe vtile publicè id dici non poteſt, à quo par damnum, aut etiam maius in homines proficiſcitur: ſæpius autem improbi bella mouent; & innocentes debellantur: ſæpius capiuntur, ac ſerui fiunt, niſi mortem oppetant, in quibus minus eſt culpæ, plus virtutis, & animi; ſcelerati, & ob idipſum peccatorum ſuorum conſcientia timidi fugiunt. Deinde comparat D. Thomas ſeruitutem cum occiſione: quaſi neceſſe ſit omnino aut occidere, aut ſeruos facere, quos bello ſuperamus: magiſque expediat tantulum quæſtus nobis accedere; quàm ignoſcendo victis, vbi reſipuerint, in perpetuum eos nobis beneficio maximo deuincire, quæ fuit prudentiſſima Herennij Pontij ſententia in victoria Samnitium ad Furculas Caudinas. Poſtremò, verendum eſt, ne præmiis, ac quæſtibus huiuſmodi nimis cupidos bellorum, ſanguinarioſque homines reddamus: quo nihil magis naturæ aduerſatur. Quanquam enim generi humano conducit, eſſe aliquos fortes bellatores: ſic tamen conducit; ſi non propter lucrū, ſæuitiam'ue, ſed propter honeſtatem illi fuerint tales. alioquin cur in ſpoliandis, & occidendis hominibus ciues noſtros non exercemus; aut non ſerimus bella ex bellis: quæ maximè intrepidos, & ſtrenuos milites facere ſolent; vt res, & euentus Laconum, Romanorumque apertè docuerunt? De ſexta cauſa, quod lex naturæ videatur, victos parere victoribus, ſatis dictum eſt in ſuperioribus commentariis: eamq; ſententiam copioſè refutauit Plato in Gorgia, & in P. de Republica. Conſtat igitur, opinor, ſeruitutem ex bello, vt ponunt eam iuriſconſulti, per ſe omnino iniuſtam eſſe, quæ fuit etiā ſententia Scoti in d. 36. quart. ſentētiarum: iuſtam euadere, vbi ſerui naturâ capiuntur; aut vbi flagitioſi, quibus pro pœna iniunga-

Liuius lib. 9.

Sexta cauſæ refutatio.

In com. 58. 59. & 60.

quæſt. prima.

iniungatur ex ſecundo naturæ conſilio. Alter modus ſeruitutis, quem aiunt iuriſconſulti eſſe iuris gentium, nempe ſi aliqui ex ancillis noſtris naſcantur; non magis eſt iuris gentium, quàm ſuperior; & eſt magis iniuſtus. Non eſſe eum iuris gentium ſatis patet. Siquidem quæcunque gentes ſeruos non habent, aut non habuerunt; iis hoc ius nec fuiſſe, nec eſſe poteſt. apud quos enim ancillæ non ſunt; qui naſcetur aliquis ex ancillis? Sed & quæ poſsident ſeruos, ius variant, vt ait D. Thomas: aliis patris, aliis matris, aliis amborum ſeruilem conditionem ſequi partum ſtatuentibus; aliter liberum naſci. Quocirca ciuilis iuris eſſe iſtiuſmodi ſeruitutem idem D. Thomas affirmat: Iuſtinianus quaſi tertij iuris, quod nec ciuile ſit, nec gentium, ponere eandem videtur. Sic enim, inquit, in Inſtit. de Iure perſonarum: *ferui aut naſcuntur, aut fiunt, naſcuntur ex ancillis noſtris, fiunt aut iure gentium, aut iure ciuili*. At Martianus in leg. 5. de Statu hominum clarè: *Iure gentium*, inquit, *ferui noſtri ſunt qui ab hoſtibus capiuntur, aut qui ex ancillis noſtris naſcuntur*. Habet quidem hic modus ſeruitutis ſimilitudinem iuris gentium, & naturalis: proptereaquòd tali iure quæcunque ex aliis rebus, vt ex prædiis, & animalibus noſtris naſcuntur, noſtra ſunt. Sed res aliæ naturaliter ad nos pertinent, ſuntque noſtri cauſâ à natura creatæ: homines autem naturâ non ſunt aliorum, niſi ſint ſerui naturâ. Et eſt iniuſtior hic modus ſuperiori. Nam ſi captæ, venditæ'ue ancillæ fuerint naturâ liberæ, nec ſceleratæ; iniuſta erit, ſimiliter ac ſuperior, tam illarum, quàm filiorum, qui ex illis naſcentur, ſeruitus: niſi hos contingeret naſci idoneos ad ſeruitutem. Et quamuis illæ forent vel improbæ, vel naturâ ſeruæ; nihilominus naſcentur filij innocentes, & fortaſſe naturâ liberi vel ob patrem liberum naturâ, vel ob aliam cauſam: iuſtum autem eſſe nihil poteſt, vt ſæpe diximus, quod ſit naturæ contrarium. Reliqui duo modi ſeruitutis ad ius ciuile de iuriſconſultorum ſententia attinentes, quorum vnum ex contractu, alterum ex crimine nominauimus, iuſti erunt; ſi in hoc culpa talem mereat pœnam; in illo conſentiat, qui in ſeruitutem addicitur, ſeipſum vendi, aut alio quouis modo alienari. Etenim ex ſecundo naturæ conſilio iuſtum, naturaleque eſt, vt qui peccant, puniantur; quod antea fuit conſtitutum. Et quom ſeipſum aliquis alienat, alienari'ue permittit; nemini fit iniuria, quæ niſi in inuitum non infertur. Quapropter vxores, aut filios, aut alios in libertate conſtitutos mancipare, ipſis nolentibus, qui mancipantur; eſt prorſus iniquum: licet Ius noſtrum id aliquando concedat victus cauſâ: de qua re infrà. Seruitus autem voluntaria, quæ omnium turpiſsima eſt, vt ſcribit Macrobius in P. Saturnalium, & miſerrima, vt Origenes in homilia 16. in Geneſin, nimirum quia ſit obedientia fracti animi, & abiecti, & arbitrio carentis ſuo ex definitione Ciceronis in 5. Paradoxo, ideſt omnino, vt ſuprà interpretatus ſum, quia eſt hominum, & animorum abiectiſsimorum; ob hanc ipſam cauſam, quod ibi annotaui, eſt omnium, quæ reipſa ſunt ſeruitutes, maximè iuſta, & maximè naturalis. Mutantur verò aliquando etiam animi, & ex liberalibus illiberales, ex vilibus generoſi fieri poſſunt vel educatione, vel ſtudio, vel exemplo, vel alio quopiam accidente. Itaq; ſeruitutem, quæ apud nos eſt in vſu, vt alij aliis conſtituta mercede ſeruiant, quoad vtriſque libuerit, omnium iuſtiſsimam arbitror. Eſt enim talium ſemper animorum, quales diximus eſſe oportere, nempe qui apti, idoneique ſint naturâ ad parendum, exequendumque, non ad imperandum, & prouidendum. Et parum omnino refert vtrum in perpetuum, an ad tempus ſeruus ſit quiſpiam: quemadmodum de ſimili re dicebat Ariſtoteles in primo libro ad Nicomachum, Bonum, & candidum, quæ vnum tantùm diem perdurarent, non eſſe diuturnis, ac ſempiternis bonis, & candidis minus bonum, & minus candidum. Eadem nanque in vtroque eſt forma ſeruitutis, & in eo, qui ſemper ſeruit; & in eo, qui ad aliquod tempus: vt ſit vterque homo alius, vim habens inſtrumenti actiui ſeparabilis &c. Nam quanquam vendi nō poteſt ab eo, cuius eſſe dicitur, qui hoc modo ſeruit mercede: tamen eſt omnino alius, & in alium dirigitur; haudquaquam ipſe mente valens ad prouidendum; ſed magis corpore ad exequendum ea, quæ ſuæ, & pro-

Seruitus verò, qui ex ancillis naſcuntur, an iuris gētium, & an iuſta.

D. Thom. lib. 4. d. 36. q. 1. a. 4.

Seruitus ex contractu & ſeruitus ex crimine an, quomodo, & quatenus iuſta.

In ſcholijs textu 140.

Macrob. in P. Saturnalium cap. 16.

In com. 33.

Seruitus voluntaria eſt turpiſſima, miſerrima, viliſſima omnium.

Seruit⁹ temporaria ex mercede, quæ eſt in vſu apud nos, eſt etiam iuſtiſſima.

P. ad Nicom. cap. 6.

uidentis ſaluti conducunt. Et hac eadem ratione eſt hic, qui mercede ſeruit, ſemper alicuius, cui ſeruit; tametſi non eiuſdem ſemper; ſed modò huius, modò illius. huius verò, atque illius eſt eo ipſo tempore, quo huic ſeruit, vel illi: quia eo ipſo etiam tempore (quaſi in hunc, & in illum facultate quadam communi dirigatur) paret, & exequitur quæ hic, vel ille imperat, ac prouidet. Ad extremum igitur duobus tantùm modis iuſtæ naturaliter, ac verè eſſe poſſunt legitimæ ſeruitutes. Vno modo ex primo naturæ conſilio, ſi cum naturali facultate, qua aliqui nati, aptíque ſunt ad ſeruiendum, coniungantur; ſeruiaturque ei, qui naturâ ſit dominus: cuius generis potiſsimùm ſunt ſeruitutes voluntariæ. Altero modo iuſtæ ſunt ex conſilio ſecundo naturæ, ſi facinoroſis, criminoſiſque hominibus, quorum libertas communi bono officeret, pro pœna, ac cautione iniunguntur. Ita tamen ex ſecundo naturæ conſilio iuſta eſt ſimpliciter hæc ſeruitus propter crimen, vt ex primo etiam iuſta fiat conſecutione quadam, & quodam modo. ſiquidem flagitia admittentes, ſerui euadimus flagitiorum, quæ cum libero, & nobili animo non manent; tandemque in ſeruilem naturam degeneramus. Hanc ſententiam de duobus modis iuſtarum ſeruitutum ex lege, præter quos nullus alius exiſtat, ſequitur Scotus in loco ſuprà citato iv. Sententiarum. Sed variat in primo modo. ſeruitutem enim naturalem non agnoſcit: & quæcunque de ſeruis naturâ Philoſophus ſcribit, ipſe ad ſubiectos ciuili imperio, filiorumque obedientiam refert.

Concluſio de modis legitimarum, & iniuſtarum ſeruitutum.

Scoti opinio.

Textus

Textus XXXIIII.

Concluſiones ſeptem ex duobus capitibus proximè antecedentibus.

CAPVT XII. TEX: LXV.

ARGVMENTVM. TEXT. LXV.

Concluſiones ſeptem de rebus, quæ in duobus ſuperioribus capitibus ſunt conſtituta, vel eas, quæ conſtituta ſunt, proximè ſequuntur. Prima generalis, de expoſitæ controuerſiæ probabilitate. Secunda, tertia, quarta, quinta, continentes tria theoremata auentia: Secunda de naturali ſeruitute, & dominatione: Tertia de earum vtilitate: Quarta de earum etiam iuſtitia: Quinta de inutilitate, & iniuſtitia oppoſitarum: Sexta, & ſeptima quaſi ſuperiorum corollaria: Sexta de amicitia ſeruitutem, & dominationem naturalem comitante: Septima de inimicitia oppoſitas conſequente. Loci, qui adhibentur: Per expoſitionem, in prima: A genere, in tertia, quarta, quinta: A ſimili, in tertia, quinta, ſexta: Ab adiunctis, in tertia, & quarta: A cauſa, in ſexta, & ſeptima.

Text: lxv.

* Sic legiſ in Ald. exemplari. Vetus. & Victorius delent καὶ ἐστιν. Baſil. Aretin. Acciaiol. Caltag. non habent alterum [illegible]

ᵃὍτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις, ᵇκαὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι οἱ δ' ἐλεύθεροι, δῆλον. ᶜκαὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον; ᵈὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν ᵉκαὶ δίκαιον, καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι τὸ δ' ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν· ᶠὥστε καὶ δεσπόζειν. ᵍτὸ δὲ κακῶς, ἀσυμφόρως ἐστὶν ἀμφοῖν. ʰτὸ γὰρ αὐτὸ συμφέρει τῷ μέρει, καὶ τῷ ὅλῳ· ⁱκαὶ σώματι, καὶ ψυχῇ: ᵏὁ δὲ δοῦλος μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος, κεχωρισμένον δὲ μέρος. ˡδιὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι, καὶ φιλία δούλῳ, καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους, τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμένοις: ᵐτοῖς δὲ μὴ τοῦτον τὸν τρόπον, ἀλλὰ κατὰ νόμον, καὶ βιασθεῖσι, τοὐναντίον.

Quod

[a] Quòd igitur quandam rationem habeat hæc cõtrouerſia; [b] & ſunt, & nõ ſunt hi quidem naturâ ſerui, hi autem liberi; manifeſtum eſt. [c] & quòd in quibuſdam [*] definitum, diſtinctumq́; eſt quod eſt eiuſmodi: [d] quorum huic quidem ſeruire cõducit huic autem dominari: [e] & iuſtum eſt, ac decet hoc quidem parêre, hoc autem imperare eo imperio, ad quod habendum, patiendumq́ue nata ſunt; [f] quare & dominari. [g] quod autem male, inutiliter ambobus ſuccedit. [h] idem enim conducit parti, & toti; [i] & corpori, & animę: [k] ſeruus autem pars quędam domini eſt, veluti animata quædam corporis, ſed ſeparata pars. [l] quocirca & vtile eſt quoddam, & amicitia ſeruo, & domino inter ſe, ijs, qui naturâ hæc ſunt conſequuti: [m] ijs autem, qui non hoc modo, ſed lege, & coacti, contrarium.

a. hoc eſt, quæ propoſuit ſuprà in tex. 59.
** διώρισαι.*
h. Simile ſuprà in texto.
i. Eluctur, ex vtilitate amicitiã, ex dñis inimicitiam naſci.
l. & amicitia ſeruo & dño inter ſe Oppoſitum videtur ſcribi in c. 11. lib. 8. ad Nicó.

EXPLANATIO.

Concluſiones ſeptẽ, quæ hoc in text. ex duobus antecedẽtibus cap. colliguntur.

CONCLVDIT, & quaſi perorat diſputationem duorum capitum antecedentium. Sunt autẽ concluſiones ſeptem: [a] quarum prima eſt generalis, & indiſtincta. Controuerſia, inquit, duobus proximis capitibus dijudicata, & tres quęſtiones complectens, de quibus ſæpe dictum fuit, vtrinque eſt fulta ratione. [c] Secunda, tertia, quarta, quinta concluſio continent tria theoremata aientia de naturali ſeruitute, ac dominatione; deq́; earum vtilitate, ac iuſtitia. Secunda eſt huiuſmodi: [c] Definita eſt naturaliter in quibuſdam hominibus hæc differentia, vt ſint alij liberi, alij ſerui naturâ. [d] Tertia: Prodeſt vtriſque, & liberis, & ſeruis naturâ; illis dominari; his ſeruire. [e] Quarta: Iuſtum eſt, ac decet, ſeruos naturâ ſeruire; liberos naturâ dominari. [g] Quinta oppoſita tertiæ, & quartæ, hacq́; de cauſa duarum partium, quarum poſterior ſubauditur in priori: Si malè hæc ſe habeant, ideſt ſi aduerſante conditione, & actu facultatibus illis naturalibus in vtriſq́; inſitis, qui ſunt liberi naturâ, ſint ſerui conditione, ſeruireq́; reipſa cogantur; item qui ſunt naturâ ſerui, ſint conditione liberi, ac reipſa dominentur; detrimentoſa vtriſque, atque iniuſta res eſt. [l] Sexta, & ſeptima ſunt quaſi duo corollaria ſuperiorum. [l] Sexta: Amici ſunt, & ſe amant inuicem ſerui, ac domini illi, qui etiam à natura hanc ſortis differentiam obtinuerunt. [m] Septima: Inimici ſunt, & odio ſe habent ſerui, & domini, qui non naturâ, ſed lege tantùm, & violentia facti ſunt domini, & ſerui. [a] Prima iſtarum concluſionum, quanquam manifeſta eſt ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt; [b] tamen declaratur quodã modo expoſitione, additis illis verbis: *& ſunt, & non ſunt alij quidem naturâ ſerui, alij autem liberi*. quòd ſi ſunt, & non ſunt ſerui, ac liberi naturâ: ſequitur vnà, vt docuimus multis in locis, eſſe quoque, & non eſſe iuſtam; & eſſe, & non eſſe vtilem ſeruitutem. [c] Secunda concluſio ſatis fuit demonſtrata, & nota eſt ex ſuperioribns duobus capitibus. [e] Quarta, & poſterior pars quintæ illi reſpondens, ideſt iuſtum eſſe, vt ſerui naturâ ſeruiant, liberi naturâ dominen-

Explicatio harum ſeptẽ concluſionum. Prima.
Secunda.
Quarta, et poſterioris pars quinta.

Right margin keys: a. — c. & d. — c. — d. — e. — g. — l. m. — l. — m. — a. — b. — c. — e. g.

dominentur; contrarium autem eſſe iniuſtum; confirmatur ex ſecunda, & per locum à genere. nam cui imperio habēdo, patiendoq; natæ ſunt res aliæ, & aliæ; eodem imperio decet, ac iuſtum eſt has parere, illas imperare: ergo etiam ſi quidam homines ſunt naturâ idonei, per ſecundam concluſionem, alij ad dominandum, alij ad ſeruiendum; decet, & iuſtum
d g eſt hos quidem ſeruire, illos verò dominari. [d] Tertia, & prior pars quintæ, quæ illi reſpondet, prodeſſe, inquam, vtriſque, & liberis & ſeruis naturâ, vt illi dominentur, hi ſeruiant; ac nocere contrarium, quod ad libe- *Tertia, et prior partis quintæ.*
h. i. k. ros quidem attinet, notæ ſunt: [h] confirmantur autem, quod attinet ad
h. ſeruos, argumentis à genere, & à ſimili. [h] Nam quod prodeſt toti natura-
h. liter ſe habenti, idem & parti naturaliter ſe habenti prodeſt: [k] eſt autem
k. a. ſeruus naturâ ex textu 42. & 38. & 43. pars quædam domini naturâ, [a] pars
k veluti. quędam, inquam, quia non verè pars, [k] ſed ſimilis parti, & [h] parti quidem
k. animata quadam corporis. corporis animatæ ex eo genere partium, quas vocant inſtrumentarias, [k] ſi eiuſmodi pars ſeparata eſſet, quod demum nihil aliud ſignificat, niſi ſer-
k. ſed ſeparata pars. uum eſſe domini inſtrumentum animatum, ac ſeparabile. hæc enim eſt differentia partis, & inſtrumenti, quod non eſt pars: quòd pars neceſſariò coniuncta eſt; inſtrumentum, quod propriè & verè non eſt pars, eſt ſepa-
In com 43. ratum, vt diximus ſuprà. [i] Item quod prodeſt animæ, prodeſt corpori,
i. vtroque ſecundum naturam ſe habente: & dominus naturâ animæ, ſer-
e. et. uus naturâ corpori eſt ſimilis, ex tex: 47. & 49. [e] Adhuc verò harum duarum cóclusionum, tertiæ, & quartæ, vtraque pendet ab altera per coniun- *Tertia, & Quarta.*
ctionem, conſecutionemque mutuam attributorum. Siquidem quicquid eſt iuſtum, eſt etiam ex neceſsitate vtile illis, ad quos iuſtum dicitur; &
l. m. contrà, vt alibi declarauimus. [l] Sexta, & [m] ſeptima naſcuntur ex tertia, & *Sexta. & Septima.*
l. & vtile eſt &c. priori parte quintæ per locum à cauſa. [l] amicitia enim, & amor vtilitati,
l. quocirca et. inimicitia, & odium damno in omnibus comitantur. [l] pręterea ſexta confirmatur per locum à ſimili. nam ſeruus naturâ eſt ſimilis parti, & corpori; dominus naturâ eſt ſimilis toti, & animæ: eſt autem his inter ſe amicitia; toti, inquam, & parti; animæ &, corpori ſecundum naturam ſe habentibus.

Partes textus nouem. Prima (a) habet primam concluſionem. Secunda (b) confirmationem illius per quandam expoſitionem. Tertia (c) concluſionem ſecundam. Quarta (d) concluſionem tertiam. Quinta (e f) concluſionem quartam, & probationem ex genere eius, & prioris partis quintæ. Sexta (g) quintam concluſionem. Septima (h i k) duas rationes à genere, & à ſimili tertiæ concluſionis, & poſterioris partis quintæ, quod ad ſeruos attinet. Octaua (l) concluſionem ſextam, & probationes eius à cauſa, & à ſimili. Nona (m) concluſionem ſeptimam, & probationem eius à cauſa. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Quòd igitur quandam rationem habeat hæc controuerſia. Simile ſuprà in tex: 57. *quòd igitur & qui contraria inquiunt modo quodam dicant rectè.* *Collatio locorum.*

Sunt, & non ſunt &c. Vel quia qui ſerui, & qui liberi naturâ ſunt; nondum reipſa, Ideſt nondum actu ſunt ſerui, & liberi. quamobrem modo quodā ſunt, & modo quodam non ſunt id, quod dicuntur. Vel quia non eſt neceſſarium ſeruos, & liberos lege eſſe ſeruos, & liberos naturâ. quocirca non ſunt ſerui, & liberi naturâ, qui ex eo, quòd lex eos fecerit tales, his vocabulis nuncupantur. *Verborum expoſitio.*

& ta-

& tamen ſunt omnino quidam ſerui, & quidam liberi naturâ, hoc eſt vi quadam naturali ad ſeruitutem, & ad dominationem idonei, quibus nomina hæc non attribuimus.

Diuiſio hominum in liberos & ſeruos.

Hi quidem naturâ ſerui, hi autem liberi. Naturâ, & viribus naturalibus homines ſic diſtinguuntur, quòd alij ad ſeruitutem; alij ad libertatem, & dominationem ſunt apti. Eadem diſtinctio apud iuriſconſultos in liberos, & ſeruos factos à lege. qua diſtinctione continetur quem hominum ſtatum appellant. Significat enim ſtatus propriè conditionē libertatis, vel ſeruitutis, vt docent D. Thomas in ſecunda 2. q. 183. art. p. & Franciſcus Connanus in ij. cōmentariorum cap. p. Itaque Caius in leg. 3. de ſtatu hominum, & Iuſtinianus in Inſtit. de Iure perſonarum §. p: Summa, inquiunt, diuiſio de iure perſonarum hæc eſt, quòd omnes homines aut liberi ſunt, aut ſerui. Hactenus cum philoſophis iuriſconſulti, conſentiunt; licet loquantur hi de legitimis, illi de naturalibus:

De ſecūda diuiſione tradita à iuriſconſultis liberorū hominum.

Dehinc verò diſcordant & ſibi ipſi, & illis. Sequuntur enim Martianus in leg. 5. & Iuſtinianus in §. fin. iiſdem titulis: In ſeruorum conditione nulla eſt differentia; liberorum autem hominum quidam ingenui ſunt, quidam libertini.

Ingenui.

Ingenuos ſic definit ibidem Martianus: Ingenuos eſſe, qui ex matre in libertate conſtituta, vel eo tempore, quo concepit, vel eo, quo peperit, nati, nec poſtea ſerui facti ſunt, ſiue ingenui, ſiue libertini ipſa generis fuerit, & patre ſiue ingenuo, ſiue libertino, ſiue etiam ſeruo, vt declarat Iuſtin. in Inſtit. de Ingenuis. *Valla Elegã. lib. 4. cap. 9.*

Libertini.

Libertini autem ſunt, inquiunt Caius in leg. 6. eod. tt. de Statu hominum, & Iuſtinianus in Inſtit. de libertinis, qui ex iuſta ſeruitute ſunt manumiſſi.

Filij libertinorum.

Cum his dúobus generibus liberorum hominum tertium annumerabant antiqui, nempe filios libertinorum; quorum quidem media conditio eſſet inter ingenuos, & libertinos. At hi iure noſtro prorſus ſunt ingenui. de qua re Carolus Sigonius in cap. 6. lib. primi de antiquo iure Romanorum.

Libertinorum genera ex modis libertatis.

Libertinorum item, ſeu libertorum (vna enim, & eadem res eſt, quæ ſignificatur diuerſa oppoſitione, & reſpectu; hîc patroni, & manumiſſionis; ibi libertatis, & ingenui) ſtatus olim tripartitus, & tria genera fuerunt, ex Iuſtiniani Inſtit. de libertinis, & Caij cap. p. Inſtitut. Nam vel ciues Romani fiebant ex vetuſtiſſimo iure, qui manumittebantur; vel Latini ex lege Iunia Norbana; vel deditiij ex lege Aelia Sentia.

Ciues libertini.

Ciues Romani maiorem, iuſtamq́ue libertatem, ideſt ciuitatem vnà cum libertate conſequebantur; tribus modis manumiſſi, vel cenſu, vel vindicta, vel teſtamento: quos modos ciuiles hac de cauſa, quia ciuitatem tribuerent, & legitimos, quòd legibus inducti ſint, vocat Theophilus. Non tamen hi ciues Romani reliquos ciues ingenuos priuilegiis, honoribusq́ue æquabant.

Dedititij, & Latini.

Dedititiorum, & Latinorum cōmune fuit, vt certa cōditione liberi eſſent, nō plenè, ac perfectè; quaſi media fortuna, inter ſeruos, liberoſq́ue conſtituti. Siquidem ciuium numero neutri aſcribebantur: teſtamenta condendi; aut capiendi relicta ſibi teſtamento ius non habebant; &, ſeruorum inſtar, domino acquirebāt, non ſibi. Sed dedititiorum peſſima conditio erat. Fiebant enim dedititij ex illis ſeruis, qui ſuppliciis dati, aut publicè cæſi, aut indiciis igne, ferro'ue impreſſi, vnde ſtigmatiarum nomen, ob admiſſa crimina ante manumiſſionem fuerant. quapropter hac perpetua, & ſeruili ignominia notati, nec ciuibus annumerari vnquam poterant, nec ad iuſtam libertatem peruenire. Latini plenam libertatem, & ius ciuitatis ad præſens quidem non habebant, expectabant tamen: &, quum iis deeſſet ſolenne manumiſſionis, quippe quia nec cenſu erant, nec vindicta, nec teſtamento, ſed aliis modis, quos naturales Theophilus appellat, vt per epiſtolam, aut inter amicos, aut menſæ communicatione manumiſſi; multum etiamnum obtinebat dominus in eos iuris, & poteſtatis; quòd huic eorum ſtatus non tam libertatem, quàm ſpem libertatis afferret. Quare non poterant donari aureis annulis, quibus libertini ciues frequentiſſimè donabantur; nec alio quouis modo ingenui fieri: quin prius ad perfectam libertatem perducerentur.

Statuliberi ſerui.

His ſimiles libertatis ſpe ſtatuliberi, non libertini amplius, ſed ſerui erant: qui ſcilicet, vt Paulus ait, ſtatutam, & deſtinatam in tempus, vel in conditionem teſtamento domini haberent libertatem. Contrà *Paulus leg. p. de Statuliberis.*

orcini

orcini liberti fuerunt, non ſerui: inde dicti, quòd domino iam mortuo, & in orci poteſtate conſtituto, tanquam ab ipſo orco libertatem conſequerentur, & viderentur eſſe quodammodo orci liberti. Sed iam limitibus, conſilioque excedimus noſtro: & hæc copioſè ab aliis explicata ſunt. Itaque ad id, quod incœperamus, reuertimur. Primùm igitur quas formas liberorum hominum antea conſtituerant iuriſconſulti, eaſdem poſtea abrogarunt, [a] ſublatis latinis, & dedititiis. Adhoc, ſi multis in locis multos ipſi modos ſtatuunt legitimæ ſeruitutis, quorum nos quoſdam in com. 58. enumerauimus; quî dicere hîc poſſunt, in ſeruis nullam, in liberis multas cõditionis eſſe differentias? Reſpondent [b] quidam erudiriores, hoc ideo ab iis dici, quoniam ſerui ſeu bello capti, ſeu volentes ſe pro pretio in ſeruitutem dederint, & qui ex vtriſque naſcuntur, æqualiter omnes ſerui ſint, nec vlla ſit inter eos à iure gentium, vel ciuili conſtituta differentia. Itaque vt origine ſua, & inſtitutione differant inter ſe, ſeruiendi conditione, & iure non differre. Liberorum autem magnam eſſe differentiam & originis, & iuris; qua in ingenuos, & libertinos; libertinique in ciues, latinos, & deditios diſtribuuntur. Concedatur ita eſſe de modis, quos origines, & inſtitutiones variæ faciunt. quid reſpondebunt de ſeruis colonis, eorumq́ue generibus, aſcriptitiis, originariis, inquilinis? Eſt'ne eadem prorſus conditio, & ius ſeruitutis iſtorum, & aliorum ſeruorum? An, [c] vt quidam contra vigeſimam legem Iuſtiniani. C. de Agricolis, & cenſitis, hos ſeruos in numero liberorum reponent, vel ſimpliciter, vel quia reſpectu aliorum, præterquam domini terræ, liberi cenſeantur ex leg. 2. Arcadij, & Honorij. In quibus cauſis coloni cenſiti. Sed hæc eſt conditio, & ius ſeruitutis differens, non libertas. Quòd ſi demum in liberis ſunt numerandi; neceſſariò, ex paulo antè propoſita diuiſione [d] Martiani, & Iuſtiniani, aut ingenui erunt, aut libertini. Dicunt [e] alij genus colonorum eſſe medium inter ſeruos, & liberos. Et in eos par ratio infertur: malè diſtribuiſſe [f] Caium, & Iuſtinianum omnes homines in liberos, & ſeruos. Poſtremò ſi eodẽ modo ſumitur vocabulũ liberi in vtraq; diuiſione, Caij in leg. 3. & Martiani in leg. 5. de Statu hominum; vitioſè, inutiliterq́ue definita eſt libertas in lege inter eas interiecta Florentini: neque enim libertinitas dici poteſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet. Si ſumitur diuerſo modo, ſignificatque in diuiſione priori ingenuos tantùm; imperfecta diuiſio erit, prætermiſſo genere libertinorum. Et omnino, ſiue eodem, ſiue diuerſo ſumatur modo, fateamur oportet, temere congeſtas, confuſaſq́ue à Triboniano leges illas fuiſſe, ideſt pro legibus fruſta Inſtitutionum Caij, Florentini, & Martiani: quandò diſtinctis hominibus in liberos, & ſeruos, definitaque libertate; additur diuiſio liberorum in ingenuos, & libertinos; in quos libertinos libertas illa non cadit.

Orcini liberti.

Dubitationes in dictis iuriſconſultorum.

a. Iuſtin. Inſtit. de Libertinis & C. de Dedititia & de Latina libertate tollẽda.

b. Cõnanus ij. cõmentariorũ cap. 9. n. 3.

c. Accurſi⁹ ff. de ſtatu hominum l 3 et C. de Agricolis et cenſitis l. 20.

d. Martianus l. 5. de ſtatu hominum. Iuſtin. Inſtit. de iure perſonarum.

e. Cõnanus ij. cõmentariorũ cap. 10. et alij.

f. Cai⁹ de ſtatu hominũ l. 3. Iuſtin. Inſtit. de iure perſonarum.

Quorum huic quidem ſeruire conducit &c. Conducunt re vera vtrique, & domino, & ſeruo naturâ, quæ huic ab illo imperantur: quanquam imperat dominus per ſe ad ſuiipſius vtilitatem; ſecundario, & penè ex accidenti ad vtilitatem ſerui; quoniam ſeruo extincto non ſeruaretur dominatio, vt ſcribitur infrà in iij. & vij. libro. Sed & viciſſim paret, facitque ſeruus imperata primò, & per ſe ſuæ propriæ vtilitatis causâ, quam domino obtemperans conſequitur. Itaq; etiam domini vtilitatem, ac ſalutem, ex qua ſua pendet, proximè ſpectat. Natura tamen domini ſalutem ſalute ſerui habet antiquiorem: dirigitque omnino ſeruum in dominum, vt ſuprà fuit declaratum.

Quatenus imperiũ vtile ſit domino, et ſeruo, & quid ſpectet vterq. ille in imperando, hic in parendo.

Lib. iij. cap. 4. et lib. vij. cap. 13.

Et iuſtum eſt, ac decet. δίκαιον, καὶ δεῖ hic accipio pro eodem: quia quod iuſtum eſt, decet; & quod decet, iuſtum eſt. habet enim vtrunque iſtorum commenſum, & proportionem dignitatis.

Vocabula δίκαιον, καὶ δεῖ.

Quod autem malè, inutiliter ambobus ſuccedit. Victorius: ſi perperam, inquit, adminiſtraretur dominicum imperium, vt ſi ſeruus tractaretur indulgentius, & quaſi homo liber; obeſſet ambobus: nam & ſeruus corrumperetur, & dominus ex illa indulgentia malum reportaret. Fallitur Victorius: nec cum antecedentibus, nec cum ſequentibus nec cum ipſa re hæc, quæ ait, conueniunt. quæ autem ſit vera ſententia huius loci, iam diximus.

Expoſitio Victorij.

Quæſt. quædã de morib. ſeruorũ, et modus viuendi cũ illis.

Quocirca & vtile eſt quoddam, & amicitia &c. Hæc tollunt magna ex parte quæſtiones de odio, & beneuolentia; de fide, & perfidia ſeruorum in dominos; ac tandem de nequitia eorum, & probitate: vnde alij comiter, & clementer; alij acerbè, & crudeliter; alij apertè, alij malitioſè cum ſeruis viuendum putant. Quas quidem quæſtiones perdifficiles eſſe ait Plato in vi. de Legibus: & quas ſecundum eum tractarunt Xenophon in Oeconomico, Athenæus in vi. Cœnarum, Macrobius in primo Saturnalium cap. 10. Cœlius Rhodiginus in lib. xxv. cap. 21. & alij multi. Huius maximæ varietatis morum, ingeniorumque, & facinorum tam bonorum, quàm malorum, quæ in ſeruis conſpicitur, quorum multa exempla inuenies apud citatos auctores; originem primam tribuit hîc Philoſophus naturæ, & violentiæ. Plato, qui de ſeruis legitimis loquebatur, in vi. de legibus tribuit eandem educationi, & conſuetudini. Quanquam etiam in naturalibus coniungenda ſunt cum naturali inclinatione vſus, & exercitatio. Sed hæc diſquiſitio ad œconomicen magis pertinet.

Athenæus cap. 7. lib. vij.

Cõciliatio huius loci cũ loco viij. ad Nicom. de amicitia. & amore inter dominũ. & ſeruum.

Et amicitia ſeruo, & domino inter ſe. Scribitur contrarium in viii. ad Nicomachum: Domino erga ſeruum nullam eſſe amicitiam, nullum ius. Tollit autem repugnantiam id, quod ibi additur: Nihil habere inter ſe commune dominum, & ſeruum, quâ ſeruus, ac dominus ſunt; proptereaquòd ille huius ſit res, & inſtrumentum quoddam animatum: itaque nec amicitiam, nec ius vllum eſſe inter eos poſſe, quâ ſunt eiuſmodi: oportere enim eſſe aliquid commune inter illos, inter quos ius, & amicitia intercedat: at quá iidem ſunt homines; legis, pactioniſque fieri participes: ergo &, quá homines, etiam amicitiæ, iuriſque aliquid habere. Sic igitur intelligendum eſt quod hîc dicitur à Philoſopho: eſſe amicitiam inter dominum ac ſeruum: quá ſcilicet homines ſunt, non quà dominus, & ſeruus. Quanquam enim ſeruus naturâ non ſolùm eſt ſeruus, ſed eſt ſimpliciter homo, ac res domini, ideſt quanquam in dominum dirigitur veluti in perfectionem ſuam: tamen conſyderari etiam per ſe poteſt vt homo, & vt inclinatur naturaliter in dominum, diligitque eum ex tali inclinatione, ex qua deinde vocatur ſeruus: quemadmodum materia, quæ eſt in compoſito, conſyderatur etiã per ſe, & vt formam expetit, incumbitque in eam; licet ſimpliciter ſit materia, & res compoſiti, ac formæ compoſiti. Vel in viii. ad Nicomachum ſermo erat de amicitia, quæ verè, proprieque dicitur, & de ſeruo in vniuerſum, non de naturali duntaxat ſeruo: hîc loquitur Philoſophus propriè de ſeruis, ac dominis naturà; & de amicitia fusè ſumpta, ideſt de beneuolentia, & amore. quapropter addit nomen *quoddam*, quod rem certam ſignificat, *eſt amicitia, & vtile quoddam*. Amare autem ſe, ac ſibi benevelle inuicem dominum, & ſeruum, qui ſunt eiuſmodi naturâ, non ſolùm quatenus homines ſunt, ſed etiam quatenus ſunt eiuſmodi ob commoda, & bona, quæ vtrique ab altero exiſtunt; perſpicuum eſt ex iis, quæ ſuprà ſunt poſita, & in explanatione annotata. At ſi miſerrima eſt conditio ſeruitutis, qua nihil peius oderunt homines, nihil deteſtabilius, aut magis execrandum putant; & merito quidem, quandò ex hominibus penè belluas facit; quî poterunt dati ſeu à natura, ſeu a fortuna in ſeruitutem amare dominos ſuos; quos ſtatim, ac ſuſtuleris, deſinunt ipſi eſſe ſerui, & ab ea miſeria liberantur? Imò verò quo miſerior, ideſt quo infirmior, ac imperfectior eſt ſtatus ſeruitus naturalis; eo magis, qui in hoc ſtatu eſt à natura collocatus, hominem eum amabit, à quo imbecillitatis ſuæ ſubſidia, & perfectionem quandam ipſe nanciſcitur: qui ſi non eſſet, aut alius eiuſdem modi, non poſſet ipſe diu viuere ex textu 6. & 42. & 43. & aliis locis; tantum abeſt, vt illius morte ſoluendus eſſet miſeria, melioremque in conditionem transferendus. Solent autem vel ipſæ belluæ amare eos, qui ipſis benefaciunt. Ita amor eſt, & amicitia inter dominum, & ſeruum natura. Inter eos autem, quos tales non natura, ſed fortuna, & vis, & lex faciunt, contrariis de cauſis eſt odium, & inimicitia, vt dicit Philoſophus: niſi morum probitas, & conſuetudo aliquando præponderent. Hinc natum prouerbium, Quot ſerui, tot hoſtes. hinc bella ſeruilia, quorum Plato, Athenæus, Plutarchus, multi alij mentionem

In viij. ad Nicom. cap. ii.

Odiũ et inimicitia inter dominos & ſeruos ex lege.

Plato in vi de legibus. Athenæus in loco ſæpe citato, Plutar. in Craſſo.

tionem fecerunt, & de quibus commentarium conſcripſerat Cœlius Rhetor, vt narrat idem Athenæus. hinc ſæuæ animaduerſiones, ſæuæ ſine peccatis pœnæ, & mores alicubi crudeles, atque immanes dominorum in ſeruos ſuos: quales mores multi apud Spartiatas, apud quos ſeruus prouerbio verè dicebatur ſeruus, & omnium maximè inhumana illa cryptia, quæ nec ſine horrore legi poteſt, deſcripta à Plutarcho in vita Lycurgi.

Lege, & coacti. Hæc duo vel ſumenda ſunt ἐκ παραλλήλου: plerunque enim in legitimis ſeruitutibus violentia adhibetur: vel ſignificant duplex ſeruitutis genus, quod iure fit, & quod iniuria. De quibus diximus ſuprà. *Verborum compoſitio.*

(****)

Textus XXXIIII.

*

Primæ ſententiæ confutatio.

CAPVT XIII.

Dominationem, & ciuilem rationem, & alia imperia non eſſe idem: Nec dominum, liberum, & ſeruum dici ex ſcientia, ſed ex poteſtate naturali: eſſe tamen ſcientiam tum dominicam, tum ſeruilem: & quæ, ac qualis ſit vtraque earum. Quibus tollitur prima ſententia.

φανερὸν δὲ καὶ ἐκ τούτων, ὅτι οὐ ταυτόν ἐστι δεσποτεία &c. tex: LXVI. ad LXXIII.

SCHOLIVM.

Spectatiua, actualis, & effectricis rationes inter ſe diſtinctio.

Quare ſuprà, ſcholium tex: 40. & 41.

DECLARAVIMVS aliàs ſpectatiuam, actualem, & effectricem ſeu rationem, ſeu facultatem diſtingui primùm, quòd harum initia ſint intus in agente, efficienteque; illius extrà in rebus, quas contemplamur. Atque ſpectatiuam rationem hac de cauſa, quia initium eius ſit in re exteriori, diuidi in multas ſcientias per genera rerum ſubiectarum, diſtincta non quouis modo, ſed illis duntaxat, quibus mentem noſtram ipſa mouere, & ab ea percipi poſſunt. Earum autem ſcientiarum, in quas diuiditur, omnium per ſe vnum eſſe finem, ipſam veritatem; vnumque opus contemplandi. quod opus & qui finis alijs porrho differētijs, quàm generum ſubiectorum,

Spectatiuæ rationis in ſcientias diuiſio quibus modis, & rebus.

rum,

rum, nequeant multiplicari: vnde contemplationes,& veritates diuerſæ exiſtant, dicanturque ſolùm ob res diuerſas, quibus accõmodantur. Hinc tres eſſe formas ſcientiarum, ſeu ſpectatiuarum rationum, propterea quòd tria ſint genera rerum varijs modis mentem noſtram afficientium, & excitantium ad contemplandum: vnum prorſus ſeparatum, & materiæ expers, quod mentis apice attingimus: alterum materiale, & inſeparabile omnino, quod comprehenditur ſenſu,& mente: tertium medium, ideſt materiale per ſe, ſed quod cogitatione poſsit ſeparari, quod cogitabile ob id appellatur, eſtque proprium ipſius cogitationis. At duas reliquas rationes, actualem, effectricemque diſcretas inter ſe cùm viribus animę, à quibus pendent, tum finibus, ad quos ſpectant; diuidi rurſus, hanc in artes, illam in prudentias, virtutesq; varias: quarum vtrarunque aliæ rebus ſubiectis, & quaſi materijs diſtent, vt medicina, & veterinaria; aliæ finibus, vt gladiatoria, & bellica; aliæ operationibus, inſtrumentiſque, ac modis operationum, vt pictura, & ſculptura; aliæ tandem viribus inſitis, ac naturalibus, vt nunc dicebamus ſummas formas ipſarum, effectricem, actualemque diſtare, & ſignificabat Plato in iij. de Republica auri, argenti, æris, ferrique nominibus, quorum aliud alij homini eſſet ingeneratum ad aliud, & ad aliud opus tam actionis, quàm effectionis. Sed & Democritus excludit ſanos Helicone Poetas. Et ſunt planè virtutes diuerſæ virorum, mulierum, ſeruorum ob diuerſas poteſtates naturales animorum, & corporum. Diſtingui verò quaſdam iſtarum artium, virtutumque vna tantum; quaſdam quibuſdam; quaſdam omnibus his differentijs. Ex his igitur, quæ fuſius alibi ſunt explicata, liquere arbitror, ſi prior pars illius primæ ſententiæ, de qua dictum eſt in text: 34. ſit vera, reponaturque in ſcientiæ genere ipſa dominatiò, veram quoque eſſe poſteriorem, vt ſint eadem ſcientia hæc, & domeſtica, & ciuilis, & regia ratio: propterea quòd vnum ſit ſubiectum genus, & materia, in qua cunctæ verſentur, homines ſcilicet quatenus regi, imperarique ab alijs poſſunt; atque in hoc genere

Spectatiua ratio cur in tres primas partes diſtribuatur.

Actualis, & effectrix rationis tum à ſe inuicem, tũ in ſuas virtutes partes diuiſio, & diſtinctio quibus modis, et rebus.

Pars prior, & pars poſterior primæ illius ſententiæ, de qua in tex: 34. quomodo ſe inuicē ſequat in veritate, & falſitate.

reſpectu

reſpectu τοῦ δεσποτικοῦ vnus finis, vnaq; operatio cunctarum, nempe contemplatio, & cognitio imperandi, ac vtendi illis hominibus, ſicut dicebamus in tex: 2. & 34. Contrà etiam ſi falſa ſit pars poſterior, nec ſint idem dominatio, & alia imperia, ſed differant finibus, operationibus, modis, inſtrumentis, viribus inſitis, vt reuera differunt, quanquam iubiectum idem eſſet, falſam eſſe priorem ſimul: ideſt dominationem non eſſe ſcientiam. Differt autem ab alijs imperijs dominatio (nam de aliorum inter ſe differentijs alio loco dicemus) primùm fine: quia dominationis finis eſt ſalus, & commoda priuatę vitę: reliqua imperia aut publicam, non priuatam vitam ſibi proponunt, vt ciuile, & regium; aut ſi priuatam, vt coniugale, & paternum, magis procreationem, inſtitutionemq; liberorū, quos ſimiles ſibi relinquāt, quærūt, quam ſalutem, & commoda vitæ propriæ. Deinde operatione differt. Opus nanque, & officium dominorum eſt vti hominibus tanquam inſtrumentis quibuſdam animatis, imperando ea, quæ vtriſque conducant: reliqui autem imperantes non ſic vtuntur hominibus vt inſtrumentis, & partibus, & rebus omnino ſuis. Et modos, inſtrumentaque etiam ſibi propria adhibent domini in huiuſmodi imperio, dum vtuntur ſeruis tanquam inſtrumentis. Adhæc habēt domini, qui verè, ideſt naturà ſunt tales, vim quandam peculiarem, qua apti naſcuntur ad dominandum, vt ſuprà fuit declaratum. Et hæc vis, quanquam eiuſdem eſt generis, cuius ſunt aliæ, quibus ad alia imperia apti naſcimur; non tamen eſt formæ eiuſdem omnino. Proinde ab hac domini naturà, ab alijs naturà reges, aut naturà ciuiles, aut alio genere imperij imperantes naturà appellantur. Diſcernitur tandem dominatio ab alijs imperijs materia, & genere ſubiecto: quoniam in homines naturà ſeruos eſt dominatio; in homines liberos naturà ſunt alia imperia. Non ſunt hæc genera hominū liberorum, & ſeruorū naturà, eius modi, cuius eſſe illa oportere diximus, quibus ſciētię diſtinguerētur: neque .n. diuerſa eſt ratio intelligēdi hos, & illos, quaſi vni magis, alteri minus ſint cum motu, & materia coniunctu:

Dominationis ab alijs imperijs differētię.

iuncti: attamen ſunt talia, vt artes, & virtutes reſpectu non cognitionis, ſed actionis poſſint variare. quamobrem, quum in eodem genere hęc omnia imperia vertantur, quod ad theorian attinet: non vertuntur in eodem, ſed in diuer-
tex: 66. ſis, quod attinet ad praxin. Primùm igitur refellit Philoſophus ſecundam illius ſententiæ partem, probans non eſſe idem dominationem, & alia imperia hoc præcipuè argumento; quòd ſubiecta genera, in quibus vertuntur, ſint diuerſa; non ea tamen diuerſitate, quæ ſcientias facere diuerſas ex diuerſa intelligendi ratione queat; ſed ea, quę ſatis ſit ad diſtinguendas artes, & virtutes reſpectu actionis; ideſt ſint diuerſa genera, conſtituta, & diuerſa viribus inſitis, quę in certos fines, & per certas operationes neceſſariò diriguntur. quapropter in ijs generibus vnà cum inſitis viribus notantur & operationes, modíque, ac inſtrumenta operationum, & fines: & dum Philoſophus oſtendit differre illis dominationem, & alia imperia, etiam his omnibus eadem *Series textuũ huius capitis. Dominationẽ & alia imperia idem non eſſe.*
tex: 67. differre oſtendit conſecutione neceſſaria. Refutat deinde Philoſophus hoc principio, & theoremate, quod ex hoc principio conficiebatur, priorem partem illius ſententiæ. Nam, vt dicebamus, ſi differunt dominatio, & alia imperia non ſolùm ſubiectis generibus, ſed præterea operationibus, finibus, ac reliquis, quæ quidem operationes, fines, ac reliqua ſuis proprijs differentijs diuerſa ſint, non differẽtijs generum ſubiectorum; planè ſequitur dominationem, & alia imperia in ſcientijs non numerari. Fines .n. & operationes diuerſarum ſcientiarum nullis alijs differẽtijs inter ſe diſtabant, niſi ijs, quæ à ſubiectis generibus acciperentur, ideſt niſi quia operationes eſſent, & fines diuerſorum generum ſubiectorum. Tum ſi termini dominationis, qui ſunt domini, & ſerui, ſunt tales naturà; non eſt dominatio ſcientia. quippe ſcientia habitus aduentitius eſt, non vis innata. Eſt *Dominationẽ non eſſe ſcientiam, ſed virtutẽ, & rationẽ actualem.*
tex: 68. igitur dominatio virtus, & ratio actualis. Sed quoniam actio, quæ verè, proprieque dicitur, ſine cognitione non exiſtit, neceſſe eſt nanque, vt quę ſic agimus, ea ante cognoſcamus & qualia ſint, & quibus modis agi, aut non agi debeant, *Eſſe ſcientiam quandã dominicam, & quandã ſeruilem.*

beant, quemadmodum in iij. de Anima eſt declaratum; docet Philoſophus vltimo loco, eſſe etiam ſcientiam quandam dominicam, & quãdam ſeruilem, [a] ac quæ, & qualis ſit vtraque earum: ideſt docet in perfecto domino & ſeruo ad vires inſitas, ex quibus nominantur, adiungi oportere habitus quoſdam ſcientiæ, vel potius prudentiæ, & omnnio cognitionis, continentes præcepta, quibus vterque munerum ſuorum functiones dirigat, hic faciendo, ille iubendo quæ neceſſaria, & opportuna ſunt vitę noſtræ. Inſinuat deinde ſe in ſubſequentem diſputationem de pecuniaria, diſtincta ſcientia eius à ſcientia dominica, & ſeruili.

[a] tex: 69. 70. 71.

tex: 72.

ARGVMENTVM. TEXT: LXVI.

Differre eſſentiâ, non accidentibus tantùm multitudinis, & paucitatis, quæ erat poſterior pars ſententiæ propoſitæ in tex: 34, dominationem à ratione ciuili, cæteriſque imperijs. Locus à ſubiectis generibus, quæ inſitis poteſtatibus diſtinguuntur, ſubindicantque hac de cauſa vnà cum illis etiam fines, & operationes eſſentià diuerſas. Huic loco alter adiungitur, ex proprietatibus præſtantiorum terminorum, oſtendens differre à ciuili nominatim dominationem, totamque rationem domeſticam. Et ex his theorematibus infertur directè contra auctores illius ſententiæ, de qua re etiam in tex: 2. non eſſe idem omnia imperia inter ſe.

Text lxvj. [a] φανερὸν δὲ καὶ ἐκ τούτων, ὅτι οὐ ταὐτόν ἐστι δεσποτεία, καὶ πολιτική, [b] οὐδὲ πᾶσαι ἀλλήλαις αἱ ἀρχαί, [c] ὥσπερ τινές φασιν. [d] ἡ μὲν γὰρ ἐλευθέρων φύσει: [e] ἡ δὲ δούλων ἐστί. [f] καὶ ἡ μὲν οἰκονομικὴ, μοναρχία· [g] μοναρχεῖται γὰρ πᾶς οἶκος: [h] ἡ δὲ πολιτικὴ, ἐλευθέρων, καὶ ἴσων ἀρχή.

[a] Manifeſtum autem & ex his eſt, non eſſe idem dominationem, & rationẽ ciuilem; [b] neque omnia inter ſe imperia; [c] quemadmodum quidam aiunt. [d] hoc enim liberorum quidem naturâ; [e] hoc autem ſeruorum eſt imperium. [f] & ratio quidem domeſtica eſt imperium vnius; [g] regitur enim ab vno omnis domus: [h] ciuilis autem liberorum, & æqualium imperium eſt.

[g] idem ſupra in tex: 15.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Dominationē à ratiōe ciuili & a quouis alio imperio diuerſam eſſe, et quibus modis, rebusq; ſit diuerſa. Nō eſſe idem oīa imperia. Dominatiōis, & cuiuſuis alius imperij differentia ex ſubiectis generibus, & alijs, quæ hæc comitantur.

Declaratvm eſt multis argumentis eſſe naturâ quoſdam homi-
a. nes ſeruos, & quoſdam dominos, ac liberos. [a] Cùm hoc autem vnà in-
telligitur dominationem à ratione ciuili, & à quouis aliorum imperiorum
b. diuerſam eſſe. [b] Quòd ſi duo ſaltem iſtorum ſunt diuerſa, & non idem:
c. clarè ſequitur non eſſe idem inter ſe omnia imperia, [c] vt in textu 2. & 34.
d. e. quidam aſſerebant. [d] Probatur primum connexum. [e] Nam ſubiectum, ſeu
e. materia veræ, & iuſtæ, & perfectæ dominationis, de qua in præſentia lo-
d. quimur, ſunt homines naturâ ſerui: [d] ſubiectum, ſeu materia cuiuſuis
aliorum imperiorum, quod inductione oſtendi poteſt, ſunt homines li-
beri naturâ. hæc autem duo ſubiecta, homines ſerui, & homines liberi
naturâ, ſunt in philoſophia actuali duo genera hominum diſtincta inter
ſe, & conſtituta viribus quibuſdam naturalibus, illud exequendi, & pa-
rendi, hoc prouidendi, & imperandi, vt ſuprà expoſitum fuit. Et vis na-
turalis vnaquæque in certum finem, per certam operationem, certis mo-
dis, inſtrumentiſque neceſſariò dirigitur. Itaque & ſubiecta, & vires ea
conſtituentes, & fines, & operationes, & modi, inſtrumentaque opera-
tionum propria dominationis, ac propria cuiuſuis alius imperij inter ſe
differunt. Quæcunque verò differunt his rebus, non differunt acciden-
tibus tantùm, ſed neceſſe eſt differre eſſentia ab his rebus pendente. Hæc
igitur argumentatio, ducta à ſubiectis generibus, differre ab omnibus

Domeſtica, et ciuilis ratiōis differentia ex ꝓprietate quadā imperij in vtraq; earum.

f. g. h. alijs imperijs communiter ipſam dominationem oſtendit. [f] Altera com-
parat propriè cum ciuili rationem domeſticam, cuius pars eſt dominatio:
ducituŕq; à proprietatibus præſtantiorum terminorum in hunc modum.
Sunt cuiuſuis imperij duo termini; vnus nobilior, imperans; alter igno-
f. bilior, parens. [f] proprium termini nobilioris in domeſtico imperio eſt,
vt vnus tantùm homo, idemque omni tempore, quoad vixerit, imperium
g. habeat: [g] nam ab vno, qui ſit maximè ſenex, vt dicebatur in textu 13. re-
h. i. gitur omnis domus. [h] proprium termini nobilioris in ciuili eſt, vt multi
ſimul, neque ijdem ſemper imperent, ſed viciſſim alij & alij: ſiquidem ci-
uile imperium in liberis, paribuſque exiſtit hominibus, qui, vt ſunt eiuſ-

Dubitatio de 2. argumentatione Philoſophi.

modi, imperare, & parêre viciſſim debent. Ergo non eſt idem imperium
domeſticum, & ciuile. Cæterùm cur hac ſecunda ratione ſeparare no-
minatim ciuile imperium à dominatione, domeſticaq; facultate, cuius
pars eſt dominatio, Philoſophus nunc voluerit; conſyderandum eſt. ne-
que enim probare Victorij reſponſionem poſſum, hoc ideo fieri dicentis,
vt alia imperia diſtinguantur.

Partes textus.

Textus habet quatuor partes. Prima (a) proponit connexum, ſeu theo-
rema primum de differentia dominationis, & ciuilis, ac in ciuili cuiuſuis
alius imperij. Secunda (b c) infert ex hoc alterum theorema directè con-
tra auctores ſententiæ expoſitæ in tex: 2. & 34. Tertia (d e) inducit pri-
mum argumentum. Quarta (f g h) ſecundum.

ARGVMENTVM. TEXT. LXVII.

Dominum, liberum, & ſeruũ non ex ſcientia, ſed ex poteſtatibus naturalibus nominari. Quod bifariam conficitur ex textu antecedenti; ideſt tum ex priori principio ſuprà conſtituto, quòd ſint domini, & liberi, ac ſerui naturâ, per locum à repugnantibus; tum ex altero principio, ac penè theoremate antecedentis textus de differentia dominici imperij, & aliorum, per locum à proprietate ſcientiæ. Et ex quo conficitur, per locum à coniugatis, non eſſe dominationem ſcientiam, contra priorem partem ſententiæ propoſitæ in textu 34.

Text: lxvij: Ὁ μὲν οὖν δεσπότης οὐ λέγεται κατ᾽ ἐπιστήμην, ἀλλὰ τῷ τοιόσδ᾽ εἶναι: ὁμοίως δὲ καὶ ὁ δοῦλος καὶ ὁ ἐλεύθερος.

Dominus ergo non dicitur ex ſcientia, ſed quia eſt talis: ſimiliter autem & ſeruus, & liber.

EXPLANATIO.

Prima ratio à repugnãtibus oſtendẽs dominum, liberũ, et ſeruũ non eſſe diciũe ex ſciẽtia, quia ſint, ac dicãtur ex poteſtatib. naturalibus.

In Scholio argumenti capitis.

DIXI ſuprà, duobus modis * inferri ex anteceedẽti textu hoc theorema. Vno modo ex principio ante conſtituto, quòd ſint domini, liberi, & ſerui naturâ. * Hoc nanque ſignificat eſſe eos tales, ideſt eſſe qualitatibus, ac tandem viribus naturalibus quibuſdam præditos, ex quibus verè nominentur. * quippe vnde nominatur vnunquodque, quod eſt, appellatione non grammatica, ſed philoſophica, id eſt eſſentia illius: * ſi autem ſunt, ac nominantur ex viribus naturalibus domini, liberi & ſerui; non poſſunt eſſe nominari'ue ex ſcientia: repugnat enim eſſe aliquid ſimul vim naturalem, quæ eſt ratio inſita, & ſcientiam, quæ eſt habitus comparatus.

** ergo.*
** quia eſt talis.*
** dicitur.*
** non dicitur ex ſcientia.*

Secunda ratio idem oſtendẽs ex proprietate ſciẽtię, quę eſt, differre ſcientias inter ſe ſubiectis generibus tantùm, non finibus, & operationibus, niſi quodam modo.

Altero modo infertur ex altero principio, ac penè theoremate textus ſuperioris. Nam ſi habet dominus non ſolùm genus ſubiectum ſibi proprium, ſed etiam propriam operationem, & proprium finem, diſtincta ab ijs, quæ ſunt propria aliorum imperiorum, ſuis quibuſdam differentijs, quæ à ſubiectis generibus non accipiantur; fieri non poteſt, vt ex ſcientia dicatur dominus. ſcientiarum enim illa propria erat conditio: differre inter ſe ſolùm ſubiectis generibus, non finibus, & operationibus, niſi quà his ſubiecta genera aliquam tribuerent diuerſitatem. At ſi dominus, liber, & ſeruus non ſunt, nec dicuntur dominus, liber, & ſeruus ex ſcientia, ſed ex quibuſdam viribus naturalibus: planè ſequitur, per locum à coniugatis, nec dominationem eſſe ſcientiam, ſed virtutem, & rationem actualem. idemq; etiam affirmandum eſt de ſeruitute.

Ratio à cõiugatis, probans primũ propoſitũ, ideſt dominationẽ nõ eſſe ſcientiam, ſed virtutẽ, et rationẽ actualem.

SCHOLIA.

Nomen, tale.

Quia eſt talis. Significatur hoc nomine in vniuerſum qualitas quædam: quę vel innata eſſe poteſt, vel aduenititia. Hîc, quum ſcientiæ opponatur, quæ eſt de genere aduentitiarum, innatam eſſe intelligimus. D. Thomas, eſt, inquit, talis, ideſt naturâ, vel lege ſic diſpoſitus, vt dominetur. Melius reliqui: eſt talis naturâ.

Et li-

Et liber. Additur liber, ne quidquam prætermiſſum videatur: & vt magis appareat, dominationem, & ſeruitutem non eſſe in ſcientiarum genere reponendas. Cæterùm nõ diſtinguuntur hîc reuera dominus, & liber: quæ autẽ ſit omnino eorum inter ſe differentia; & quo vterque modo ſeruo opponatur; diximus ſuprà.

Cur domino additus liber.

In Scholijs tex: 35.

ARGVMENTVM. TEXT: LXVIII.

Eſſe ſcientiam quandam dominicam, & quandam ſeruilem conceditur: licet in eiuſmodi ſcientijs, neque dominationis, neque ſeruitutis ratio perfecta conſiſtat.

Textu lxviij. Ἐπιστήμη δ' ἂν εἴη ϗ δεσποτικὴ, ϗ δουλικὴ.

Scientia autem eſſet & dominica, & ſeruilis.

EXPLANATIO.

Actio omnis, quæ verè, proprieque dicitur, indiget cognitione, eam certis modis, & in certos fines dirigente. Proinde dominatio, & ſeruitus, quum ad actionem pertineant; ſintque omnino ſeruitus, & dominatio reſpectu actionis, quò omnis poteſtas refertur; deſyderant cognitiones, & præcepta quædam agendi: quorũ collectionem ſiue ſcientiam, ſiue artem, ſiue prudentiam appelles, in præſentia parum intereſt. His cognitionibus, quæ partes ſunt, vel potius adiumenta dominationis, & ſeruituris, contineri eas perfectè quidam arbitrabantur ita, vt, qui imbueretur ſeruili ſcientia, ſeruus; qui dominica, dominus veriſſimè euaderet. Quod tamen falſum eſſe & rationes ſuprà allatæ oſtenderunt, & res ipſa planum facit. Verè enim domini, ac ſerui ſunt, aptique illi ad imperandum, hi ad parendum, qui huiuſmodi, aut eiuſmodi vires à natura obtinuerunt: ſecundo loco qui lege tantùm, ac violentia ſunt tales. Solis autem præceptis inſtructi ſiue ſeruilibus, ſiue dominicis; ijs ipſis, quom maximè agere volunt, deſtituuntur, niſi vel lex, vel natura opem ferat.

Scientiã, vel artẽ, vel prudẽtiam quandã, eſſe collectionẽ certorũ præceptorũ requiri ad perfectã rationẽ dominationis, & ſeruitutis. Collectionem eiuſmodi præceptorũ tenere tertias partes in perfecta ratione dominationis, & ſeruitutis.

ARGVMENTVM. TEXT. LXIX.

Quæ, & qualis ſit ſeruilis ſcientia, declaratur; diuiſa ea in quatuor præcipuos modos: nam aut communia, obuiaque ſunt miniſteria, plus crebritatis habentia, minus artis; aut quæ plus artis, minus crebritatis obtineant: & rurſus vel honoratiora, vel magis neceſſaria. Prior diuiſio confirmatur exemplis, & teſtimonio vrbis Syracuſarum: Poſterior expoſitione, & auctoritate cuiuſdam prouerbij. Cuiuſque autem horum quatuor modorum partes minutiores nimis multæ, & inter ſe implicitæ.

Text. lxix. [a] Δουλικὴ μὲν, οἵαν περ ὁ ἐν Συρακούσαις ἐπαίδευεν. [b] ἐκεῖ γὰρ λαμβάνων τὶς μισθὸν, ἐδίδασκε τὰ ἐγκύκλια διακονήματα τοὺς παῖδας. [c] εἴη δ᾽ ἂν καὶ ἐπὶ πλεῖον τῶν τοιούτων μάθησις. [d] οἷον ὀψοποιϊκὴ, [e] καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα γένη τῆς διακονίας. [f] ἔστι γὰρ ἕτερα ἑτέρων, τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δ᾽ ἀναγκαιότερα. [g] καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν, δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου. [h] αἱ μὲν οὖν τοιαῦται πᾶσαι δουλικαὶ ἐπιστῆμαί εἰσι.

[a] Seruilis quidem, qualem Syracuſis ille inſtituebat. [b] ibi enim quidam accepta mercede docebat pueros circularia, *ideſt communia, & obuia* miniſteria. [c] pateret autem etiam latiùs harum rerum diſciplina: [d] vt opſoniotum conficiendorum, [e] & alia huiuſmodi genera miniſtrationis. [f] ſunt enim alia alijs, hæc quidem honoratiora opera, hæc autem magis neceſſaria: [g] &, vt eſt in prouerbio, ſeruus ſeruo præſtat, dominus domino. [h] huiuſmodi igitur omnes ſeruiles ſcientiæ ſunt.

EXPLANATIO.

Ludus ſeruilis ſcientiæ olim Syracuſis. Prior diuiſio ſeruiliũ miniſteriorũ ex maiori minoriq; frequentia & artificio. Circularia ſeruorũ miniſteria, ideſt obuia et frequẽtiora ſed minus artificioſa.

[b] APERVIT olim [b] quidam, cuius nomen ignoramus, Syracuſis ludum ſeruilis ſcientiæ: docens mercede [b] pueros, ideſt ſeruos, iuniores tamen, & rudes, vel verè pueros, quicunque aut egeſtate, aut curioſitate id perdiſcere auerent, [b] miniſteria illa ſeruilia, quæ à Græcis ἐγκύκλια nominantur, hoc eſt circularia, quaſi recurrentia dixeris, & in orbem crebrò redeuntia, vel potius obuia, & communia, & vulgaria, quæ nemo neſcire videatur, docente propemodum natura, & publico, ac iugi vſu; in quibus tanto minus eſt artis, quanto plus frequentiæ, & aſſiduitatis: qualia ſunt induere, & exuere dominum, tergere veſtem, & calceos, menſam apponere, pocula miniſtrare, lectos ſternere, cubilia inſtruere, & huiuſmodi alia ſexcenta. [a] Eſt ſanè hæc quædam ſcientia, & diſciplina ſeruilis, quam docere iſte voluit: nec docere eam ipſe potuiſſet, nec pueri diſcere, nec Syracuſij ludum eius aperiri permiſiſſent, niſi ad ſcientiam, & diſciplinam quodammodo pertineret. [c] Cæterùm eſt quædam tantùm hæc ſcientia & diſciplina ſeruilis vel pars, ac pars quidem promptior & peruulgatior diſciplinæ ſeruilis: ipſa ſeruilis diſciplina vniuerſa laxiorem ambitum habet. Continet nanque tota diſciplina ſeruilis præter ea, quæ dicta

b. b. quidam. b. pueros. b. circularia miniſteria.

Miniſteria ſeruilia quę artificioſiora ſunt et minus communia, ac frequentia.

d e. dicta ſunt, alia miniſteria magis artificioſa, & minus communia; [d] vt co-
quendi, condiendiq́; obſonia; lanas, paneſque faciendi, texendi, & reli-
qua eiuſdem generis: quæ quidem aliqui artium nomine appellant, co-
quinariam, piſtoriam, lanificium, textrinam, ac cætera eodem modo; &
de ijs, tanquam de artibus, ſcribũtur, tradunturq́; paſſim libri & præcepta:
non ſunt tamen ipſa per ſe artes, nec vnquam fuerunt, ſed officia ſeruo-
rum, ſimilia artibus, & quiddam artis retinentia, nempe modum efficien-
di cum vera ratione. Quæ ſint autem diſcrimina inter artes, & ſeruilia
officia; inter artifices & ſeruos; alio loco dicendum magis idoneo. Illa cer-
tè ſunt potiſſima, quòd ſeruus eſt talis naturâ; eſt ſimpliciter homo alius;
eſt communione vitæ nobis cõiunctior; & eius miniſterium quotidianum
eſt, ac maximè neceſſarium. Complectitur porrho vtrunque iſtorum duo-
rum generum, in quæ opera ſeruilia ex maiori minoriq́; tum communi-
tate, tum artificio diſtribuuntur, & vtraque pars ſcientiæ ſeruilis, ijſdem
generibus diſtinctæ, partes minutiores; quemadmodum ex proximè alla-
tis exemplis liquet. Verùm tam multæ ſunt illæ partes, tamque implicitæ,
& connexæ inter ſe, vt varias ſpecies, formaſue ſeruorum conſtituere
haud poſſint. quippe qui ex illis partibus nec actiones ſatis certas, nec ſa-
tis certa ſubiecta, quibus eos ſeparares, habituri eſſent. In paruis domibus
vni ſeruo complura officia, complureſq́; res committuntur: idem verrit,
idẽ ſpargit, idem opſonatur, idem coquus eſt, idem menſæ ſtructor, idem
agaſo. In magnis vnum, atque idem opus plerique vrgent, alij alijs ſupe-
riores: ſunt cubiculariorum gradus multi: ſunt archimagîri, coqui, &
vicarij, mediaſtiniq́; coquorum: ſunt architriclini, ſtructores, dapiferi,
pocillatores: ſunt equarij, equiſones, muliones, ſtabulorum præfecti: &
f. in cæteris eodem modo. [f] Itaque ad ſuperiorem diuiſionem alteram dun-
taxat adiungemus à neceſſitate, honorificentiaq́; ductam: quandò reuera
omnium omnino ſeruorum, operumq́; ſeruilium, & tam in vterque ge-
nere ſuperiori, quàm in vnaquaque vtriuſque generis parte quomodo-
cunque per actiones, vel per materias diſtributa, alia honoratiora ſunt,
alia magis neceſſaria: & quæ magis neceſſaria, vt panem faciẽdi, & aquam,
lignaq́; ferendi, minus honorifica; quæ magis honorifica, vt obſonari, &
g. menſam ſtruere, minus neceſſaria videri ſolent. [g] Cui diuiſioni conſentit
quoque vetus illud adagium: ſicut dominus domino præſtat, ſic ſeruus
h. ſeruo. [h] Ex his igitur diuiſionibus, & partibus ſcientiæ, operumque ſerui-
lium cùm expoſitis, tum indicatis ſatis intelligi arbitror quæ, & qualis
ſcientia iſta ſit, eiuſq́; penè imaginem conſpici.

Serui & artifices: ſeruilia opera & artificia quid differant.

Partes duorũ ſuperiorũ generum ſeruilis miniſterij.

Poſterior diuiſio ex maiori, minoriq́; neceſſitate, & honorificentia.

Miniſteria ſeruilia magis neceſſaria, et minꝰ honorifica.

Miniſteria ſeruilia magis honorifica, et minus neceſſaria.

Prouerbium.

Quæ, et qualis ſit ſeruilis ſcientia.

Textus habet quinque partes. Prima (a b) primum membrum prioris diuiſionis exponit, cõfirmatq́; Syracuſanorum teſtimonio. Secunda (c d e) exponit, & confirmat exemplis ſecundum membrum eiuſdem diuiſionis. Tertia (f) exponit diuiſionem poſteriorem. Quarta (g) cõfirmat eam prouerbio. Quinta (h) concludit.

Partes textus.

S C H O L I A.

Communia, & obuia miniſteria, græcè τὰ ἐγκύκλια διακονήματα. τὸ ἐγκύκλιον propriè Græcis ſignificat circulare, & in orbem factum: tamen alias ſignificationes habet ex tranſlatione. Ego duas huic loco conuenire exiſtimaui: vnam, vt intelligamus ea ſeruorum opera, quæ identidem recurrunt, & quaſi redeunt in orbem: alteram, vt ea, quæ communia, & obuia, triuialiaq́; ſunt. Hanc expo-

Circularia miniſteria. ἐγκύκλια διακονήματα.

ſitionem

ſitionem magis probaui: & ſic verti. Nec tertia expoſitio fortaſſe eſſet cõtemnenda: ſi intelligeremus ea miniſteria, quæ circa dominos, & in eorum oculis exhibentur. Eundem modum loquendi reperies in ij. horum librorum: Maximè iraſcimur, inquit ibi Philoſophus, ſeruis illis, quibus plurimùm vtimur περὶ τὰς διακονίας τὰς ἐγκυκλίους, ad miniſtrationes eas, quæ ſunt circulares.

Lib. ij. cap 3.

Opſoniorũ conficiendorum opus, & ars. Scriptores rei culinariæ.

Vt opſoniorum conficiendorum. Olim ſeruile opus fuit: poſtea in quendam modum artis redactum, appellarumque coquinaria, & rei culinariæ ars. de qua ſcripſerunt apud Romanos vnus nominari dignus, Cœlius Apitius, cuius adhuc libri extant; apud Græcos Archeſtratus, Heraclides, Glaucus Locrus citati ab Athenæo, & alij multi.

De Archeſtrato ſæpe Athenæus, de Heraclide et Glauco cap. 32 lib. 14.

Cur huiuſmodi. Artificũ genera oĩa olim inter ſeruos.

Et alia huiuſmodi genera miniſtrationis. Huiuſmodi dixit, quia hæc munia ſeruorum non ſunt propriè, & per ſe artes, ſed famulitia artibus ſimilia. Nec me tamen fugit antiquos omnia genera artificum in ſeruitiis habuiſſe; quorum operas etiam locabant: vt multis in locis apud iuriſconſultos teſtatum inuenies. Et Liuius libro v. narrat ſolennia ludorum Hetruſcis violenter dirempta ab eo, qui poſtea Veientum rex fuit, abductis repentè ex medio ludicro artificibus, quorum magna pars ipſius ſerui erant. In iij. quoque horum librorum ſcribitur, vetuſtis temporibus operarios, τοὺς βαναύσους, apud quoſdam aut ſeruos fuiſſe, aut peregrinos. Hoc genus ſeruorum vocauit aliquando Papinianus artifices ſeruos: eoque continebantur non ſolùm fabri, & comœdi, & Symphoniaci, & tot alij modi viliorum artificum; verumetiã medici, & pædagogi, & ſcribæ. Sed hoc planè contingit, vt iidem homines ſint ſerui, & artifices, quorum rationes ſunt diuerſæ.

Lib. iij. cap. 3.

Artifices ſerui Papiniano qui.

Papinianus l. 6. de operis ſeruorum.

Artifices et ſeruos eoſdẽ eſſe ex accidenti. Locus Ciceronis faciens ad poſteriorẽ diuiſionẽ miniſteriorũ ſeruiliũ. Poſterior diuiſio miniſteriorũ ſeruilium quam lata. Seruorũ diuiſio in ordinarios, vicarios, mediaſtinos, ad poſteriorẽ duarũ ſuperiorũ diuiſionum refertur. Ordinarij ſerui. Vicarij ſerui, & eorum genera duo. Mediaſtini ſerui.

Sunt enim alia alijs, hæc quidem honoratiora opera. Similiter Cicero in quinto Paradoxo, qui tergunt, inquit, qui vngunt, qui verrunt, qui ſpargunt non honeſtiſsimum locum ſeruitutis tenent: lautiores ſibi videntur atrienſes. Hæc verò differentia, magis & minus honorifici, diſtinguit ſeruos tam in variis ſeruitutis, officiorumque generibus, vt equario honoratior eſt cubicularius, cubiculario atrienſis; quam in eodem; quippe coquo archimagirus, ſtructori architriclinus antecellit. Vnde priſca illa diſtributio ſeruorum in ordinarios, vicarios, mediaſtinos. Ordinarij ſerui erant, qui priores habebant partes, aliiſque imperabant; ex eo nomen nacti, quòd ordinem, locumque aliquem tenerent in domo, certis quique deſtinati muneribus: à quibus muneribus etiam plurimùm appellationes ſuas ſortiebantur, vt diſpenſatores, villici, atrienſes, textores, & alij multi. Vicarij fuerunt duorum generum, primi, & ſecundi. Primi dicebantur ſimpliciter vicarij, qui ſcilicet comparati ab ordinariis ad ſubſidium miniſterii, eorum peculio annumerabantur, ob idque peculiares nominantur quandoque. alteri vocabantur vicarij vicariorum, qui erant vicariorum ſerui, & in eorum peculio. Mediaſtini, omnium viliſsimi, ſeruitiis viliſsimis addicti erant, verrendi, tergendi, vngendi, ligna, aquamque deferendi, & alia faciendi eiuſdem modi; inde nuncupati, quòd excubent in media domo ad imperia, nutuſque omnium, huc illuc ſemper curſitando, vt Hermolaus in Plinianis caſtigationibus, & Budæus in annotationibus ad Pandectas expoſuerunt, quos ſequutus eſt Connanus in ij. cõmentariorum iuris ciuilis.

Hermol. ad 9. cap lib. xxix. Plinij. Budæ° ad l. p. §. Qui sũt igitur ff. Nautæ caupones, ſtabularij.

Prouerbium.

Vt eſt in prouerbio, ſeruus &c. Hoc prouerbio admoneri ait auctor Adagiorum, non ſtatim in eodem hominum genere omnes æquales eſſe, habendamq; eſſe rationem hominum, non tantùm conditionis. Expoſitio quodammodo eadem, quodammodo diuerſa ab hac Philoſophi expoſitione.

Seruorum, vt varijs nominibus nũcupant, diuiſio ex operibus, reb. ſubiectis, accidẽtibus.

Ex operibus.

Huiuſmodi igitur omnes ſeruiles ſcientiæ ſunt. Quatuor partes ſeruilis ſcientiæ, quæ expoſitæ ſunt à Philoſopho, in minutiores ſecari partes, vel ſerui, prout variis nominibus nuncupãtur, in varias formas reuocari ex operum, rerum'ue ſubiectarum diſtributione vix, aut ne vix quidem conuenienter poſſunt. Etenim opera ſeruorum penè innumera, tot ad extremum, quot hominum generaliter, ſepoſita ſapientia, & prudentia; tum inter ſe, ac cum ſubiectis rebus maximè implicita ſunt, præſertim vt ſeruis nomina ſunt attributa. Si quis tamen velit quoquo modo hæc diſtinguere, dicam, præcipua opera, & actiones

ſeruorum

ſeruorum eſſe has: vt vel procurent, vel comitentur, vel cuſtodiant, vel inſtruant, vel purgent, vel aptent, vel conficiant, vel vehant, ferant'ue. Procurant, vt Atrienſes,[a] primi in familia; Villici, & Monitores,[b] præpoſiti iis, qui agrum colebant, exercebant'ue; Architriclini; Archimagiri, Diſpenſatores, qui æra diſpenſant. Comitantur Pediſequi; Aduerſitores, qui domino aduerſum ibant, illum deducentes, ac reducentes. Cuſtodiunt vel loca, vel res, vel animalia. Loca Ianitores, ſiue Oſtiarij; Admiſsionales, qui admittebant intra cubiculum ſalutare dominum cupientes; Inſularij,[c] ædibus ſeu vrbanis, ſeu ruſticis cuſtodiendis aſsignati; Saltuarij,[d] quorum alii fructuum conſeruandorum, alii finium cuſtodiendorum gratia parati erant. Res cuſtodiebant, Cellarij; Condi; Promi; Veſtiſpici, veſtium;[e] Supellecticarii, ſuppellectilis cuſtodiam habentes. Animalium cuſtodes ſunt Paſtores, Apiarii, Auiarii, Equarii, Bubulci, Subulci, Opiliones, Caprarii. Inſtruunt, & diſponunt Cubicularii; Structores, ſiue Diribitores. Aptant, & accommodant Topiarii, quorum munus eſt arbuſcula, virgultaque ductilia, veluti buxum, aut hederam in varias rerum formas, puta nauium, turrium, animalium, effingere; Viridarii, hortos curantes; Equiſones, qui equos nobis obediẽtes reddunt. Conficiunt Coqui; Panifici; Lanifici; Textores; Mellarii; Focarii; Agricolæ, & id genus agricolarum, Coloni, Foſſores, Putatores, & reliqui; Librarii; Amanuenſes. Vehunt, feruntque Aurigæ; Lecticarii; Muliones; Aquarii; Capſarii,[f] qui libros portant in capſula; Armigeri; Pincernæ, ſeu Pocillatores; Dapiferi; Salutigeruli. Purgant Scoparii. Auctor primi Oeconomici duo tantùm genera ſeruorum ex actionibus facit; ἐπίτροπον, καὶ ἐργάτην, ideſt procuratorem, vel atrienſem, vel præpoſitum, & operarium. Multo minus ſubiectis rebus aptè ſeparari ſerui, qui appellationibus diſtincti ſunt, poterunt; & certa earum rerum genera conſtitui. Veruntamen inter omnes huiuſmodi diſtributiones hæc fortaſſe cæteris erit accommodatior. Operantur ſerui aut dominorum, aliorum'ue, quos voluerint domini, corporibus, vt Pediſequi; aut actionibus, vt Amanuenſes; aut cibariis, vt Coqui; aut veſtitui, vt Lanifici; aut habitationi, vt Inſularii; aut ſupellectili, vt Supellecticarii; aut agris, vt Coloni; aut animalibus, vt Equarii; aut pecuniæ, vt Diſpenſatores. Diuidunt verò aliqua accidentia ſeruos, & nomina iis tribuunt. Sic dicti quidam Stigmatiæ, & literati ſerui à notis, quę in eorum corporibus impreſſæ erant. Et à tempore, omnes, cuiuſcunque generis, aut Nouitii ſunt, qui annum in vrbe nõ ſeruierunt; aut Veteratores, ſiue Veterani; qui annum continuum ſeruierunt. Vel dicuntur veteratores, & nouitii non à tempore, nec ab animi tyrocinio; ſed à genere, & à cauſa, & à conditione ſeruitutis, vt ſit veterator quicunque ex venalitio nouitiorum emptus alicui miniſterio præpoſitus fuit. Prima ſententia eſt Martiani in l. 16. de publ. & vectig. Secunda Venuleij in l. 65. de Aedil. ed. Vlpianus in leg. 37. eod. tt. ea dicit, quæ ad vtranque ſententiam poſsint accommodari; magis tamen ad primam. A loco denique ſerui alii ruſtici ſunt, alii vrbani. Præter hos ſeruos, qui propriè, & ſimpliciter vocantur ſerui, commemorant etiam iuriſconſulti, vt ſuprà dicebamus, ſeruos artifices, Pictores, Fullones, Piſtores, Lanios, Molitores, Fabros, Inſtitores, Tonſores, Balneatores, Fornacarios, ſeu Fornacatores, (eadem enim vis ſubeſt vtrique vocabulo, licet Acurſius repugnet, quorum primo vtitur Vlpianus ad legem Aquiliam in leg. 27. altero Paulus in leg. 14. de Fundo inſtructo) Aucupes, Piſcatores, Comœdos, Symphoniacos, & alios. Græci ſeruos, ſeruasque omnes communibus nominibus appellabant δούλους, οἰκέτας, ἀζύγους, θεράποντας, ἀκολούθους, διακόνους, ὑπηρέτας, πάλμονας, λάτρεις. Ἑρκίτας vocabant eos, qui in agris verſabantur, μνῶτας ſeruos nobiles, οἰδρεσας extrarios ſeruos. Nuncupabantur & ancillæ ſuis quibuſdam vocabulis θαλίζας, καὶ ἀποφράσας; à Lacedæmoniis autem χαλκίδες. Ἀμφίπολος dicebatur, quæ circa dominam aſsidua eſſet: πρόπολος, quæ ei anteiret. Δωροφόροι pro Mariandinis nominati ſunt proprii Heracleotarum ſerui. Εἵλωτες erant proprii ſerui Laconum: & primùm quidem ſic appellati ſunt veri Helotes, quos euerſa eorum vrbe in ſeruitutem abduxerunt Lacedæmonii: deinde dilatatum nomen ad ſignificandos

a. Cicero in 5. Paradoxo.
b. Vlpianus de fundo inſtructo l. 8.
c. Vlp. de Off. præfecti vig. leg. 41. Pomponius de Vſu & habit. l. 17. & de Verb. ac rerum ſignif. leg. 166.
d. Vlp. de fũdo inſtructo l. 12. Pomponius l. 15. eod. tt.
e. Vlp. de fũdo inſtructo l. 12.
f. Vlp. de manumiſſis vind. l. 13. Alij sũt Capſarij non ſerui, de quib. Paulus de Off. præf. vig. l. 3. Cap. 6.

Ex ſubiectis rebus.

Vide prouerbiũ Samij literati.

Ex quibuſdã accidentibus. A notis. A tempore.

Nouitij, et veteratores ſerui.

A loco. Serui artifices.

Accurſius ad l. 14. ff. de fundo inſtructo.

Seruorũ nomina græca communia et propria diuerſarũ regionum.

candos omnes illorum ſeruos. Eodem modo primùm qui ex Arne otiundi Theſſalis ſe in ſeruitutem tradiderunt, μενέστας, mox πενέστας, καὶ Θετταλοικέτας ſunt vocati; deindeverò iiſdem nominibus omnes ſerui Theſſalorum. Ex ſorte, & conditione, non ex genere κλαρῶτας dicti ſunt ſerui Cretenſium; προσπελάτας Arcadum; θῆτες Athenienſium; quo vocabulo vtitur Philoſophus infrà in lib. iii. ad ſignificandos publicos ſeruos. Καλλικύριοι, ἢ κιλλικύριοι fuit certum ſeruorum genus in Creta, agros colentium: & περίοικοι, καὶ ὑπήκοοι alij, qui agros ſimiliter colerent. Χρυσωνήτους vocabant iidem Cretenſes ſeruos, qui in vrbe habitarent; ἀμφαμιώτας, qui in agris; μνοίαν ſeruitium commune; priuatum ἀφαμιώτας. Et ἐπευνάκτους appellarunt Lacedæmonii Helotas illos, quos Meſſenio in bello cubare in lectis demortuorum ciuium iuſſerunt, fallaci hac ſpecie hoſtes deludentes. Quibus ἐπευνάκτοις ſimiles fuiſſe Sicyoniorum κατωνακοφόρους, à Iulio Polluce dictos κορυνηφόρους, tradiderunt Theopompus in xxxii. Hiſtoriarum, & Menæchmus in rebus Sicyoniis. Hæc ſumpta ſunt ex variis locis Platonis, Ariſtotelis, Plutarchi, Pauſaniæ, Athenæi, Suidæ: quorum auctoritas mihi multo potior Onomaſtico Iulii Pollucis, in quo plerаque aliter explicata inuenies. *Cap. 5.*

Textus LXX. & LXXI.

Quæ, & qualis ſit ſcientia dominica.

ARGVMENTVM. TEXT: LXX.

Traditur quædam definitio ſcientiæ dominicæ ex actu perfecto ipſius, qui eſt vſus ſeruorum: confirmaturque argumento à coniugatis per expoſitionem, & quaſi oppoſitionem duorum actuum, in quibus domini ratio conſiſtit.

Text. lxx. [a] Δεσποτικὴ δ' ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ χρηστικὴ δούλων. [b] ὁ γὰρ δεσπότης οὐκ ἐν τῷ κτᾶσθαι τοὺς δούλους, [c] ἀλλ' ἐν τῷ χρῆσθαι δούλοις.

[a] Dominica autem ſcientia eſt, quæ eſt idonea ad vtendum ſeruis. [b] dominus eſt enim non in poſſidendo ſeruos, [c] ſed in vtendo ſeruis.

E X P L A N A T I O.

Definitio ſcientiæ dominicæ. [a] RATIO ſcientiæ dominicæ [a] in hoc conſiſtit, & hæc eſt definitio illius, vt ſit habitus cognitionis idoneus, ideſt quo homines redduntur idonei ad vtendum ſeruis. [b] Liquet hoc ex eius coniugato, quod eſt dominus. ſiquidem domini ratio in textu, & cõmentario 43. [b] duobus actibus continebatur: quorum vnus erat quaſi habitus, & poſſeſſio; vt eius eſſet alius homo, quem ſeruum vocamus: alter erat actio, & vſus; vt illo homine, qui ipſius eſſet, vteretur tanquam inſtrumento actiuo, & ſeparabili; quod ad extremum nihil eſt aliud, quàm vti ſeruo; ſeruus enim eſt homo, & inſtrumentum eiuſmodi. Poſteriori actu, ideſt actione, & vſu ſeruorũ perficiebatur domini ratio: prior antecedebat. Ergo quia ſeruos poſſi-

Confirmatio traditæ definitionis.

Poſſidere ſeruos, & vti ſeruis, duo actus rationẽ domini cõtinentes: et quę ſit ratio inter eos.

a a. eſt.

b.

b in poſſidendo, in vtendo.

poſſideat, ſi ijs non vtatur, non eſt dominus perfectè. Sed tunc eſt perfectè, vereque, ac propriè nominatur dominus, quom ſeruis vtitur opportunè, ideſt loco, & tempore, & re expoſtulante. [a] Rectè itaque definita eſt ſcientia dominica, nimirum per actum ipſius perfectum, quòd ſit ſcientia, ſiue habitus cognoſcendi, & contemplandi idoneus, hoc eſt, quo idonei nos reddimur ad vtendum ſeruis.

a. & b. enim. — *Concluſio definitionis ſcientia dominica.*

Partes textus duæ. In prima (a) eſt definitio. In ſecunda (b c) eſt confirmatio. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Dominus eſt enim non in poſſidendo &c. Tam domini, quàm diuitis notionem, & vim conſiſtere in ſola poſſeſsione vulgus exiſtimat; eſſeque diuitem, qui bonis abundat, quamuis nunquam vteretur: eſſe dominum, qui poſsidet ſeruos. Contrarium deciditur hîc, & alijs in locis à Philoſopho: vt vſus primas teneat in vtroque. *Domini, et diuitis vis et ratio vtrum in poſſeſsione magis, an in vſu.*

Non in poſſidendo ſeruos. Præit poſſeſsio uſui, ſed poſſeſsionem antecedit acquiſitio. Vtrunque iſtorum duorum, & poſsidere, & acquirere ſignificatur verbo græco τῷ κτᾶσθαι: & fortaſſe hîc Philoſophus vtrunq; intelligit. D. Thomas pro acquirere dictum ait poſsidere. *Acquiſitio, poſſeſsio, vſus quo ordine inter ſe habeãt. κτᾶσθαι.*

ARGVMENTVM. TEXT: LXXI.

Dominicam ſcientiam nihil continere magni, aut præclari. Loci duo: vnus ab obiectis rebus, quarum hæc eſt ſcientia: alter à iudicio hominum de ea.

Text: lxxj. [a] Ἔστι δ᾽ αὕτη ἡ ἐπιστήμη οὐδὲν μέγα ἔχουσα, οὐδὲ σεμνόν. [b] ἃ γὰρ τὸν δοῦλον ἐπίστασθαι δεῖ ποιεῖν, ἐκεῖνον δεῖ ταῦτα ἐπίστασθαι ἐπιτάττειν. [c] διὸ ὅσοις ἐξουσία μὴ αὐτοὺς κακοπαθεῖν, ἐπίτροπος λαμβάνει ταύτην τὴν τιμήν, [d] αὐτοὶ δὲ πολιτεύονται, ἢ φιλοσοφοῦσιν.

[a] Hæc autem ſcientia nec magnum, nec præclarum habet quicquam. [b] quæ enim ſeruum ſcire facere oportet, hæc illum oportet ſcire imperare. [c] quocirca quibuſcunque facultas adeſt; ne ipſi in hac moleſtia verſentur, procurator ſuſcipit hoc munus; [d] ipſi verò aut reipublicæ, aut philoſophiæ vacant.

a. idem lib. 7. cap. 3. b. Elicit, quæ ſint obiecta harũ ſcientiarũ, dominicæ, & ſeruilis. c. Elicit munꝰ iubẽdi ſeruis eſſe graue, & abiectum. d. Elicit, Philoſophiæ ſtudiũ & Reip. adminiſtrationẽ eſſe munera præclara. Itẽ, eſſe hos duos vnicos modos ſolos libero homine dignos.

E X P L A N A T I O.

Omnis ſcientia, vt ſcribitur in p. textu primi de Anima, pulchra, honorificaq; eſt. hanc autem, de qua nunc agitur, tanto pleriſque alijs reipſa præſtare; quanto præſtat vocabulo, quod poteſtatem, & excellentiam ſignificat; credere aliquis poſſet. Verùm in primo de Anima ſermo erat de ſcientijs, quæ propriè ſic nominantur: ſcientia dominica non eſt propriè ſcientia, vt ſuprà annotauimus, ſed genus quoddam cognitionis ad actionem pertinens. Quòd ſi latè etiam ibi ſcientia capiatur pro omni cognitione, & quatenus omnis cognitio eſt per ſe perfectio mentis noſtræ, vnde accedit ei honor, & pulchritudo: [a] non tamen cognitio dominica,

Vnde ſumi argumentũ poſſit, quòd ſcientia dominica multis alijs præſtet. Diſſolutio huius argumẽti.

licet nomine refulgeat, habet quicquã præcipui, magnum, præclarum'ue inter alias. * quæ quidẽ duo, magnum, & præclarum, græcè μέγα καὶ σεμνὸν, vel ἐκ παραλλήλου ſumenda ſunt: vel illud ad pulchritudinem, iſtud ad honorem, & dignitatem eſt referendum. [b] Hoc autem verum eſſe, ideſt nihil magnum, nihil præclarum inueniri in dominica ſciẽtia, probatur duobus argumentis. [b] Primum argumentum eſt huiuſmodi, ductum à rebus obiectis, quæ eſt alrera duarum cauſarum, ob quas ſcientiæ aliæ alijs ſunt magis, aut minus præſtantes, ex eodem p. textu primi de Anima: Res, quarum eſt ſcientia dominica, nec magnæ ſunt, nec præclaræ: ergo in ſcientia dominica nec magnum, nec præclarũ eſt quicquam. Connexum eſt euidens ex loco citato. Aſſumptum ſic oſtenditur. nam eędem res ſunt omnino, quarum eſt dominica, & quarũ eſt ſeruilis ſcientia: quarum aurem rerũ eſt ſeruilis ſcientia, illæ nec magnæ, nec præclaræ eſſe poſſunt, quum ſint opera ſeruilia, renuia per ſe, & abiecta. Porrho eaſdem res eſſe, in quibus verſarur vtraque harum duarum ſcientiarum, non ſolùm liquet ex eo communi principio, quòd oppoſita ſunt in eodem ſubiecto, & genere; ac quemadmodum oppoſitorum eadem ſcientia eſt, ita oppoſitæ ſcientiæ ſunt eiuſdem rei: [b] ſed etiam oſtenditur hoc loco propria ratione. ſiquidem ſcientia dominica, per definitionem poſitam in textu antecedẽti, eſt ſcire vti ſeruis: & ſcire vti ſeruis nihil aliud eſt ad extremum, niſi ſcire iubere ea, quæ ſeruos oportet ſcire facere: hæc verò ſunt opera ſeruilia, vt dicebamus. [c] Alterum argumentum ducitur à iudicio hominum, & more iſtud iudiciũ ſequente, quam cõſecutionem indicat * coniunctio διὸ. Etenim * quicunque tantum facultatum habent, vt procurarorem, & vicarium ſibi ſubſtituere queant * in hoc munere iubendi ſeruis; abſtinent ipſi eo libenter, * tanquam re humili, & graui, [d] dedentes ſeſe aut adminiſtrationi reipublicæ, aut philoſophiæ ſtudijs.

In ſciẽtia dominica nec magnum nec præclarũ quicquã ineſſe. — Prima ratio. — Res, quarũ eſt dominica, & quarũ eſt ſeruilis ſcientia, eſſe eaſdẽ omnino. — Secũda ratio.

** magnum. præclarum. — b. c. d. — b. — b. — c. d. — * quocirca. — * quibuſcunque facultas adeſt. — * hoc munus. — * ne ipſi in hac moleſtia verſentur. — d.*

Partes textus. Textus habet tres partes. Prima (a) continet theorema, quod demonſtratur. Secunda (b) primum argumentum. Tertia (c d) ſecundum.

S C H O L I A.

Cur prius de ſeruili ſciẽtia dictũ ſit, quã de dominica.

Quæ enim ſeruum ſcire facere oportet &c. Hinc collige cur priùs de ſeruili, quàm de dominica ſcientia dictum fuerit. illa enim eſt notior. Sed quomodo non ſequitur eandem eſſe prorſus ſcientiam dominicam, atque ſeruilem; ſi eædem ſunt omnino res, quæ ex vtraque ſciuntur; & quæ ſeruum ſcire facere oportet, hæc eadem oporter dominum ſcire imperare? Non ſequitur, quoniã eaſdem res ſcientiæ diuerſæ tractare poſſunt, etiam quæ propriè ſic nominantur; multò magis autem quæ impropriè, cuius generis ſunt dominica, & ſeruilis. Sat enim eſt fines, vel operationes eſſe differentes, vt diximus ſuprà. Et ſunt operationes multùm differentes, iubere, & efficere, ſcireque iubere, & ſcire efficere, quæ iubeantur.

In ſcholio capitis.

Seruilis, et dominica ſciẽtia non ſunt eadẽ prorſus.

Quibuſcunque facultas adeſt &c. Procurator ſuſcipit hoc munus. hoc eſt ſubſtituitur iis procurator, qui hoc munus ſuſcipiat. Et niſi ita explices, Solœciſmi faciem oratio ipſa retinebit.

Expoſitio verborum. τὴν τιμὴν.

Hoc munus, græcè ταύτην τὴν τιμὴν. Refertur ad illud, *ſcire imperare*, quò etiam refertur verbum ἐπιτάττειν. Non ergo poſſumus interpretari, hunc honorem, vt interpretatur Aretinus, niſi ſubintelligas ironiam quandam. Et ſanè nomen τιμὴ non ſolùm præmium, ſed etiam pœnam ſignificat. Quamobrem probo verſionem Calcagnini, & Victorii. nam munus eſt vocabulũ medium.

Procurator qs hoc loco.

Procurator, ἐπίτροπος. Hic eſt propriè atrienſis, & præfectus domus, cui cura domus demandatur, aliquando etiam dicitur œconomus: *Maſtro di caſa* noſtri appel-

appellant. à quo non multum dignitate abeſt villicus, qui res ruſticas curat, *il Fattore di villa*, ſed tamen ei ſubiici ſolet. In his duobus generibus ſeruo- *Cōditiones procuratoris, & villici ex Xenophonte.*

Xenophon in Oeconomico. rum, villico, & procuratore quinque cōditiones requirit Xenophon: primùm, vt ſint beneuoli erga dominum: deinde, vt ſint diligentes: tertiò, vt apti imperio: quartò, vt iuſti: quintò, vt temperati.

Aut reipublicæ, aut philoſophię vacant. Geminas notat vitas, vt etiam ait Victorius, libero homine dignas: de quibus alibi. Sed ſi his incumbunt domini, qui habere vicarium poſſunt, neglecto ſuo munere proprio iubendi, & vtendi ſeruis, quo magis, quàm poſſeſsione, definiebantur, fortaſſe non erunt amplius domini verè, & perfectè. Imò maximè erunt: vtentur enim uicario ſeruo, & per eum cæteris ſeruis. *Vita gemina libero homine digna. Dubitatio an perfectè ſint domini qui vicariũ ſibi ſubſtituunt.*

ARGVMENTVM. TEXT: LXXII.

Secernens à ſeruili, & à dominica ſcientia ſcientiam rei procurandæ, expoſitis duabus huius ſpeciebus, inſinuat ſe in ſubſequentem diſputationem.

Text: lxxij. [a] Ἡ δὲ κτητικὴ ἑτέρα ἀμφοτέρων τούτων: [b] οἷον, ἡ δικαία, πολεμική τις οὖσα, ἢ θηρευτική.

b Elicit ſcientiã rei procurandæ, item et bellicã quandã iuſtã eſſe, quandam iniuſtam. [a] Rei autem procurandæ ſcientia alia eſt ab his ambabus: [b] vt quæ iuſta, bellica quædam quum ſit, aut venatoria.

E X P L A N A T I O.

a. In ſcholijs tex: 36. [a] Est etiam ſcientia rei procurandæ (qua procuratione, vt ſuprà admonui, continentur eiuſdem rei quæſtus, conſeruatio, & vſus) implicita cum iſtis duabus, dominica, & ſeruili. nam & ſeruus rem acquirit, conſeruat quæſitam, atque vtitur conſeruata; & dominus. *non tamen eſt eadem, quæ illæ, ſed ab vtraque diſtat. Quæ autem ſit inter eas differentia, rationes earum collatæ aperient. quippe dominica, iubendi; ſeruilis, illa eadem, quæ iuſſa, atque imperata ſunt, faciendi; rei procurandæ, acquirendi, conſeruandi, vtendi ſcientia eſt. Cæterùm hæc tum ex antè dictis, tum ex pòſt dicendis euadunt manifeſta. [b] In præſentia verò ſat fuerit indicaſſe rem exemplis, hoc eſt expoſitione quarundam formarum huius ſcientiæ, quam rei procurandæ appellamus; * atque talium quidem formarum, quę iuſtę ſint, ac naturales, quemadmodum iuſtæ, naturalesq́; ſunt ſeruitus, & dominatio, de quibus loquimur. Sic enim intelligetur, ſi hæ, verbi gratia * bellica, quæ eſt contra ſeruos naturâ, de qua in antecedenti diſputatione dictum fuit, * & venatoria de qua dicetur in ſubſequenti, ſtatim ac proponuntur, apparent diuerſæ à dominica, ſeruiliq́; ſcientia; multo magis reliquas, quæ iniuſtæ ſint, aut præter naturam ab ijſdem diuerſas eſſe.

** alia eſt ab his ambabus. b. * qua iuſta. * bellica quadam. * aut venatoria.*

Rei procurandę ſciẽtia eſt implicita cũ dominica, & cũ ſeruili, & tamen eſt ab illis diuerſa. Differẽtia inter ſciẽtiã rei procurandæ, et dominicã, & ſeruilem. Quomodo probet in hoc text ſcientiã rei procurandę à dominica, et ſeruili diuerſam eſſe.

Partes textus. Textus habet duas partes. In prima eſt theorema. In ſecunda eſt confirmatio.

SCHOLIA.

Varia expoſitiones nominis ἡ κτητική. D. Thomæ, et Acciaioli. Confutatio. Fabri, Calcagnini, Victorij. Propria. Inſtantia cõtra hãc expoſitionem. Diluitio.

Rei autem procurandæ ſcientia. ἡ κτητική. D. Thomas, & Acciaiolus intelligunt ſcientiam acquirendi ſeruos. Inanis expoſitio. Primùm quis, & vbi vnquam, nedum Philoſophus in hoc libro, de hac ſcientia acquirendi ſeruos loquutus eſt? Deinde quomodo venatoria eſt pars eiuſmodi ſcientiæ? Ad hoc verò ipſi reſpondent: venatoriam eſſe ſcientiam acquirendi beſtias in ſeruos. Lepores igitur, & apri, & reliqua animalia, quæ venamur, vbi capta fuerint, ſerui noſtri erunt. Sed non de huiuſmodi ſeruis inſtituta eſt diſputatio. Paulò melius Faber, Calcagninus, Victorius generaliter ſcientiã acquirendi rẽ, & bona interpretantur. Ego verò adhuc latiùs uocabulũ κτητικὴν accipio pro ſcientia, cuius præter quæſtum ſint etiam conſeruatio, & vſus bonorum. At venatoria acquirit tantùm, non vtitur, nec conſeruat. Concedatur: licet non ſit omnino verum, vt ex proxima diſputatione liquebit. Sunt porrho aliæ partes ad quas vſus, & conſeruatio, pertineant. Ac ſanè bellica non magis acquirimus, quàm parta tueamur.

D. Thomæ ratio, cur additum ſit nomen iuſta. Refutatio.

Quæ iuſta. Cur iuſtam addiderit ad rationẽ rei procurãdæ iam dixi. D. Thomas coniungens eam uocem cũ ſola bellica hanc cauſam affert: ſi bellum eſſet iniuſtum, non eſſet iuſta acquiſitio ſeruorum: quapropter non eſſet ex ſcientia. Sed fortaſſe etiam malarum, & iniuſtarum rerum ſcientia eſſe poteſt, præſertim ut nunc ſcientiæ nomen accipitur.

Bellica, et venatoria propoſita exempli causâ.

Bellica quædam, aut venatoria. Non quòd hæ ſolæ ſint partes τῆς κτητικῆς, ut quidam interpretantur; ſunt enim præter has aliæ multæ cùm naturales, tum præter naturam; ſed exempli cauſa.

Textus

Textus XXIX.

*

Pecuniaria ratio, pars domus, & curæ rationiſque domeſticæ.

Capita quatuordecim à decimoquarto ad 28. De vniuerſa re, & ratione pecuniaria, quæ eſt quarta & poſtrema pars domus, ſiue curæ vel rationis, domeſticæ.

Περὶ μὲν οὖν δούλου καὶ δεσπότου τοῦτον &c. Tex: LXXXII. ad CXL.

SCHOLIVM.

DOMESTICA cura, & diſciplina partim in perſonis vertitur, partim in rebus. Perſonas familiam vocant vno, & ſimplici nomine, quæ dicitur græcè οἶκος, καὶ οἰκεῖα. Res multis vocabulis nuncupant; græcè quidem οὐσίαν, κλῆρον, κτήματα, χρήματα, ὑπάρχοντα, ὄντα latinè autem bona, facultates, fortunas, ſubſtantiam, cenſum, patrimonium, rem, pecuniam. E quibus vocabulis duo potiſsimùm vſurpat hac in diſputatione Philoſophus, κτῆσιν, καὶ χρήματα: rem, & pecuniam nos perpetuò vertemus. Pecunia enim Latinis, & χρήματα Græcis non ſolùm numeratam pecuniam, hoc eſt nō ſolùm numos ſignificant, ſed omnem omnino pecuniam, corpora, iura, fortunas, & facultates, omnia denique, quorum æſtimationem numus metitur, vt ſcribit Ariſtoteles in principio IV. ad Nicomachum. Pecunia dicta eſt à pecore, ſiue à pecu: quod priſcis homini-

Materia ratiōis domeſticæ dupl. atque ex hac duplicitate materiæ diuiſio eiuſdem ratiōis domeſticæ in duas partes.

Familia.

Pecunia.

Pecuniæ varia vocabula.

Pecunia, & τῶν χρημάτων nomina quid ſignificent, & vnde ſint dernata.

hominibus vniuerſæ pecuniæ fuit fundamentum; vt tradit Columella in præfatione libri vj; liquetque ex literis ſacris. χρήματα appellata ſunt παρὰ τὸ χρήσιμα εἶναι: quod docet Xenophon in principio Oeconomici. Et cum Xenophonte conſentit Thucydides, ſic definiens χρήματα in vij. libro: χρήματα eſſe ea, quæ ad alendum vtilia ſunt, & cætera, quæ ad hæc pertinēt.

Alimentorum nomen quid.

Vtenſilia quid Columellæ.

Nomen autem alimentorum complectitur apud iuriſconſultos cibaria, veſtitum, & habitationem. Simili deriuatione vocat Columella, vtenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quapropter ſi etyma verborum ſequi vellemus, aptiſsimum hoc, conuenientiſsimumque eſſet, vtenſilia, ad χρήματα latinè exprimenda. Sed vſus obtinuit, vt melius, elegantiusque videretur pecuniæ

Serui ancipitis generis inter rē et pſonas.

vocabulum. Inter hæc duo, rem, & perſonas ſerui ſunt, quaſi medij, atque ancipitis generis; alia ratione in perſonis, familiaque; alia in re, & pecunijs numerandi: quod è ſuperiori diſputatione eſt manifeſtum.

Similis diſtributio materia rationis ciuilis, ipſiusque rationis ciuilis in partes duas.

Quemadmodum autem œconomicæ, ſeu domeſticæ curæ, & rationis ſunt hæ duæ partes, vna de familia; altera de re familiari, & priuata: ita, politicæ, ſeu ciuilis, quod in principio antecedentis diſputationis admonui, ſunt aliæ duæ his reſpondentes;

Hominēs. Pecunia. Pars de re & pecunijs dirigitur ad alterā, quæ eſt de hominib. et de familia.

quarum vna ad homines; altera ad publicam rem, & pecuniam refertur. Et vtriuſque rationis, tam ciuilis, quàm domeſticæ, illa pars, quæ in re, & pecunia occupata eſt, dirigitur ad alteram, quæ eſt de hominibus, & de familia, vt liquet ex 2. cap. P. Oeconomici, & ex textu 143. huius primi

Nomina partis, quæ eſt de re, ſiue de pecunijs.

Politici: vocaturque à Philoſopho tum χρηματιστική, ideſt pecuniaria, ſuprà in text: 32. & infrà in 73, 74, 75, 92, 94, 96, 97, 98, 101, 102, 105, 107, 110, 112, 114, 116, 119, 127, 131; tum κτητική; quaſi rei, facultatumue procurandarum rationem dixeris, ſuprà in tex: 36, 72, & infrà in 86, 87, 89, 90.

Diſtributio pecuniaria ſ tres partes, quę sūt acquiſitio, cōſeruatio, vſus; et ad eas reuocatio omnium illorū, quæ ad rem pertinent.

Tribus porrho quaſi partibus, quæ ipſius actus ſunt, continetur hæc biceps pecuniaria, & quæ ad domeſticam, & quæ ad ciuilem rationem attinet: nempe queſtu, acquiſitione'ue, conſeruatione, vſu. atque hoc eſt, quod ait Auctor P. Oeconomici: quatuor eſſe œconomi circa rem, & pecunias

nias officia; vnum quærere; alterum tueri quęſita; tertium ornari; quartum vti. nam etiam ornatus in vſu comprehenditur. Quam nos acquiſitionem vocamus, iuriſconſulti acquiſitionem dominij appellant. Eſt enim coniunctum cum acquiſitione dominium, eam ſequens neceſſariò, tanquam terminus, ac finis illius: vt quicquid rei demum acquiritur, eius dominus efficiatur qui acquirit; nec dominus eſſe poſſit vlla ratione, qui aliquomodo non acquiſierit. Sed acquiſitio actus eſt, & in actu conſiſtit: dominium eſt ius, & poteſtas tantùm. Quippe ad extremum nihil aliud dominium eſt, niſi ius, & poteſtas ex acquiſitione in rem acquiſitam fruendi, vtendi, alienandi, perdendi eam: qua quidem poteſtate dicitur res illa eſſe dominium habentis tanquam inſtrumentum, ac pars quædam ſeparata. Et poſſeſſioni dominium ſubeſt, vt ſpecies generi. Omnis enim, qui dominus eſt, aut dominium habet quocunque modo; qua parte eſt dominus, ea poſſidet parte. Etiam dominus proprietatis alicuius rei, cuius rei fructus, vſus'ue ad alium pertinet, eſt in poſſeſſione eius proprietatis, ideſt eam in poteſtate retinet ſua. Atque fructuarius, & vſuarius ſimiliter, ſicut varijs modis rerum, vſuumque, ac fructuum domini dicuntur; ſic varijs modis illas, & hos poſſident, habentque in ſua poteſtate. A poteſtate nanque, quia quaſi reſideat res, quæ poſſidetur, in poteſtate poſſidentis, appellata fuit poſſeſſio, non à pedibus. qua in re turpiter lapſi ſunt Labeo, & Paulus in leg. p. de adquic. poſſeſſ. Et ex hoc errore alter fluxit, quom in leg. 3. eiuſdem tt: reſponderunt Labeo, & Nerua filius deſinere me poſſidere eum locum, quem flumen, aut mare occupauerit: vbi ſubaudiunt recentiores iuriſconſulti, dominium retineri. Hoc autem eſt falſum. neque enim dominium eſſe poteſt ſine poſſeſſione, & poteſtate aliqua vel fruendi, vel vtendi, vel alienandi, vel perdendi id, cuius dominium habetur: niſi fortaſſe dominium iuris, poſſeſſionem facti eſſe dicas: vel illud ad corpora, hanc ad actus referas: quod ſæpenumero faciunt iuriſconſulti, præſertim vbi de actibus poſſeſſorijs loquuntur.

Acquiſitioni quæ ſubſint, et annectantur.

Dominiũ, poſſeſſionemq́; acquiſitioni cohærere, & ad eam reuocari.

Dominiũ quatenus cum acquiſitione coniungatur, & quaten⁹ ab ea diſtet.

Dominij definitio.

Poſſeſſioni dominiũ ſubeſſe tanquam ſpeciem generi.

Poſſeſſionis nomen unde.

Dominij, et poſſeſſionis diſtinctio.

Poſſeſſionē & dominiū, ſiue propriè, ſiue fusè ambo vocabula ſumātur, eſſe omnino idem.

tur. Imò verò ſi acriùs introſpicias, ſumasq; propriè poſſeſſionem, & dominium, nec differre quidem ea affirmabis tanquam genus, & ſpeciem; ſed eſſe omnino idem. Qui rem alienam ſic detinet, vt diſtrahat eam ſuo arbitratu, eſt iniuſtus, violentusque detentor; non verus, aut naturalis poſſeſſor. Et quodammodo poſſeſſor eſt; non ſolidè, ac ſimpliciter, qui poſſidet nomine alieno. quapropter vera, perfectaque poſſeſsio, ac dominium idem erunt. Idem quoque erunt, ſi fuſiùs ſumantur ambo vocabula; veliſque poſſeſsionem nominari & vbi vi, & vbi ex parte res detinetur: nam ſimilia prorſus dominia inuenies. quemadmodum.n. acquirimus vel totam rem, vel eius partem; & aliquando violenta, iniuſtaque acquiſitio eſt, aliquando iuſta, & naturalis: ita dominium, quod naſcitur ex acquiſitione, aliquando plenum eſt, aliquando diminutum; & modò iuri, naturæque conſentaneum; modò iniurioſum, & contra naturam. Erunt itaque idem omnibus modis dominium, & poſſeſsio; nec ſolùm eadem res, ſed ratio, & reſpectus penè idem, qui eſt poteſtatis noſtræ ad rem acquiſitam. Aut ſi different; non different, niſi modo conſyderandi: quia poſſidere ſignificet habere rem in poteſtate; dominum eſſe, habere poteſtatem in rem. Denique quicquid poſſidetur, quocunque modo poſſideatur; neceſſe eſt eodem modo acquiſitum eſſe: acquiſitionem autem cuiuſuis generis ſequatur dominium oportet eiuſdem generis: quod dominium eſt terminus acquiſitionis, vt antè diximus. Separari ergo nequaquam poſſent, ſed apta eſſent inter ſe, & connexa, vt alterum ſine altero nec exiſteret, nec intelligeretur, quanquam non eſſent idem, quæ nunc appellamus poſſeſsionem, & dominium. Scio equidem haud placitura hæc vulgo iuriſconſultorum, qui diſcernunt dominiū à poſſeſsione: & ſine poſſeſsione dominium, ſine dominio poſſeſsionē eſſe poſſe inquiunt. Verùm ſcio etiam multas apud eos ſignificationes habere vocabulum vtrunque: ac ſi pariter ambo ſumantur vel preſsè, vel latè, vt ſuprà admonui; nihil propemodum diſſentionis ſuperfore. Philoſophis certè,

tè, qui maxime propriè vti nominibus ſtudent, non videntur res diuerſæ poſſeſſio, & dominium, ſed vel idem omnino; vel reſpectus, & rationes duntaxat differentes eo modo, quo dictum fuit. Vtcunque ſit, & ſiue vulgi iuriſconſultorum, ſiue philoſophorum ſententiam ſequamur; id eſt ſiue idem, ſiue diuerſa iſthęc fuerint, ſatis conſtat, cum acquiſitione implicita eſſe, & ad eam primò reuocari poſſeſſionem, & dominium; quæque dominij, ac poſſeſſionis ſpecies quædam ſunt, proprietatem, vſumfructum, vſum, habitationem, operas ſeruorum, ſeruitutes prędiorum, emphyteuſes, pignora, & ſi quæ alia ſunt eiuſdem modi: de quibus omnibus diſtinctè iuriſconſulti. Rationes verò hæc ipſa acquirendi, quarum capita paulo pòſt exponemus, acquiſitioni ſubeſſe, magis perſpicuum eſt, quàm vt de eo moneri debeamus. Hæc de acquiſitione. Ad conſeruationem pertinent modi, & formæ cuſtodiendi, tutandi & priuatim, & publicè (quò etiam veniunt exceptiones iuriſconſultorum, aliæque defenſiones tam forenſes, quàm bellicæ) item curandi, inſpiciendi, colligendi, ordinandi, condendi, promendi rationes, ac reliqua id genus. Conſeruationi autẽ quodammodo, & quodammodo acquiſitioni amisſio opponitur. quapropter huc etiam referentur quæcunque de amittenda poſſeſſione, & dominio, vel quaſi poſſeſſione, & quaſi dominio diſputant iuriſconſulti. Nam recuperatio amiſſorũ iurium, niſi eam ius ciuile poſtliminijs, reſtitutionibus in integrũ, condictionibus, vẽdicationibus, actionibus deniq;, quibus ipſam cõſtituit, diuerſam faceret; naturâ ſuâ eſſet idẽ prorſus, quod acquiſitio, ſed acquiſitio altera, ac noua eiuſdem rei. quanquam .n. poſtliminium ab alijs iuri naturali, ab alijs iuri gentium tribuitur ob verba Pauli in l. 19. de Captiu. & Poſtlim. reu: tamẽ eſt manifeſtè iuris ciuilis. In vſu, qui erat tertia pars rationis pecuniarię, cõprehenduntur actus ipſi fruendi, & vtendi preſſè ſumpti, ornatus, diſpẽſatio, ſubminiſtratio, tandẽ diſpoſitio cibariorum, veſtimẽtorum, habitationis, ſupellectilis, aliorumque inſtrumentorũ ad necesſitatem vitę, ad commoditatem, ad

Cõſeruationi, quæ ſubſint & annectantur.

Præcepta de amittẽda poſſeſſione, & dominio ad quã partem pecuniaria reuocẽtur.

Recuperatio amiſſorum iurium ad quã partem pecuniaria reuocetur.

Poſtliminium cuius ſit iuris.

Vſui quæ ſubſint, & annectantur.

 delitias.

delitias. conducere .n. maximè etiã vſui, non ſolùm cõſer-
De pecuniaria qua ratione ſit deinceps diſputãdum, et cur. uationi ordinẽ docet Xenophon in Oeconomico. Cæterũ ſicut vſus, quia eſt poſtrema triũ pecuniariẽ partium, & hac de cauſa proxima, coniunctaq; alteri rationi tũ ciuilis, tum domeſticæ diſciplinæ, quẽ eſt de hominibus, & de familia; ſubeſſe ei magis putatur, quã pecuniariẽ: ſic acquiſitio, quũ ſit prima partiũ illarum, longiſsimeq; ab hac ratione, quẽ in hominibus, familiaq; verſatur, diſiuncta; penè ſola facere videtur pecuniariã. Quo ſanè modo etiã in prẽſentia, id eſt potiſsimùm vt quẽſtũ cõplectitur, non tamẽ excluſis oĩno, ſed ſecundũ quẽſtũ ſignificatis cõſeruatione, & vſu, quæ quẽſtũ ſequũtur; de pecuniaria, eiusq; formis à Philoſopho diſputabitur. Et nos ſimiliter de ea, hoc pacto accepta, pauca quẽdã dicamus ad ipſius Philoſophi ſentẽtias, & verba viam aperientia. *Pecuniaria diuiſio.* Pecuniaria, prẽſertim vt quẽſtum, cõparationemq; rerũ ad vitam vtiliũ ſignificat, eſt quorundã quaſi effectuũ, & ad quoſdã quaſi fines, & ex quibuſdã quaſi initijs. Dicerem eiuſdẽ eſſe & actus, ſiue munera, & modos agendi, & obiecta, ſiue materias, & genera ſiue tota, & inſtrumẽta quẽdã, & fortaſſe alia. Sed in acquiſitione partim horum cũ initijs implicita ſunt, vt actus, & modi agendi: partim, vt materiẽ, & obiecta, ab effectis reipſa non differũt: partim reuocãtur ad fines, vt inſtrumenta, & tota: quẽ omnia ſuis locis fuſius explicabuntur. *Effectuum pecuniariæ, id eſt rerũ, quas acquirit, diuiſio.* Illa igitur, quorũ quaſi effectuum eſt pecuniaria, vel neceſsitatibus vitẽ inſeruiunt; vel cõmoditati, & iucũditati; vel ſunt eiuſmodi, vt ex ijs hẽc, quæ neceſsitati, cõmoditati, iucunditati vitẽ ſunt deſtinata, parari, & cõfici poſsint. Ad vitæ neceſſitatem referuntur cibaria, veſtitus, habitatio; in primis autem cibaria. Ad commoditatem, & iucunditatem talia, & talia cibaria; talis, & talis veſtitus; talis, & talis habitatio, ſupellectiliaq;, & miniſteria omnia. Ex quibus cõfici, & parari hẽc poſſunt trium ſunt generum. nã aut naturaliter ex ijs hẽc cõficiuntur, & parãtur; aut arte; aut hominum inſtituto, ac lege. In primo genere ſunt agri, plãtẽ, animalia multa: in ſecũdo metalla, & omnis materia: in tertio numi, & quæ numis æqualem aſſumũt poteſtatem.

Sic au-

Finium pecuniariæ, ob quos acquirit, diuiſio.

Sic autem omnium iſtarum rerum (& earum ſcilicet, quæ neceſsitati, commoditati, iucunditati per ſe conducunt, & earum, ex quibus illæ ſuppeditantur) tanquam operum, effectuumq́ue quorundam ſuorum eſt ipſa pecuniaria, vt vel nullum alium ſibi conſtituat finem, ſed pro ſuo ſupremo fine habeat multitudinē, & amplificationem earum, vel ad alium finem eas dirigat, ideſt ad conſeruanuandam, beneq́ue, ac beatè degendam vitam. Et porrho quom priorum eſt, attinentium per ſe ad neceſsitatem, aut ad commoditatem, aut ad iucunditatem vitæ; penè neceſſe eſt; vt hos ipſos ſibi præſcribat fines; vſum neceſſarium, commodum, iucundum; nec amplicificationē earum in infinitum deſyderet. Quom verò fuerit aliarum, ex quibus priores parantur, æquè & habere, & non habere alium finem poteſt præter earum amplificationem. At ex quibus quaſi initijs, & fontibus haurit, & acquirit pecuniaria; eorum communiter, & vt res quædam ſunt vtiles ad vitam noſtram, eadem omnino ſunt genera, quæ eſſe diximus rerum, quæ acquiruntur, quas effectis comparauimus. Propriè autem quatenus ſunt principia, ac quaſi fon tes quidam, vnde alia proueniunt, hanc ſortiuntur differentiam: vt vel ex ipſis ſua propria natura ſine commutatione, & conuento humano exoriatur, paretur'ue aliquid vtile ad viuendum; quemadmodum ex agris fruges exoriūtur, conficiunturq; varia inſtrumenta ex metallis primò, & per ſe: vel ex ipſis non naſcatur, nec efficiatur, ſed acquiratur tantummodo quod ad vitam profit; & acquiratur non per propriam eorum naturam, ſed per legem, & pactum noſtrum, genere aliquo permutationis; quemadmodum ex numis, operis hominum, ipſisq́ue etiam agris, ac metallis, cæterisq́ue eiuſdem generis uim numorum ſumentibus, quom permutantur, acquiritur aliquid ſecundo loco, & per accidens, quod vitæ noſtræ per ſe conducat. Primum horum duorum modorum, à natura pendentem, appellabimus nunc facilioris doctrinæ gratià fontes naturales: alterum nixum inſtituto, fontes nō naturales.

Initiorum, ex quibus quaſi fontibus pecuniaria acqrit, propria diuiſio.

Prima forma rationis pecuniaria, ſimplices, & compoſita.

Et ex hoc diſcrimine initiorum, quæ fontes vocamus naturales, & non naturales, ſuperiorique finium, qui ſunt vſus, & amplificatio bonorum, diuiditur primùm ratio pecuniaria, & quæſtuaria in quatuor formas ſimplices, totidemque compoſitas. Simplices ſunt hæ: quæ pro fine habet amplificationem earum ipſarum rerum, in quibus verſatur: quæ habet pro fine vſum neceſſarium, aut commodum, aut iucundum: quæ acquirit ex fontibus naturalibus: quæ acquirit ex fontibus non naturalibus. Compoſitæ autem ſunt iſtæ eædem ſic copulatæ inter ſe: quę pro fine habet vſum, & acquirit ex fontibus naturalibus: quæ pro fine habet vſum, & acquirit ex fontibus non naturalibus: quæ pro fine habet amplificationem, & acquirit ex fontibus non naturalibus: quę pro fine habet amplificationem, & acquirit ex fontibus naturalibus.

Prior diſtributio harum formarũ compoſitarũ, ipſiusq; rationis pecuniaria in duo genera: & eorum generum varia vocabula.

Harum quatuor compoſitarum formarum primam, eam, quæ finem habet vſum, acquiritque ex fontibus naturalibus; quia tota naturalis eſt, quærens emolumenta ex rebus, quę naturà ſuà ſuppeditare illa nobis poſſunt, atque ea quærens ob finem cùm eorum, tum ipſius pecuniarię prorſus naturalem, qui eſt vſus vitæ noſtrę; vocat Philoſophus, ab huiuſmodi initio, & fine, κατὰ φύσιν, ideſt naturalem in tex: 90, 102, 111: rurſusq; à fine viuendi, & beneuiuendi, qui ſine hac forma haberi non poteſt, vocat ἀναγκαίαν, neceſſariam in 111, & 117: à fine etiam vocat ἔχουσαν ὅρον, habentem terminum, in 111; quoniam quęrat tantum, quantum ad vſum noſtrum ſit ſatis. ab initio autem, & ab actu, qui eſt cũ initio cõiunctus, nominat eam in 81 ἔχουσαν αὐτόφυτον ἐργασίαν, quę habeat operam per ſe gignentem: & à fine, & à toto οἰκονομικὴν, domeſticam in 103, 105, 111, 117; propterea quòd domeſticæ rationis ſit pars, & ad domeſticam ſocietatem per ſe dirigatur, quà domum ſpectat: ſicut quà ſpectat ciuitatem, & politicæ ſubiecta eſt, vocabitur ob eaſdem cauſas πολιτική, ideſt ciuilis. tandem à primo genere rerum in quibus vertitur, & quarum eſt quaſi effectuum, dicitur ἐπιμέλεια, καὶ χρηματιστικὴ περὶ τροφήν, ideſt cura, pecuniariaque alimentaria in 77, & in 111; atque χρηματιστικὴ ἀπὸ

τῶν

τῶν καρπῶν, καὶ τῶν ζώων, pecuniaria ex fructibus, & animalibus in 116. Alias tres formas, eam, quæ acquirit ex fonte non naturali habens vſum pro fine; eam, quę acquirit ex fonte non naturali habens pro fine amplificationem; & eam, quæ pro fine habet amplificationem acquirens ex fonte naturali, redigit in vnum genus. quod genus contrarijs, & diuerſis appellat nominibus. Nanque ab initio, & fine, quorum vel vtrunque, vel alterutrum ſit non naturale, vocat illud genus in tex: 90, & 117 χρηματιστικὴν οὐ φύσει, καὶ οὐ κατὰ φύσιν, pecuniariam non naturalem: item à fine, μὴ ἀναγκαίαν, non neceſſariam; καὶ ἄπειρον, infinitam in 111: & à fine per excellentiam, qui eſt pecuniæ, potisſimumq́ue numeratæ amplificatio μάλιστα χρηματιστικὴν, ἢ χρηματιστικὴν κατ' ἐξοχὴν, maximè pecuniariã, ſiue pecuniariam per excellentiam in 90. & 110. ab initio autem, & modo acquirendi vocat idem genus ἐπ' ἀλλήλων, ex alternatione in 117; & δι' ἐμπειρίας, καὶ τέχνης, per experiẽtiam, & artem in 90; & καπηλικὴν, cauponiam pecuniariam in 92, 96, 98, 103, 117; & μεταβλητικὴν, commutatitiam in 117, 124, 127; & ποριζομένην τὴν τροφὴν δι' ἀλλαγῆς, καὶ καπηλείας, ſuppeditantem alimentum per commutationem, cauponationemq́ue in 81. Quanuis enim vltima trium illarum formarum, quas hoc genere comprehendi diximus, initium acquirendi habeat ex fontibus naturalibus: tamen fieri vix, aut ne vix quidem poteſt, vt quæ amplificationem bonorum pro fine ſibi proponit, acquiſitione naturali contenta ſit, nec perueniat ad artificioſam. quocirca omnes ad extremum commutando, cauponãdoque quęſtum faciunt. Atque hoc quidem pacto Philoſophus in priori parte huius diſputationis, ſpectans & ad initia, & ad fines, & ad effecta, ſiue materias, & ad reliqua, quæ cum his cohærent, aut ab his non differunt, diuidit pecuniariam, vt quæſtum præcipuè ſignificat, & ſecundum quæſtum conſeruationem, & vſum, quæ quæſtui adhereſcunt, in duo genera: quorum vnum primam formam; alterum alias tres illarum quatuor, in quas primùm tota ratio quęſtuaria diſtribuebatur, contineat: id quod ex ipſo orationis cõtextu planum fiet. Veruntamen in his duobus generi-

In hac diſtributione pecuniaria ad quæ reſpiciat, & ad quæ maximè reſpiciat Philoſophus, & cur.

generibus ſeparatim conſyderandis, ijsque inter ſe diſtinguendis maximè, ac penè ſolùm initiorum, quæ diximus, rationem habere videtur; & profectò habet duabus de cauſis: primùm quia eiuſmodi initiorum, actuumque, & modorum agendi, qui cum illis coniunguntur, diſcrimina maximè variant acquiſitionem; verisque, ac proprijs, & eſſentialibus differentijs genera eius diſtinguunt. altera cauſa eſt, ſicut annotaui paulo antè, quòd vnaquæq; trium formarum, quæ in ſecundo genere comprehendũtur, etiam nouiſsima, cuius initium, & fons acquirendi primus eſt naturalis, deflectens tandem à natura, acquirere ſolet commutando, & cauponando: diſtantque idcirco omnes illæ formę, & genus, quod eas comprehendit, hac potiſsimùm re à primo genere; quod primum genus ſine cauponatione, commutationeque, & pacto denique humano, ex ſola rei natura comparat ea, quæ vſibus noſtris conducunt. Ad hęc igitur initia, fontesque geminos ſuprà indicatos, quorum vnus eſt natura rei, alter eſt conuentio, & artificium humanum, vnde omnis cauponatio, omnis commutatio quęſtuaria exiſtit, maximè reſpiciens Philoſophus, diſiungit, & tractat in priori diſputationis parte duo illa genera pecuniarię, quæ dicta ſunt. E quorum generum multis vocabulis proximè propoſitis nos duo delegimus, quibus pręſertim illa ſignificaremus; nominaturi primum, quod eſt ſecundum naturam, alimentarium, ab effectu, & materia; alterumque, quod pendet ex inſtituto, cauponium, ab initio, & actionis modo. Cur autem hęc potiſsimùm nomina ſimus vſurpaturi, cauſa ſuo loco explicabitur. In poſteriori deinde parte diſputationis tripertitò diſtribuit Philoſophus eandem pecuniariam; nimirum in maximè naturalem, ſeu maximè propriam, & familiariſsimam hominibus, idest gręcè οἰκειοτάτην, in commutatitiam, & in mediam; vel diuiſo ſcilicet genere ipſo naturali, & alimentario in duo, quorum vnum maximè naturale, alterum medium vocetur; vel tertio hoc ad duo ſuperiora adiuncto genere. Cuius quidem vel diuiſionis generis naturalis, vel adiunctionis

Quæ præcipuè vocabula vſurpabanſ ad hæc duo genera deſignãda.

Poſterior diſtributio rationis pecuniariæ in tria genera.

In ſcholijs duarũ diſputationũ de pecuniaria alimentaria, & de pecuniaria cauponia.

ctionis tertij generis ratio hæc afferri poteſt, quòd quæ ab initijs, & fontibus naturalibus ſubminiſtrantur, alia nobis in cibo eſſe poſſunt; qui cibus eſt naturalis, neceſſariusque maximè, atque ex ea neceſſitate maximè familiaris, ac communis omnibus hominibus; alia, ad veſcendum nobis minimè idonea, vſum afferunt ad alias vitæ commoditates. Sed hæc poſtea. Nunc ſolùm ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ dicenda ſunt, proponamus, & diductione quidem epid..ctica, vt res ſit euidentior, cum his tribus generibus ſpecies ſuas, quę ex tota hac diſputatione Philoſophi colligi poſſunt.

Hypotyposis formarum, τῆς χρηματιστικῆς ἢ κτητικῆς, ex Philoſopho.

Pecuniaria, ſeu procuranda rei ratio.

- **Alimentaria, ἡ περὶ τροφῶν.** Quæ alijs nominibus dicitur etiã Naturalis, & Neceſſaria. & Habens terminũ, & Habẽs operã per ſe gignentẽ, & Domeſtica, Ciuiliſque, & Quæ à fructibus. & animalibus victũ quærit. 77. ad 90. Species huius. 81.
  - **Simplices.** 80. 81.
    - **Paſtoritia, νομαδική.** 80. 81.
      - Pecuaria, Ϲοσκηματική. 120.
      - Paſtio Villatica, μελιττουργία, et reliqua einſdẽ generis. 122.
    - **Agricultura propria, γεωργική.** 80. 81. 121.
      - Has tres formas, agriculturam, pecuariam, paſtionem villaticã in vnum genus concludit, quod vocat pecuniariã οἰκειοτάτην, ideſt familiariſſimam, & maximè propriam, maximeque naturalem hominibus. 119. ad 124.
    - **Venatoria, vel Bellica θηρευτική, ἢ πολεμική** } Maximè cõis. 80. 86.
      - **Prædatoria. λῃστρική.** 80. 81.
        - Bellica propria. πολεμική. 86. Iuſta, & naturalis, quæ ſeruos naturâ parere recuſantes ad imperium retrahit.
        - Latrociniũ λῃστεία. 86. Quo viris naturâ liberis, atq; immerẽtib⁹ bona, et libertas eripiuntur: Iniuſtũ eſt: & quanquã nõ repugnat fortaſſe naturæ cõmuni animaliũ, tñ repugnat naturæ humanę. Quocirca hæc pars non eſt propriè generis alimentarij, ſed cauponij.
      - **Venatoria. θηρευτική. Quæ perſequitur, genus omne belluarũ.** } Cõmunis 86.
        - Piſcatoria. ἁλιευτική. 80. 81.
        - Venatoria. θηρευτική. } Propria 81. Quæ aues, & feras terreſtres perſequitur.
          - Aucupium. ἡ ἀπ' ὀρνίθων 80.
          - Venatoria max. ꝓpria. ἡ ἀπὸ θηρίων ἀγρίων. 80.
  - **mixtæ ex ſimplicibus.** 81.
- **Cauponia.**
  - Cauponia, ſiue Commutatitia. καπηλική, ἢ μεταβλητική. } fuſè. Alijs nominibus, Non naturalis, Non neceſſaria, Infinita, Pecuniaria per excellentiam, Ex alternatione, Per experientiam, & artem, Suppeditans alimentum per commutationem, cauponationemque. 90. & inde. 124. & inde.
    - **Negotiatrix, ſeu Nundinaria. ἀγοραστική.**
      - **Mercatura. ἐμπορία.** 124.
        - Naniculatoria. ναυκληρία. Mari, Nauibusq; tranſportat vendendas merces à longinquis regionibus.
        - Oneraria. φορτηγία. Terreſtri itinere iumentis, ac vehiculis ad loca propinquiora deuebit vendendas merces.
        - Stataria. παράστασις. In eadem ciuitate, & regione emit, venditque eaſdem merces aucto pretio.
      - **Fœneratoria cõis κολλυβιστική.** 125.
        - Fœneratoria ꝓpria, τοκισμὸς, ὀβολοστατική. 117. cui⁹ lucrum pẽdet ex tẽpore.
        - Argentaria. τραπεζιτική.
          - ἀργυραμοιβική. Cõmutatio numorũ. Quę ex ſpẽi diuerſitate qſtũ facit.
          - Traiectio. Quę lucratur ex diuerſitate locorum.
      - Vnaquæque harum fœnerationũ exercetur quidẽ propriè in pura numularia: tamen exerceri etiam poteſt in ſimplici rerum permutatione; & prima, tertiaq; carũ in permutatione numularia mixta.
    - **Mercenaria. μισθαρνία.** 126. 110. Vendit, locatq; operas.
      - Facultatum naturaliũ, Quas natura tribuit,
        - Corporũ. Vt baiulorũ, et aliorũ, quos cõmuni vocab. operarios aliqñ appellãt.
        - Animorũ. Vt eorũ, qui à memoria dicuntur.
      - Artium. Quæ cõparãtur experientia, & doctrina.
        - Illiberalium. Vt omnium opificum.
        - Liberalium, quibus continentur ſcientię. Vt profeſſorum, qui artes mercede docent.
      - Virtutũ. Quæ conſuetudine et exercitatione acquirũtur. Vt iudicum, & ducum, qui mercede ſeruiunt.
- **Media.**
  - Media inter maximè naturalem, familiariſſimam'ue, & commutatitiam, ſiue cauponiam. 127. Eſt rerum naturalium vtilium nobis per ſe, non ad veſcendum, ſed ad alias vitæ commoditates.
    - **Inanimarum. Quæ colliguntur, eruuntur'ue ex terra.**
      - Humorum.
      - Terrarũ.
      - Succorũ concretorũ.
      - Lapidũ ꝓpriè nuncupatorũ.
      - Gemmarũ.
      - Marmorũ.
      - Saxorum.
      - Metallorũ.
    - **Animatarum. Quæ à terra, & ſuper terram naſcuntur.**
      - Plantarũ infructuoſarũ.
      - Animaliũ nec cibũ, nec operas ad eũ nobis exhibẽtiũ, ſed alias vitę cõmoditates.

Hæc eſt τῆς χρηματιστικῆς, ἢ κτητικῆς, jdeſt pecuniariæ rationis, ſiue rationis rei procurandæ ex doctrina Philoſophi noſtri diſtributio, vt hęc quidem ratio quęſtum primò ſignificat, ſed vnà cum quęſtu, & ſecundo loco etiam vſum, ac conſeruationem: quæ quidem neceſſariò, vel vbi ſummus finis eſt opum amplificatio, quęſtum comitantur, conſeruatio ſimpliciter, vſus aliquo modo: ſiquidem aliquatenus, & aliqua ex parte, quantumuis deſyderium amplificandi creſcat in immenſum, neceſſe eſt vti acquiſitis rebus, dum mutabili hac luce lædimur, & adiuuamur. At Plato in Sophiſta quodammodo anguſtiùs, quodammodo latiùs accipit τὴν κτητικὴν, quàm hìc faciat Philoſophus. deſignat enim ille hoc vocabulo quæſtuariam duntaxat rationem, nõ cum ea conſeruantem, & vtentem, niſi quatenus conſeruatio in quęſtu numeratur: & intelligit per quęſtum acceſſionem, amplificationemq; omnem, nõ ſolùm eam, quę ad res, fortunaſq;, ſed etiam eam, quę ad diſciplinam, & cognitionem, & mores, & affectus pertinet. Diuidit igitur Plato eo in loco artes omnes εἰς ποιητικὰς, καὶ εἰς κτητικὰς, jdeſt in effectrices, & in quęſtuarias. Effectrices vocat eas, quarũ vi aliquid, quod priùs nõ erat, ad eſſentiam perducitur: quęſtuarias reliquas, quę nihil fabricãt omnino; verùm quę ſunt, & facta ſunt, partim ſermonibus, actionibusq; capiunt, partim prohibẽt capientibus. Has poſtea quęſtuarias ſic diſtribuit. Quæſtuariæ, inquit, artis, rationiſq; duo ſunt prima genera; vnum, quo volentes cũ volẽtibus res aliquas permutãt, quod hac de cauſa cõmutatoriũ, ſeu permutatoriũ, gręcè μεταβλητικὴν, ἢ ἀλλακτικὴν appellatur; alterũ, quo vincũtur, ſubijciunturq; alij alijs, etiã nolentes, cui nomen mancipatoriũ, & gręcè χειρωτικήν. Cõmutatorij generis vna pars in donationibus, largitionibusque verſatur: altera cõſiſtit in emẽdo, & vendẽdo: tertia mercedem ſpectat. habentq; nomina ſimilia; prima δωρητικὴ, ex donatione; ſecunda ἀγοραστικὴ, ex emptione, & venditione; tertia μισθωτικὴ, mercenaria. Rurſus ſecunda iſtarum, quę peragitur emendo, & vendendo, in duas ſecatur partes: vna attinet ad eos, qui ſua vendũt; altera ad eos, qui emũt, & vendunt aliena. illa dicitur αὐτοπωλικὴ, ſuorũ venditrix: hęc μεταβλητικὴ, jdeſt

ἡ χρηματιστικὴ, καὶ κτητικὴ, licet ſignificet Philoſopho in hac diſputatione primo quæſtũ. ſignificat tamen poſt eum etiã conſeruationẽ, & vſũ.

Plato in Sophiſta in latiori & in anguſtiori ſignificatione vtitur vocabulo τῆς κτητικῆς, quàm hìc faciat Philoſophus.

Diuiſio artiũ ex Sophiſta Platonis.

Effectrices artes.

Quæſtuariæ artes.

Quæſtuariæ rationis diuiſio Platonica.

commutatoria nomine generis nuncupatur. Huius commutatoriæ, quæ eſt ſpecies, pars quædam in eadem ciuitate permutatione facit; vocaturque καπηλικὴ, cauponia: quędam appellatur mercatura, ἐμπορικὴ, quæ ex vna ciuitate in aliam emendo, & vendendo res tranſportat. Tum vniuſcuiuſque harum trium, ἐμπορικῆς, καπηλικῆς, ἀυτοπωλικῆς formæ binę: quarum vnæ verſantur in venditione, emptioneque earum rerum, quæ ad corporis; alteræ in earum, quę ad animæ victum referuntur. illę retinent propria nomina ἐμπορικῆς, καπηλικῆς, ἀυτοπωλικῆς: hæ nominantur ψυχεμπορικὴ ſeu μαθηματοπωλικὴ, καπηλικὴ τῶν μαθημάτων, ἀυτοπωλικὴ τῶν μαθημάτων. Atque hę rurſus vel aliarum facultatum diſciplinā vendunt, dicunturque τεχνοπωλικαὶ; vel virtutis, & vocantur ἀρετοπωλικαὶ, quæ ſophiſtica eſt. Item τεχνοπωλικαὶ vel ad ſolatium diſciplinam aliquam vendunt, vt muſicam; vel ad ſtudium, vt geometriam. Mancipatorium genus & ipſum duplex; vnum patens, quod certando capit, nominaturque ἀγωνιστικὸν, jdeſt decertatorium; alterū latens, quod capit venādo, ac dicitur venatorium, θηρευτικόν. Decertatorium duas habet partes; ἁμιλλητικὴν, jdeſt æmulandi, ſeu competendi; & μαχητικὴν, jdeſt pugnandi. Pugnantis decertatorię adhuc vna pars eſt, quæ corporibus; altera, quæ ſermonibus pugnat. illi ſit nomen βιαστικὴ, jdeſt violenta: huic ἀμφισβητητικὴ, jdeſt altercatoria. Altercatorię duæ formæ: vna publica, vtens longis ſermonibus aduerſus longos ſermones de iuſtis, iniuſtisq; rebus, quæ dicitur δικανικὴ, jdeſt cauſidica; altera priuata, quę vtitur interrogationibus, reſponſionibusq; breuibus, & vocatur ἀντιλογικὴ, hoc eſt contradictoria. Cuius contradictoriæ vna pars de commercijs contendit temerè, & ſine arte, quę nomen non habet: altera artificioſa de iuſtis, & iniuſtis, alijſque ſimilibus rebus vniuersè altercatur, cui nomen ἐριστικὴ, litigioſa, ſeu contentioſa. Et huius litigioſę vna pars eſt, quæ ex priuatis contentionibus damnum reportat, vtpote res negligens ſuas; nec tamen audientibus voluptatē parit: altera reportat lucrum. Prima dicitur ἀδολεσχικὴ, nugatoria, & garula: ſecūda eſt ſophiſtica. Venatorium genus aut res inanimas, aut animalia indagat. Illa pars caret nomine; in qua comprehenduntur & qui metalla,

talla, & qui coralia inquirunt, & aliæ quædam vrinatoriæ facultatis partes: hæc vocetur ζωοθηρικὴ, jdeſt venatoria animalium. Huius porrho venatoriæ animalium duo ſunt modi: vnus pedeſtrium animalium, τοῦ πεζοῦ, qui πεζοθηρικὸς, jdeſt pedeſtrium animalium venatorius; alter agilium, ſeu natatilium, τοῦ νευστικοῦ, qui ὑγροθηρικὸς, jdeſt venatorius per liquidum dici poteſt. Venationis pedeſtrium animalium duæ maximæ partes: vna manſuetorum: altera agreſtium. Manſueta animalia homines ſunt. Et horum rurſus venatio, appellata ἡμεροθηρικὴ. ſiue ἀνθρωποθηρικὴ, in duas ſcinditur partes: vna dicetur à nobis violenta, βίαιος; cuius ſpecies, prædatoria, ſiue latrocinium, λῃστικὴ. & plagiaria, ἀνδραποδιστικὴ, & tyrannica, τυραννικὴ. & bellica, πολεμικὴ: altera vocabitur perſuaſoria, πιθανουργικὴ. Perſuaſoriæ duo ſunt genera: vnum publicum: alterum priuatum. Publicum, quod gręcè dicitur δημοσιοθηρευτικὸν. duas partes habet; δικανικὴν. cauſidicam, qua iudices perſuadentur; & δημηγορικὴν, concionalem, qua mouetur populus. Priuati autem generis, quod eſt græcè ἰδιοθηρευτικὸν, vna pars mercedẽ captat, μισθαρνευτικὴ, ſeu νομισματοπωλικὴ; jdeſt mercedem, & pecunias petens appellata: altera dona confert, dicta ob id δωροφορικὴ. Hæc quidem pars venationis perſuaſoriæ, qua eos, quos cæpimus, muneribus inſuper ornamus, eſt ſpecies artis amatoriæ. Illa verò mercenaria, quæ mercedem captat ab ijs, qui capti ſunt, aut verſatur ad gratiam, voluptatisq́; illecebras parat, vt hinc alimẽta mercedis loco recipiat, quam κολακικὴν. jdeſt adulatoriam vocamus, artẽ voluptatis machinatricem: aut virtutis causà conſuetudinem, & colloquia habere ſe profitetur, pecunias exigẽs pro mercede, quę eſt ars ſophiſtica. Tandem venationis per liquidũ duo ſunt genera pro duobus generibus agilium, &, quę in liquido feruntur, animaliũ, jdeſt τῶν νευστικῶν; quorũ vnum eſt volucre, alterum aquaticum. volucris generis venatio aucupium, jdeſt ὀρνιθοθηρευτικὴ nominatur: aquatici, piſcatio, hoc eſt ἁλιευτικὴ. Verùm quo diſtinctiùs, ac meliùs partitionem hãc Platonicã animo cõplectare, in qua multi offendũt; hypotypoſin eius ſubiungam, adſcriptis ordine, vt à primo genere proficiſcũtur, formarum oĩum nominibus.

Hypotyposis, τῆς κτητικῆς, ex Sophiſta Platonis.

- Ἡ κτητική. *Quæſtuaria ratio.*
  - Μεταβλητική, ἢ ἀλλακτική. *Permutatrix, ſiue commerciorum.*
    - Δωρητική. *Ex donatione.*
    - Ἀγοραστική. *Ex emptione, & venditione.*
      - Αὐτοπωλική. *Venditrix ſuorum.*
        - Αὐτοπωλικὴ ἰδίως. *Venditrix ſuorum propriè.*
        - Αὐτοπωλικὴ τῶν μαθημάτων. *Venditrix ſuarum diſciplinarum.*
          - Τεχνοπωλικὴ αὐτοπωλική. *Artes ſuas vendens vel.*
            - Πρὸς παραμυθίαν. *Ad ſolatium.*
            - Πρὸς σπουδήν. *Ad ſtudium.*
          - Ἀρετῆς αὐτοπωλική. *Virtutes ſuas vẽdẽs: quæ eſt ſophiſtice.*
      - Μεταβλητική. *Permutatrix, nomine generis.*
        - Καπηλική. *Cauponaria.*
          - Καπηλικὴ ἰδίως. *Cauponaria propriè.*
          - Καπηλικὴ τῶν μαθημάτων. *Cauponaria diſciplinarum.*
            - Τεχνοπωλικὴ καπηλική. *Artium cauponaria.*
              - Πρὸς παραμυθίαν. *Ad ſolatium.*
              - Πρὸς σπουδήν. *Ad ſtudium.*
            - Ἀρετῆς καπηλική. *Virtutis cauponaria: quæ eſt Sophiſtice.*
        - Ἐμπορική. *Mercatura.*
          - Ἐμπορικὴ ἰδίως. *Mercatura propriè.*
          - Ψυχεμπορική, ἢ μαθηματοπωλική. *Mercatura ad res animæ, ſeu ad diſciplinas pertinens.*
            - Τεχνοπωλικὴ ἐμπορική. *Artium mercatura.*
              - Πρὸς παραμυθίαν. *Ad ſolatium.*
              - Πρὸς σπουδήν. *Ad ſtudium.*
            - Ἀρετῆς ἐμπορική. *Virtutis mercatura. quę eſt ſophiſtice.*
    - Μισθωτική. *Mercenaria.*
  - Χειρωτική. *Mancipatoria.*
    - Ἀγωνιστική. *Decertatoria.*
      - Ἁμιλλητική. *Aemulandi, ſeu Cõpetendi.*
      - Μαχητική. *Pugnandi.*
        - Βιαστική. *Violenta.*
        - Ἀμφισβητητική. *Altercatoria.*
          - Δικανική. *Cauſidica reſpectu aduerſariorum.*
          - Ἀντιλογική. *Cõtradictoria.*
            - Ἀντιλογική. *Contradictoria.*
              - Ἀνώνυμος. *Nomine carens.*
              - Ἐριστική. *Litigioſa, ſeu Contentioſa.*
                - Ἀδολεσχική. *Nugatoria, & Garula.*
                - Σοφιστική. *Sophiſtice reſpectu actionis.*
    - Θηρευτική. *Venatoria.* *
      - * Θηρευτική.

*

- Θηρευτική. *Venatoria.*
  - Ἀνώνυμος. *Nomine carens. Quæ eſt rerum inanimarum.*
  - Ζῳοθηρική. *Animalium venatoria.*
    - Πεζοθηρική. *Pedeſtrium animalium venatoria.*
      - Ἡμεροθηρική, *ſiue* ἀνθρωποθηρική. *Manſuetorũ animalium, ſiue hominũ venatoria.*
        - Βίαιος. *Violenta.*
          - Λῃστική. *Prædatoria, ſeu Latrocinium.*
          - Ἀνδραποδιστική. *Plagiaria.*
          - Τυραννική. *Tyrãnica.*
          - Πολεμική. *Bellica omnis.*
        - Πιθανουργική. *Perſuaſoria.*
          - Δημοσιοθηρευτική. *Publica venatoria.*
            - Δικανική. *Cauſidica reſpectu Iudicum.*
            - Δημηγορική. *Concionalis.*
          - Ἰδιοθηρευτική, *ſeu* προσομιλητική. *Priuata, ſeu Colloquutoria venatio.*
            - Μισθαρνευτική, *ſeu* νομισματοπωλική. *Mercedem, & pecunias quærens venatio.*
              - Κολακική. *Adulatoria.*
              - Σοφιστική. *Sophiſtice reſpectu finis.*
            - Δωροφορική. *Dona cõferens venatio. Quæ eſt ſpecies artis amatoriæ.*
      - Ἀγριοθηρική. *Agreſtiũ animaliũ venatoria. Quæ multas formas, & varia nomina habet: ſolet autem communiter appellari venatio.*
    - Ενυγροθηρική. *Venatoria per liquidum.*
      - Ὀρνιθοθηρευτική. *Aucupium.*
      - Ἁλιευτική. *Piſcatoria.*

Qualis ſit ſuperior diſtributio τῆς κτητικῆς.

Ita partitur τὴν κτητικὴν, & quæſtuariam rationem Plato in Sophiſta. Quę partitio nec ſuis differentijs conficitur: &, prætermiſſis verioribus quibuſdam formis, vt agricultura, paſtoritia, collybiſtice; multas alias complectitur vel parum proprias, vel minimè neceſſarias, cuius modi ſunt omnes μαθηματοπωλικὴν, omnes πιθανουργικὴν, penè omnes ἀγωνιστικὴν. Hinc quaſdam harum etiam reperias multis in generibus collocatas; vt cauſidicam in altercatorio, & in perſuaſorio; ſophiſticen ἐν τῷ αὐτοπωλικῷ, ἐν τῷ ἐμπορικῷ, in cauponario, & contradictorio, & in eodem perſuaſorio; violentum ἐν τῷ μαχητικῷ, καὶ ἐν τῷ ἡμεροθηρικῷ. Cæterùm Platoni eo in libro de quęſtu diſputare, aut τὴν κτητικὴν diuidere primò & per ſe cõſilium non fuit. quicquid de his dixit, ſophiſtæ gratià dixit, cuius tunc conditiones vndique exquirebat, vt eius imaginem, quanto perfectiùs poſſet, & adumbraret, & exprimeret. Quocirca non eſt ei vitio vertendum, ſi quaſdam ex veriſſimis quæſtuariæ partibus ſilentio præterijt, aliaſque pro illis recenſuit, quæ ex tranſlatione tantùm, & à poetis, multitudineque poetas plerunque imitante vocantur quæſtuariæ; denique ſi proprias, & eſſentiales differentias in partiendo non adhibuit.

Platonis deſtſio, & cũ Philoſopho conciliatio.

Partes pecuniariæ, quæ in ſuperiori diuiſione omittuntur, recẽſentur à Platone in v. legum.

De vero & proprio duntaxat quæſtu loquĩ Plato in v. leg.

πρὸς τὴν κτητικὴν, καὶ τὴν χρηματιστικὴν pertinere cũ quęſtu conſeruationẽ, et vſum de Platonis ſententia.

Certè in v. de legibus, vbi de re, & de quęſtu, & omnino de pecuniaria ſermonem inſtituit; numerat in partibus pecuniarię agriculturam, & paſtionem, & fœnus; ac de eo duntaxat loquitur quęſtu, qui verè, proprieq́ue ſic nominatur. Tum autem ex eodem loco v. de legibus, & ex altero Thęteti, in quo traditur differentia τοῦ ἔχειν, καὶ τοῦ κτᾶσθαι; perſpicuè liquet, non ſolùm quęſtum, verumetiam ſecundum quęſtum conſeruationem, & vſum de Platonis ſententia πρὸς τὴν κτητικὴν, καὶ τὴν χρηματιστικὴν, ad rei procurandæ rationem, pecuniariamq́ue prorſus pertinere. Sed de his aliàs.

Acquiſitionis diuiſio, et modi ſecundum iuriſcõſultos.

Iuriſconſulti alio modo diuidunt veram acquiſitionem: quorum ſententiam vniuerſam latiſſimè fuſam, & patentem breuiter ſic perſtringemus. [1] Acquirũtur res, ſeu fiunt ſingulorum hominum, ſeu dominium earum accipitur, quę omnia eandem vim habent; aut iure gentium, quod ratione natu-

1. ff de Acq. rerũ domin. l. 1. & Inſtit de Rerum diuiſ. §. ſingulorũ.

naturali inter omnes homines peræque ſeruatur, diciturq́; hac de cauſa etiam ius naturale; aut iure ciuili, id eſt iure romano. [2] Iuris gentium, ſiue iuris hoc modo naturalis, quòd eius ſemina ſint hominibus à natura ingenerata, acquiſitio tria genera continet: quorum vnum in occupatione; alterum in generatione, & quaſi generatione; tertium in traditione, & quaſi traditione conſiſtit. [3] Ex occupatione iure naturali acquiſitio fit, ſi id, quod nullius erat, occupetur, retineaturq́; in cuſtodia occupantis: [4] dummodo nec ſacrum, nec ſanctum, nec religioſum, nec publicum fuerit, nec res hæreditaria, nec homo liber, qui non ſit ex numero hoſtium. hæc enim, quanquam nullius in bonis ſunt, tamen occupanti non conceduntur: cætera, quæ non ſunt alicuius, conceduntur tandiu, quandiu retinentur in eius cuſtodia. Diſtribuitur hęc naturalis occupatio in tres partes. Prima dicitur propriè occupatio, accommodato ad ſpeciem vocabulo generis; & eſt rerum immobilium tantùm: [5] vt inſula in mari nata, à quocunque primùm occupata fuerit, ei acquiritur; quo quidem iure Veneti ſe tuentur: &, ſi quæ regiones etiam continentium terrarum in nullius dominio, aut ditione eſſent, fierent occupantis. Altera pars vocari poteſt inuentio; eſtque rerum duntaxat mobilium. Comprehendit autē hæc pars [6] theſaurorum, [7] lapillorum, gemmarum, aliorumque huiuſmodi, quæ in nullius ſimpliciter ſint bonis, [8] tum rerum etiam à dominis pro derelicto habitarum inuentiones. Tertia pars nominetur captura, aut præda. quæ [9] vel eſt ferarum beſtiarum, terreſtrium, volucrium, aquatilium, vocaturque venatio, aucupium, piſcatio; [10] vel hominum, aliarumque rerum tam mobilium, quàm immobilium iuſto bello interceptarum; quam bellicam acquiſitionem nuncupant. Ex generatione, ac quaſi generatione iure naturali nobis acquiritur vno modo quicquid prouenit nobis ex [11] animalibus, [12] ſeruis'ue, & omnino rebus noſtris, [13] aut quas pro noſtris bona fide poſſidemus. Altero modo noſtra fiunt hoc eodem genere, & iure quæcunque fluuij opera agris noſtris adijciun-

Acquiſitio ex iure gentium, ſiue naturali, & modi eius.

Acquiſitio per occupationem ex iure naturali, & eius modi.

Occupatio.

Inuentio.

Captura.

Acquiſitio per generationem, ac quaſi generationem ex iure naturali, et eius modi.

Quod prouenit ex rebus noſtris.

Quod fluuij opera agris noſtris adijcitur.

2 ex ff & Inſtit. vſdē et et alijs locis.
3 ff de Acqr. rerū dom. l. 3. Inſtit de Rerū diuis. §. Feræ igitur.
4 ff. de Rerū diuis. l. p. & Inſtit eod. tit. §. Nullius autem & ſeq.
5 ff. de Acqrē de rerū domi. l 7 et de Acqr. vel amitt. poſſ. l. p. & Inſtit. de Rerum diuis. §. Inſula
6 ff. de Acqr. rerū domin l. 31. et 63. et de Iure Fiſci l. 3. & C. de Theſauris, et Inſt. de Rerū diuis. §. Theſauros.
7 ff de Acqr. vel amitt. poſſ. l. p. et de Rer. diuis. l 3. Inſt. eod. tit. §. Item lapilli.
8 ff. Pro derelicto l. p. & 2. & 5. Inſtit. de Rerū diuis. § Hoc amplius.
9 ff de Adqr. rerū domin. l. p. et 3. et 5. & 24 et 44 et 55. Inſtit. §. Feræ igitur & ſeq.
10 ff de Adqr. vel amitt. poſſeſſ. l. p. Inſtit. de rerū diuis §. Item ea quæ.
11 ff de Adqr. rerū dom. l. 2 et 6. Inſtit. de Rerū diuis. §. Itē lapilli.
12 ff. de Statu hominum l 5. & de Acquir. rerū domin. l. 66. C. de Rei vendic. l. 7. & 12. Inſtit. de Iure perſonarum. §. Serui autem.
13 ff. de Vſuris l. 25 & de Adquir. rerū domin. l. 48. Inſtit. de rerū diuis. § Si quis à nō domino.

adijciuntur; vt quod [14] ijs aggeritur latenter, paulatímque per alluuionem; [15] & inſula in flumine nata; [16] & alueus à flumine derelictus contra frontem agrorum noſtrorum: ſic enim quaſi generare parereque ob vicinitatem agri illi noſtri agros nouos videntur. Tertio modo fit noſtrum iure naturali per generationem, vel quaſi generationẽ quicquid operà noſtrà efficitur [17] vel ex tota, aut in tota materia noſtra, vt ſi ex mea lana faciam veſtimentum, & in meo ædificem ſolo; [18] vel ex parte, & in parte materiæ noſtræ, vt ſi ex meo vino & alieno melle mulſum cõficiam, ac in ſolo communi ædificem; [19] vel ex materia aliena, quod ad eam nequeat amplius reuerti, bonaque fide, ac meo nomine ſit factum, vt quom mihi ex alienis vuis vinum efficio; [20] vel etiam in materia aliena, ſi fuerit id, quod fit, materia pretioſius, vt quom in tabula tua pingo. Quarto modo huius generis, quod ad generationem, & ius naturale reuocatur, acquiritur nobis quicquid rei noſtræ operà alienà accedit; [21] puta ſi rem ſuam noſtrę ſic adiunxerit aliquis, vt eius pars euadat; [22] vel ſi ex noſtra materia ſpeciem fecerit, ſciẽs noſtram eſſe; [23] vel ſi in re noſtra, verbi gratia ſi in ędificio, ſolo'ue noſtro ędificauerit, aut plantam poſuerit, quæ egerit radices, aut frumentum aliud'ue quidpiam ſeuerit, aut in chartis noſtris literas etiã aureas ſcripſerit. Quanquam enim huius, & ſuperioris modi quædam formæ ſunt perſpicuè iuris ciuilis, hoc eſt romani iuris; nec omnibus generibus, imò ne multis quidem à natura cõmendatæ: cunctæ tamen à iuriſconſultis iuri gentium & naturali tribuuntur. Ex [24] traditione poſtremò res acquirimus iure naturali, ſeu vera traditio fiat à priori domino, & qui alienare eas poſſit; ſeu imaginaria; ſeu pro quauis traditione exiſtat nuda eius voluntas; & ſiue per ſe, ſiue per alium traditionem is faciat; & ſiue donationis, ſiue dotis, ſiue permutationis, ſiue emptionis, ſiue quacunque alia iuſta, & naturali cauſa nobis traditæ fuerint. nihil .n. eſt tam conueniens naturali ęquitati, quàm uoluntatem domini, uolentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi. Horum omniũ modorum acquiſitionis

Q̃ operà noſtra efficiũ ex materia et in materia noſtra, aut aliena.

Q̃ operà aliena rei noſtra accedit.

Acquiſitio per traditionẽ ex iure naturali, & modi eius.

Modorũ acquiſitionis ex iure naturali, quos tradunt iuriſconſulti, qui conſyderẽtur etiã à Philoſophis, qui minimè, et quare.

14 ff. de Adgr. rerũ domi. l.7. et 38. Inſt. de Rer. diuis. § Praeterea q̃d per alluuionẽ. C. de Alluuionibus l. 7.

15 ff de Adgr. rerũ dom. l.7. et 29. et 56. Inſt de Rer. diuis. §. Inſula.

16 ff. de Adquir. rerũ domin. l.7. et 30. et 56. Inſt de Rer. diuis. §. Quod ſi naturale.

17 Hoc per ſe eſt notiſſimũ.

18 Inſtit. de Rerũ diuis. §. Quod ſi partẽ.

19 ff. Ad exhibendũ. l 12. & de Adgr. rerũ domin. l. 7. et 12. et 27. Inſtit. de Rer. diuis. §. Quom ex aliena.

20 ff. de Adquir. rerũ domin. l. 9. Inſt. de Rer. diuis. § Si quis in aliena tabula.

21 ff. de Rei vendic. l. 24. et de Adquir. rerũ domin. l. 26. et 27. Inſt. de Rer. diuis. §. Si tũ alienã.

22 ff. Ad exhibendũ l. 12. et de Furtis l. 59.

23 ff. de Rei vendic. l. 5. & 24. et 49. et de Damno infecto l. 9. et de Adgr. rer. dom. l. 7. et 9. et 28. C. de Rei vẽd. l. 2. et 11. Inſt. de Rer. diuis. § Quom in ſuo ſolo, et §. Ex diuerſo & §. Si Titius, et §. Qua ratione, et § literę quoq;.

24 ff. de Adgr. rerũ domĩ. l. 9. C. de Rei vẽdic. l. 12. & Si quis alteri vel ſibi l. 3. Inſt. de Rer. diuis. § per traditionẽ quoq; & ſequentib.

ſitionis ex iure naturali ſoli ij, qui ſunt prædę, & capturæ, communes ſunt philoſophis cum iuriſconſultis: reliqui, proprij iuriſconſultorum, nullo pacto attinent ad Philoſophos. artis .n. expertes ſunt, ac voluntarij: quæ autem à natura, & ab arte ſunt aliena; ea philoſophi non conſyderant; ſed iuriſconſulti. qui quidem in campo fortunæ, & temeritatis vagantur: res naturæ, & rations aut prorſus non attingunt; aut ſi attingunt quidem, non quà huiuſmodi ſunt, attingunt; verùm quà implicitæ ſunt cum fortuna, & cum voluntate; tandemque vt in fora, & in iudicia trahuntur. Iure autem ciuili, quod fuit alterum membrum primæ diuiſionis, dicimur acquirere quęcunque ex cauſis à iure ciuili cõſtitutis acquirimus, vt [25] ſtipulatione, [26] vſucapione, [27] litis ęſtimatione, [28] arrogatione, [29] ſucceſſione vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, [30] & alijs ſimilibus modis, de quibus omnibus latè iuriſconſulti. Et hi modi ciuiles magis formulæ quędam ſunt, quam rationes acquirendi. quocirca à Philoſophis non conſyderãtur, intentis ad ea, quibus ratio, & facultas, ac quaſi diſciplina quęſtuum efficiẽdorum comprehenditur. Hactenus quæ pro introitu, & iſagoge huius diſputationis de pecuniaria generaliter præfanda duximus: cuius diſputationis hęc ſit prima partitio.

Acquiſitio ex iure ciuili, & modi eius.

Modi acquiſitionis ex iure ciuili non conſyderantur à Philoſophis, & cur.

25 ff. & Inſt. de verborum obligationib⁹. 26 ff. de Vſucapionib. l. 3. C. de pactis l. 20. Inſtit. de Vſucapionib. 27 ff. de Rei vẽdic. l. 47. & Pro emptore l. p. 28 Inſtit. de Acquir. per arrogationem C. de Bonis q̃ liberis l. 6. 29 Inſtit. & ff. ſimilib⁹ tt. 30 verbi gratia bonorũ poſſeſſione, aditione, deportatione, monachatu, vt Accurſius in l. p. de Acquir. rerũ dominio.

Continuatio diſputationis, ſuperioris de domino & ſeruo, & huius de re ac ratione pecuniaria. Caput xiv. tex: lxxiij.

Conſyderatio rei, & rationis pecuniariæ.

- *Ad theoriam, & cognitionem. Capita nouem à xv. ad xxiv. tex: lxxiv.*
- *Ad vſum, & praxin. Cap. quatuor à xxiv. ad xxviij. tex: cxviij.*

Textus LXXIII.

CAPVT XIIII.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXIII.

Continuatio ex concluſione ſuperioris, & propoſitione huius diſputationis: adiuncta cauſa à ſubiectorum generum coniunctione; quòd ſeruus, de quo proximè dictum fuit, ſit quædam pars rei, de qua nunc ſermo inſtituitur.

Text: lxxiij. [a] Περὶ μὲν οὖν δούλου, καὶ δεσπότου τοῦτον διωρίσθω τὸν τρόπον: [b] ὅλως δὲ περὶ πάσης κτήσεως, [c] καὶ χρηματιστικῆς θεωρήσωμεν [d] κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον: [e] ἐπείπερ καὶ ὁ δοῦλος τῆς κτήσεως μέρος τι ἦν.

[a] De ſeruo igitur, & domino definitum ſit hoc modo: [b] omnino autem de vniuerſa re, [c] & pecuniaria ratione, [d] modo nobis inſtituto, conſyderemus: [e] quandoquidem ſeruus rei pars quædam erat.

EXPLANATIO.

Partis, & totius maxima coniunctio. Series harum diſputationũ.

Modus idest ordo doctrinæ in ſerie harũ diſputationũ.

Pars, & totum ſic inter ſe coniuncta ſunt, vt alterum ſine altero nedum eſſe, ſed ne intelligi quidem vllo pacto queat. Diſputationi ergo, quæ de aliqua parte ſeparatim habita fuerit, finitima, continensq; ſit oportet de illius toto diſputatio. [d] qui etiam fuit modus doctrinæ propoſitus in textu tertio: vt rerum compoſitarum, & vniuerſarum partes, principiaq; priùs perſpicerentur. Hunc igitur eundem modum, & initio huius libri à nobis inſtitutum tenentes, inquit Philoſophus, [a] poſtquam de domino, & ſeruo ſatis conuenienter, vt putamus, expoſitum eſt, [c] qui quidem ſeruus eſt pars rei, fortunarumq; noſtrarum, ideſt τῆς κτήσεως, & denique κτῆμα quoddam animatum, vt didicimus ex tex. 36. & 38. & ſequentibus; [b] age videamus iam generaliter de re vniuerſa, & de ratione eius procurandæ, quam pecuniariam appellant; [d] adhibito iterum eodem doctrinæ modo, quem diximus eſſe proprium rerum compoſitarum, atque vniuerſarum, ideſt diuidendo, reſoluendoque

Modus doctrinæ adhibẽdus in hac diſputatione.

e. pars quędã. *d.* *a.* *c.* *b. c.* *d.*

hanc

hanc pecuniariam in ſuas formas, & partes vſque ad minimas, & indiuiduas.

Textus habet tres partes. In prima (a) eſt concluſio. In ſecunda (b c d) eſt propoſitio. In tertia (e) eſt ratio continuationis. *Partes textus.*

SCHOLIA.

Omnino autem de vniuerſa re. Qui de ſeruo loquitur, omnino de quadam parte rei, & bonorum loquitur. Continetur enim ſeruus non ſolum in familia, ſed etiam in bonis, vt aliâs admonui. Hactenus igitur, quom de ſeruo expoſitum eſt, licet de eo per ſe, & quatenus eſt pars potius familiæ, quàm rei ſit expoſitum; nihilominus expoſitum eſt de quadam parte rei; deinceps dicetur generaliter de re vniuerſa, cuius ille eſt pars. *Series harum diſputationū.*

Re, & pecuniaria ratione: κτήσεως, καὶ χρηματιστικῆς. Referuntur hæc ad ſeſe inuicem, res tanquam materia, pecuniaria ratio tanquam facultas. Ergo rectè Proculus pecuniæ appellatione rem ſignificari cenſuit in leg. 4. de Verborum; & rerum ſignificatione: eademque prorſus vis ſubeſt his duobus vocabulis, vt in principio huius diſputationis annotaui. *Pecuniæ verbum*, dicebat Vlpianus in leg. 178. eod. tt. *non ſolum numeratam pecuniam complectitur, verùm omnem omnino pecuniam, hoc eſt omnia corpora*, vt ipſe ait. Sed & cum corporibus ſignificat etiam iura incorporalia, hoc eſt ſeruitutes tam reales, quàm perſonales, & actiones, & obligationes omnes. nam Hermogenianus in l. 222. ſic ſcribit: *Pecuniæ nomine non ſolùm numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm iura continentur.* Continentur, inquam, hæc omnia ſimpliciter vocabulo pecuniæ, quia ſunt partes ſubſtantiæ, & fortunarum, quas generaliter Romani pecuniam, Græci χρήματα appellant: non, vt notat Accurſius ad hanc leg. 222. & ad leg. 5, quia in pecuniam conuerti poſsint. Præter hæc autem nihil aliud eſt, quod rei appellatione comprehendatur. Nec probo ſententiam Pauli diſtinguentis in eadem leg. 5. rem à pecunia; quaſi pecunia referatur ad ea tantùm, quæ in patrimonio noſtro ſunt; res contineat etiam ea, quæ non ſunt patrimonij, Sacra equidem, & religioſa, & ſancta, & publica in patrimonio eſſe non poſſunt; & hæreditas iacens, vt vocant, ideſt antequam adita fuerit, non eſt in patrimonio: nominantur tamen & publicæ, & ſacræ, & religioſæ, & hæreditatis iacentis pecuniæ: præterquam quòd omnium iſtorum æſtimationem numus meritur. Sed hæc ſuis iuriſconſultis relinquantur. exponamusq; paucis verbis totam illam rerum diuiſionem cuius modo capita attigimus, & quam ipſi latiſsimè perſequuntur, ſiquidem illa magnam iis, quæ dicta ſunt, & quæ erunt dicenda, allatura eſt lucem. Rerum, inquiunt iuriſconſulti, aliæ diuini iuris ſunt, aliæ humani. Diuini iuris ſunt, quæ ſacræ, quæ religioſæ, quæ ſanctæ appellantur. Sacræ res ſunt, quæcunque publico inſtituto Deo conſecratæ, ac dedicatæ ſunt, ſiue ædes, ſiue aræ, ſiue ſigna, ſiue pecuniæ, ſiue cuiuſuis alius generis fuerint. quæcunque autem priuatim dedicantur, conſecranturue, vt quæ munera à priuatis ſeu uoti ſoluendi, ſeu pietatis causâ in templis appenduntur, & ędiculæ, quas ſibi quiſque priuati ſacri causâ conſtruit, non ſacræ ſunt, ſed prophanæ, antequam eas ritu publico Pontifices ſacrauerint, ac dedicauerint. Religioſa ſunt ſepulchra, & monumenta, & donaria, quæ non ſunt publicè conſecrata. Sancta demum propriè dicuntur, quæ ſanctione aliqua ab iniuria hominum ſunt munita, & defenſa, ſi ſacra quidem, aut religioſa non fuerint: vt leges omnes ſanctæ ſunt præter illas, quæ ob pœnam capitalem adiunctam, aut ob ſacramentum interpoſitum ſunt etiam ſacræ; & mœnia, & portæ vrbium ſunt ſanctæ. Hæ ſunt propriæ ſignificationes horum vocabulorum, quæ tamen aliquando permutantur etiam à iuriſconſultis. Humani autem iuris res aut publicæ, & communes dicuntur; aut priuatæ, & propriæ. Publicę, & communes vel ſunt omnium communes, ſeu publicæ iure naturali; vel ſunt publicæ, ſeu commu-

Rei, & pecuniariæ rationis inter ſe relatio.

Rei, & pecuniæ vocabula.

In ſcholio argumenti.

Ex D. & I. de Rerū diuiſ.

Rerum diuiſio ex libris iuriſconſultorum.

Diuini iuris res.

Sacra.

Religioſa.

Sancta.

Humani iuris res.

Publica, et cōmunes res.

Omnium communes, ſeu publica iure naturali.

Omnium communes, ſeu publica iure gentium.

nes omnium iure gentium; vel ſunt vniuerſitatis, ſeu publicæ, ſen communes multorum iure ciuili. Sunt omnium communes, ſeu publicæ iure naturali, quæ propriæ occupantis fiunt quatenus, & quandiu occupantur; quæ autem occupatæ non ſunt, earum vſus omnibus promiſcuè conceditur: vt aer, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris, item lapilli, & gemmæ, cæteraque, quæ in littore maris inueniuntur, nec antè alicuius fuerunt, & piſces, & feræ beſtiæ, quas capere iure poſſumus, & cętera id genus. Sunt iure gẽtium (quod, dominia diſtinguens, communitatem quandam in iis reſeruauit) publicę, ſeu communes omnium illæ, quibus vti tantùm, non etiam illas occupare, quemadmodum ſuperiores, cuique licet: vt flumina, & portus, & ripæ fluminum, & vię regiæ. Cuius differentiæ hæc cauſa eſt, quòd ſuperiorum proprietas nullius omnino erat, antequam occuparentur: harum autem eſt alicuius aut hominis, aut populi. Sunt illæ vniuerſitatis, ſen publicæ, ſen communes multorum iure ciuili, quarum proprietas eſt alicuius vniuerſitatis, puta ciuitatis, aut collegij; vſus autem aliquando eiuſdem vniuerſitatis, vt ærarij, vnde impenſæ publicæ fiunt; aliquando ſingulorum, qui in illa vniuerſitate comprehenduntur, prout quiſque partem earum cœperit vel promiſcuè, ſuoque arbitratu, vt in theatro, cuius certæ ſedes ſingulis non ſint deſtinatæ, vel tradente magiſtratu, vt in prouentibus agrorum publicorum, qui viritim diuiduntur. Priuatæ demum, & propriæ ſingulorum res ſunt, quæ in bonis cuiuſque habentur vel proprietate tantùm, vel vſu tantùm, vel vtroque, acquiſitæque fuerunt aut naturali, ſeu gentium, aut ciuili iure. Hæc diſtinguo vt poſſum, iuriſconſultis, explanatoribusque iuriſconſultorum varia, & variè ſcribentibus. Tam latè igitur patent rei, pecuniæque vocabula. Hic autem loquitur Philoſophus de priuatis pecuniis, & rebus, quas bona etiam, patrimoniaque ſingulorum vocant, & cum iis de publicis vniuerſitatum, ideſt ciuitatum, & populorum, quæ propriè publicæ quaſi populicæ dicuntur. nanque hæc ſola genera tractat iſta pecuniaria, pars rationis cùm domeſticæ, tũ ciuilis, de qua inſtituta eſt præſens diſputatio. Xenophon in Oeconomico rem, ac pecuniam priuatam propriè vocat τὸν οἶκον, quaſi rem domeſticam dixeris: vtitur nihilominus & reliquis vocabulis, τῆς κτήσεως, τῶν κτημάτων, τῶν χρημάτων, τῶν ὄντων, τῶν ὑπαρχόντων, τῆς οὐσίας. Quærens initio vtrum οἶκος ſit οἰκία, ideſt vtrum ſit domus, & quæ ſunt in domo tantùm, an contineat omnia, quæcunque poſſidentur etiã extra domum; ſtatuit eſſe τοῦ οἴκου, quæcunque vbiuis poſſidentur, licet nec in domo, nec in ciuitate quidem fuerint. Ac tandem concludit τὸν οἶκον idem eſſe, quod κτῆσις ἡ συμπᾶσα, hoc eſt, quod res vniuerſa: τὴν κτῆσιν autem eſſe quicquid vtile exiſtit ad vitam.

Vniuerſitatis, ſeu multorum communes, aut publica iure ciuili.

Priuatæ, & propriè ſingulorum res.

De quibus generib. rerum, ſiue pecuniarum loquatur in hac diſputatione Philoſophus, et cur. Quo præcipuè vocabulo vtatur Xenophon in œconomico ad ſignificandam rem, & pecuniam priuatam.

Verſiones, & expoſitiões horũ verborum.

Modo nobis inſtituto. Vetus Interpres, & Aretinus κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον verterunt, *ſecundum antecedentem modum*. Exponunt D. Thomas, & Faber, ille, *eo modo, quo de ſeruis eſt diſputatum:* hic, *modo antecedenti, ideſt dubitando, & dubitationis veritatem diſcutiendo*. Nos autem intelligimus modum inſtitutum, & propoſitum in textu tertio, qui eſt proprius rerum compoſitarum: quandoquidem κτῆσις res compoſita eſt, cuius etiam pars eſt ſeruus. Itaque in illius conſyderatione hunc modum ſeruari par eſt; & ſeruari quidẽ duplici nomine, vt in explanatione declaraui.

Seru' eſt pars rei.

Serui maxima pars diuitiarum.

Seruorũ magnus numerus vbi & quibus.

Seruus rei pars quædam erat. Hoc poſitum eſt in diſputatione antecedenti; potiſsimùm autem in cap. nono. Sed & Plato in vi. de Legibus, & Xenophon in Oeconomico vtuntur hoc enunciato tanquam manifeſto: ſeruus eſt pars τῆς κτήσεως. Sic autem ſeruus eſt pars rei, fortunarumque noſtrarum, vt maximam harum partem ſeruos eſſe antiqui arbitrarentur; tantoque eſſe quemq; ditiorem, quanto plures ſeruos poſsideret. Refert Athenæus ex Hiſtoriis Epitimæi, ſiue Timæi Tauromenitis, & Creſiclis Chronicis, & lib. de prouentibus Xenophontis, & Republica Aeginetarum Ariſtotelis, & lib. de Europæ rebus Agatarcidis Cnidij, Corinthiorum ciuitatem aliquando ita floruiſſe, vt ſexaginta millia, ac quadraginta ſeruos haberent: Athenis deſcriptione facta à Demetrio Phalereo eorum, qui Atticam incolerent regionem, quadringenta *Lib. iij. cap. 6.*

millia

millia ſeruorum adinuenta eſſe: & qnadringenta ſeptuaginta millia apud Aeginetas fuiſſe. Poſſediſſe Mnaſonem Phocenſem plus mille ſeruis: mille Niciam Nicerati Athenienſem: & ſingulos Dardanorum mille, & plures. Ipſe verò idem Athenæus narrat temporibus ſuis, hoc eſt imperante M. Antonino, fuiſſe cuilibet ciuium Romanorum multos ſernos, vt pleriq; eorum & decem, & viginti millia, & plnres etiam haberent. Scribit Plutarchus in Craſſo, quum maximam copiam ſignati argenti Craſſus poſsiderer, & agros mirificè cultos, in üsque eorum, qui colerent, numerum ingentem; minimi tamen hæc omnia æſtimanda fuiſſe præ turba ſeruorum, quos variis artibus inſtructos habebat, lectores, ſcribas, pictores, argentarios, procuratores, menſarum ſtructores, fabros, architectos. Et Plinius ſcribit, C. Atinio Gallo, C. Martio Cenſorino Conſs: ſeruorum quatuor millia centum ſexdecim à C. Cæcilio Claudio Iſidoro teſtamento relicta. Liuius quoque memoriæ prodidit, magnam partem artificum, qui ſolennibus ludorum totius Hetruriæ operarentur, opulenti, & ſuperbi illius hominis ſeruos fuiſſe, quem poſtea Veientes regem ſibi creauerunt. Denique vbicunque caput imperij fuit, ibi ſemper fuerunt plurimi ſerui, & pro præcipuis diuitiis habiti. qui mos apud Turcarum gentem quaſdamque alias Barbaras nationes etiam nunc viget.

Plinius lib. 33. cap. 10.

Liuius lib. v.

Textus LXXIII.

Conſyderatio, rei & rationis pecuniariæ ad theoriam, & cognitionem.

CAPITA IX. A XV. AD XXIV.

Aggrediens controuerſiam quandam de pecuniaria, nempe quæ ſit ratio eius ad curam domeſticam, & ciuilem; diſſerit de re, & pecuniaria vniuerſa, huiusq; partibus, ac formis.

Πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν &c. Textus LXXIV. ad CXIIX.

- *Conſtitutio controuerſiæ* Caput 15. tex: 74. *
- *Pecuniaria alimentaria* Cap. 16. & 17. tex: 77. *
- *Pecuniaria cauponia* Cap. 18. & 19. tex: 90. *
  - *Diſtinctio iſtorum duorum generũ pecuniariæ.* Cap. 20. & 21. tex: 97. *
  - *Epilogus redigens ad quędã capita ea, quæ de duabus pecuniarijs dicta fuerunt.* Cap. 22. tex: iij. *
  - *Appendix duarũ quæſtionũ, quę ex ſupradictis deciduntur.* Cap. 23. tex: 112. *

CA-

CAPVT XV.

Conſtitutio controuerſiæ, quo pacto ſe habeat pecuniaria ad rationem domeſticam.

Πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν &c. Textus LXXIV. LXXV. LXXVI.

SCHOLIVM.

Vſus horum triũ textuum.

Quibus locis, et quomodo dirimenda controuerſia, quæ hic conſtituitur.

Quæſtio aliter hic proponitur, aliter poſtea ſoluetur, & quare.

PROPOSITIO, conſtitutioque huius controuerſiæ viam faciet ad diſputationem vniuerſam de re, & ratione pecuniaria, vt ex ipſis Philoſophi verbis liquebit. Decidetur autem hæc controuerſia, quę in hoc capite cõſtituitur, tum in quarta parte cap. xvij. tum in prima xxiij. Sed in primo loco decidetur propriè de forma alimentaria, ac præcisè: in ſecũdo decidetur generaliter de quauis forma pecuniariæ; & pleniùs, quàm in illo, diſcuſſis dubitationibus, quæ contra veram ſententiam exurgunt. Quum tamen hìc quęratur ex comparatione domeſticæ rationis duntaxat; quo pacto ad rationem domeſticam ſe habeat pecuniaria: in vtroque illorum locorum reſpõdebitur ex comparatione etiã ciuilis; partem eſſe ipſam pecuniariam tum domeſticæ, tum ciuilis rationis. Et rectè quidem ſic reſpondebitur: propterea quòd ſimiliter æqua proportione neceſſe eſt pecuniariam ſe habere ad vtranque illarum; quandò ſimiliter quoque æqua proportione egent, vtunturque pecunijs domus rector, & reipublicæ adminiſtrator. Sed ſimpliciùs proponere Philoſophus voluit, & reliquit ſubaudiẽdum, quod erat ſuo tempore diſtinctè pronunciaturus.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. LXXIV.

Proponit, ac diuidit controuerſiam in ſuas partes, & quæſtiones: Vtrum pecuniaria ſit idem, quod ratio domeſtica, an pars quædam ipſius, an miniſtratrix; &, ſi miniſtratrix, vtrius generis miniſtratrix, an quaſi inſtrumenta præbens, an quaſi materiam: Exemplis allatis amborum generum artium miniſtratricium; & expoſito vocabulo materiæ.

Textlxxiiij. [a] Πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν ἄν τις, [b] πότερον ἡ χρηματιστικὴ, ἡ αὐτὴ τῇ οἰκονομικῇ ἐστιν, [c] ἢ μέρος τι, [d] ἢ ὑπηρετική· [e] καὶ εἰ ὑπηρετικὴ, πότερον ὡς ἡ κερκιδοποιικὴ τῇ ὑφαντικῇ, [f] ἢ ὡς ἡ χαλκουργικὴ τῇ ἀνδριαντοποιίᾳ. [g] οὐ γὰρ ὡσαύτως ὑπηρετοῦσιν, [h] ἀλλ' ἡ μὲν ὄργανα παρέχει, [i] ἡ δὲ τὴν ὕλην. [k] λέγω δὲ ὕλην τὸ ὑποκείμενον, ἐξ οὗ τι ἀποτελεῖται ἔργον: [l] οἷον, ὑφάντῃ μὲν ἔρια, [m] ἀνδριαντοποιῷ δὲ χαλκόν.

k. Elicit ſubiectum eſſe genus materiæ.

[a] Primùm igitur dubitaret ſanè aliquis; [b] vtrum pecuniaria eadem ſit quæ ratio domeſtica, [c] an pars quædam, [d] an miniſtratrix; [e] & ſi miniſtratrix, vtrum quemadmodum, quæ pectines facit, textrinæ, [f] an quemadmodum æraria ſtatuariæ. [g] non enim eodem modo miniſtrant; [h] ſed hæc quidem inſtrumenta præbet, [i] hæc verò materiam. [k] dico autem materiam ſubiectum, ex quo aliquod cõficitur opus: [l] vt textori quidem lanam, [m] ſtatuario autem æs.

EXPLANATIO.

a. Etiam in textu 3.2. propoſita fuit hæc controuerſia [a] tanquam digniſſima, quæ totam præſentem diſputationem regeret, & aperiret. Occurrit enim continuò diſſerere incipienti: negotiumque vbique in ſingulis pecuniariæ partibus exhiberet, niſi perſolueretur. nam genere non conſtituto, quid rectè conſtitui poſſe credendum ſit? aut quo pacto, quatenusq; ſingula accipienda, & tractanda erunt, ſi, quò tendant, neſciamus? Eſt autem perſpicuum, referri, pertinereq; aliquo modo pecuniariam rationem ad domeſticam, idest ad œconomicam: quandoquidem œconomus ſine re, & pecunia nomen, parteſq; ſuas tueri prorſus non poſſet: ſed quomodo pertineat, non eſt perſpicuum: hoc itaque declarandum venit. Porrho quotieſcunque ſunt duo facultatum vocabula, quorum vnum ad alterum pertinere videatur; [b] vel hoc ad illud ſic pertinet, vt ambo eandem facultatem deſignent, quemadmodum metaphyſica, & prima philoſophia; vel ſic, vt diuerſas. Et, ſi diuerſas ſignificant: illa, quæ ad alteram pertinet; [c] vel eſt pars alterius; ac pars quidem aut maxima, vt ars curandi medicinæ; aut qualiſcunque, vt ſophiſtice dialecticæ: [d] vel eſt eius miniſtra, præbens illi aut materiam, vt æraria ſtatuariæ; aut inſtrumenta, vt quæ pectines, & quæ radios textorios facit, textrinæ. Dicimus verò præberi à miniſtratrice facultate vel materiam, vel inſtrumenta, non formam: quia forma eſt illud, quod vnaquæq; ars, & facultas propriè facit; & in quo eius opus, ipſam ab alijs diſtinguẽs, cernitur. [f] Item nõ poteſt facultas vlla eſſe ſimul pars, & miniſtra alterius. Eſt enim pars, illa, quæ

Vtilitas huius controuerſiæ.

Pecuniaria ratio pertinet aliquo modo ad domeſticam.

Si ſint duo vocabula facultatum, quorũ vnum ad alterũ pertineat, quot, quibuſq; modis poſſit pertinere.

b.

c.

d. e. f. g. h. i.

Miniſtrantiũ facultatũ genera.

Facultas vlla nõ poteſt eſſe ſimul pars, & miniſtra alterius.

f. d.

tractat

tractat partem, ſpeciem'ue totius generis, in quo genere altera, cuius ipſa pars eſt, verſatur. verbi gratia euectice dicitur pars medicinæ: propterea quòd corpus bono habitu præditum, quod quidem eſt pars, & ſpecies corporis humani ſub medicinam cadentis, in ſua perfectione conſeruat. Miniſtra verò eſt illa, quæ molitur, præparat'ue aliquid in opus alterius; vt coriaria calceolariæ; & lateraria ædificatoriæ. Quocirca quatuor omnino quæſtionibus comprehenditur hæc controuerſia: quarum [b] vna eſt, vtrum pecuniaria ſit idem, quod ratio domeſtica. [c] altera, ſi non eſt idem, vtrum ſit pars quædam ipſius, an miniſtra: neceſſe eſt enim ſi non eſt idem, quum ad eam pertineat, quemadmodum dicebamus, eſſe aut partem, aut miniſtram. tertia quæſtio; ſi eſt pars, vtrum ſit pars maxima, an non maxima, ſed qualiſcunque fuerit: quæ tertia quæſtio, expreſſa in tex: 32. hîc ſubauditur. [d] quarta; ſi nõ eſt pars, ſed miniſtra, vtrum miniſtret materiam, an inſtrumenta. Et omniũ propoſitionum, has quæſtiones continentium, [e] ſola tertia eſt vera, qua dicitur pecuniariam eſſe quandam partem, non tamen maximam œconomicæ, ſiue domeſticæ rationis, vt docebunt ea, quæ poſtea dicentur. [b] Reliquarum autem prima, & ſecunda, ſtatuentes pecuniariam aut non differre ab œconomica, aut eſſe illius maximam partem, ex eo auctores inuenerunt, quòd hæc cura rei, & pecuniarum vehementer diſtrictos teneat patres familiâs, vt ſuprà annotauimus. Iſto tamen argumento nihil concluditur, niſi vel multos peccare, qui in pecunias nimis incumbant; quemadmodum declarabitur in quarta parte capitis vigeſimiprimi; vel eſſe partem hãc neceſſariam, quod non negamus. [d] Non eſſe partem œconomices pecuniariam; ſed miniſtram aliqui ideo exiſtimarunt, quia multæ ſunt formæ pecuniariæ prauæ, & prẹter naturam; quas ob id nemo poneret partes œconomicæ, vt etiam ſuprà à nobis eſt annotatum: & quia pecuniæ vſui, miniſterioq; hominum, ex quibus tanquam ex ſuis proprijs partibus domus conſtant, ſunt deſtinatæ; deſtinata autem in proprias partes alicuius rei, eiuſdem rei ipſa partes eſſe poſſe non videantur: & quia inſtrumenta, materiam'ue comparare adminiſtratricis facultatis opus putatur, non principalis, cuius illa ſunt materia, & inſtrumenta; rem verò, & bona alij materiam, alij inſtrumenta domus cenſeant, & appellent. Sed primum horum argumentorum tollitur: nam ſunt etiam formæ pecuniariæ rectæ, ac ſecundum naturam, quæ ob id in partibus domus erunt numerandę. Secundum vacillat: propterea quòd conſtant quidem domus pręcipuè ex liberis hominibus, non tamen ex ijs ſolis, quum præter eos ſerui, qui ſunt partes rei, & pecuniarum, ac denique res ipſa vniuerſa ſint neceſſaria; ex qua item re, & pecunijs, & ſeruis, licet tanquam ex parte minus principali domus conſtant: nec eſt inconueniens partes humiliores prẹſtantibus deſeruire. Tertium ſimiliter labitur ex fundamẽto ruinoſo. non enim repugnat aliquam facultatem ſua ſibi facere inſtrumenta, aut materiam accommodare. quippe videmus ferrarium, ac lignarium fabrum; hunc ligna aptantem, ex quibus abacum, ſcamnum'ue efficiat; illum malleos, & incudines, quibus vtatur, fabricantem. Vt nunc omittam fieri hæc inſtrumenta domus, quæ ſunt res, & bona, nõ à pecuniaria, ſed à natura; quod oſtendet Philoſophus in tex: 82. 83. 84. 113. 115. & alijs in locis; parari autem à pecuniaria duntaxat aliquo modo. [e] Et ex his demum liquet; vnde quidam materiam, quidam inſtrumenta miniſtrari œconomicæ à pecunia

Marginal notes (left): *Quot, & quæ ſint quæſtiones, in quas diuiditur hæc controuerſia.* — *Omnium propoſitionũ has quæſtiones cõtinẽtium vna ſola eſt vera, & quæ.* — *Pecuniariam, aut nõ differre ab œconomica, aut eſſe maximã partẽ illius, vnde aliqui crediderint, et eius argumẽti confutatio.* — *Pecuniariam eſſe miniſtrã nõ partẽ œconomicę quibus argumẽtis oſtẽdatur.* — *Primum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Primi argumenti euerſio.* — *Secundi.* — *Tertij.* — *Miniſtrari à pecuniaria œconomica & qui materiã, & qui inſtrumenta putãt, vnde trahant argumenta, et quam infirma illa ſint.*

Marginal notes (right): b. — c. — d. — e. — b.c. — *In explanatione 29.* — d. — *In ſcholijs tex: 34.* — e.f.g.h.i.

cuniaria exiſtimauerint; & quàm parum firmitatis rationes eorum obtineant, ſi velint ſic miniſtrari, vt illa huius nullo modo pars ſit, ſed miniſtra tantùm.
f. m. [f] Statuariam hîc intellige ex ære ſigna conficientem. hæc nanque eſt, quæ Græcis dicitur ἀνδριαντοποιία: generaliter autem ſtatuariam vocant ἀγαλματοποιίαν. Et χαλκουργικὴ etiam, quam ærariam vertimus, *Vocabula ſtatuaria, & æraria.*
k. eſt propriè, quæ præparat materiam, & æs molitur τῇ ἀνδριαντοποιίᾳ. [k] Materia, quæ hîc deſcribitur, eſt illa eadem, quæ deſcribitur in tex. com. 28. ij. Phyſici, & in 2. v. Poſtnaturalium, atque eodem, quo hîc modo, niſi quòd hîc additur vox ὑποκείμενον. Eſt autem materia, quæ in his tribus locis deſcribitur, materia mutabilis in vniuerſum; non materia prima; nec materia immutabilis, intelligibilis, mobilis'ue ſolùm loco; nec quæ ambas comprehendit, mutabilem, atque immutabilem. Ex quibus alijs materiæ modis ille, quem vocant primam materiam, definitus eſt in textu com. 82. P. Phyſici: hic, qui ambas comprehendit, in 3. viij. Poſtnaturalium; licet ibi de ſenſilibus ſubſtantijs Ariſtoteles loquatur: reliqui exponuntur in lib. vij. Poſtnaturalium tex. com. 35. & 39. & in lib. viij. tex. com. 15. & in lib. xij. tex. com. 10. & alijs in locis. *Materię varij modi, variæq; definitiões varijs in locis, et qua ſit ea, quę hîc deſcribitur.* Sed de omnibus his modis materię, eorumq; formis, ac differentijs formarũ nos alibi copioſè. Animaduerte τὸ ὑποκείμενον, ideſt ſubiectum ſumi in hac definitione tanquam genus materiæ, ſicut & in illa textus com. 82. P[i] Phyſici ſumebatur, *Subiectum ſumitur pro genere materiæ hîc & in tex. 82 P. Phyſici.*
g. h. i. de qua re alibi dixi. [g] Differt materia ab inſtrumento, quòd materia eſt id,
m. ex quo fit aliquid, [m] vt ex ære ſtatua: inſtrumentum eſt id, quo fit aliquid, vt pectine textorio tela: quod quidem inſtrumentum hac de cauſa alij ad cauſam efficientem, alij nihilominus ad materiam reuocant. *Materia, & inſtrumenti diſcrimen. Inſtrumentum cur alij ad efficiens alij ad materiam reducant.*

Textus habet tres partes. Prima (a b c d) cõtinet tres primas queſtiones. Secunda (d e f g h i) quartam cum exemplis duplicium artium miniſtrantium. Tertia (k l m) deſcriptionem materiæ. *Partes textus.*

ARGVMENTVM. TEXT: LXXV.

Oſtendit primam illarum quæſtionum, ſeu partium huius controuerſiæ claram eſſe; deciſa ea per locum à præcipuis actibus, quà rebus ſubiectis pecuniaria, & œconomica inter ſe iunguntur; confirmatoque actu œconomicæ ab euidentia, & à vocabulorum affinitate. Locus principalis, ab actibus. Loci adiuncti, ab euidentia, & ab affinitate vocabulorum.

Text. lxxv. [a] Ὅτι μὲν οὖν οὐχ ἡ αὐτὴ οἰκονομικὴ τῇ χρηματιστικῇ δῆλον: [b] τῆς μὲν γὰρ τὸ πορίσασθαι· τῆς δὲ τὸ χρήσασθαι: [c] τίς γὰρ ἔσται ἡ χρησομένη τοῖς κατὰ τὴν οἰκίαν παρὰ τὴν οἰκονομικήν;

[a] Quòd igitur non ſit eadem ratio domeſtica cum pecuniaria, conſpicuum eſt: [b] nam huius quidem eſt parare; illius verò vti: [c] quæ enim erit, quæ vtatur his, quæ ſunt in domo, pręter rationem domeſticam?

EXPLANATIO.

Pecuniaria, et domeſtica ratio non ſunt idem.

[a] Certvm eſt non eſſe idem pecuniariam, & domeſticam rationem, ideſt œconomicam: quod prima quæſtio proponebat. quanquam enim pecuniaria eſſet œconomica, vt quæ in ea, quaſi pars in toto, contineretur: non tamen viciſſim œconomica eſſet pecuniaria. Ob quam cauſam, quum in propoſitione pecuniariam Philoſophus antepoſuerit, *vtrum pecuniaria*, dicebat, *eſt eadem cum ratione domeſtica:* hîc anteponit domeſticam: *conſpicuum eſt*, inquit, *non eſſe eandem rationem domeſticam cum pecuniaria*. Omitto, principalem œconomicæ partem eſſe de familia, & de hominibus familię, quos pecuniaria, quæ tota eſt in rebus, & bonis penè non attingit: [b] etiam quà iunguntur inter ſe, vt totum, & pars, ideſt quà ambæ in pecunijs, & rebus verſantur; vſus iſtorũ bonorum ad œconomicam; quęſtus, & comparatio ad pecuniariam propriè pertinere videntur, quemadmodum ad initium huius diſputationis adnotaui. [c] Nam ſi vti pecunijs, & generaliter re familiari, ac domeſtica eſt ad extremum diſtribuere eam, eiusq; partes, ſubminiſtrareq; ad neceſſitates, commoditatesque viuendi hominibus, qui in domo ſunt, & ex quibus domus ipſa conſtat, ſingulis proportione geometrica; nullius perſpicuè rationis, ac facultatis eſſe munus hoc poterit, præterquam œconomicæ: quandoquidem hæc ſola familiam, & res familiæ, præſertim iam partas, & acquiſitas, hoc eſt familię iam factas conſyderat. [c] Cui veritati ſuffragantur quoque affinitates vocabulorum; τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν, quę in domo ſunt, ſeu res familiæ; καὶ ἡ οἰκονομικὴ, & ratio domeſtica, ſeu familiaris. Non nego equidem pecuniariam ad pecuniarum vſum peruenire; quippe hoc conceſſum eſt antè; & eſſe vſum nouiſſimam partem pecuniariæ: at, quatenus pecuniaria vtitur pecunijs, non eſt amplius, aut certè non appellatur pecuniaria; ſed pars œconomicæ, vel potius œconomica vtens pecuniaria. Inuenies hoc idem in alijs partibus, ac muneribus partium, vt cum ſuis totis comparantur. Exempli gratia oculi munus, ac officium eſt videre, & videt hac de cauſa oculus: non videt oculus tamen; ſed animal propriè per oculum, & oculo vtens videt. Quemadmodum igitur vident oculus, & animal: ita pecunijs vtuntur pecuniaria, & œconomica; animal nimirum, & œconomica propriè; oculus, & pecuniaria minimè propriè, & tanquam quibus alia duo eiuſmodi muneribus perfungantur. [b] Recipit verò ſpeciem viſibilem oculus propriè, ac per ſe, quam non dicitur animal recipere, niſi quatenus in ſe oculum habet, qui eam recipit. Et ſimiliter acquirere dicitur pecuniaria, non dicitur œconomica, niſi quatenus huius pars exiſtit pecuniaria. Sic accipimus hoc loco, quod ait Philoſophus, parare quidem eſſe pecuniariæ, vti autem œconomicę. Hęc de prima quæſtione.

Pecuniaria, et œconomica diſtinctio ex rebus ſubiectis.

Pecuniariæ, & œconomica, quà ambæ in pecunijs verſantur diſtinctio ex actib.

Vti pecunijs quid ad extremũ, et cuius ſit ꝓpriũ munus.

a. *b.* *In ſcholio arg. c.*

c. quæ ſunt in domo: ratio domeſticam.

Vti pecunijs quomodo ad pecuniariam pertineat.

Partis cuiusq; vt cũ ſuo toto cõparatur, munus nouiſſimũ nõ eſt, nec dicitur propriũ munus partis, ſed totius: partis autẽ propriũ eſt illud, qđ antecedit.

Parare pecunias proprium munus pecuniariæ, nõ œconomicæ.

b huius qdem eſt parare.

Partes textus.

Textus habet tres partes. In prima proponitur, perſpicuum eſſe id, quod primo loco quærebatur. In ſecunda probatur hoc per locum ab actibus. In tertia ab euidentia, & à vocabulorum affinitate confirmatur, vti pecunijs eſſe actum œconomicæ.

SCHO-

SCHOLIVM.

Huius quidem eſt parare, illius verò vti. Quoniam pecuniaria rem, & pecunias paret, œconomica iis vtatur, ait D. Thomas primò intelligi eſſe has rationes differentes: quandoquidem etiam in aliis ars, quæ vtatur, ſit neceſſario diuerſa ab ea, quę facit, vel acquirit, vt nautica ars eſt diuerſa ab ea, quę naues conſtruit. Secundò colligit, pecuniariam eſſe magis miniſtram, quàm partem œconomicæ: quia ſemper ars efficiens vtenti deſeruiat; ſicut ephippiaria equeſtri. Poſtremò concludit, pecuniariam eſſe ex eo genere adminiſtrantium facultatum, quæ inſtrumenta præparant potius, quàm materiam: nam pecuniam, & diuitias omnes eſſe quædam inſtrumenta rationis domeſticæ. Sed primum poteſt refelli, vt annotauimus ad textum antecedẽtem. Siquidem faber ferrarius ſolus ſibi facit malleos, & incudines, quibus poſtea vtatur: & aſtrolabia, quadrantes, cæteraque aſtronomica inſtrumenta nullus conficere nouit, niſi aſtronomus. nec pecuniaria facit ſimpliciter rem, & bona, quæ ſunt inſtrumenta domus & ciuitatis, ſed parat ſolum ea aliquo modo: natura autem ipſa ſimpliciter facit. Secundum ſimiliter tollitur. Verum enim eſt aſſumptum, vbi efficiens, & vtens ſunt diuerſę artes: quod quidem non eſt perpetuum, vt diximus. De tertio conſentimus, pecunias eſſe inſtrumenta rationis domeſticæ. quapropter ſi pecuniaria adminiſtrans facultas eſſet; ex genere ſanè eſſet earum facultatum adminiſtrantium, quæ præparant inſtrumenta.

Diſcreſſio aucunda dictorū D. Thomæ. Primū dictū. — *Secundum.* — *Tertium.* — *Euerſio primi.* — *Emendatio. ſecundi.* — *Confirmatio. & correctio tertij.*

ARGVMENTVM. TEXT. LXXVI.

Oſtendit reliquas tres quæſtiones obſcuras eſſe; ex iiſque, quæ deinceps diſputabuntur, perſoluendas: indicata cauſa obſcuritatis; quæ eſt multitudo partium rationis pecuniariæ, pendens ex multitudine partium rei, propterea quòd res, vt confirmatur nomine, & munere præcipuo ipſius pecuniariæ, ſit proprium eius obiectum: multas autem eſſe partes rei ſumitur tanquam manifeſtum. Locus principalis à cauſa. Loci adiuncti ab obiectis, à munere, à ratione vocabuli, & ab euidentia.

Text. lxxvj. [a] Πότερον δὲ μέρος αὐτῆς ἐστί τι, ἢ ἕτερον εἶδος, ἔχει διαμφισβήτησιν: [b] * εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι, πόθεν χρήματα, καὶ κτῆσις ἔσται· [c] ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη, καὶ ὁ πλοῦτος.

* εἴπερ ἐστὶ legendum arbitror.

[a] Vtrum autem eſt pars quædam eius, an alia ſpecies, habet dubitationem: [b] ſiquidem pecuniarij eſt proſpicere, vnde pecuniæ, & res adſit; [c] rei autem, & diuitiarum multæ ſunt partes.

EXPLANATIO.

a. [a] RESTANT aliæ tres quæſtiones, quarum prima hæc eſt: vtrum quia idem prorſus non ſunt œconomica, & pecuniaria, pertinetque ſine controuerſia hæc ad illam; differant vt totum & pars; an vt principale & miniſtrum. altera eſt quęſtio: ſi differunt vt totum & pars; nunquid pecuniaria ſit maxima, an non maxima, ſed qualiſcunque pars œconomicæ. Tertia quæſtio eſt: ſi differunt vt principale & miniſtrum; ſitque miniſtra

Tres quæſtiones, quæ reſtant examinandæ.

Cauſa obſcuritatis harum trium quæſtionum. *Res, et diuitiarū multa ſunt partes.* *Pecuniariæ rationis multæ ſunt partes, et formæ.*

a. habet dubitationem. *b. c.* *c.* *b.* *b. pecuniarij.* *pecuniæ.* *b proſpicere, unde pecunia et res adſit.*

œconomicæ pecuniaria; vtrum ſubminiſtret ei materiam, an inſtrumenta. [a] Habent hæc tria dubitationem, & difficultatum. [b] Cur verò habeant, in cauſa eſt multitudo partium rei, ac rationis pecuniariæ. [c] Nam res quidem, & diuitiæ, & pecuniæ, quibus vocabulis, & alijs multis, vt ſæpe dixi, eadem vis ſubeſt; multas partes complectuntur maximè inter ſe varias, ac differentes: id quod per ſe eſt manifeſtum, & ex ijs, quæ poſtea dicentur, clarius euadet. Neceſſe eſt autem per locum ab obiectis, ſi rei, pecuniarumq; multæ ſunt partes, ac genera; multas quoque eſſe partes, ac formas rationis pecuniariæ: [b] quandoquidem ratio pecuniaria, [b] vt etiam nomen oſtendit, homoq; eiuſmodi ratione præditus in illis verſantur, [b] exquirentes, conſyderanteſque, quod eſt potiſſimum eorum munus, vnde pecuniæ, ſeu facultates, & res, grecè κτῆσις, parari, & præſtò eſſe domi queant.

Tres quæſtiões ꝓpoſitas ſolui nō poſſe antequam fiat diſtributio pecuniariæ in ſuas formas. *Diſſolutio illarū quæſtionum ex diuiſione formarū pecuniæ in naturales, et non naturales.*

At, ſi multæ ſunt formæ pecuniariæ rationis, quarum fortaſſe quædam erunt partes, quędam nec partes erunt, nec miniſtræ œconomicę; non poſſumus ſimpliciter ad quęſtiones propoſitas reſpondere: ſed fieri antè oportet diſtributionem earum formarum. Ex qua diſtributione ſanè liquebit omnes illas pecuniarias, quę ſunt naturales, eſſe partes œconomicę, non maximas quidem, ſed tamen partes: cæteras, quæ ſunt præter naturam, nec partes eſſe, nec miniſtras; niſi miniſtrum voces quod prauum eſt, & conducere videtur, quum noceat. Sed de his poſtea.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima continet concluſionem: alias quęſtiones obſcuras eſſe. Secunda, & tertia cauſam obſcuritatis adiungunt; explicato in ſecunda potiſſimo munere hominis, rationisq; pecuniariæ; & in tertia, propoſita multitudine partium rei, ac diuitiarum.

S C H O L I A.

Emendatio ſcripturæ.

Siquidem pecuniarij. In omnibus Gręcis exemplaribus, quæ hactenus vidi, legitur εἰ γὰρ, ideſt *ſi enim*: ego nihilominus legendum arbitror, εἴπερ, aut εἴγε, ideſt *ſiquidem*, ne ſolœciſſet Philoſophus. nam ſi vulgatam lectionem retineas; huic cōditionali, ſeu continuatiuæ coniunctioni, εἰ, quod latinè eſt *ſi*, aut omnino nihil reſpondebit; aut reſpondebit neceſſariò coniunctio illatiua ὥστε, *itaque*, poſita in principio textus ſubſequentis: quæ tamen illatiua coniunctio abſolutum ſequi ſolet, non conditionale. Sunt autem hæ voces, & literæ, notæque illarum valde ſimiles, εἰ γὰρ, εἴπερ, εἴγε: vt facile labi, ac decipi librarij potuerint.

Oeconomus, et pecuniarius nō ſunt omnino idem.

Pecuniarij. Græcè χρηματιστικοῦ. Aretinus, Calcagninus, Acciaiolus patrem familiâs, & œconomum interpretantur. Sed quemadmodum pecuniaria, & œconomica non ſunt omnino idem; ita alius œconomus eſt, alius pecuniarius.

Cōiunctio huius capitis cū ſequenti.

Rei autem, & diuitiarum multæ ſunt partes. Comparat ſibi aditum ad diſputationem de alimentaria pecuniariæ forma, vt oſtendit coniunctio, *itaque*, in principio ſequentis textus appoſita. Et ab ea forma migrabitur ad cauponiam.

Textus

Textus LXXIIII.

Pecuniaria alimentaria.

CAPITA XVI. ET XVII.

De pecuniaria alimentaria, quæ ſola eſt ſecundum naturam, & neceſſaria, & pars rationis domeſticæ, ac ciuilis.

Ὅτι ᾀὖτη ἡ γεωργικὴ &c. Textus LXXVII. ad XC.

SCHOLIVM.

Vocabula, quibus à Philoſopho appellat hoc genus pecuniariæ, & cur ex omnib. alimentarij vocabulum deligat interpres.

DVORVM generum, in quæ primùm diſtribuit Philoſophus pecuniariam, hoc vnum eſt, quod περὶ τροφὴν, ideſt alimentarium; & οἰκονομικὸν, domeſticum; & κατὰ φύσιν, naturale; & ἀναγκαῖον neceſſarium; & ἔχον ὅρον, habens terminum, ſiue finitum; & ἔχον αὐτόφυτον ἐργασίαν, habens operam per ſe gignentem; & χρηματιστικὸν ἀπὸ τῶν καρπῶν, καὶ τῶν ζῴων, pecuniarium ex fructibus, & animalibus ab eo appellatur, vt diximus ſuprà. Ex his omnibus vocabulis nos alimentarium libentiùs vſurpamus. nam & ſatis exprimit naturam rei, quæ eſt intelligenda: & accommodari æque in ciuilem, & in domeſticam rationem poteſt, ad quarum vtranque genus hoc refertur. Oeconomicum opponitur ciuili. Naturale ob communitatem ſuam minus diſtinctè deſignat illud, quod hìc ei ſubijcitur: &, ſi eo vteremur, infrà, vbi probat Philoſophus hoc genus eſſe naturale, in nugationem ridiculam incideremus. Neceſſarium, & finitum, quum latiùs pateant adhuc, quàm naturale; obſcuriorem item, inuolutioremque notionem parerent. Habens operam per ſe gignentem, prærerquam quòd facilè non intelligitur, conſtat etiam è multis vocabulis. Cui ſimile in hoc pecuniarium ex fructibus, & animalibus, eſt prætereà & anguſtius, & remotius à ratione rei ſignificandæ ipſo alimentario.

In primo ſcho. huius diſputationis de pecuniaria.

In parte tertia cap. 17. à textu 82.

Quan-

Quanquam verò alimentarium à primo genere rerum, in quibus vertitur, ſit nominatum, præter quas aliæ quædam ei ſubijciuntur: has alias tamen cum illis ſimul notat; quippe quum hæ ex illis pendeant, & ad illas omnino referantur. Imò ſi alimenta latè ſumas, omnia, quæcunque ad vitam noſtram ſunt vtilia, in illis quodammodo comprehenduntur, vt ex ijs, quæ poſtea dicentur, planum euadet.

CA-

CAPVT XVI. TEX. LXXVII.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXVII.

Proponitur quæſtio de re & ratione alimentaria, verbis quidem vna, ſed quæ virtute tres illas comprehendat, de quibus in proximo textu dictum fuit: vtrum, agricultura, & omnino ſtudium, ac res alimentaria ſit pars rationis domeſticæ, an aliud quoddam genus.

Text: lxxvij. [a] Ὥστε πρῶτον ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τί τῆς * οἰκονομικῆς, [b] ἢ ἕτερόν τι γένος, [c] καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια, [d] καὶ κτῆσις;

In oībus exemplarib legitur χρηματιστικῆς.

[a] Itaque primùm vtrum agricultura eſt pars aliqua rationis domeſticæ, [b] an aliud quoddam genus, [c] & in vniuerſum alimenti cura, [d] & res?

E X P L A N A T I O.

a. & c. MVLTÆ ſunt partes rei, ac pecuniarum, ob idq́; etiam pecuniariæ rationis, vt in proximo textu dicebamus. In ijs partibus primum locum tenent, quod infrà oſtendetur, [a] agricultura, [c] cæteraq́; ſimilia ſtudia, [d] ac res, quarum ſtudia ſunt: [c] quæ quidem omnia nomine alimentorum, reique, ac rationis alimentariæ ſignificamus. [a] Primùm igitur de agricultura, [c] imò in vniuerſum de curatione, & re cibaria, alimentariaq́; quærenda ſunt, quę proponebãtur: [a] vtrum videlicet alimentaria curatio ſit pars œconomicæ; [d] resq́; alimẽtaria, hoc eſt alimenta ipſa pars ſubiecti œconomicæ: [a] &, ſi pars tam hæc, quàm illa, ſuo vtraque modo, vtrum pars maxima, an qualiſcunque: [b] ſi verò non eſt pars alimentaria curatio œconomicæ, ſed ſpecies diuerſa ab ea, & denique eius miniſtra, quod ſequi neceſſariò, ſi non eſſet eius pars, declarauimus in textu antecedenti; vtrum ſubminiſtret ei inſtrumenta, an materiam. [c] Proponimus autem quærenda hæc in vniuerſum de ratione, & re alimentaria: propterea quòd multæ vtriuſque ſunt partes, vt videbimus; atque omnium tamen vna eademque ratio, & natura quâ ad œconomicam, ideſt ad domeſticam facultatem referuntur.

Left margin: a. c. / d. / c. alimenti. / a Itaque primùm. / c. d. / a. c. / d. / a. c. d. / b. / c. d.

Pecuniariæ rationis, & rei partes multæ, & quæ primę.

Propoſitio quęſtionum ſuprà expoſitarũ in primis partibus rei, ac rationis pecuniariæ.

Cur proponãtur in vniuerſum de re et ratione alimẽtaria quæſtiones iſtæ.

SCHO-

SCHOLIA.

Emendatio ſcripturæ.

Pars aliqua rationis domeſticæ. Adiurarem manes Philoſophi, vocem hanc, *οἰκονομικῆς, rationis domeſticæ*, incuria librariorum mutatam fuiſſe in illam *χρηματιστικῆς*, quæ legitur in omnibus libris. Quum enim ſtatuiſſet Philoſophus controuerſiam, vtrum pecuniaria ſit pars an miniſtra œconomicæ, & cuius modi pars, aut miniſtra; incœpit diſtribuere pecuniariam in partes, & formas ſuas: vt in ſingulis eius formis exploraret quod quęritur. Sumit nunc initium ab alimentaria, tanquam à prima, & naturali forma. quam ſanè demonſtrabit eſſe partem œconomicę: partem eſſe pecuniariæ non demonſtrabit. Cur igitur aliud ſit poſtea demonſtraturus: aliud in præſentia proponat inquirendum, & demonſtrandum? Sed & quanquam illud non demonſtraret; haudquaquam tamen hoc proponeret demonſtrandum, quod eſt per ſe manifeſtum. quis enim neſcit alimenta in re, ac pecuniis numerari? quòd ſi hoc omnes norunt; ſimul norunt omnes neceſſariò alimentariam rationem eſſe partem pecuniariæ. *In parte quæ in ſequentis capitis.*

ἐπιμέλεια.

Alimenti cura. Græcè eſt *κατὰ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια*. Notat Petrus Victorius *ἐπιμέλειας* vocare ſolitum Philoſophum ſtudia quædam quarundam rerum conficiendarum, quæ tam abſoluta non ſunt, vt artes propriè appellari queant.

CAPVT

CAPVT XVII.

Demonſtrantur quatuor theoremata de huiuſmodi pecuniaria alimentaria.

Ἀλλὰ μὴν εἴδη γε πολλὰ &c. Textus LXXVIII. ad XC.

Primum: Continere eam multas formas, ac ſpecies.	*Secundum: Quot, & quæ ſint illæ formæ.*	*Tertium: eſſe hanc pecuniariam ſecundum naturam.*	*Quartum: eſſe hanc pecuniariã partem domeſticæ, atque ciuilis rationis.*
Textus lxxviij.	*Pars 2. tex. lxxxi.*	*Pars 3. tex. lxxxij.*	*Pars 4. text. lxxxvij.*
*	*	*	*

PARS PRIMA CAPITIS XVII.

Primi theorematis, quòd multæ ſint partes, & ſpecies huius pecuniariæ, quæ in alimentis verſatur, demonſtratio. Locus duplex, vnus ab obiecto & fine: alter per expoſitionem.

Ἀλλὰ μὴν εἴδη γε πολλὰ &c. Textus LXXVIII. LXXIX. LXXX.

ARGVMENTVM. TEXT: LXXVIII.

Probat communiter eſſe multas vitas animalium, atque hominum ad victum ſpectantes. ex quo euenit vel per locum à fine, & deſtinatis, vel quia ſumantur iſta ἐκ παραλλήλου, *eſſe multas ſpecies pecuniariæ alimentariæ. Primum conficitur per locum à cauſa, quæ partim obiectum eſt, partim finis tam vitarum, quàm ſpecierum pecuniariæ: hoc eſt conficitur ex eo, quòd ſpecies alimentorum, diſtinctæ rationibus, quibus quæri, & parari poſſunt, ſint multæ. Et hoc connexum argumentationis, qua conficitur, declaratur expoſitione.*

Tex: lxxviij. [a] Ἀλλὰ μὴν εἴδη γε πολλὰ τροφῆς: [b] διὸ καὶ βίοι πολλοὶ [c] καὶ τῶν ζώων, καὶ τῶν ἀνθρώπων εἰσίν. [d] οὐ γὰρ οἷόν τε ζῆν ἄνευ τροφῆς: [e] ὥστε αἱ διαφοραὶ τῆς τροφῆς τοὺς βίους πεποιήκασι διαφέροντας τῶν ζώων.

[a] At verò ſpecies multæ ſunt alimenti: [b] quocirca & vitæ multæ ſunt & animalium, [c] & hominum. [d] non enim poſſibile eſt viuere ſine alimento: [e] quare differentiæ alimenti differentes fecerunt animalium vitas.

EXPLANATIO.

Significatiões vocabuli vita .i. τοῦ βίου, & quæ ſit ꝓpria huiꝰ loci.

Pro ſpeciebus pecuniariæ alimentariæ ſubſtituit vitas, græcè τοὺς βίους, ideſt modos, & differentias viuendi, vt victum reſpiciunt, non vt vires animæ: quales ſanè modi ſunt, in ſicco degens, vel in humido; & aerem recipiens, vel aquam; affixum petris, vel abſolutum; ſolitarium, aut gregale, & reliqua eiuſdem formæ. quæ ſignificatio huius vocabuli, βίος, frequentiſsima eſt & Ariſtoteli, præſertim in primo, & in viij. Hiſtorię animalium, & alijs ſcriptoribus, & multitudini: idq; hac de cauſa vertit Theodorus aliquando in libris de Animalibus, victus, non vita. Nam genera quidem vitarum prima, & propria, vt ad vires animæ referuntur, intellectuale, ſenſuale, ſeipſum mouens, vegetale, quæq; ſunt cuiuſque eorum generum formæ, de quibus dictum eſt in libris de Anima, huc non pertinent. Cur verò ſubſtituat hos modos viuēdi in locum illarum ſpecierum, hęc cauſa eſt: quòd vbi poſitum fuerit eſſe multas ſpecies alimentorum, diſtinctas rationibus, quibus quæri, ac parari poſſunt, ſtatim clariſſimè cernitur, multas quoque eſſe eiuſmodi vitas, quas ad tales victuum, alimentorumq; differentias perſpicuè natura diſtinxit, vt in ſequenti textu Philoſophus affirmabit, & quæ ſunt omnino in alendo, & in victu repoſitæ: non ęquè cernitur, multas eſſe ſpecies pecuniariæ, quæ in alimentis verſatur: fieri enim poteſt vt alicuius ſubiecti generis, ad facultatem vnam pertinentis, multæ ſint ſpecies. Et eam tamen pecuniariam multas ſpecies continere manifeſtum eſt; ſi multæ ſunt tales vitæ in quas illæ deſtinentur, ac dirigantur tanquam vię quędam in ſuos terminos. Vel accipit pro eodem vitas, quę ad victum referuntur, & ſpecies pecuniarię alimentarię. nanque in hominibus eędem ſunt; ijſdemq; nuncupantur vocabulis paſtoriria, piſcatoria & aliæ: nec differunt omnino, ſi qua re differunt, niſi ſicut via, & terminus. quocirca qui oſtendit illas eſſe multas; & has multas eſſe oſtendit: aut enim nullo modo aut vix differunt. Argumentatio ſic cōficitur per locum à cauſa; quæ cauſa demum reducitur ad obiectum, & ad finem. [a] Multæ ſunt ſpecies alimentorum, quibus animalia, & homines viuunt: [b] ergo multę etiam illorum ſunt vitę, quę ad victum referuntur. Aſſumptum, quod quidem eſt cauſa, ſumitur vt notum, & tamen adhuc in ſubſequenti textu confirmandum rationibus, atque expoſitione. Sententia huius aſſumpti eſt ea, quam nos in argumento tetigimus: vt intelligamus ſpecies alimentorū non ſimpliciter, ſed quas diſtinguunt, diuerſasq; faciunt diuerſæ rationes acquirendi, & parandi ea; quoniam hoc alimentum, verbi gratia, natatu, illud volatu; hoc currendo, illud ſtando; aliud magno cum labore, aliud in ſummo ocio;

Cur ſubſtituat Philoſophus modos viuendi in locū ſpecierum pecuniaria alimentaria.

Argumētatio textus. Syllogiſmus ꝓbās multas eſſe vitas animalium atq; hominum. Aſſumpti firmamentum, et explanatio.

a. b. c.

ocio;& hoc melius congregata,illud melius diſperſa animalia conſequantur. Nam ſi ſpecies quidē ſimpliciter accipi velis; nullam ego video neceſſitatem, nec rationem probabilem, cur ob multa genera frugum, animaliumque; vel quia hæc ad edendum, illa ad potandum animantibus ſint idonea; aut illa magis, hęc minus nutriant; & faciliùs hęc, illa difficiliùs concoquantur; multæ eſſe debeant animalium vitæ. Ac profectò etiam ad alimenti rationem pertinet, vt inquiri, & parari poſſit. [d] Connexum hoc modo declaratur ferè per expoſitionem. [d] Non viuitur ſine alimēto: quippe hanc neceſſitatem fæx corporis in hoc mundo vitam degentibus imponit: eſtq́; alimentum quodammodo obiectum, quodammodo finis primæ vitæ, ex qua primò, ac ſimpliciter homines, bruta, plantæ viuere dicuntur; obiectum, quia in eo vertitur hæc vita vel anima potius, cuius vita eſt munus; finis, quia hæc, vbi illud perfecerit, commutauerítq́; in ſubſtātiam ſui corporis, ceſſat ob opere: [e] ergo conueniēs eſt, congruenſq́; rationi, vt pro alimentorum varietatibus, varijſq́; ea ipſa quęrendi modis variæ ſint animalium, atque hominum vitæ; illæ, quæ ad victum referuntur: ergo multas quoque neceſſe eſt eſſe partes, ac formas pecuniariæ alimentariæ; quæ vel ab ijs vitis, quotieſcunque de hominibus loquimur, non differunt; vel diriguntur in eas tanquam in ſuos fines. Hęc etiam pecuniaria habet alimentum partim pro obiecto, partim pro fine: nam & parat illud, & vſu eius terminatur.

Proſyllogiſmi confirmatio connexū ſuperioris ſyllogiſmi.

Alimentū eſt partim obiectum, partim finis primæ vitæ.

Inductio concluſionis principalis, q multę ſint ſpecies pecuniariæ alimentariæ, ex cōſequenti cōnexi primi ſyllogiſmi.

Alimentū eſt partim obiectū, partim finis pecuniarię alimentariæ.

Partes textus quatuor. In primis duabus (a & b & c) ſunt aſſumptū, & illatio ſyllogiſmi. In alijs duabus (d e) aſſumptū, & illatio proſyllogiſmi, quo prioris ſyllogiſmi connexum confirmatur.

Partes textus.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXIX.

Probat ſpecialiter in belluis ſuperioris textus cauſam, & theorema; conficique hoc ex illa (idest multas eſſe ſpecies alimentorum, multasque vitas; & has quidem multas, quia illæ ſint multæ) rationibus, à fine, proprietateque ductis, atque expoſitione.

Text. lxxix. [a] Τῶν τε γὰρ θηρίων τὰ μὲν ἀγελαῖα, τὰ δὲ σποραδικά ἐστιν, [b] ὁποτέρως συμφέρει πρὸς τὴν τροφὴν αὐτοῖς· [c] διὰ τὸ τὰ μὲν ζωοφάγα, τὰ δὲ καρποφάγα, τὰ δὲ παμφάγα αὐτῶν εἶναι: [d] ὥστε πρὸς τὰς ῥαστώνας, καὶ τὴν αἵρεσιν τὴν τούτων ἡ φύσις τοὺς βίους αὐτῶν διώρισεν: [e] ἐπεὶ δ' οὐ ταυτὸ ἑκάστῳ ἡδὺ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ ἕτερα ἑτέροις· [f] καὶ αὐτῶν τῶν ζωοφάγων, καὶ τῶν καρποφάγων οἱ βίοι πρὸς ἄλληλα διεστᾶσιν.

[a] Nam & belluarum aliæ gregales ſunt, alię diſperſæ, [b] vtrocunque modo ipſis conducit ad alimentum; [c] propterea quòd aliæ quidem ipſarum animalibus, aliæ fructibus, aliæ omnibus veſcantur: [d] quapropter ad horum facilitatem & copiam, optionemque natura vitas ipſarum diſtinxit: [e] quoniam autem non idem eſt vnicuique naturâ ſuaue, ſed alia alijs; [f] etiam ipſarum, quæ animalibus, & quæ fructibus veſcuntur, vitæ inter ſe diſtant.

EXPLANATIO.

Theorema huius textus. Cauſa theorematis, ſeu pronunciatũ cauſam continẽs. Prima probatio huius cauſæ, et pronũciati à proprietate alimẽti naturalis.

ªTheorema eſt: eſſe multas vitas brutorum animalium: intelli- [a. et f. et d natura vitas ipſarũ diſtinxit.]
ge, vt in ſuperiori textu, quæ ad victum ſpectant. ᵇCauſa eſt, vel potius
pronunciatum continens cauſam: eſſe brutis animalibus multas ſpecies [b. & c.]
alimẽtorum, diſtinctas rationibus, quibus quæri & parari poſſunt. ᶜPro- [c.]
batur hoc pronunciatum primò ratione ducta à proprietate alimenti na- [. b]
turalis, quæ eſt ſuaue, & iucundum. nam non ſunt eadem, quæ eodem
modo quærantur, iucunda, & ſuauia ſecundum naturam omnibus bel-
luis; ſed alijs alia, pro temperaturis corporum belluarum, quibus nu-
triendis idonea ſunt, & accommodata, diuerſis quærenda rationibus.

Secunda probatio per expoſitionem.

ᶜIterum probatur expoſitione idem pronunciatum. nam reipſa videmus [c. f.]
alias belluarum animalibus, alias fructibus, alias vtriſq; paſci. ᵇProbatur [b. d. e. f.]
etiam theorema primò, vt conficitur ex illa cauſa, hoc eſt probatur con-
nexum ratione à fine ducta in hunc modum. ᵇAd facilitatem, & copiam, [b. d.]
optionemq; alimentorum, ideſt vt facilè, ac copioſè ſuppetant ijs cibi,
quos natura ipſarum deſyderat, conſtitui dirigiq; à natura vitę belluarum
debent: non conſtituerentur autem, nec dirigerentur in hos fines, niſi
poſtea inter ſe diſſiderent, ſicut diſſident inter ſe alimenta, quæ expe-
tuntur, quatenus hæc quæri, & parari poſſunt, ideſt ſicut diſſident ad ex-
tremum inter ſe rationes quærendi, & parandi ea: ergo, ᵉquum alia alijs, [e.]
quod eſt demonſtratum, ſint alimenta, diſtincta quærendi rationibus, ſeu
alia alijs iucunda ſint ad veſcendum ſecundum naturam, quæ eſt pro-
prietas alimenti naturalis; ᶠneceſſe eſt pro varijs alimentorum, rerum'ue [f.]
eſui iucundarum ſpeciebus, quæ varijs rationibus quærendę, & parandę
ſunt, varias, ac diuerſas inter ſe eſſe belluarum vitas, vt illarum, quæ ani-
malia, & illarum, quæ fructus comedunt, quarum quidem hæ gregatim
viuunt, illæ autem diſperſè. Cætera huius probationis ſunt manifeſta.

Theorematis, Eſſe multas vitas brutorum animalium, vt cõficitur ex illa cauſa, hoc eſt cõnexi demonſtrationis probatio prima à fine.

Vitas belluarum conſtitui à natura ad facilitatem, copiam, optionemq; alimẽtorum, quod proximè ſumebatur, confirmatur, dupl. expoſitionẽ. Prior pbatio. Poſterior. Cur alia gregales, alia ſoliuaga, alia ancipitis generis animantes à natura facta.

ᵈAſſumptum illud, quòd ad facilitatem, copiamq́ue, & optionem ali- [d.]
mentorum conſtituantur, dirigantur q; à naturæ vitę belluarum, quan-
quam videtur ſatis notum, tamen confirmari duobus modis per expoſi-
tionem poteſt. Primùm enim conficeretur ex eo, quod poſitum eſt in
textu, & commentario antecedenti: nimirum quia ſine alimento non vi-
uitur, & ad victum, alituramq; illæ vitæ, de quibus in pręſentia eſt ſermo,
propriè referuntur. ᵉDeinde cernimus euidenter, quod hîc ait Philoſo- [e.]
phus, belluarum alias gregales, alias ſoliuagas, alias ancipitis generis, quę
vitarum quędam ſunt differentiæ, à natura creari; ᵇprout hoc, aut iſto, [b.]
aut illo modo ipſis conducit ad victum; ᶜideſt quia priores fructibus, me- [c.]
diæ animalibus, poſteriores cunctis paſcantur. Quæ enim veſcuntur
animalibus, niſi diſperſè vitam degerent, cibum non inuenirent vnde
ali commodè poſſent: quæ autem fructibus, ijs parum refert ad inue-
niendum cibum, prodeſtq; plurimum ad ſalutem ſuam tuendam à ra-
pina, & inſidijs carniuorarum, & ad voluptates, commoditateſq; alias vi-
uere gregatim. Similis eſt ratio & in reliquis vitarum differentijs: quem-
admodum ex P. & viij. lib. de Hiſtoria animalium planè conſtat. ᵈItaque [d.]
concludendum eſt, diſtingui, ac dirigi omnino à natura belluarum vitas
ad facilitatem, abundantiamq; ciborum ſuæ cuiuſque naturę conuenien-
tium: quę quidem duo, ideſt facilitatem, & abundantiam ſignificat vna
vox *ſχολὴ*. ªProbatur ſecundò idem theorema abſolutè de multitudine [a. f.]
vitarum

Theorematis per ſe a itera probatio expoſitoria.

a. vitarum in belluis per expoſitionem. [a] nam perſpicuè conſtat belluarum
f. quaſdam gregales eſſe, quaſdam ſoliuagas; [f] differreq; inter ſe has vitas, ſoliuagam, & gregalem: ſicut & aliæ multæ ſunt, quæ & ab his, & inter ſe differunt de quibus videndum eſt in libris de Animalibus.

Textus, ſi verba ſpectes, habet multas partes: ſed implicitæ ſunt, & connexæ inter ſe ſententijs, & argumentis; quorum quædam ſubaudiuntur, quędam repetuntur; eruiq; vnunquodque vndique potius, quàm ex vno ſatis certo loco euocari poteſt. *Partes textus.*

ARGVMENTVM. TEXT. LXXX.

Probat idem theorema ſpecialiter in hominibus, ideſt multas eſſe hominum vitas, quæ ad victum ſpectant; expoſitione, commemoratis varijs viuendi modis. Unà verò attingit duo genera cauſarum hanc varietatem efficientium: & in exemplo primi generis exprimit modum vitæ paſtoritiæ. Deſignat etiam quinque genera ciborum, quibus homines veſcuntur. Locus principalis per expoſitionem. Loci adiuncti, à cauſis efficientibus, & finalibus.

Text: lxxx.

** In Aldino, Victor Aretl. et alijs exemplaribus deeſt vox καὶ, quã habet codex Baſilieus.*

[a] Ὁμοίως δὲ * καὶ τῶν ἀνθρώπων: [b] πολὺ γὰρ διαφέρουσιν οἱ τούτων βίοι. [c] οἱ μὲν οὖν ἀργότατοι, νομάδες εἰσίν: [d] ἡ γὰρ ἀπὸ τῶν ἡμέρων τροφὴ ζώων, ἄνευ πόνου γίνεται σχολάζουσιν: [e] ἀναγκαίου δὲ ὄντος μεταβάλλειν τοῖς κτήνεσι διὰ τὰς νομὰς, [f] καὶ αὐτοὶ ἀναγκάζονται συνακολουθεῖν, [g] ὥσπερ γεωργίαν ζῶσαν γεωργοῦντες. [h] οἱ δ' ἀπὸ θήρας ζῶσι: [i] καὶ θήρας ἕτεροι ἑτέρας: [k] οἷον, οἱ μὲν, ἀπὸ λῃστείας* [l] οἱ δ' ἀφ' ἁλιείας, [m] ὅσοι λίμνας, καὶ ἕλη, καὶ ποταμοὺς, ἢ θάλατταν τοιαύτην προσοικοῦσιν· [n] οἱ δ' ἀπ' ὀρνίθων, [o] ἢ θηρίων ἀγρίων. [p] τὸ δὲ πλεῖστον γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ τῆς γῆς ζῇ, [q] καὶ τῶν ἡμέρων καρπῶν.

[a] Similiter autem & in hominibus res ſe habet: [b] multum enim differunt horum vitæ. [c] pigerrimi igitur paſtoritiam vitam agunt: [d] alimentum enim, quod à manſuetis animalibus ſuggeritur, ſine labore prouenit otiantibus: [e] quum autem neceſſe ſit pecudibus mutare ſedes propter paſcua; [f] & ipſi coguntur comitari, [g] tanquam agriculturam viuam exercentes. [h] alij autem è venatione viuunt: [i] & venatione alij alia: [k] vt alij quidem ex * prædando; [l] alij ex piſcatu, [m] quicunque lacus, & paludes, & fluuios, aut mare huiuſcemodi accolũt; [n] alij ex auibus, [o] aut belluis agreſtibus. [p] * plurimum autem hominum genus ex terra viuit, [q] & mitibus fructibus.

** λῃστείας.*

** τὸ δὲ πλεῖστον.*

EXPLANATIO.

a. b. [a] Similis eſt vitarum differentia in hominibus ei, quę in brutis animalibus cernitur. nam quod ibi natura ſola; hîc cõiuncta cum ea mens, conſiliumq́ue faciunt. Diſtinguebat illa belluarum vitas, velut pecuniarias quaſdam, ideſt quaſi rationes, ac modos quęrendi victus ad facilem, copioſamq; ciborum cuique conuenientium comparationem. Et homines *Vita hominũ multę, et variæ.*

mentem,

Genera vitarum humanarum ſumma.

mentem, conſiliumque quoquomodo adhibendo ſibi vitam deligunt, ad ſuum quiſque ingenium, vel fortunam aptam, & congruentem. [c] Itaque quidam paſtores fiunt, [h] quidam venatores, latè accepto nunc vtroque vocabulo: nam ambo poſtea diuiduntur. Et paſtorum, vt ait Varro, partim ex agreſtibus, & pecuarijs; partim ex villaticis paſtionibus nomen habent. [k] Venatorum autē alij prædas agunt ex hominibus, vel iuſto bello, vel iniuſto latrocinio; nam & latrocinium quodammodo eſt ſecundum naturam, ſi communem naturam animalium ſpectes, non propriam noſtram, cui certè naturæ noſtræ maximè repugnat, quemadmodum & iuſtitiæ: [l] alij viuunt ex piſcatu: [n] alij ex aucupio, & venatione, quæ maximè propriè ſic nominatur, auium, & ferarum. [p] Maximæ tamen hominum parti ipſa terra, miteſq; eius fructus ex agrorum cultione victum præbent. eſt enim hæc vita inter omnes naturales maximè ſecundum naturam; & delectatione, ſaturitate, copia rerum omniū cumulatiſſima: quod declarat Cicero in libro de Senectute. [e] Sunt, vt dicebam, huius varietatis vitarū in hominibus cauſæ duæ. vna eſt diſſimilitudo naturarum, quas ingenia appellant, vel ex ortu, vel ex moribus, & educatione contracta. quippe mos, conſuetudo'ue, vt prouerbio fertur, eſt ſecunda natura. Alram cauſam communi nomine fortunam vocant. Continet hæc nobilitatem, ignobilitatem, diuitias, inopiam, conditiones parentum, aliarumq; coniunctarum perſonarum, temporum, natalis ſoli, & reliqua eiuſdem generis. Vtriuſque harum cauſarum Philoſophus exempla poſuit: [e] primæ quidem, ad ingenia pertinentis, in vita paſtoritia; quom affirmauit fieri paſtores; qui ſegnes, & pigri maximè eſſent; [d] addita etiam huius rei ratione ex vitæ modo. Siquidem paſtoralem vitam, inquit, viuentibus ſine vllo ſuo labore ex animalibus [d] manſuetis, ideoq; nec lædentibus, nec repugnantibus, in ſupino, vt dicitur, otio victus ſuppeditat. [f] Mutant ſolùm loca pecuarij, idq; inuiti faciunt, pecora ſua comitantes: [e] quibus neceſſe eſt noua in dies quærere paſcua. [e] Et ex hoc ſimul intelligitur quantus ijs hæreat deſidiæ amor, negligentibus præ eo charitatem patrij ſoli, in quo reſidere quum poſſent, manu, & induſtria cibum ſibi comparando, malunt nihil agendo peregrinari: [g] ſimul apparet, ex nimia inertia plus aliquando ſuccreſcere operis, & laboris: quaſi enim viuos quoſdam agros colere videntur; & ob id, tū minus obedientes veris agris, in quibus nihil eſt, quod repugnet, tum qui magis ſua mobilitate agitare, & concitare ipſos poſſint. Conueniunt autem hæc in eos, quos ingenium, & optio; non in eos, quos fortuna, & inopia agrorum fruges ferentium paſtores faciunt. [m] Exemplum alterius generis cauſarū, quod à fortuna appellamus, affert Philoſophus in piſcatoria vita. Qui lacus accolunt, inquit, & paludes, & fluuios, & mare huiuſcemodi, ideſt ſimile his, ac piſcium fertile, quia nec procelloſum, nec profundum ſit nimis, piſcatores fiunt; regionis nimirum, in qua habitant, opportunitate, ac commoditate. Pari opportunitate ſtudia patrum filij plerunque imitantur. & pro temporibus, locis, perſonis, in quibus, & cum quibus viuendum eſt, vitæ rationem inſtituunt multi, etiam contra mores, & ingenia ſua. Hæc de hominum vitis. Sed & genera ciborum, quibus vtuntur, quot ſint, ac quæ, ex hoc textu colligi poteſt. omnia enim, quę ab alijs quibuſque animalibus eduntur, & quę eis ſunt apta, nobis in cibo eſſe Philoſophus indicat: [p] fructus terræ, & plantarum; [d] fructus animantium; [k] animan-

tes

Duarum cauſarū, quæ vitas hominum diuerſas efficiunt, explicatio, et exēpla. Prima, quæ ad ingenia, et naturas pertinet. Paſtoralis vitæ cauſa, modus, et inertia

Secunda, quæ pendet à fortuna.

Ciborū, quibus homines vtuntur, genera.

c. h.

Varro lib. ij. de Re ruſtica. cap. p.

k.

l. n. o. p. q.

e. pigerrimi. m. quicunque lacus &c.

e. pigerrimi.

d.

d. manſuetis.

f. e. e. f.

g.

m.

mare huiuſcemodi.

p. q. ex terra et mitibus fructibus.

d. alimentum quod à manſuetis animalib. ſuggeritur.

k. l. n. o.

tes ipſas cuiuſuis generis, [n] volatiles, [l] aquatiles, [o] terreſtres, [k] vt ne ab humanis quidem carnibus quidam abſtineant. Probatum eſt igitur in his tribus textibus tum expoſitione, tum rationibus à geminis cauſis ductis; quarum cauſarum vnæ obiecta, finesque, hoc eſt genera alimentorum, diſtincta modis, quibus ſunt quærenda, & paranda; alteræ initia, cauſasq; efficientes comprehendunt; eſſe multas vitas & brutorum animalium, & hominum. Ex quo theoremate conficitur id, quod eſt propoſitum principale: eſſe ſimiliter multas formas pecuniariæ alimentariȩ: & conficitur quidem vel quia pro eodē ſumantur in hominibus vitȩ, & formȩ huiuſmodi pecuniariæ; vel per locum à fine, & deſtinatis, vt ſuprà declaraui.

n. l. o. k. — *Summa rerū, quæ in his tribus textib. cōprehēſa ſunt.* — *In com. 78.*

Habet hic textus ſeptem partes. Prima (a b) proponit theorema: eſſe ſimiliter hominum vitas multas, & inter ſe differentes; ſicut erant vitȩ belluarum. Secunda (c) exponit vitam paſtoritiam cum eius cauſa. Tertia (d e f g) modum adiungit eiuſdem vitæ paſtoritiȩ. Quarta (h i k) vitam venatoriam maximè communem, atque eius partes attingit. Quinta (l m) piſcatoriam cum eius cauſa. Sexta (n o) venatoriam maximè propriam, & aucupium. Septima (p q) agricolarum.

Partes textus.

S C H O L I A.

Similiter autem & in hominibus &c. Quaſi infert, per locum à ſimili, multas eſſe hominum vitas, quoniam vitæ brutorum animalium ſint multæ, vt in ſuperiori textu concluſum fuit. Cur verò vbi de rebus, actionibusque naturalibus, quæ in humano genere conſpiciuntur, quæſtiones fiunt, exempla, argumentaque Philoſophi trahant ſæpenumero à generibus belluarum, cauſas aliquas proponunt Plutarchus in lib. de amore naturali parentum erga filios, & Cicero in ij. de finibus ex ſententia Epicuri, appellantis belluas naturæ ſpecula. de quibus cauſis alibi diximus. D. Thomas, & Faber hanc ſimilitudinem hominum, & belluarum intelligunt primùm in ciborum varietate, & ſecundum hanc in vitarum multitudine. Oſtendi enim hîc à Philoſopho differentias ciborum, & ex iis diuerſa vitarum genera in hominibus. Veruntamen non, vt in brutis animalibus, quorum pleraque certis cibis vtuntur, alijs abſtinent; ita in hominibus vitarum diſcrimina ex diſcriminibus ciborum colligi poſſunt. Adiuuant quidem hæc illa: non plenè probant. vis probationis in expoſitione, & euidentia conſiſtit. Fortaſſe nec in brutis neceſſaria perfectè conſecutio eſt: quanuis in illis ſit multo magis neceſſaria, quàm in hominibus, vt liquet ex primo, & vij. libro de Hiſtoria animalium, dirigente belluas natura, & impellente ferè in ſolum victum. Non eſt autem in ciuilibus rebus expoſtulandum genus docendi, ac demonſtrandi, quod in mathematicis adhibetur, vt declarauit Ariſtoteles in principio Moralium ad Nicomachum.

Vis verborū. De cauſis, cur exēpla, argumentaq; ſæpe ex belluis petūtur in quæſtiōibus, quę de reb. actiōibusq; naturalib. hominū fiunt. Quā ſimilitudinē primùm, quam ſecundo loco hîc intelligunt D. Thomas, et Faber. Quale ſit arg. à differentijs alimentorū ad vitarū differētias et in belluis, & in hominibus. Quale docēdi genus poſcendū ſit in rebus ciuilibus.

Ex prædando, ἀπὸ λῃστείας. Prædas propriè vocant, quas de hominibus, aut rebus, quarum illi domini erant, homines faciunt. Sumitur enim aliquādo hoc vocabulum latiùs pro quauis captura vel ferarum, vel piſcium, vel auium, vel rerum anima carentium. Fieri autem prædæ poſſunt vel in bello à iuſtis militibus; vel in pace ab hominibus iniuſtis, ac ſceleratis. Poteram etiam vertere τὴν λῃστείαν latrocinium. hoc enim vocabulum Latinis, ſi propriè ſumatur, iniuſtam, & violentam alienarum rerum ablationem atque rapinam; ſi fuſiùs, militiam ſignificat; & latrones ſimiliter: vt apud Hetruſcos noſtros *maſnaderij*, antiquioribus milites, poſterioribus obſeſſores viarum appellati ſunt. Quomodo autem inter naturales pecuniarias numeret Philoſophus latrocinium, quod propriè, preſſeque dicitur, in explanatione indicaui.

Prædæ vocabulū vel propriè, vel fusè. Prædæ, quæ ꝓpriè dr̄, duo sūma genera. Latrocinij, & latronum vocabula. Maſnaderij. Latrociniū numeratur in naturalibus pecuniarijs.

Textus

Textus LXXVIII.

*

Secundum theorema.

PARS SECVNDA CAPITIS XVII.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXI.

Secundi theorematis, quot, & quæ ſint vitæ hominum, ſeu ſpecies pecuniariæ, quæ in alimentis ſuâ naturâ vertuntur, tam ſimplices, quàm mixtæ, demõſtratio. Locus ab expoſitione, declarans ſimplices eſſe numero ſex, paſtoralem, agri colendi, prædatoriam, piſcatoriam, venatoriam propriè, quæ diuiditur in duas partes, in aucupium, & venatoriam maximè propriè appellatam; mixtas autem tot eſſe, quot modis hæ ſimplices iungi poſſunt: additis tum deſcriptione quadam generali omnium iſtarum ſpecierum; tum cauſa mixtarum; quæ cauſa eſt indigentia, voluptasque expletionem eius ſequens: indicatis etiam geminis cauſis, cur aliæ alijs magis miſceantur.

Text: lxxxj. [a] Οἱ μὲν οὖν βίοι τοσοῦτοι σχεδόν εἰσιν, [b] ὅσοι γε αὐτόφυτον ἔχουσι τὴν ἐργασίαν, [c] καὶ μὴ δι' ἀλλαγῆς καὶ καπηλείας πορίζονται τὴν τροφήν. [d] νομαδικός, γεωργικός, λῃστρικός, ἁλιευτικός, θηρευτικός. [e] οἱ δὲ καὶ μιγνύντες, ἐκ τούτων ἡδέως ζῶσι, [f] προσαναπληροῦντες τὸν ἐνδεέστατον βίον, [g] ᾗ τυγχάνει ἐλλείπων, [h] πρὸς τὸ αὐτάρκης εἶναι: [i] οἷον οἱ μὲν νομαδικὸν ἅμα καὶ λῃστρικόν· [k] οἱ δὲ γεωργικὸν καὶ θηρευτικόν· [l] ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους, [m] ὡς ἂν ἡ χρεία συναναγκάζῃ, [n] τοῦτον τὸν τρόπον διάγουσιν.

[a] Vitæ igitur tot ferè ſunt, [b] quæcunque quidem [a] per ſe gignentem operam habent, [c] & non per commutationem, cauponationemque comparant ſibi alimentum: [d] paſtoritia, agricolendi, prædatoria, piſcatoria venatoria. [e] quidam verò etiam miſcentes, ex his iucundè viuunt, [f] ſupplentes indigentiſſimam vitam, [g] qua parte deficit, [h] vt ſit ſufficiens; [i] veluti hi quidem paſtoritiam ſimul & prædatoriam; [k] alij autem colendi agri ac venatoriam: [l] ſimiliter autem & in alijs, [m] quemadmodum vſus coegerit, [n] hoc modo vitam degunt.

[a] αὐτόφυτον. b c. Elicitur eſſe duo genera vitarũ, ſeu pecuniaria. d e. Elicitur: Vitarũ et ſpecierũ pecuniarię alimẽtarię alias ſimplices eſſe, alias mixtas. e f. Elicit causa cur ex ſimplicibus fiant mixta. i k g m. Elicitur cauſa cur alia alijs magis miſceãtur.

EXPLANATIO.

Deſcriptio generalis omnium ſpecierũ vitæ, ſeu pecuniariæ alimentariæ.

[b] STVDIA, & vitæ hominum, quæ ad victum ſpectant, & de quibus nunc loquimur (naturales eas vno vocabulo nuncuparemus, niſi principium peteretur: hoc enim eſt, quod paulò poſt demonſtrabitur) hæ, inquam, vitæ generaliter ſic deſcribuntur à Philoſopho: Vitæ hominum, de quibus ſermo eſt, ſunt illæ, [c] quæ non ex commutatione, *b. c.* *c.*

vt

vt αὐτοπωλικὴ, neque ex commercio, vt ἐμπορικὴ, ſiue ſimpliciter ſiue me-
b. dio numo permutatis inuicem rebus, alimenta conſequuntur; [b] ſed hanc muneris functionem aſſequendi victus αὐτόφυτον habent, quaſi per ſe gignentem dixeris, ideſt quæ vi ſua omnino ſine alius rei opera, auxilio'ue alimenta ſuppeditet. Ex qua deſcriptione primùm intelligitur, duo eſſe

Vitarũ humanarum in alimenta incumbentium, ſiue pecuniaria alimẽtaria genera duo.

b. [a] genera vitarum humanarum in alimenta incumbentium: [b] vnum, quod paret ea primò, & per ſe: ἔχει αὐτόφυτον τὴν ἐργασίαν vocat id Philoſophus hoc in loco, hoc eſt cuius actio ſit alimenta ſtatim, & per ſe ſibi comparare; alibi vocauit περὶ τροφὴν, quod nos vertimus alimentarium; & de eo
c. propriè in hoc capite habetur diſputatio. [c] alterum genus eſſe, quod non primò, & per ſe, ſed per commutationem, & cauponando, permutatis viciſſim rebus proprijs, alienis'ue, & vel ſimpliciter, vel medio numo, tandem comparet alimenta: de quo genere in proximis capitibus dicendum
b. per ſe ſignũ cum. erit. [b] Iterum intelligitur ex hac deſcriptione, vitas, de quibus Philoſophus loquitur, & χρηματιστικὰς, ſeu κτητικὰς περὶ τροφὴν, ideſt pecuniarias alimentarias aut nullo modo, aut vix, tanquam vias & terminos, inter ſe differre, vt initio admonui. Pecuniariæ enim alimentariæ propriè ſunt, quarum eſt hoc munus alimenta primò, & per ſe comparare: verbi gratia piſcatoria piſces per ſe parat; agricultura fruges; & ſimili ratione aliç alia

Vita, de quib. hîc loquũ Philoſophus, et pecuniaria alimentaria aut nullo modo aut vix differunt.

a. d. e. genera ciborum, quibus homines veſcuntur. [a] Huiuſmodi igitur ſeu vitæ, ſeu pecuniariæ, quarum munus eſt quærere alimenta primò, & per ſe, quoniam multas eſſe iam eſt conſtitutum, aut ſimplices eſſe poſſunt, vt ſingulæ à ſingulis hominibus habeantur, aut compoſitæ, vt vnus obtineat

Diuiſio vitæ, ſeu pecuniariç alimẽtariæ in formas ſimplices & mixtas.

d. plures. [d] Simplicium formæ, & ſpecies ferè ſex ſunt, diſtinctæ materijs, & actionum modis: paſtoralis, quæ ex manſuetis animalibus, paſcendo, & curando illa, victum percipit: agricultura, quç ex agris, eos colendo: prçdatoria, quæ de hominibus, rebusq; eorum, auferendo per vim, & inſidias: piſcatoria, quæ è piſcibus, indagando, & capiendo: venatoria propriè; cuius duæ ſunt partes, vt textus ſuperior docuit; vna aucupium, quç aues; altera venatio maximè propriè nominata, quæ feras terreſtres vi, &

Simplices formç vitç ſeu pecuniariç alimẽtaria quot, & quæ.

a. ſex ferè ſũt. dolis comprehendendo, ijſdem vtitur ad victum. [a] Eſt quidem hçc diſtributio perfecta, in qua nulla prætermittitur, nulla ſuperat forma. ferè tamen dixit Philoſophus ex modeſtia, & cautione philoſophica. Siquidem vel ex vocabulis, quç ſunt in vſu, pauciores facere aliquis poſſet, coniungens ſimul venatum, & aucupium; aut has, & piſcatoriam; aut has rurſus, & piſcatoriam, & prædatoriam in nomine venationis: vnde tres, quatuor, quinque'ue formæ numerarentur. venationis enim vocabulum, vt antè indicaui; colligiturque ex hoc, & 80. & 86. contextu, ſi maximè communiter accipiatur, quatuor formas ſignificat; ſi communiter, tres; ſi propriè, duas; ſi maximè propriè, vnam tantùm feras terreſtres perſequentem. Atque hæ quidem variæ ſignificationes huius vocabuli ex ſimilitudine rerum ſubiectarum ortum habuerunt. Simillimæ nanque inter ſe ſunt venatio ferarum terreſtrium, & captura auium tum ob animalia, quæ capiuntur, ſimilibus naturis prçdita, vtraque reſpirantia, vtraque quodammodo aerea, quodammodo terreſtria, & in aere, & in terra eodẽ tempore degentia; tum ob ſimiles modos capiendi ea: capimus enim vtraque vel animalibus quibuſdam, vt canibus, & accipitribus; vel laqueis, vt retibus, foueis; vel iaculis manu, aliquo'ue inſtrumento emiſſis: & vel vi aperta, vel dolo. Maior etiam ſimilitudo eſt his duabus formis cum

Vocabuli venationis ſignificatus.

Similitudines quarundã ſimplicium formarũ vitæ, ſeu pecuniaria alimentaria inter ſe.

Modi varij aucupij et venationis maximè propriè.

O o piſca-

piſcatoria: & his tribus cum prædatoria; quàm alicui ipſarum cum agricultura, vel cum paſtoria ratione: vt ex ijs, quæ expoſita ſunt, ſatis liquet.

Significatio venationis latiſſima, qua vtit Plato, non eſt præſentis loci. Diuiſio harũ ſimplicium formarũ non eſt diuiſio in formas, ſed in formarũ partes. Paſtionis villatica à pecuaria diſtinctio.

Latiſſima autem venatus ſignificatio à Platone vſurpata, trasferente hoc vocabulum in multas res, quibus propriè vſus loquendi ipſum non atribuit, quemadmodum in initio huius diſputationis vidimus, non eſt præſentis loci. Quòd ſi quiſpiam rurſus aut piſcatoriam, vt Plato in Sophiſta, aut aliquam aliarum tentet diuidere quibuſdã materijs, actionibus, modis, inſtrumentis: ille partes formarum dicet; non primas formas: eritq; diuiſio accidentaria potius, quàm ſubſtantialis. Sola paſtio villatica vel æque diſtare videtur à pecuaria, cum qua eſt nomine quodam generali coniuncta, atque ab aucupio venatus; vel etiam magis. Expoſcit enim pecuaria migrationem, & mutationem locorum: paſtio villatica manſionem in eodem loco. Sed hæc eſt quædam acceſſio cultionis agrorum, atque villæ, vnde nomen habet; nec inter primas vitarum formas ponenda. verùm de his poſtea. Sunt igitur & ferè, & omnino primæ, ac ſimplices vitarum formæ numero ſex, iſtæ, quæ à Philoſopho in hoc textu

Mixtarũ vitarum ſeu formarũ pecuniaria alimentaria numerus.

propoſitæ fuerunt. [e] Ex ſimplicibus in eodem homine coniunctis, ac copulatis mixtę fiunt, tot denique ob hanc ipſam cauſam, quot modis illæ iungi poſſunt. Iungi autem illę poſſunt modis ſeptem ſupra quinquaginta. nam vel omnes ſex iunguntur, & eſt vnus modus. neque enim repugnat aliquem ſimul colere agellum, ſimul paucas pecudes paſcere, interdum etiam latrocinari, & modò piſcatui, modò aucupio, modò venationi vacare. Si iungantur quinque tantùm, ſex modi ſunt: ſi quatuor, aut duę, ſunt quinideni: ſi tres, ſunt viginti. [i] Quanquam autem tot modis omnino miſceri formę ſimplices poſſunt: faciliores tamen, frequentioresq; mixtiones ſunt ex paucioribus, vt ex duabus, aut tribus; facilioresq; adhuc, ac crebriores, ſi duę, aut tres illæ ſimiles, vicinęq; ob eaſdem, propinquas've cauſas, aut actiones, aut modos fuerint. [i] Exempli gratia paſtoritia & prædatoria facillime iunguntur: quia eadem cauſa vtranque facit; inertia nimirum, & metus conſequentis laboris. De paſtoribus diximus in textu antecedenti. Sed & latrones, & fures certum eſt ex ſocordia, ac laboris odio in hęc vitæ inſtituta pręcipitari. Nec ſolùm ſinguli homines, qui paſtores ſunt, ijdem plerunque latrocinantur: vniuerſæ, maximæq; nationes, Scythæ, ac Numidæ, noſtra ætate Tartari, & Arabes, tam infames latrocinijs, pecuariam colunt. [k] Facillimè etiam iunguntur cultura agrorum, & duplex venatio, auium, ferarumque: propterea quòd ſimiliter hæ tres vitæ plenæ ſunt ingenui laboris mixti voluptate: & accedit opportunitas; quippe in agris aues, & feræ inueniuntur. [l] Denique in omnibus eſt eadem ratio, ſicut dicebamus: vt quæ ſimiliores fuerint, faciliùs, ac crebriùs miſceantur. [f] Cur verò in vniuerſum miſceantur, ſumma cauſa eſt maxima vitæ noſtræ indigentia, quæ ſuppletur multitudine acquiſitionum. [g] Ita enim, quom additur id, quod deeſt, & impletur defectus in animalibus, uoluptas ſequitur: quemadmodum ipſi indigentiæ, & defectui comitatur dolor. [e] Formas igitur vitarum ſimplices omnino homines permiſcent [f] ad tollendam cum egeſtate moleſtiam; [e] vt iucundè viuant, [f] adepti ſupplementum, [h] & id, quod eſt ſatis. Ac uarias quidem permiſcent [f] pro varietate indigentiarum: [n] ſuo primo uiuendi inſtituto, hoc, aut illud copulantes; verbi gratia [i] colendorum agrorum vnus venaticum; [k] alter prædatorium paſtorali; [l] & eodem in reliquis modo,

Duę cauſę cur alia vita alimentaria alijs magis miſceãt. Prior cauſa ducta ex ipſis formis. Paſtoritia, & prædatoria vita facillimè iunguntur, & quare. Cauſa paſtoritia & prædatoria vita eadem.

Agricultura, & venatio auium, ferarũq; facillimè iunguntur, & qr.

Cauſa cur in vniuerſum miſceãtur vitæ alimẽtarię.

Altera cauſa cõſiſtẽs in hominib. cur alia vita alimẽtaria alijs magis miſceatur.

Variae lectiones in margine: o. & iñ. — t. — i. k. l. — i. — k. — l. — f. — p. ex his incũdè viuunt. — o. miſcentes. — f. ſupplẽtes indigẽtiſſimam. — e. iucunde viuunt. — f. ſupplentes. — h. — f. g. h. — n. — i. — k. l.

m. ſ. e.

modo, [m] prout hæc, aut illa neceſſitas, & defectus magis vrgebit. [e] Loquimur autem hîc de primis, ac naturalibus duntaxat vitis. quamobrem eius etiam ſolùm uoluptatis habenda eſt ratio, quæ ex ſuplemenro indigentiæ otitur, eſtq; ſecundum naturam. Luxurioſa autem, & prͤter naturam, ex qua mores, inſtitutaq; viuendi poſteriora variè commutantur, & coniunguntur; non attinet ad hunc locum.

De qua voluptate hic ſit ſermo, quomodi, voluptatē eſſe cauſam mixtionis vitarū ſimplicium.

Textus habet tres partes. Prima (b c) & ſecunda (a d) illa deſcribit vitas, & ſpecies pecuniariæ alimentariæ; hæc ſimplicium exponit numerum. Tertia (e per totum textum) exponit numerum, & cauſas compoſitarum.

Partes textus.

SCHOLIA.

Vitæ igitur tot ferè &c. Harum ſex vitarum, ſeu ſtudiorum humanorum duo ptima tantùm, ideſt paſtorale, & agri colendi neceſſatia eſſe ciuitati veræ, & naturali declarat Plato in ij. de Republica: cætera, quæ venatus nomine comprehendit, non ciuitati, ſed ciuitati delicatæ, ac morboſæ.

Harū vitarū, quæ neceſſe ciuitati quę minimè.

Agricolendi. Laudes huius ſtudij multi perſequuti ſunt inter alios Xenophon in Oeconomico, & M. Tullius aureis verbis in Catone maiori, vt annotaui ad textum antecedentum. Ipſe Cato priſcos Romanos ita ſolitos laudare virum bonum ſcribit: bonum agricolam, bonumque colonum.

Agriculturæ laudes.

In præfatione lib. de Re ruſtica.

Prædatoria. Duplici nomine hæc vita dici naturalis poteſt, vt indicaui in ſuperiori commentario. Primùm ex iuſto bello: eſt enim bellica pars prædatoriæ. Iterum loquendo de vera prædatoria, ex communi natura animalium: multa enim ſunt bruta, quæ raptu viuant. M. Tullius in iij. officiorum hanc prædatoriam tam naturæ noſtræ, quàm iuſtitiæ contrariam eſſe oſtendit. Tollere enim principio ab imis radicibus conuictum, & ſocietatem omnem, quæ ſit maximè ſecundum naturam humani generis. Deinde violare, delereque legem, ac præſcriptum naturæ nobis ingeneratum, vt homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam tamen, quòd is homo ſit, conſultum velit. Ad prædatoriam quidam reuocant vectigalia, & portoria, & tributa, vt habere locum poſsint in ſtudiis, & vitis naturalibus: ſed illa fortaſſe alia ratione, ducta à communi vtilitate, iuſtitiæ, & legis naturalis ſpeciem tuentur: de qua re alibi.

Prædatoria n. & quomodo naturalis.

Piſcatoria. Plato in Sophiſta ex modis, & inſtumentis capiendi piſces ſtudium hoc ita diuidit. Piſcatoriæ rationis, græcè τῆς ἁλιευτικῆς, duæ ſunt, inquit, maximæ partes; vna ſeptis, hoc eſt naſſa, retibus, laqueis, verticulis, & aliis eiuſdem modi cohibendo piſces captat; vocarique poteſt generaliter ἑρκοθηρικὴν, venatio per ſepta: altera pars hamis, & fuſcinis, omnino percuſſione venatur; appellabiturque hac de cauſa πληκτικὴν, percutiens piſcatio. Huius percutientis piſcationis vna forma eſt, quæ nocte ad ignis lumen; altera, quæ interdiu efficitur: illa πυρευτικὴν, quaſi ignis opera facta piſcatio: hæc, quoniam aduncæ ſint fuſcinæ, & hami, quibus vtitur, ἀγκιστρευτικὴν, vnca, & retorta nomē habet. Cuius vncæ piſcationis duæ rurſus ſunt ſpecies; vna, quæ, à ſuperiori loco ad inferiorem vncos ſuos demittendo, quamuis partem piſcium ferit; appellabitur fortaſſe à quopiam τριοδοντία, fuſcinaria, proptereaquòd fuſcinis maximè vtatur: altera dicitur ἀνασπαστικὴν, attrahens, & hamatilis piſcatio; quę contraria ſuperiori petit non quamlibet piſcium partem, ſed caput, & os duntaxat, attrahitque eos virgis, & arundinibus ab inferiori regione ad ſuperiorem. Philoſophus in ſuperiori textu aliam diuiſionem indicauit, ſumptam ex locis, in quibus piſcamur, quæ ad materiam reducuntur: nam vel in lacu, vel in palude, vel in fluuio, vel in mari omnino piſcamur. Et aliæ ſimiles afferri poſſent ex initiis, finibus, actionibus, annexis multis. Cæterùm quum harum rerum vnis, aut alteris vel piſcatoria, vel alia quæuis ſex ſimpliciū vitarum, quę propoſitæ ſunt, diſpertitur, eius quidem vitæ in partes, ſed non in tales partes,

Diuiſiones ſtudij piſcatorij.

Quę ſint diuiſiones vitarum ſimplicium in partes tātùm, et quæ in formas, & vitas diuerſas.

quæ nouas formas, ac vitas conſtituant, fit diſtributio, vt tetigi in explanatione. neceſſe eſt enim ſi vitæ, & formæ vitarum eſſe diuerſæ debent; res illas omnes, aut plurimas ſaltem, & ante omnes genera ſubiecta, ex quibus alimenta ſuppeditantur, inter ſe diuerſa eſſe.

De laudibus piſcatus venationiſque. & vtrum ſtudiũ alteri ſit anteponendum.

Piſcatoria, venatoria. De laudibus horũ duorum ſtudiorũ; & vtrum eorum alteri ſit anteponendum; extat pulchra diſputatio apud magnum Plutarchum in libello, Vtra animantia plus rationis habeant, terreſtria'ne, an aquatica.

Textus LXXVIII.

*

Tertium theorema.

PARS TERTIA CAPITIS XVII.

Tertÿ theorematis demonſtratio: Pecuniariam, ſeu vitam, de qua diſſeritur, quam vocamus alimentariam, eſſe naturalem. Locus ab obiecto, & fine: quoniam ad quæ refertur, & pertinet hæc pecuniaria tanquam ad obiectum, & finem ſuum, illa cuncta ſint naturalia hominibus, hoc eſt hominum causâ à natura procreata.

Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη κτῆσις &c. Textus LXXXII. ad LXXXVII.

SCHOLIVM.

Hoc theorema confici poterat etiam ex ijs, quæ dicta sũt suprà.

CONFICI poterat hoc theorema ex ĳs, quæ dicta ſunt ſuprà in textu 79: Non eſſe eadem vnicuique ad veſcendum ſecundum naturam ſuauia, ſed alia alijs; Et ad facilitatem, ac copiam, optionemque alimentorum diſtinctas eſſe à natura animalium vitas: quanuis ibi de belluis propriè dicerentur. nam ſi illa, ad quæ hæc pecuniaria refertur, ſunt ſuauia ſecundum naturam; & à natura diſtinctæ ſunt vitæ, vt re vera ſunt, etiam in hominibus reſpectu fructuum, & belluarum, quibus ipſi ad alimenta vtuntur: planè vtrinque euenit theorema propoſitum. Attamen aliter quoque, & planiùs, & firmiùs à Philoſopho in hac tertia capitis parte ſic demonſtratur. Pecuniaria, ἡ κτητική, ſeu χρηματιστική, ratio viuẽdi, græcè βίος antè nominata, quæ propriè, primoque,

Demõſtratio, quæ in his quoque textibus explicatur.

tanquam

tanquam ad obiectum, & finem ſuum, pertinet ad ea, quæ hominum cauſà procreata ſunt à naturà; eſt primò, proprieq́ue naturalis: ſed pecuniaria, ſeu ratio viuendi, de qua in hoc capite diſſeritur, quam alimẽtariam vocamus, proptereaquòd in alimentis vertatur; pertinet propriè, primoque, tanquam ad obiectum, & finem ſuum, ad alimenta, id eſt, vt paucis rem complectar, ad plantas, plantiſq́ue ſimilia, quę è terra naſcũtur, & ad bruta animalia, mãſueta, & fera, quę hominũ cauſà à natura ſunt procreata: ergo &c. Maior eſt nota. quæcunque enim hominum cauſà à natura procreata ſunt; ea hominibus naturalia eſſe oportet: quippe aut idem omnino hæc duo ſignificãt; aut ſecundum eſt quaſi genus primi: & quæ rationes ad illa, quę hominum cauſà ſunt à natura procreata, pertinent, ac referuntur tanquam ad obiectum, & finem ſuum, eas rationes neceſſe eſt eſſe hominibus naturales, quia illa iiſdem ſunt naturalia. Minor, hoc eſt illa, ad quæ pertinet tanquam ad obiectum, & finem ſuum hæc pecuniaria, alimenta nimirum, quæ plantis, ac belluis continentur, eſſe hominum cauſà procreata à natura, quinque, aut ſex argumentis confirmatur.

Propoſitionis maioris firmamentum.

Minor propoſitio confirmatur quinque argumentis.

tex. 82 83. 84. Horum argumentorum duo ſunt ex ſimili, vel etiam ex minori; primum ab imperfectis ad perfecta; ſecũdum à belluis ad homines: Data ſunt à natura imperfectis, & belluis ſua alimenta: ergo multo magis perfectis, & hominibus dari debuerunt ſua, quæ ſunt ea, quæ dicta ſunt, plantæ videlicet, plantiſq́ue ſimilia, quæ è terra naſcuntur, & bruta animalia manſueta, & fera. *tex. 82.* Tertium argumentum ſumitur à rei euidentia: quoniam conſpicuum ſit, & euidens prorſus, illa eſſe data à natura hominibus, & procreata hominum cauſà. *tex. 84.* Quartum conſiſtit in expoſitione cùm rerum, quæ cernuntur perſpicuè eſſe alimẽto hominibus ſecundum naturam, quia cunctis hominibus reipſa alimento ſint; & ob id hominum cauſà appareat à natura eſſe procreata; ſunt autem hæc, vt dicebam, plantæ, ac belluæ penè omnes; tum præterea in expoſitione modorum, quibus ſunt illis alimento, victus, veſtitus, aliorum inſtrumentorum, vſus, &

Primũ & ſecundum argumentum à ſimili, vel à minori.

Tertiũ ab euidentia rei.

Quartum ab expoſitione.

auxilij

Quintum à repugnantibus.

auxilij omnis generis. Quintum argumentum ducitur à repugnãtibus. niſi enim alimenta,& res iſtę eſſent procreatæ à natura hominum causâ; imperfectum, & inane eſſet naturæ opus in generandis hominibus; quippe qui neceſſarijs deſtituerentur; nec finem aſſequi ſuum, nec viuere quidem deſtituti ijs poſſent: repugnant autem naturæ, cuius maximum conſilium, & optimus ſemper finis eſt, in vnaquaque ſpecie hæc duo, mancum, & inane. Ad hæc quinque argumenta confirmãtia aſſumptum, ſeu minorem propoſitionem primæ ratiocinationis, vnde ſtatim conficitur, vt vidimus, theorema propoſitũ, quòd pecuniaria alimentaria ſit naturalis; additur ſextum modo corollarij, probãs quidem nominatim locis à parte, à materia, & ab actione bellicam, ſeu venatoriam maximè communem, quę eſt pars pecuniariæ alimentariæ, eſſe naturalem; ſed ex quo inferri etiam poſſint per locum à minori reliquas ſimul partes, & hoc modo totam ipſam pecuniariam alimentariam eſſe naturalem. nam ſi bellica ſit naturalis: multo magis alię partes, quas enumerauimus, naturales erunt. Hæc de argumentis, totaque demonſtratione huius loci, quibus oſtenditur pecuniariam alimentariam eſſe naturalem. Hoc autem theorema ſimul eſt vnum ex principalibus inſtitutæ diſputationis theorematibus; ſimul deſeruiet theoremati ſubſequenti, quod erit, Eandem pecuniariam eſſe partem rationis domeſticæ, atque ciuilis. Et porrho de hoc ipſo theoremate, Pecuniaria alimentaria, ſiue ratio rei alimentarię procurandæ eſt naturalis, conſentiunt omnes cum Philoſopho noſtro. E quibus Cicero ſub initium P. Off. impelli à natura ait vnumquenque, vt ſtudeat parare, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum; nec ſibi ſoli, ſed coniugi, liberis, cæterisque, quos charos habeat, tueríque debeat: communem eſſe etiã hunc inſtinctum nobis cum omni belluarũ genere, quibus ſit principiò à natura tributum, vt omnia, quæ ſint ad viuendum neceſſaria, inquirãt, & parent, vt paſtum, vt latibula, vt alia eiuſdem generis. Vtrum verò ſtudium hoc, & deſyderium rei alimentarię tribuatur nobis

tex. 15. *(beside the 1st line)* · *tex. 16.* *(beside "quaque ſpecie hæc duo")*

Sextũ per modum corollarij & locum à parte. *(beside "quaque ſpecie hæc duo")*

Huius theorematis vſus. *(beside "ditur pecuniariam")*

Conſentiũt oẽs cum Philoſopho de hoc theoremate. *(beside "rationis domeſticæ")*

De quæſtione verũ vſus tãtùm, an etiam poſſeſſiones & dominia rerũ ꝓpria ſint naturalia. *(beside "vt omnia, quæ ſint")*

nobis à natura, in vſum tantùm, quemadmodum brutis animantibus, an in poſſeſſionem quoque, & dominium, ideſt vtrum vſus ſolus, an præter vſum etiam poſſeſſiones, & dominia eiuſmodi rerum parētur naturâ, ita, vt ſua cuiuſque, quibus ipſe vti poteſt, & quæ comparauit aut occupatione in vacua veniens, aut traditione prioris domini, ſint eiuſdem propria, & priuata ſecundum naturam; vel ſint potius omnia omnibus communia, & promiſcua; magna diſſenſio eſſe videtur inter Philoſophum noſtrum & Platonem; inter theologos & iuriſconſultos. Docent iuriſconſulti non naturali iure, ſed gentium diſcretas gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris terminos poſitos fuiſſe. Et cum iuriſconſultis Plato, maximè naturæ conuenire putans, vt omnia ſint communia, maximeque hanc ob cauſam naturales, ac beatiſſimas ciuitates tunc demum fore, ſi ex ipſis eijcerentur hæ voces, meum, & tuum; omnium rerum communitatem in ſuam rempublicam inuexit. Contrà Theologi: creatos homines dominos belluarum, & rerum anima carentium. Nam in primo cap. ſacræ Geneſeos, antequam homo crearetur, *faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæq́ terræ, omniq́ reptili, quod mouetur in terra:* iterum poſtquam creatus fuerat: *replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Hæc de dominio. Illud, quod ſequitur de vſu: *Ecce dedi vobis omnē herbam afferentem ſemen &c.* Et ne aliquis crederet de dominio communi, quod ad extremum nihil aliud eſt, quàm vſus, etiam ſuperiora intelligenda eſſe, vt omnes omnium communiter domini fierent, hoc eſt promiſcuè omnes omnibus vti poſſent, nihil vllius euaderet propriè priuatum, ac ſuum: ſtatim natis duobus hominibus, in cap. 3. fuit Hebelus paſtor pecudum, & Cainus agricola: obtulitq́ue Cainus de fructibus terræ, qui ipſius erant, munera Domino; Hebelus autem de primogenitis, & de adipibus pecudum: reſpexitq́; Dominus ad Hebelum,

ff. de Iuſt. & Iure l. 1. Inſtit. de Iure nat. gent. & ciu.

In v. de Republica.

D. Auguſt. lib. xix. de Ciuit. Dei cap. 15. D. Th. pp. q. 96. a. 4. et 2. et lib. ij d. 44. q. 1 a. 3. & Opuſc. 20. lib 3. à ca. 9. Egid. de Regim. Principū lib. 4. P. 3. cap. 5. & alij.

& ad munera eius; ad Cainum verò, & ad eius munera non reſpexit. Hanc eandem ſententiam, vt propriæ ſecundum naturam fiant, ſintque poſſeſſione, & dominio, non ſolum vſu cuiuſque noſtrum res illæ, quas primas vacuas occupauerit, aut à domino acceperit, ſequetur Philoſophus in ij. horum librorum contra Platonem: & nos ibi cætera, quæ dicenda erunt, dicemus. Interim annotaſſe ſat fuerit: ſi vſus ſit naturalis; neceſſariò poſſeſſionem, & dominium, ſine quibus ſæpe difficulter, aliquãdo nullo modo ad victum, & cultum humanum vſus ſuppeteret, eſſe aliquo pacto naturalia. Longeque præſtat, & conducibilius eſt ad continendas hominum ſocietates, vt declarabit Philoſophus in loco proximè citato, res vſu communes eſſe, dominio, & poſſeſſione diſtinctas, ac proprias; quàm contrà, illo modo proprias, hoc communes. cap. 1.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXII.

Quatuor connexa; vnum primi, & alterum ſecundi argumenti, patentia; tertium latens, ſecundi; quartum verbo φαίνεται ſignificatum, tertij; quibus aſtruitur minor ſyllogiſmi principalis: & cum his indicatus ille ipſe principalis ſyllogiſmus. Eadem vis verbi φαίνεται firmat etiam antecedentia duorum priorum connexorum. Loci primi, ſecundi, ac tertij connexi, à ſimili, vel à minori. Locus quarti connexi, & tertij argumenti, ab euidentia. Locus ſyllogiſmi principalis ab obiecto, & fine.

Text. lxxxij. [a] Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη κτῆσις [b] ὑπ' αὐτῆς φαίνεται τῆς φύσεως διδομένη πᾶσιν, [c] ὥσπερ κατὰ τὴν πρώτην γένεσιν, εὐθύς, [d] οὕτω καὶ τελειωθεῖσι.

[a] Huiuſmodi igitur res [b] apparet ab ipſa natura omnibus data, [c] quemadmodum in primo ortu ſtatim, [d] ita & perfectis.

E X P L A N A T I O.

Primum argumentum. [a] PRIMVM argumentum eſt à ſimili, vel potius à minori: [a] Res, cuius dominium habetur, aut haberi poteſt, gręcè κτῆσις, [a] huiuſmodi, ideſt ad quam hæc pecuniaria, ἡ κτητικὴ, καὶ χρηματιστικὴ, de qua ſermo eſt, alimentaria, inquam, refertur tanquam ad obiectum & finem ſuum, hoc eſt, vno verbo alimenta [b] ſunt data à natura [c] imperfectis, ac ſtatim natis *Secundum.* [b] hominibus omnibus: [c] ergo etiam, & multo magis perfectis. Secundum

a. / a. res. / a. huiuſmodi. / b. c. / c. in primo ortu ſtatim. / b. omnibus. / c. d. quemadmodum, ita.

b. b. omnibus. dum argumentum bis nititur eodem loco: [b] Res huiuſmodi, ideſt alimenta belluis ſtatim à primo ortu natura prouidet, [b] quia omnibus prouidet animalibus: ergo multo magis prouidere illa debuit ijſdem belluis b. φαίνεται, apparet. iam perfectis: ergo multo magis etiam hominibus. [b] Tertium argumentum ab euidentia: Conſpicuum eſt, & cernitur manifeſtè, alimenta data eſſe à natura omnibus hominibus: ergo de eo non eſt dubitandum. Nec ſolùm hoc eſt cõſpicuum, ſed illa quoque, quæ ſumpta ſunt: hominibus, ſtatim natis, imperfectiſq; dari à natura alimenta: & bellius ſimiliter dari. *Tertium.*
a. res huiuſmodi. [a] Syllogiſmus principalis fulcitur loco ab obiecto, & fine: Res huiuſmodi, & alimenta hominum, ad quæ, tanquam ad finem, & obiectum ſuum proprium refertur hæc pecuniaria alimentaria, de qua loquimur, ſunt data hominibus, ideſt eorum cauſâ procreata à natura, quod eſt eſſe illis naturalia: ergo hæc pecuniaria alimentaria, quæ ad huiuſmodi rem, atq; alimenta, tanquam ad finem ſuum proprium, refertur, neceſſario eſt naturalis. Verbum *φαίνεται, apparet*, ſignificat ſæpe euidens, & conſpicuum eſſe. In qua ſignificatione accipi hîc à Philoſopho opinor: vnde tertium argumentum ducatur, firmenturq; antecedentia, ſiue aſſumpta duorum priorum. Et in voce *πᾶσι*, ideſt *omnibus*, ſemel ſubaudio *hominibus*, iterum *animalibus*: vt mihi faciliùs duo prima argumenta efficiantur. nam omnino etiam efficerentur, ſed nõ tam apertè, ſi *animalibus* ſolùm ſubaudiremus: quippe in animalibus homines continentur. *Syllogiſmus principalis.* *Verbi φαίνεται ſignificatio & vſus in hoc loco.* *Vox πᾶσι.*

ARGVMENTVM. TEXT: LXXXIII.

Duo aſſumpta, primi, & ſecundi argumenti, ſiue antecedentia duorum priorum connexorum, quæ in proximo textu propoſita ſunt, nempe & hominibus, & belluis imperfectis data eſſe initio ſui ortus ſtatim alimenta à natura, confirmantur inductione; diſtributis animalibus in tria genera per partium differentias; modiſque duobus enarratis, quibus alimenti quantum ſatis eſt, vel cum fœtu expreſſum, vt in primo, & in ſecundo genere, vel in matre retentum, vt in tertio, ſtatim editis natura prouideat.

Tex: lxxxiij. [a] Καὶ γὰρ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν [b] τὰ μὲν συνεκτίκτει τῶν ζῴων τοσαύτην τροφὴν, [c] ὥσθ' ἱκανὴν εἶναι μέχρις οὗ ἂν δύνηται αὐτὸ αὑτῷ πορίζειν τὸ γεννηθὲν: [d] οἷον, ὅσα σκωληκοτοκεῖ, [e] ἢ ᾠοτοκεῖ: [f] ὅσα δὲ ζῳοτοκεῖ, [g] τοῖς γινομένοις ἔχει τροφὴν ἐν αὑτοῖς [h] μέχρι τινὸς, [i] τὴν τοῦ καλουμένου γάλακτος φύσιν.

Vide etiã infrà tex. 115. [a] Etenim in ortu eo, qui eſt ab initio, [b] alia quidem animalia ſimul pariunt tantum alimentum, [c] vt ſit ſatis, vſq; dum poſſit idipſum, quod genitum ſit, parare ſibi; [d] vt quæcunque vermem, [e] vel ouum pariunt: [f] quæcunque autem animal pariunt, [g] habent ijs, quæ nata ſunt, alimentum in ſeipſis [h] ad quoddam tempus, [i] vocati lactis naturam.

Pp EXPLA-

EXPLANATIO.

Animaliũ diuiſio à munere pariendo.

[b] Animalivm, quæ aliquid pariunt, ſunt enim & quæ nihil pariant, vt vermiculi, & quæcunque à ſponte genitis procreantur: quæ igitur aliquid pariunt, ſic diuiduntur ex partuum in lucem editorum varietate, [d] quòd alia vermem pariunt, qui partus eſt omnium minime perfectus, vt inſecta, & piſces quidam ſponte geniti; [e] alia ouum, partim imperfectum, vt piſces, partim perfectum, vt aues, & quadrupedes quędam; [f] alia animal; atque horum rurſus alia lineamentis, figuraq; nondum abſolutum, vt multipara omnia præter ſuem; alia abſolutum, vt reliqua, quo in genere etiam homo continetur. [b] Quom vermis editur, aut ouum; [b] editur vnà tantum in illis alimenti, [c] quantum vermi, fœtuique, qui in ouo paulatim formatur, ſuppetat vſque eò dum deſtinata animalia, in ſuas perfectè diſcreta ſpecies, ex vtroque erumpāt, ex ouo, inquam, & ex verme: quo quidē tempore parare ſibi, vel ſumere ſubminiſtratum aliunde cibum poſſunt. Hoc intereſt inter ouum, & vermem: quòd ex oui parte animal generatur, reliqua pars cibus eſt ei, quod gignitur; in ouis quidem bicoloribus vitellus eſt cibus, albumen eſt materia animalis; in vnicoloribus etiam certæ vtrique ſunt partes, licet coloribus nō diſtinguantur. at ex toto verme, non ex parte eius animal fit: qui vermis interea à principio ſui ortus, donec ad id perfectionis, magnitudinisq; peruenerit, vt mutari in animal poſſit, habet intra ſe, vnde alatur, & creſcat. [f] Vbi verò animal paritur; [g] præparatur ei [g] in matre alimentum, vnde viuat, [h] quoad aptum fuerit ad ſolidiora; [i] & pręparatur quidem hac de cauſa, nam ſunt hæc omnia ſanguinea, ex ſanguine probè concocto, mutatoq; in eam naturam, quam communi nomine lac appellarunt: ideſt alimentum ætati, & viribus infirmis maximè idoneum. Sola ex hoc genere cartilaginea, & viperæ excipienda ſunt: quæ, priùs in vteris parētum ex ouo excluſa, vt cætera naſcentia ex ouis; prodeunt habilia iam ad plenum, & exteriorem victum. [a] Ergo quæcunque pariuntur, dum adhuc imperfecta ſunt, poſtquam in lucem exierunt, quodcunque, & quantuncunque alimenti ſibi opus fuerit, à natura obtinent. Adde his fœtus eorum, quę intra ſe animal generant, quandiu in locis maternis retinentur, attrahentes cibum vmbilicis ſibi ab eadem natura confectum, & ſubminiſtratum. Adde etiam vermes, & ſimilia vermibus, quæ non partu, ſed ſponte procreantur vel ex rore, vel ex putri materia in elemēto alterato, & permixto, vt in niue, & in cœno, in partibus plantarum, & animaliū tum viuentibus tum iam emortuis, in vtrorumque excremētis aut iam excretis, aut adhuc intra corpus contentis, in pilis animalium. His enim omnibus, ſiue induant deinde, ſiue non induant perfectiores formas, quàm vermium, ab initio, quom generantur, eandem altionis, incrementique, quam generationis materiam natura tribuit. Sed & oua, quæ imperfecta pariuntur, vt piſcium, molliumque, ac cruſtatorum animalium; & quæ perficiũtur in aluo, ſiue ibidem ex ipſis animal excludatur, vt cartilagineorum omnium præter ranam, & viperarum, ſiue poſtquam ipſa in lucem edita fuerint, vt auium, ſerpentumque, ac quadrupedum quarundam; illa vermium modo à principio ſui ortus ali, creſcereq; videntur; hæc modo fœtuum, qui concipiuntur animalis formâ. Omnibus igitur animalibus, atque initijs animalium, ideſt hominibus, belluiſq; omnibus, quocunque

Modi, quibus alimentũ natura prouidet o[m]ibus animalibus à principio ſui ortus vſquedũ ſibi ipſa parare id valeant.

Cōcluſio, ī qua obtinentur duo aſſũpta, ſiue antecedētia q̄ erant demonſtranda.

Fœtib[us] viuiparorũ in locis maternis alimētũ à natura ſubminiſtraī.

Vermibus, & o[m]ibus animalibus ſponte genitis ab initio ſui ortus alimētum natura ſuggerit.

Ouis omnibus adhuc imperfectis alimentum à natura ſubminiſtraī.

b. f.

d.

e.

f.

b. c. d. e.

b. ſimul pariunt tantum alimenti.

c.

f.

g. habent ijs, quæ nata ſūt.

g. in ſeipſis alimentum.

h.

i.

a. etenim in ortu eo, quo eſt ab initio.

cunque modo generentur, à primordio originis ſuæ, & dum imperfecta manent, prouidet natura alimentum idoneum, & quantum eſt ſatis: quę fuerunt aſſumpta, ſiue antecedentia duorum priorum connexorum textus ſuperioris. Prætermiſſa ſunt à Philoſopho in præſentia hæc quatuor: oua, quæ imperfecta pariuntur: oua quę perficiuntur in aluo: fœtus, qui formā animalium in vtero generantur: animalia, ſeu initia animalium, quæ exoriuntur ſponte. Fortaſſe autem ſunt prętermiſſa, quia diligens iſtarum rerum explicatio non ſit huius loci. Adhoc verò nominatim prætermiſſa ſunt, quæ ſponte naſcuntur, propterea quòd temere, ac neceſſitate magis materiæ, quàm naturę conſilio fiunt: quamobrem ad hunc locum minus pertinere videbantur. Alienior etiam putaretur ſermo de incremento ouorum, quę nondum ſunt, nec incipiunt eſſe animalia. Et fœtus in vtero, tum quia non cernuntur, tum quia non ſunt à matribus abſoluti, imò quaſi quędā earum partes, huic diſputationi haud maximè cōuenirent: in qua diſputatione ſatis habuit Philoſophus de editis in lucem, quæ animalia iam ſunt, aut formam animalium accipiunt, verba facere. Sed certè non refert hic locus artem, & diligentiam Ariſtotelis. Mitto hęc, quæ ſunt prętermiſſa. Saltem qui de imperfectorum animalium alimentis, quibus ſtatim nata abundant, loquebatur, voluitq́; hoc expoſitione, inductione'ue declarare diuidendo; debuit potius hæc ipſa, quæ naſcuntur, vt nos interpretando indicauimus, diſtribuere, quàm illa, ex quibus naſcuntur, partusq́; eorum, quod in hoc textu eſt factum. Et accedit, quod dicitur: *quæcunque vermem, aut ouum pariunt, vnà parere tantum alimenti, vt ſit ſatis, donec id, quod fuerit generatum, parare ipſum ſibi poſſit*. Nemo enim non videt pullos ouis excluſos, quoad inceſſui, & volatui idonei fiant, cibum ſibi quærere nequaquam poſſe: imò fruſtra naſci, & confeſtim interituros, niſi à parentibus, aut ab alijs alimenta ijs ſuggerantur. Diuiſi equidem, dum verba exponerem, cibum in ſolidiorem, & in molliorem: quaſi molliori, & præparato, quod vnà paritur, fœtus nutriatur vſque eò, dum ſolidiorem, ac pleniorem vel ſumere ſubminiſtratum, vt in auibus, vel parare ipſe ſibi, vt in animalibus, quæ ex vermi gignantur, queat. Hæc, quia vera ſunt, appoſui, & Philoſophum defendere quoquo modo volentibus viam muniens: non quòd ea verbis bellè quadrare exiſtimarem. Illæ enim voces, αὐτὸ αὑτῷ πορίζειν, ideſt *ipſum ſibi parare*, expoſitionem hanc non patiuntur.

Quæ ſint hic ouorum, quibus imperfectis alimentū natura prouidet, prætermiſſa, et quare.

Quæ Philoſopho in hoc loco obijci poſſint.

Textus habet duas partes. In prima parte (a b c d e) proponuntur duo genera animalium vermiparorum, ouiparorumq́ue; & primus modus alimenti, quod vnà paritur. In ſecunda (f g h i) proponitur tertium genus viuiparorum; & alimentum ſecundi modi, quod in matre retinetur.

Partes textus.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXIIII.

Inſeruntur per locum à ſimili ex proximè aſſumptis, ſiue antecedentibus ſua conſequentia: confirmanturque, præſertim primum, quod erat de hominibus, expoſitione cùm rerum, quæ eſſe ijs alimento inprimis cernuntur, tum modorum, quibus vtcunque ſunt alimento; latiſſimè etiam alimento capto pro quouis genere proximæ vtilitatis, & auxilij ad vitam: in qua expoſitione conſiſtit quartum argumentum confirmans minorem propoſitionem ſyllogiſmi principalis, cuius minoris propoſitionis eadem vis eſt, quæ huius primi conſequentis. HOminibus perfectis, & perfectis belluis data eſſe alimenta à natura, procreatis propter belluas plantis, propter homines & his, & illis manſuetis, feriſque vel omnibus, vel plurimis ad victum, veſtitum, alia inſtrumenta, vſum, & auxilium omnis generis.

Tex.lxxxiiij [a] ὥστε ὁμοίως δῆλον, ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον, [b] τά τε φυτὰ τῶν ζῴων ἕνεκεν εἶναι, [c] καὶ τὰ ἄλλα ζῷα τῶν ἀνθρώπων χάριν· [d] τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν, [e] καὶ διὰ τὴν τροφὴν· [f] τῶν δ' ἀγρίων, εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς, [g] καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, [h] ἵνα καὶ ἐσθὴς, [i] καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν.

[a] Quapropter manifeſtum eſt, ſimiliter & natis putandum eſſe [b] plantaſque animalium eſſe cauſâ, [c] & alia animalia hominum gratiâ; [d] manſueta quidem & propter vſum, [e] & propter alimentum; [f] agreſtium autem, & ferorum, ſi non omnia, at certè plurima alimenti, [g] & alius auxilij cauſâ, vt [h] & veſtis, [i] & alia inſtrumenta ex ipſis fiant.

d. f. Pro hac diuiſione animaliũ in mãſueta & fera quære etiã ſuprà in tex & comment. 50.

EXPLANATIO.

Illatio duorũ conſequẽtium i. & hominibus, & belluis perfectis data eſſe à natura alimenta.

[a] POSITVM eſt, declaratumq́; in textu ſuperiori, ſtatim natis belluis, ſtatim natis hominibus prouideri, ingeriq́; propemodum alimenta à natura tenerrimæ illi ætati conuenientia, donec poſſint ipſa per ſe ſumere, ac parare victum pleniorem. Non minus igitur, imò verò magis ſollicitam eſſe æquum eſt eandem naturam perfectorum iam hominum, belluarumq́: & [a] quemadmodum ijs ſtatim natis alimenta ſuppeditat; [b] ita, ſed ditiore cornu, quanto tempus tempori, & res rei præſtat, iiſdem ad perfectam perductis ætatem ſuppeditare. quæ erant duorũ antecedentium in proximo textu conſtitutorum, & duorum priorum connexorum primi, ac ſecundi argumenti, de quibus ſuprà dictum eſt, propria conſequentia: hominibus perfectis, & belluis perfectis data à natura alimenta eſſe. [b] Hæc autem duo conſequentia, & præcipuè primum, æqualem vim habens aſſumpto, ſeu minori propoſitioni primi ſyllogiſmi, rurſus confirmari poſſunt expoſitione earum rerum, quæ perſpicuè ſunt hæc ipſa alimenta, & modorum, quibus alimenta eſſe dicuntur, quibusq́; præbent omnino proximè vtilitatem ad vitam. Quippe vbi expoſitio hæc patefecerit, eiuſmodi res, quæ ſunt perſpicuè alimenta hominum, & belluarum,

a. ſimiliter et natis.
b. & iũ. a. ſimiliter.
b. & inde.

Confirmatio iſtorũ ipſorũ cõſequentiũ à duplici expoſitione, rerũ ſcilicet, quæ ſunt alimenta, & modorum, quibus alimento ſunt.

rum, eſſe hominibus, belluiſq; à natura datas, atque illorum causâ procreatas ad hunc potiſſimum finem, vt illis modis, qui exponentur, alimento, vſuiq; proximo ipſis ad vitam eſſent; exurget quaſi duplex ratiocinatio, duo illa enunciata, quæ iam ſtabilita erant, & ſuperiora conſequebantur, ſic corroborans. Res eiuſmodi, quarum expoſitio fiet, ſunt datæ à natura hominibus, belluiſque, atque eorum causâ procreatæ ad hunc potiſſimum finem &c: & ſunt hæ ipſæ res, quarum expoſitio fiet,
b. c. perſpicuè alimenta hominum, ac belluarum: ergo &c. [b] Conſtat porrho *Genera præcipua rerũ, quæ sũt manifeſtò alimenta hominum, ac belluarum.*
inter omnes duo in primis rerum genera eſſe, quæ ſint perſpicuè hominum, belluarumq; alimenta; vnum plantas; alterum ipſas belluas. Nam quòd tuberibus, quæ in plantis non numerantur, aliquando veſcamur, quòdq; lapides, & metalla alias afferant vitæ commoditates, nõ tam principale eſt, nec tam omnibus notum.
b. [b] Ex plantis verò, earumque fructibus viuere communiter animalia, homines, belluaſque nemo ignorat.
c. [c] Et belluas ſimiliter eſſe nobis in cibo, ad aliosq; vitæ noſtræ vſus conducere, ſine quibus diu, humanoq; more viuere prorſus non poſſumus, & quos hac de cauſa alimentorum vocabulo interdum nuncupamus; exploratiſſimum eſt, fietq; adhuc exploratiùs diſtributis iis vſibus in certas *Alimentorum vocabulum.*
d. & iñ. vsũ, alimentũ, auxilij, veſtis, et alia inſtrumẽta. formas. [d] Omnium itaque eiuſmodi vſuum humanæ vitę, quos etiã alimenta appellamus, vel rerum, quæ ad viuendum homini ſunt neceſſariæ, quinque in ſumma ſunt modi. [e] aut enim cibaria ſunt, quibus propriè *Modi vſuum, ſiue alimẽtorum & rerum neceſſariarum vitæ humanæ.*
e. f. alimentũ, alimento. corpus nutritur: [h] aut veſtitus, quo tegitur & ad honeſtate nobis natura-
h. & veſtis. lem, & ad cuſtodiam: [g] aut habitatio, quę à maiore vi æſtuum, frigorum,
g. alius auxilij. tempeſtatum illud tuetur, cum iis quæ inhabitando ſunt neceſſaria, in
h. & alia inſtrumenta. quibus præcipuum locum ignis, quædamq; ſupellectilia obtinent: [h] aut ea, quæ propriè inſtrumenta appellantur harum rerum parandarum, ac conficiendarum; vt raſtra, & vomeres, quibus terram colimus, quo fruges reddat:
d. vſum. [d] aut denique ſunt operæ, auxiliaque, quæ nobis adiunguntur in mouendo inſtrumenta, & materiam trium rerum priorum, cibi, veſtitus, habitationis, vel in his omnibus aſſeruandis; quemadmodum bobus ad arandum, & ad fructus euehendos, ac conuehendos; canibus
d. & iñ. ad excubias vtimur. [d] Exhibent verò belluæ manifeſtò humanę vitæ om- *Belluæ modos oẽs vſuũ humanæ vitę, ſeu alimentorũ, q̃ propoſiti ſunt, nobis præſtãt.*
d. f. manſueta, agreſtiũ. nes hos modos alimenti, & ſubſidij. [d] Sed quum aliæ manſuetæ ſint, aliæ
d. e. agreſtes: [d] ex cunctis manſuetis cuncti modi capiuntur, licet non omnes,
f. g. h. i. nec quilibet ex vnaquaque: [f] ex agreſtibus fortaſſe non omnibus, at, ſi non omnibus, pleriſq; tamen omnes ſimiliter capimus, ideſt alios ex aliis, vt
d. e. & iñ. de manſuetis dicebamus. [d] Quaſdam igitur mãſuetarum ad cibum tantùm nutrimus, vt ſues: quaſdam ad cibum, & ad veſtitum, vt oues: quaſdam ad operas vel cuſtodiendi, vt canes; vel mouendi, vt equos, & alias, quibus ex hac re inditũ eſt nomen iumẽtorum; ſimulq; ad veſtitum, & ad quædam ſupellectilia; nam ex eorum coriis multa conficiuntur. boum carnibus præter hæc omnia etiam veſcimur. ſed & lacte bubulo, equino, camelino multi non ſolùm homines, verumetiam populi vniuerſi viuunt. Poterant denique non pauca inſtrumenta eorum, quę propriè ſic nominantur, parandi, conficiendiq; victus, veſtitus, habitationis, fieri ex oſſibus, dentibus, cornibus horum domeſticorum animalium, niſi fer-
f. g. h. i. rum haberemus, ex quo multo præſtantiora, pollentioraq; fiunt. [f] Et agreſtium ſimiliter aliis veſcimur, vt leporibus, & piſcibus; aliorum pellibus veſtimur, vt luporum, & vulpium, ex iiſdemq; caſas, & ſupellectilia

adorna-

adornamus; ex aliorum oſſibus, & dentibus, vt aprorum, & elephantorum, alia conficimus inſtrumenta. quædam etiam operas præſtant, vt ijdem elephanti, & aliquando vrſi, & leones diutino vſu aſſuefacti. Sic igitur omnes modos alimenti, fructuſq; ad vitam percipimus & ex manſuetis, & ex agreſtibus belluis. [d] Manſuetæ tamen duos potiſſimùm afferre dicuntur; [f] agreſtes tres. [d] Duo manſuetarum ſunt vſus, ideſt opera, auxiliumq; in mouendo, cuſtodiendoq;, vt nos appellauimus, & cibatus. Primum præſtant iumenta, cui propriè videtur à natura deſtinata: ſecundum reliqua. [f] Tres agreſtium ſunt cibus, vt ex lepore; veſtitus, vt ex lupo; & alia inſtrumenta habitationis, & artium, vt ex elephanto. Cæteri modi in vtriſque, vt in manſuetis veſtitus, habitationis, ſeu ſupellectilis, & inſtrumentorum; in agreſtibus operarum, non ſunt principales, ſed accidentarij, & quaſi appendices. Sunt igitur bruta animalia, & plantæ procreatæ à natura hominum cauſâ ad vitam, alimentumq; ipſorum, ideſt ſunt ipſis naturalia alimenta. Quod hinc etiam conſpicitur. nam omnes homines & vbique, & ſemper viuunt, vixeruntq;, & in poſterum victuri ſunt aut ex plãtis, aut ex animalibus, aut ex vtriſque; nec ſine his, nec ex vlla alia re omnino viuerent: quod autẽ ęternũ eſt, ac generale & loco, & ſubiecto, id nullo modo violentum, aut præter naturã eſſe poteſt; ſed oportet, vt ſit naturale; quod alio loco eſt demonſtratum: ergo &c. Sunt alimenta hominum ipſis naturalia: ſed pecuniaria, de qua loquimur, tota occupata eſt in hominum alimentis, tanquam in obiecto, & fine ſuo, quod nomen oſtendit, inde enim vocatur alimentaria: ergo pecuniaria, de qua loquimur, tota occupata eſt in rebus naturalibus, & vt ſunt naturales, tanquam in ſuo obiecto, & fine: ergo tota eſt naturalis. Ad hanc ratiocinationem communem horum quinque textuum adde alteram huius textus propriam. Plantæ, & bruta animalia, quatenus ex ipſis homines viuunt, ſunt res hominibus naturales, vt ex hoc textu apparuit: pecuniaria, de qua ſermo eſt tota, aut fere tota detinetur in plantis, & brutis animalibus, tanquam in ſuo obiecto, & fine: quinque.n. illius partes manifeſtè in his verſantur; agricultura in plantis; piſcatoria, aucupium, & venatoria in brutis animalibus; de prædatoria autem hominum, ſeu bellica paulopòſt dicetur, declarabiturq; eam ſimiliter eſſe naturalem: ergo &c. Cæterùm in hoc textu etiam deſydero τὸ ἀκριβὲς Ariſtotelium. Dixi quæ potui, vt, ſi Philoſophum non abſolueres, tamen nec condemnares. Sed non ſunt ſcrupuli dubitationum occultandi. Primùm hîc dicitur plantas eſſe animalium cauſâ. Si vox, *animalia*, ſignificat bruta animalia, vt opponatur hoc inciſum ſubſequenti: plantæ ſunt brutorum animalium cauſâ, & bruta animalia hominum gratiâ: falſum eſt belluarum cauſâ plantas procreatas à natura eſſe. Conſtat enim perſpicuè plantas potius homini eſſe deſtinatas, ob ea, quæ fiunt perenni vſu. & vel homo, quemadmodũ ſcribitur in ij. Phyſico vel nulla omnino res citra lunam eſt finis reliquarum. Adhoc aut omnes plantę omnibus deſtinantur belluis in alimentũ; aut omnes quibuſdam; aut quædam omnibus; aut quædam quibuſdam. Sed paucę admodum ſunt plantę, quibus belluę alantur, herbæ quædam, & quarundã arborum folia: innumeri ſunt frutices, ſuffrutices, virgulta, arbores, quas non guſtant: ergo nec oẽs omnium; nec omnes quarundã cauſâ ſunt procreatæ. Nec quędam quidem omnium. quandò multoplures ſunt belluarum, quæ ex animalibus, quàm quæ ex terræ fructibus viuant.

d. e. f. g. h. i.

d. e. propter vſum et ꝓpter alimentum.

f. g. h. i. alimenti, veſtis, alia inſtrumenta.

Concluſio primi theorematis huius tex: alimẽta hominũ, quæ ſunt plantę, & belluæ, eſſe ipſis naturalia, qđ etiã oſtẽdi poteſt à communitate ſubiecti, temporis, loci.

Ratiocinatio cõmunis huius 3. partis capitis 17 probans pecuniariã alimentariã eſſe naturalem.

Altera ratiocinatio ꝓpria huius tex. idẽ oſtendens.

Pecuniaria alimentaria tota aut penè tota verſatur in plãtis et brutis animalibus.

Dubitationes aduerſus ea, quę in hoc tex. dicuntur.

Pri: Plantas eſſe animaliũ cauſâ, quocũque modo exponas, haud rectè dicitur.

viuant. Et hoc Philoſophus affirmauit ſuprà in textu 79. diſtribuens belluas in tria genera, quorum vni animalia, alteri fructus, tertio vtraque alimenta eſſent. Reſtat vt quædam quibuſdam deſtinentur. At hoc quam leue eſt? quantum diſtat ab Ariſtotelis ſublimitate? quædam quibuſdam deſtinantur: & quædam quibuſdam, ac plura pluribus non deſtinantur. Si autem per animalia, omnia communiter animalia intelligas, & belluas, & homines: concedamus omnes plantas, etiam eas, quæ venena, & exitium ferant, eſſe hoc modo animalium, ideſt belluarum, & hominũ cauſâ creatas: ſanè, quia paucæ omnino paucis quibuſdam belluis ſunt deſtinatæ, vt dicebam; aut aliæ belluis, alię hominibus; aut quædam belluis, omnes hominibus deſtinatæ erunt. Vtrunuis affirmes, qualis tandem euadit docendi modus? plantæ animalium cauſâ ſunt creatæ à natura; ideſt paucæ quædam quarundam paucarum belluarum, reliquæ hominum cauſâ; vel omnes hominum cauſâ, & paucæ earum prę̃ter hominum belluarum paucarum gratiâ. ænigma ſphynge dignum, & Oedipodem requirens. Additur continuò reliqua animalia eſſe hominum cauſâ. At ſuprà dicebatur in textu 79. belluarum quaſdam animalibus; quaſdam animalibus ſimul & fructibus viuere ſecundum naturam. & in lib. de Animalibus non ſemel legitur, rependi à natura in multis, prę̃ſertim piſcium, ſpeciebus fœcunditate partuum, quod ex ijs in cibum aliorum conſumeretur: adeo hoc eſſe naturæ conſilium, vt quædam quibuſdam viuant. Non ergo hominum tantùm, ſed belluarum etiam multarum gratiâ aliæ belluæ creatæ ſunt à natura. Diuiſio deinde belluarum in domeſticas & in agreſtes cur hîc affertur, ſi eoſdem modos vtilitatis ex vtriſque capimus? an fortaſſe quia omnes domeſticæ hominibus ad vitam proſint; non proſint agreſtes omnes, ſed quædam tantùm earum? At ex canibus Melitæis quis, obſecro, nobis fructus, quis ex auiculis canoris, niſi deliciarum? quæ quidem deliciæ naturali vitæ, de qua nunc ſermo eſt, potius aduerſantur. Modi tandem alimenti, & vtilitatis naturalis ad vitam, vel, ſi hoc mauis, cuiuſuis fructus ſimpliciter, quę ex belluis capimus, quàm confuſè, quàm implicitè, quàm permixtè traduntur contra morem Ariſtotelis diſtributè, & explicatè docendi?

Secũda: Reliqua animalia eſſe hominum cauſâ repugnat veritati, et ijs, quæ alibi dicuntur.

Tertia: Diuiſio belluarum in domeſticas et agreſtes hîc nullum vſum præſtat.

Quarta: Modi alimẽti cõfusè, permixtè, implicitè traduntur.

Textus ægrè diuiditur in duas partes: vt in prima (a b c) inferat conſequentia, expoſitionemq́; faciat rerum, quę ſunt alimenta: in ſecunda (d per totum textum) exponat modos, quibus alimẽta ſunt, proximumq́; vſum præſtant ad vitam.

Partes textus

SCHOLIA.

Quapropter manifeſtum eſt ſimiliter & natis &c. Natos, græcè γενομένοις, intelligo, vt in textu ſuperiori, ſtatim natos, & in lucem editos; coniungoque aduerbium *ſimiliter*, ideſt ὁμοίως, cum hoc participio; talem efficiens ſententiam: ſimiliter ijs, quæ ſtatim nata alimentum à natura obtinent, quemadmodum in proximo textu fuit declaratum, putandum eſſe etiam perfectis animalibus, belluis, homninibusque, tribui à natura alimenta; & plantas animalium, belluas hominum cauſâ creatas eſſe. Alij interpretantur natis, ideſt perfectis. Sed repugnat, quòd in textu proximo aliter hæc vox accipiebatur; quòdque detorquetur à propria ſignificatione, ſi perfectum ſignificat. Quidam legiſſe videntur pro γενομένοις, τελειουμένοις, perfectis pro genitis, vt D. Thomas, & Aretinus; quam certè lectionem magis probarem, ſi in vllo græco exemplari reperiſſem.

De voce natis, & huius loci ſententia.

Plan-

Quæ à quibuſdam addũtur de aqua, & terra, & an rectè.

Plantaſque animalium eſſe cauſa &c. Addunt quidam, aquam & terram eſſe plantarum cauſâ. imperfecta enim dirigi ſemper ad perfectiora. quamobrem aquam, & terram deſtinata eſſe nutrimento arborum, & plantarum; arbores, & plantas nutrimento belluarum; vniuerſa autem, belluas, plantas, res inanimas hominum nutrimento. Non probo. nam præter ea, quę dixi in explanatione: cur magis plantarum, quam animaliũ gratiâ ſunt aqua, & terra? nonne pleraque animalium aquam bibunt, & ſine eius potu ali nõ poſſunt? cur verò aqua, & terra ſolùm commemorantur? nõne aer, & cœlum ad vitam plantarum, & animalium ſunt neceſſaria? Dirigi imperfecta ad perfecta, verum eſt, quædam, & quodammodo; non omnia, & ſimpliciter. Et in ſuperioribus quidem continentur omnia inferiora, quæ fuit ſententia Pythagoræ, non tamen actu, ſed virtute. Cæterùm hæc ſunt alius diſciplinæ, & præter propoſitum huius loci.

Duo enũciata ſimilia, ſed tamen diuerſa, quæ ex his verbis ſumuntur: De poſteriori enunciato: belluæ ſunt hominũ cauſâ ſecundũ naturã ad hos, vel ad illos propriè vſus. De priori enũciato: belluæ ſunt hominũ gratiâ, vel homo eſt finis belluarum ſecundum naturã Modi duo, quibus homo eſt finis belluarũ ſecundum naturam. Ex dignitate & præſtantia.

Et alia animalia hominum gratiâ &c. Sunt duo enunciata, ſimilia quidem, ſed quæ varias res ſignificent: vnum, Belluas eſſe hominum gratiâ ſecundum naturam: quod enunciatum ab hoc non differt, Homo eſt finis belluarum ſecundum naturam. alterum enunciatum eſt, Belluas eſſe hominum gratiâ ſecundum naturam ad hos, & ad illos propriè vſus, & opera. Hoc poſterius enunciatum eius ſemper facultatis proprium euadit, cuius ſunt vſus, qui nominatim apponuntur. vt hic, quia dicitur belluas eſſe hominum gratia ad rem alimentariam, vitamque naturaliter nobis degendam, fit proprium huius loci: & eſt enunciatum, quod proponit nunc conſtituitque Philoſophus expoſitione; noſque etiam inter explanandum confirmauimus, ducto argumento à maxima, perfectaque communitate ſubiecti, temporis, loci. Alterum illud enunciatum, quo ſimpliciter dicitur belluas eſſe hominum gratiâ, ſeu hominem eſſe finem belluarum ſecundum naturam, eſt ſimplicius, ac ſublimius iſto, pertinens partim ad naturalem, partim ad diuinã philoſophiam. Omnino nanq; eſſe, dicique homo naturaliter finis belluarum duobus modis poteſt: vno modo, dignitate, & præſtantia: altero, vſu, & actione. Dignitate, & præſtantia eſt homo ſecundum naturam belluarum finis: quia ob præſtantiam, & dignitatem humanæ formę creauit natura formas belluarum: vt ex his illa magis eluceret; neque enim tam eminens videretur, niſi aſpicerentur minus eminentes; atque vt per has ad illam poſſet peruenire: quippe antecedat ſenſus oportet, ſi mens exiſtere debet; & antecedat quidẽ non ſolùm quodammodo, quod ſolent inter ſe accidentia, ſed etiam ſimpliciter more materiæ inferiorum; ſubſiſtens aliquãdo ſine mente. Hic eſt ordo, & progreſsio naturæ ſcribit Them. » in iij. de Anima, vt reſpectu inferiorum ſuperioribus vice formarum vtatur, » reſpectu ſuperiorum inferioribus vice materiæ: ſummam verò, & ſupremam » formarum mentem noſtram cõſtituit; quò ſimul atque progreſſa eſt, receptui » canit; in eaque finem, quaſi extremam manum, imponit. Sic igitur dignitate, » & præſtantia eſt homo ſecundũ naturam finis belluarum. Vſu verò, & actione

Them. iij. de Anima tex.cõ. 30. in dig.

Ex vſu, & actione.

De varijs vtilitatibus, quas capimus ex belluis.

dicitur earundem finis, quatenus ex iis fructum aliquem, & ad aliquod opus percipit. Qui fructus, & quod opus in ſumma duorum eſt generum. nam aut rei eſt, aut contemplationis. Fructum rei dico cùm vtilitatem quanuis ad vitam, ſeu comitante ſeu non comitante voluptate; tum oblectamentum per ſe: fructum contemplationis ipſam contemplationem, & ſcientiam, quam ſemper volupras, vtilitaſque animorum ſequuntur. Et vtilitas ad vitam, quæ ex belluis percipitur, duplex eſt: vna alimenti, rerumq; ad id pertinentium: altera medicinæ. Prima ſuſtinet, amplificatq; mole, & viribus corpus noſtrũ: ſecũda idem corrigit, & defendit à morbis. Illius modi expoſiti ſunt in explanatione. Hęc dupliciter nobis prouenit ex belluis. nã aut remedia mõſtrant, quemadmodũ monſtrauit hippopotamus venę inciſionẽ; aut ipſę pręſtãt partibus humoribus, excrementis ſuis. Oblectamenta per ſe ſola, quæ ex belluis quæruntur, ſunt trium ſenſuum ſuperiorum; aſpectus in coloribus, figuris, motibus; auditionis in cantu, & voce; olfactus in odoribus illarum ſeſe oblectantis. Contẽplatio denique, & ſcientia ex belluis vel eſt opificis earum, naturæ, ac Dei optimi max.

Plinius lib. viij. cap. 26.

attol-

attollente ſe animo ab opere ad cauſā; vel eſt ipſius artificij in belluis aut ſimpliciter, aut comparatè ſecundum ſimilitudines, diſsimilitudineſque aliarum rerum cum illis. Tot ſanè modis hominem finem belluarum, haſque propter illum creatas à natura dicimus. Quorum modorum primus, quem humana dignitas facit, partim phyſicus eſt, partim metaphyſicus nam ambo hi artifices dignitatem noſtram conſyderant, ſuperiorum inferiorumque confinium, & nexum, vt volunt Philoſophi omnes, & maximè omnium Platonici explicant. Proximi modi, qui ex fructu rei nominantur, ideſt tam ex oblectamentis per ſe, quàm ex vtilitatibus ad vitam, excepta ea, quæ eſt medicinæ, cuius quidem ars medica eſt, vniuerſi attinent ad philoſophiam actualem. Modus contemplandi artificis in belluis eſt theologicus. modus contemplandi artificij ſeu ſimpliciter, ſeu comparatè eſt naturalis. Quanquam autē tam multi, & tā differentes inter ſe modi ſunt, rationibus, obiectis, finibus, nonnulli etiam ſcientiis, ad quas ſpectant: omnes tamen tribus ſummis generibus concluduntur. Primùm nanque diuiditur finis, vt ſit finis vel præſtantiæ, & dignitatis; vel actionis, & vſus. Deinde hoc ſecundum genus, quia nimis diſperſum, diffuſumque eſt; cogitur, diſtribuiturque in alia duo: quorum alterum vſum in rem appellaui, à multis vſum imperij etiam cōgruenter appellari video: alterum vocaui vſum in contemplationem. Ita tria euadant, quemadmodum diximus, prima, ac ſumma ſeu genera, ſeu capita horum modorum, his vocabulis nuncupata: Dignitas: Vſus in rem, ſiue imperium: Vſus in contemplationem. Quorum trium generum duo priora, ideſt dignitas, imperiumque hominis in belluas ſignificata ſunt in p. cap. ſacræ Geneſcos his Dei verbis: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli &c.* & paulopòſt Moſes: *& creauit Deus hominem ad imaginem ſuam &c.* Iterum Deus: *dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli &c.* Quam ſententiam deſumptam à Moſe, vt credere par eſt, vnà cum reliqua mundi generatione expreſſerunt quoque ethnici, theologi, ac poetæ: è quorum numero Ouidius ſic cecinit:

Modorū, quibus homo eſt finis belluarū ſecundū naturam, diſtributio ex ſciētijs ad quas perti nent.

Modorū etiam, quibus homo ſecundū naturā eſt belluarum finis, in tria genera, reductio: q̄ ſunt Dignitas, Imperium, et Cōtemplatio.

Locus ex ſacra Geneſi, in quo duo priora genera ideſt dignitas, & imperium hominis in bellas ſignificantur.

Locus Ouidij ſub initium Trāſformationum.

Sanctius his animal, (dixerat de belluis) *mentiſque capacius altæ*
Deerat adhuc; & qui dominari in cætera poſſet:
Natus homo eſt.

Hoc enim, quod ait Ouidius: *ſanctius his animal, mentiſque capacius altæ:* eſt id, quod Moſes ſcriptum reliquit; factum eſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Sic exponunt Doctores, atque inter alios Auguſtinus hæc verba Moſis: factum hominem ad imaginem Dei in eo, in quo brutis animantibus antecellit: id autem eſſe ipſam rationem, vel mentem, vel intelligentiam, vel ſi quo alio uocabulo commodiùs appellatur, propterea quòd nòn corporeis lineamentis, ſed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ ad Dei imaginem ſit factus. Cur verò prætermiſerit Moſes tertium genus, ideſt vſum belluarum ad contemplationem, hæc cauſa eſt. Colloquebatur quotidie cum Deo Adamus; videbatque ipſum interiori quodam aſpectu rationis, licet non per eſſentiam, vt in patria videtur, ſed per intelligibiles eius effectus. Simili quoq; ratione angelos cognoſcebat. Rerum vero propter ſe creatarum plenè ſcientiam habebat per ſpecies à Deo ſibi infuſas. Quapropter vti belluis nec ad artificis, nec modò ad artificij contemplationem debuit: quam ſine illis perfectam obtinebat. At regius Propheta loquens de tota natura humana, & de homine, & de filio hominis in Pſalmo 8. omnia tria genera attigit. *Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Hic verſiculus dignitatem exponit, & quantopere præſtet homo brutis animalibus. *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Ecce duplex contemplatio. Conſtitui enim ſuper opera manuum Dei, eſt Dei opera, in quibus etiam belluæ ſunt, contemplari, & quatenus opera, & quatenus manuum Dei opera, qui artifex eorum fuit. Nec poſſunt vllo modo referri verba hæc ad imperium, & dominationem: quandoquidem dominationem in omnia Dei opera homines nō habent: contem-

Auguſtin. lib. iij. de Geneſi ad literā cap. 20.

D. Thom. P. q. 94. & omnes Doctores lib. 2. d. 23.

Adami ſcientia & contemplatio de Deo, de angelis, de rebus naturalibus.

Locus ex Pſalmo 8. in quo tanguntur tria genera.

plantur tamen, & cognoſcunt aliquatenus omnia etiã quiditatiuè, vt loquuntur noſtri. Ob quam cauſam dixit, Conſtituiſti ſuper opera, non ſuper Deum: quia Deus nullo modo à nobis cognoſcitur quiditatiuè. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, et boues vniuerſas, inſuper et pecora campi, volucres cœli, et piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Hic perſequitur imperium in omnia belluarum genera, volatilia, aquatilia, terrena: quæ terrena aut oues ſunt non operâ nos adiuuantes, ſed fructu paſcentes; aut boues, & reliqua iumenta, quæ adiuuant operando; aut pecora campi, vel, vt legitur in Hebræo, beſtiæ agreſtes, ideſt feræ, immaneſque belluæ. Ex quibus omnibus intelligitur quàm rectè Stoici, quàmque congruenter theologicæ veritati dixerint omnia, quę cœlo coercentur, noſtri causà à Deo facta eſſe; licet in Deo hallucinarentur, mundum eum eſſe exiſtimantes: & quàm malè Epicurei, Academicique, & cum his Cicero illos reprehenderint argumento maximè ducto à noxiis, inutilibuſq; plantis, & animalibus: quibus præclarè reſpondẽt Lactantius, & Auguſtinus. Sed iamdudum, ſentio, longiùs progredior, atque euehor altius quàm pro re propoſita. Itaque hactenus de his dixiſſe ſit ſatis. Plantæ iiſdem modis omnibus, quibus bruta animalia, ſunt hominum gratiâ; dempto vno, qui eſt præſtantiæ, & dignitatis; neque enim homines, ſed belluæ plantis finitimæ ſunt; & altero, qui erat nouiſsimus eorum, qui ad alimenta pertinebant, quem vocauimus operarum, D. Auguſtinum imitati.

Controuerſia inter Stoicos, et Epicureos, Academicoſq; an omnia, quæ in terris gignũtur, ad vſum hominũ creata ſint.

Planta quot, quibuſq; modis ſint hominum gratiâ.

Cicero in pri. Off. in 4. Academ. & in 1. de Natura Deorum. Lactãtius Inſtit. lib. vij. cap. 4. et lib. ibid de Ira Dei ca. xiij. Auguſt. in lib. iij. de Geneſi ad literã cap 15. & iii. & 1. de Geneſi cõtra Manich. cap. 16. & iii. & fortaſſe alijs in locis.

Manſueta quidem etc. agreſtium autem etc. Hęc diuiſio in manſuetum, & agreſte poſſet non ſolùm ad animalia, verùm etiam ad plantas referri: quia non minus plantarum, quàm animalium aliæ ſunt mites manſuetæque, aliæ agreſtes & feræ: & ambo vocabula, τὸ φυτὸν, καὶ τὸ ζῷον ſunt neutri generis apud Græcos. Sed repugnant, quæ ſequuntur: ad vſum, ad veſtitum, ad inſtrumenta: ſi per animalia belluas duntaxat intelligamus: ſolum enim cibum ex plantis belluæ habent.

Diuiſio hæc in manſuetum et agreſte vtrum animaliũ tãtùm, an etiam plantarum.

Et propter vſum, & propter alimentum etc. alimenti, & alius auxilij causâ, vt & veſtis etc. Tribus omnino modis hæc vocabula, victus, & alimentum accipi video. Vno modo anguſtè, & maximè propriè, pro re, qua propriè corpus nutritur nos ſolùm hominis, verumetiam brutorum animalium, atque plantarum. Hac in ſignificatione ſumitur ſemper alimentum ab Ariſtotele in lib. Philoſophiæ naturalis: diſtinguiturque ab eodem in textu com. 39. P. de Ortu, & interitu, & in 45. ij. de Anima, in duas formas, quarum illa primum, & inconcoctum; iſta nouiſsimum, & concoctum alimentũ nuncupetur. Concoctum, & nouiſsimum alimentum quidam, vt Them. eſſe aiunt ſanguinem, & quicunque alius humor ſit ſimilis parti nutriendæ, ex quo ſtatim hac de cauſà nutriri illa pars poteſt: quidam, vt Ioannes Grammaticus, & Galenus, eſſe id, quod iam perfectè mutatum eſt, factumq; ſimile nutriendæ parti, atque eam iam nutrit; ideſt eſſe carnem, ſi caro eſt pars nutrienda; & os, ſi os, eo ipſo tempore, quo cum illa parte coit, ac conglutinatur. Inconcocti, & primi alimenti tria genera facit Galenus. vnum eſſe ait id, quod quaſi nutriens Hippocrates vocet; hoc autem eſt, quod concoctum, & nouiſsimum à Them. vocabatur, ſanguis ſcilicet, & quicunque alius humor confeſtim poteſt nutrire: alterum eſſe genus inconcocti alimenti, quod idẽ Hippocrates appellet nutriturum, ideſt ſuccum, qui in ventriculo continetur; chylum nominant medici noſtrorũ temporum: tertium genus eſſe cibum, & paſtionẽ omnem; quod minimè propriè alimenti vocabulo appelletur. Hoc tamen poſtremum genus, quod ipſe minime propriè alimentum appellari ait, eſt illud, quod hîc ſignificat vox alimenti, quom vſui, veſtituique, ac ſubſidiis reliquis, quæ ex belluis nobis comparamus, opponitur. Tot ferè genera, ſignificationeſque habent victus, & alimentum anguſtè, ac maximè propriè accepta, ideſt pro re, qua propriè quoduis corpus viuens nutritur. Altero modo accipiuntur latiùs, & fuſiùs pro omni re, ſine qua viuere prorſus homines non poſſunt; licet plantæ, ac belluæ poſsint: cuius modi ſunt præter cibaria veſtimentũ, & habitatio. Iabolenus de Alim. & cib, leg. 6: *Legatis alimentis cibaria, & veſtitus, & habitatio debebitur: quia ſine his ali*

Tribus ad ſũmũ modis accipiũtur vocabula victus, et alimenti.

Primus modus anguſtus & maximè proprius, cuius modi alimẽti varia ſunt genera.

Them. et Ioã. Gram. lib. ij. de Anima tex. com. 45. Galenus lib. 1. de ſanitate tuenda cap. vlt. & lib. 1. de facultatibus naturalib. cap. 2.

Secundus modus latior, & communior.

corpus

corpus non poteſt. Et Vlpianus eod. tt. leg. p. *ſi alimenta fuerint legata, dici poteſt etiam aquam legato ineſſe, ſi in ea regione fuerint legata, vbi venundari aqua ſolet*. Qui Vlpianus in l. 8. de Tranſactionibus compreſsiùs ſumpſerat nomen alimẽtorum, & pro cibariis tantùm, vt primo modo accipi diximus. Aqua autem licet cibo adhiberi poſsit, tamen per ſe ipſa nõ alit, & in multos alios vitæ noſtrę vſus inſumitur. Tertio modo accipiuntur eadem vocabula latiſsimè, & maximè cõmuniter pro rebus omnibus, quæ quoquo modo neceſſariæ, vtilesq́; nobis ſunt ad viuendum vſu proximo, non, vt numi, per commutationem, & commercia. Sic idem Vlpianus de Verb. & rerum ſignif. leg. 43: *Verbo victus continentur quæ eſui, potui, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini neceſſaria ſunt*. Et Caius leg. ſequenti: *Cætera quoque quibus tuendi, curandi'ue corporis noſtri gratiâ vtimur, ea appellatione ſignificantur*. Quæ lex 44. Caij declarat verbo, *vtimur*, quid in lege antecedenti ſignificet Vlpiano nomen, *neceſſaria*. In hac quoque latiſsima ſignificatione, pro cunctis iis, quorumcunque eſt aliquis proximus, ideſt naturalis, non ex inſtitutione, & conuento humano vſus ad vitam noſtram, accepit Philoſophus nomen alimenti ſub initium huius diſputationis in tex. 77; vtiturq́ue eo in diſputatione vniuerſa ad principalia theoremata. Plato in ij. de Republica vſuum, ſiue neceſsitatum noſtrarum, græcè τῶν χρειῶν primum, ac maximum genus eſſe ait τὴν τροφὴν, alimentum, & cibum, ſine quo eſſe, viuereq́ue prorſus nequeamus; ſecundum habitationem; tertium veſtitum, & res huiuſmodi: deſignans, vt puto, hac voce, *res huiuſmodi*, duo alia genera rerum, quas vita noſtra deſyderat, expoſita à nobis paulo antè, nuncupataq́; inſtrumentorum, & operarum vocabulis. Et ſunt hæc ſimilia, *veſtitus, & res huiuſmodi*, quod ait Plato; & quod hîc dicitur à Philoſopho, *alimenti, & alius auxilij, veſtitus, & alia inſtrumenta*. Antepoſuit autẽ ibi Plato veſtitui habitationem: præferunt iuriſconſulti, & videtur præferre hîc Philoſophus veſtitum habitationi. Vtrum igitur horum duorum magis naturale, magiſq́ue neceſſarium eſt vitæ noſtræ? Certè habitatio. Nam multi populi ſunt, qui nullo indigeãt, multi qui nullo vtantur amictu, membra genitalia ſolùm tegentes ad honeſtatem. At feræ vniuerſæ, nedum homines, domicilia, & latibula inquirunt, & parant, in quibus inhabitent.

Tertius mod° latiſſimus, & maximè communis.

Genera alimẽtorum ſeu rerum neceſſariarũ vitæ noſtræ ex Platone.

Vtrum magis neceſſariũ vitę noſtræ, veſtitus, an habitatio.

Vt et veſtis, et alia inſtrumenta. Veſtis ſumitur aliquando anguſtiùs, pro omni indumento tam virili, quàm muliebri, etiã ſi ſcenicum, citharœdicum, viatorium, aut bellicum ſit: aliquando latiùs, vt ſtragula quoque comprehendat, & culcitras, & ceruicalia, & pelles, & lanea, & linea, & ſerica, & bombycina omnia, & ſi quæ alia eiuſmodi ſint, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, inijciendi, incubandi causâ ſint parata, & quæ his acceſsionis vice cedunt, vt ſcribitur in leg. 25. 26. & 27. D. de auro & argento leg. Vtrocunque modo ſumatur veſtis, eſt planè inſtrumentum; multiplexq́ue eius vſus apparet his gradibus diſtributus: ad neceſsitatem, ad honeſtatem, ad commoditatem, ad ornatum, ad maieſtatem, ad voluptatem, ad delicias. Sunt tamen alia in domo, quæ frequentiùs, communiusq́ue inſtrumenta nominentur, conficiendis, parandis, cuſtodiendis, vtendis rebus, vel actionibus noſtris adiuuandis deſtinata, vt ſecuris, aratrum, dolium, menſa, ſubſellium. Horum quædam ſimilia ſunt inſtrumentis artium, propterea quòd eorum vſu alia accedere nobis videantur; vt menſæ, lecti: alia ſunt vera quarundam artium, aut miniſteriorum artibus ſimilium inſtrumenta, vt falx, & aratrum, & quæcunq; alia ad agriculturam, textrinam, coquinam, cæteraque eiuſdem modi ſeruitia pertinent. In vniuerſum autem omnium patris familiâs, ſeu domeſticorum inſtrumentorum, quæ vocantur à Xenophonte, σκεύη, καὶ ἔπιπλα, καὶ ὅπλα, ſtatuit idem Xenophon in Oeconomico hæc genera: Quibus ad ſacrificia vtimur: Mundum muliebrem: Veſtitum virilem: Stromata: Calceamenta: Inſtrumenta textrinæ, piſtoriæ, coquinæ: Quæ ad lauacra, quæ ad mactras, quæ ad menſas attinent: Penum. Aptiùs fortaſſe, & generaliùs hoc modo diuideretur. Totius præter ædificia, & agros, inſtrumenti patris familiâs, quod ſub tecto haberi ſolet, aliud agri, vel fundi, & fructus inſtrumentum eſt, aliud viæ,

Veſtis ſumitũ interdum anguſtè, interdũ fusè.

Veſtis vtrouis modo ſumatũ inſtrumẽtum eſt.

Alia in domo, q frequẽtiùs, communiùsq́, inſtrumẽta vocentur, quàm veſtis.

Inſtrumẽtorũ domeſticorum nomina & diuiſio ex Xenophonte.

Diuiſio inſtrumentorum domeſticorum in tria genera.

ſeu viatorium, aliud domus, ſiue vſus propriè. Inſtrumenta agri, ſiue fundi, & fructus ea eſſe Sabinus dixit, quæ fructus quærendi, cogendi, conſeruandi causâ parata eſſent: quorum exempla ponuntur in leg. 8. D. de Fundo inſtrum. vel inſtr. leg. Inſtrumenta viæ, vel viatoria, de quibus fit mentio in l. 5. D de Supellect. leg. ſunt illa, quæ itineris, & profectionis causâ parantur, vt equi, rhedæ, lora. Tandem inſtrumenta propriè domus, & vſus domeſtici reliqua erunt, quæ nec viæ, nec fructus causâ, ſed ad vſum tantùm vitæ quotidianæ neceſſarium, & liberalem comparantur. Hæc diſtribuo in ſeptem genera. Vt primum ſit penus: quo contineri omnia, quæ eſui, potuique eſſent patri familiâs, vxori, liberiſque eius, & familiæ, quæ circa eos eſſe ſolet, item iumentis, quæ dominici vſus causâ parata ſunt, Q. Mutius, & Sabinus ſcripſerunt in l. 3. de Penu legata: licet Cicero in ij. de Natura Deorum penum eſſe dicat id ſolum, quo homines veſcuntur. Secundum genus erit veſtis latè ſumpta, quemadmodum pauloantè declarauimus. Tertium ſeruos cōplectetur. Quartum complectetur numos, & numeratam pecuniam omnem. Quintum habebit materiam pretioſam, gemmas, ebur, aurum, argentum infectum, & cætera eiuſdem modi. Sextum continebit medicamenta, pugillares codices, libros, & ſi qua alia aderunt aliquarum artium inſtrumenta. Septimum comprehendet reliqua omnia, quæ in vllam ſuperiorum ſex ſpecierum non cadunt. Et hoc genus ſeptimum appellabimus ſupellectilem, Pomponium, & Tuberonem imitati, qui in leg. p. & 7. de ſupellect. leg. ſupellectilem ſimiliter deſcripſerūt. Deſcriptio tamen illa non eſt prorſus eadem, quæ hæc noſtra, ob differentes inſtrumentorum domeſticorum diſtributiones, variaque genera, quæ illi fecerunt, & quæ nos hoc in loco ad faciliotem, diſtinctioremque intelligentiam proponimus. Tradunt quidem multa de his inſtrumentis iuriſconſulti D. lib. xxxiij. & xxxiv. ſed ad extremum genera, diuiſionesque ſuas confundunt, reduntque inanes, numeratis ſæpe in alio; & alio genere iiſdem rebus. Fortaſſe nec diuiſionem noſtram ab hac confuſione liberam fore aliqui opinabuntur: proptereaquòd eædem res in diuerſis non minus noſtrorum, quàm illorum generum reponi poſſe videantur; verbi gratia penula vno modo in inſtrumento viatorio, altero in veſte; & tapetia in veſte, & in ſupellectile; & alia ſimiliter in aliis, & aliis generibus noſtris diuerſa ratione collocabuntur. Tu verò intelligito, quicquid in priori ſecundum naturam genere poſitum fuerit, non eſſe rurſus in poſteriori ponendum. vt quia veſtis prior, ac magis neceſſaria eſt ſupellectili, inſtrumentoque viatorio: ſi penula, & tapetia ex eo, quòd induendi, & inſternendi causâ parata ſunt, in veſte comprehenduntur; non eſt quòd amplius aut illam inſtrumēto viatorio, aut hęc ſupellectili annumeres. Sed de ſingulis formis horum inſtrumentorum diligentiùs quærendum erit in Oeconomicis.

Diuiſio tertij generis inſtrumentorum domeſticorū, quod eſt propriè ſui, & domus in ſeptē alia genera.

Cur tradita hęc diuiſio domeſticorū inſtrumētorum.

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXV.

Quintum argumentum à repugnantibus, pendens ex ſuperiori. Nam niſi hæc, quibus vita noſtra tot indiget modis, procrearentur à natura hominum causâ; imperfectum, & inane eſſet naturæ opus in hominum generatione.

[a] Εἰ οὖν ἡ φύσις μηθὲν, μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην· [b] ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.

[a] Si igitur natura nihil neque imperfectum facit, neque fruſtra; [b] neceſſe eſt hominum causâ * illa omnia feciſſe naturam.

a. vide idem ſuprà tex. 22. & quæ ibi. * αὐτά.

EXPLA-

EXPLANATIO.

a. igitur. ªQVOT quibusq; modis alimento, neceſſarioq; vſui ad vitã ſint nobis Argumẽtatio huius loci.
plantæ, ac bruta animalia, expoſitum eſt proximo in textu. Vnde intelli-ª Connexũ duarũ partium, et eius probatio.
gitur ſine plantis, & ſine brutis animalibus, quibus alimenta noſtra conti-
a. fruſtra. nentur, viuere homines prorſus non poſſe. ª quòd ſi non poſſent ſine il-
lis viuere; multo minus finem aſſequi aut ipſi ſuum, ob quem naſcuntur;
a. imperfectũ. aut natura ſuum, ob quẽ eos generat, poſſent. ª Adhæc quicquid neceſ-
ſarijs rebus deſtituitur, imperfectum eſt: perfectum nanque ex tex. com.
63. iij. Phyſici eſt illud, cui nihil deeſt eorũ, quę ad ipſum attinent. deſti-
tuerentur autem homines rebus neceſſarijs, niſi ipſis adeſſent plantæ, &
b. a. bruta animalia, & omnino alimenta, quibus ad vitam egent. ᵇ Ergo niſi
plantas, ac bruta animalia, quibus alimenta noſtra, vſusq; neceſſarij ad vi-
a. imperfectũ. tam continentur, feciſſet natura hominum causâ; ª planè imperfectos eos
a. fruſtra. gigneret, non attribuens ipſis res neceſſarias; ª & inaniter tam quod ad ſe,
quàm quod ad eos attinet; propterea quòd finis, ad quem ipſa gignit, &
ob quem ipſi gignuntur, ſponte ſua, ac per ſe minime ſequeretur; acci-
deret fortaſſe temere aliquando, & violenter, quia præter naturam, ſi res
a. aliò deſtinatas in vſus, & neceſſitates ſuas detorquerent. ª Naturæ autem Aſſumptũ, & eius firmamẽtum.
maximè repugnare, vt imperfectum, aut fruſtra quicquam faciat, ſunt
præcepta naturalia, de quibus in P. cœli tex. com. 32. & in iij. de Anima
tex. com. 45. & alijs in locis dictum fuit. Argumentatio itaq; eſt biceps, Argumẽtatio hæc eſt biceps.
ac ſecari in duas poteſt: quarum vna, naturam nihil imperfectum, altera,
naturam nihil fruſtra facere pro medio habeat. Sed hæc duo media,
præcepta'ue vt vides, proxima ſunt: eſtq; vtriuſque eadem ratio: quæ eſt
tertiũ quoddã præceptum naturale his duobus prius. Quia enim natura
prudentiſſimo cõſilio operatur, ex quo attributũ eſt ei epitheton ratioci-
nariæ ab Ariſtotele: ſicut vnaquæque res optimè fieri poteſt; ſic eam fa-
cit: quapropter nec imperfectum facit quicquam, nec inane. Verùm de
his omnibus alibi.

ARGVMENTVM. TEXT: LXXXVI.

Sextum argumentum, quod corollarij modo, & per tria loca inducitur ex antè conſtitutis; probans nominatim bellicam, ſeu venatoriam maximè communem, vt in tex. 80. appellata fuit, quà eſt pars pecuniariæ alimentariæ, eſſe naturalem: vnde euenit per locum à minori alias ſimul partes, & totam pecuniariam alimentariam naturalem eſſe. Loci, vt diximus, prioris concluſionis, ex qua infertur hæc poſterior, tres ſunt: vnus à parte, quoniam venatoria communis, quæ eſt bellica, & venatoriæ huius maximè communis pars, ſit naturalis: alter à materia, quòd belluæ, & homines nati ad parendum, in quo duplici genere bellica iſta, aut maior pars ipſius, quæque alimentariæ ſubeſt, verſatur, nobis naturaliter deſtinentur: tertius ab actione, quòd bellum huiuſmodi aduerſus belluas, & homines naturâ ſeruos, quom parêre nolunt, ſit naturâ iuſtum, ac propterea etiam naturale.

Tex: lxxxvj. [a] Διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται. [b] ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς. [c] ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία, [d] καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅσοι, πεφυκότες ἄρχεσθαι, μὴ θέλουσιν: [e] ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον.

[a] Quapropter & bellica naturâ * ratio rei procurandæ quodammodo erit. [b] venatoria enim eſt pars huius. [c] qua vti oportet & in belluas, [d] & in eos homines, quicunque, nati ad parendum, id facere nolunt: [e] tanquam naturâ iuſtum hoc bellum ſit.

** κτητικὴ. Vide quæ ſcribuntur in lib. vij. cap. 2. & 14. quę duo loca multum ad ea, quæ hic dicuntur, faciūt.*

E X P L A N A T I O.

Venatoria cōmunis eſt naturalis.

[a] QVONIAM belluæ nobis à natura ſint deſtinatæ in vſus vitæ neceſſarios, ac naturales; ſequitur per locum ab obiecto, & fine, venatoriam rationem, communiter ſic appellatam, qua belluarum omne genus capimus, vtimurq́; ijs ad vitæ munia, eſſe naturalem. id quod in hac tertia parte cap. 17. & hoc modo conſtitutum eſt. Conſtitutum etiam multo antè fuit in diſputatione de domino & ſeruo compluribus argumentis, *(cap. 10. 11 & 12.)* Eſſe quoſdam homines naturâ ſeruos, qui idonei ſolùm ad parendum, quaſi genus quoddam familiarium belluarum non habentium, ſed audientium, accipientiumq́; tantùm rationem, à natura fiant ferè propter alios, natos ad imperandum; quibus quidem alijs natis ad imperandum contraria de cauſa vis, & acumen exquiſitum rationis naturaliter tributum ſit: Et in illos naturâ ſeruos, natos ad parendum, vbi facere hoc recuſauerint, *(cap. 11.)* iuſta, naturaliaq́; ab his natis ad imperandum geri, ac confici bella; ne ſuo deerret natura fine; ſed vel inuiti illi, quādò ſponte id nolunt, cogantur viuere naturaliter, alijsq́; deſeruiant, tanquam inſtrumenta eorum, ac partes quædam ſeparatæ, ſicut verè tales creati à natura ſunt, & verè ſunt aliorum. [a] Ex his tribus principijs ita fixis, & ſtabilitis, quòd venatoria ratio, quæ cõmuniter ſic nominatur, perſequens omne genus belluarum, ſit naturalis; quòd ſint quidam homines naturâ ſerui; quòd aduerſus iſtos, quom parēre noluerint, ſint bella iuſta, & naturalia; conficitur tribus locis, modisq́; argumentandi, bellicam, quæ eſt pars pecuniarię alimentariæ, eſſe naturalem. [a] Bellicam partem, fuſiſſimo huius nominis ſignificatu, nunc vocamus eam, quam appellatione æque ampla in textu 80. vocauimus venatoriam. [c] Et hæc venatoria, ſeu bellica maximè communis in duas rurſus diſtribuitur partes. vna beſtias perſequitur, terrenas, aquatiles, volatiles: diciturq́; cõmuniter venatoria; ſed, pro tribus hiſce beſtiarum generibus duo alia nomina aſſumens, tres inferiores, ſimilesq́; inter ſe formas oſtendit, venatoriā maximè propriè nuncupatam, piſcatoriam, aucupatoriam. Altera pars, ſeu bellicæ, ſeu venatoriæ maximè communis eſt illa, qua de hominibus prædam agimus, ob id vocata prædatoria ſuprà in tex. 80. & 81. [a] Eſſe autem quodammodo naturalem, non ſimpliciter naturalem, hanc bellicam maximè communem, dicitur ob duas cauſas: quarum vna eſt, quòd quemadmodum ſunt quædam bella iniuſta, & præter naturam; ita neceſſe eſt eſſe quandam bellicam præter noſtram ſaltem propriam naturam, vt admonebam in commentario 80. ſi non præter naturam cõmunem nobis cum brutis animantibus; quorum plera-

a. quapropter.

text. 13.

Quidā ſerui, et ad parēdū; quidā domini, & ad imperādum nati.

In ſeruos naturâ iuſta, & naturalia bella ſuſcipi à naturâ dominis.

Tria pricipia, tres loci, trésq́; argumētationes cōcluſionis primæ, quòd bellica maximè cōmunis, quæ eſt pars pecuniaria alimentaria, ſit naturalis.

a. quapropter.

Vocabulū Bellica, quid hoc loco.

a. bellica.

c.

Bellica, ſeu venatoria maximè communis in ſuas partes diſtributio.

Bellica maximè cōmunis dī naturalis quodammodo, non ſimpliciter ob duas cauſas.

a. quodāmodo.

pleraque omnia, etiã eiuſdem ſpeciei, de cibo pugnant, eripiuntq́; eum alia alijs. altera cauſa eſt, quòd eſt magis naturale quærere ea, quæ propriè alimenta ſunt, quibus corpus nutritur, quàm alia, quæ iccirco ſic nominantur, iccircoq́; pertinent ad rem alimentariam, quia in propriè nuncupata alimenta, & in alios neceſſarios vitæ vſus omnino conducant. Itaque minus naturalis eſt quæuis prædatoria, etiam iuſtorum bellorum, ſeruos natos ad parendum edomãs, quàm vel agricultura, vel paſtoritia. his .n. cibus paratur: illa comparantur ſerui, qui cibum, & reliqua neceſſaria nobis miniſtrant. b. Primus igitur locus, quo ex primo illorum trium principiorum hæc concluſio infertur, eſt locus à parte. Nam b venatoria communis, exquirens bruta animalia cuiuſuis generis, eſt pars huius bellicæ maximè communis, quemadmodum proximè dicebamus: atque illam communem venatoriam eſſe naturalem, iam eſt demonſtratum: eiuſdem modi autem videntur eſſe omnes, vel omnes, quæ præcipuæ ſunt, cuiuſlibet rei partes in eſſentialibus. c. d. Secundus locus eſt à materia. Bellicæ huius, quę in ampliſſimo ſumitur ſignificatu, propria materia ſunt belluæ, & homines: illas, procreatas hominum cauſâ, venatoria communis perſequitur: hos ſpoliat, ſubigitq́; prædatoria. Cuius prædatoriæ item duæ ſunt partes: vna ſeruos naturâ parère recuſantes ad officium retrahit: altera immerentibus, liberisq́; naturâ viris eripit bona, & libertatem.

b.

b. venatoria.

Primus locus, & prima argumẽtatio cõficiẽs primam concluſionem.

c. d.

Secũdus locus. & ſecũda argumẽtatio ad idem.

Prædatoria in duas partes diuiſio.

Atque hæc quidem poſterior pars prædatoriæ immerentes premens, ſeu populi ſit alicuius, ſeu hominum ſingulorum, ſicut iniuſtiſſima eſt, ſic naturæ noſtræ maximè repugnat, minusq́; hac de cauſa pertinet ad hunc locum. Prior autem, quæ ſeruos naturâ ſeruire cogit, ob idipſum, quia ſequitur conſilium naturæ, eiq́; opem fert, quæ non ſolùm belluas, ſed etiam homines natos ad parendum nobis deſtinauit, vt ſuprà eſt poſitum, & iuſta eſt, & naturalis. Ergo bellica, de qua loquimur, cuius venatoria illa communis, quæ belluas perſequebatur, & hæc iuſta, naturalisq́; prædatoria, quæ homines naturâ ſeruos compellit in ſeruitutem, partes quædam ſunt, ſaltem, quod ad has ipſas attinet partes, erit naturalis; & ita quodammodo naturalis, quia non tota omnino, quemadmodum paulo antè annotaui. e. Tertius locus eſt ab actione, oſtendens propriè hanc partem bellicæ, qua homines natos ad parendum nobis ſubijcimus, naturalem eſſe. Nam bellum in huiuſmodi homines eſt naturâ iuſtum; &, quia iuſtum naturâ, etiam naturale; reciprocantur enim hæc duo, naturâ iuſtum, & naturale: quæ omnia ſuprà ſunt conſtituta: ergo & bellica, cuius opus eſt huiuſmodi bellum, naturalis neceſſariò erit. Vtrum verò poſſint eſſe alia bella iuſta; & vtrum quædam etiam iuſta ſecundum naturam, licet non ſuſcepta in homines naturâ ſeruos; alibi diſputandum. Sic igitur trifariam demonſtratum eſt bellicam eſſe naturalem. Quòd ſi bellica eſt naturalis: multo magis agricultura, & paſtoritia naturales erunt, vt antè dicebamus: ergo alimentaria ratio vniuerſa erit naturalis.

In hac eadem capitis parte, & ſuperiori cap. 10.

e.

Tertius locus, et tertia argumentatio ad idem.

In diſputatione de ſeruo et domino præcipue cap. 10. & 11.

Illatio ſecũdæ cõcluſionis ex prima.

Partes textus quatuor. In prima (a) eſt prior concluſio, ex qua confici poſterior poteſt. Aliæ tres continent tria argumenta huius prioris concluſionis: Secunda (b) primum, à parte: Tertia (c d) ſecundum à materia: Quarta (e) tertium ab actione.

Partes textus.

SCHOLIA.

Pronomē, qua, quò referēdū. *Qua vti oportet*. Pronomen hoc, *qua*, refert D.Thomas ad nomen, *venatoria:* Victorius ad proximum pronomen, *αὐτῆς*, ideſt huius bellicæ. Quam ſententiam magis probo.

Seruis naturâ vtile, et iuſtū, et naturale vt ſeruire cogantur. *Et in eos homines &c.* Quibus, quia naturâ ad id idonei, factique ſunt, non obeſt, ſed prodeſt aliis parêre: & ob id bellum, bellicaque huiuſmodi ratio eſt iuſta, & naturalis, vt ſuprà in diſputatione de domino ac ſeruo fuit declaratum.

Textus LXXVIII.

Quartum theorema.

PARS QVARTA CAPITIS XVII.

Quarti theorematis demonſtratio: quòd pecuniaria, de qua differitur, cui nomen fecimus alimentariam, & quam eſſe naturalem in ſuperiori huius capitis parte eſt conſtitutum, ſit pars domeſtica, atq; ciuilis rationis. Argumentationes duæ, ambæ à ſubiectis rebus; ſed prima, vt ſunt pars obiecti, & finis quidam rationis domeſticæ, ac ciuilis; ſecunda, vt ſunt inſtrumenta aliarum partium in vtraque ratione, domeſtica, atque ciuili.

Ἓν μὲν οὖν εἶδος κτητικῆς &c. Tex. LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX.

SCHOLIVM.

Non repugnat aliquid ſimul eſſe inſtrumētum, & partē obiecti, ac finem quendam in aliqua facultate. NON repugnat, aliquid ſimul eſſe partem obiecti, & finem quendam in aliqua facultate, ſimul eſſe inſtrumētum, quo vtatur illa eadē facultas ad reliquas partes: hoc eſt non repugnat, aliquam facultatem ſua ſibi facere inſtrumenta, vt ſuprà annotauimus ad text: 74. & 75. Propoſita autem *in cap. 15.* *Variè proponitur, et dirimitur hæc quæſtio de genere pecuniaria.* fuit ſuprà in initio huius diſputationis hæc quæſtio generaliter de pecuniaria, & reſpectū domeſticę rationis tātum, Quo pacto ſe haberet pecuniaria ratio ad domeſticam: ac paulopòſt iterum propoſita fuit ſpecialiter de alimentaria *in cap. 16.* reſpectu domeſticæ, Vtrum alimentaria eſſet pars rationis domeſti-

domeſticæ, an aliud quoddam genus. Hic dirimitur ſpecialiter de alimentaria ad domeſticam ſimul, atque ciuilem hoc modo: Alimentariam eſſe partem rationis tum domeſticæ, tum ciuilis ęqua proportione. Dirimetur rurſus infrà generaliter ſic: Alimentariam eſſe partem; cauponiam non eſſe partem illarum rationum. Quæ altera deciſio erit huius abſolutio, & quaſi coronis. hic enim adducuntur rationes pro vera ſententia: ibi dubitationes, quæ eam obſcurant, tollentur.

In prima parte cap. 23.

ARGVMENTVM. TEXT: LXXXVII.

Prima argumentatio à rebus ſubiectis vt ſunt pars obiecti, & finis quidam domeſticæ, ac ciuilis rationis. Nam domeſtica, ciuilisque ratio ſunt de omnibus ijs rebus, quæ ad vitam conduntur, neceſſarijs, vtilibusque vtrique ſocietati, ciuitatis, & domus: quarum rerum reliquas maximè neceſſarias, ac maximè vtiles tractat pecuniaria alimentaria, vt ex antè conſtitutis liquet.

Tex.lxxxvij. [a] Ἓν μὲν οὖν εἶδος κτητικῆς κατὰ φύσιν τῆς οἰκονομικῆς μέρος ἐστίν: [b] ὃ δεῖ ἤτοι ὑπάρχειν [c] ἢ πορίζειν αὐτὴν ὅπως ὑπάρχῃ, ὧν ἐστι θησαυρισμὸς χρημάτων πρὸς ζωὴν ἀναγκαίων, καὶ χρησίμων εἰς κοινωνίαν πόλεως, ἢ οἰκίας.

[a] Vna igitur ſpecies rationis rei procurandæ ſecundum naturam eſt domeſticæ rationis pars: [b] quam oportet vel adeſſe; [c] vel parare ipſam, vt adſint res, quę conduntur ad vitam, neceſſariæ, & vtiles ſocietati ciuitatis, * & domus.

* ἢ. αὐτ.

EXPLANATIO.

[c] Earvm rerum, quæ ad vitam, [c] vſusq; vitæ tam priuatos, quàm publicos, ideſt tam domeſticæ, quàm ciuilis ſocietatis conduntur, quarum [c] aliæ potius neceſſariæ nominantur, quia ſine ijs omnino non viuitur, vt cibaria, [c] aliæ, vt ſupellectilia, vtiles potius quia viuitur cum ipſis commodè, iucundè, & cógruenter ad ciuilem, domeſticamq; ſocietatem; aliquas ſanè, & maximè neceſſarias, ac maximè vtiles, quemadmodum ſuprà eſt declaratum, tractat ratio alimentaria, [a] ſpecies vna, & prima totius pecuniariæ, quam ſpeciem eſſe ſecundum naturam demonſtrauit ſuperior pars huius capitis. [b] Quæcunque autem ratio tractat aliquas eiuſmodi rerum, quæ ad vſus vitæ, ſocietatiſq; domeſticæ, & ciuilis conduntur; [b] illam rationem neceſſe eſt aut eſſe partem ciuilis, domeſticæq; rationis, [c] aut ab ijs ipſis rationibus, domeſtica, ciuiliq; prorſus non differre: [c] ſiquidem œconomo, adminiſtratoriq; reipublicæ res omnes eiuſmodi

c. res, quæ ad vitam. c. ſocietati ciuitatis & domus. c. neceſſaria. c. & vtiles. Præcipuè in com. 84. a. vna ſpecies rationis rei procurandæ ſecundũ naturam. b c. vel parare ipſam. b. c. vt adſint.

Argumentatio textus. Minor propoſitio proſyllogiſmi. & eius firmamentum. Maior propoſitio eiuſdem proſyllogiſmi, & eius confirmatio.

e. ſocietati etc. *c. vel parare ipſam.*

adſint oportet; & omnes ſunt tractationis domeſticæ, atque ciuilis; [c] quarum hæc de domeſtica, illa de ciuili conſyderat ſocietate. [c] Sed non poſſunt eſſe idem prorſus pecuniaria generaliter, & ratio domeſtica, vt probatum fuit in textu 75; multo minus alimentaria, quę eſt pars pecuniariæ, & domeſtica; atque eadem ratione nec omnino idem alimentaria, & ciuilis. [a] Ergo ſequitur, neceſſariò hanc alimentariam eſſe partem vtriuſque rationis & domeſticę, & ciuilis.

Aſſumptũ ſyllogiſmi, et eius confirmatio.

Partes textus.

Textus habet duas partes. In prima (a) eſt concluſio. In ſecunda (b & inde) eſt probatio concluſionis.

SCHOLIA.

Syntaxis verborum.

Quam oportet vel adeſſe, vel parare ipſam &c. Duo hîc ſunt pronomina, *quam*, & *ipſam*, gręcè, ὅ, καὶ αὐτήν. Illud ὅ, eſt neutri generis: quapropter referendum eſt ad nomina *pars*, & *ſpecies*; quæ item græcè ſunt neutri generis, τὸ μέρος, καὶ τὸ εἶδος. Hoc autem, ideſt αὐτὴν, eſt generis fœminini: referrique debet hac de cauſa ad œconomicam, ſeu domeſticam rationem, quod nomen ſimiliter eſt fœmininum tam Latinis, quàm Græcis. Sic igitur expono: Oportet vel adeſſe rationi domeſticæ, & eodem modo etiam ciuili, tanquam partem illarum, hanc pecuniariam, quæ paret; vel parare ipſam, hoc eſt vel parari ab ipſa domeſtica, pariterque à ciuili ratione res eas, quas pertinere dictum eſt ad hanc pecuniariam: vt adſint œconomo, adminiſtratorique reipublicæ res omnes, quæ conduntur aliæ vt neceſſariæ, aliæ vt vtiles ad vitam, ſocietatemque ciuitatis, & domus, ſed illæ præſertim, quas tractat hæc pecuniaria.

Syntaxis verborum.

Vt adſint, grecè ὅπως ὑπάρχῃ. Alij & hoc verbum ὑπάρχῃ, & quod proximè anteceſsit ὑπάρχειν, referunt ad μέρος, ideſt ad partem. Ego illud ad partem referebam; hoc refero ad res, πρὸς τὰ χρήματα. Itaque plurali numero verto, *adſint*: quum græcè ſit numeri ſingularis. verba enim ſingularia iungunt Græci cum neutris pluralibus.

Syntaxis verborum.

Res, quę conduntur ad vitam &c. Ego ſic: Res quæ conduntur ad vitam, ſocietatemq; ciuilem, & domeſticam: quarum rerũ aliæ neceſſariæ, aliæ vtiles ſunt rurſus & ad vitam, & ad vitæ ſocietatẽ domeſticam, atq; ciuilem. D.Thomas, & alij neceſſarias referunt ad vitam; vtiles ad ſocietatem ciuitatis, & domus. Græcè ſic legitur, ὧν ἐστι θησαυρισμὸς χρημάτων πρὸς ζωὴν &c. vt res ad vitã, & condi ad vitam liceat interpretari. χρήματα autem hîc verto res vnà cum alijs; quanuis propriè, & ad verbum pecuniæ redderentur. Sed res, & pecuniæ, quom de bonis eſt ſermo, idem ſignificant, vt ſuprà fuit declaratum.

Verſio, & ſignificatio τῶν χρημάτων.

Coniunctio ἢ.

Ciuitatis, & domus. Coniunctio, ἢ, quanquã ſæpenumero diſtinguit, diſiungitque: aliquando tamen etiam copulat. In hac ſignificatione omnes hîc eam accipiunt: quos ſequutus ſum.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXVIII.

Secunda argumentatio à rebus ſubiectis vt ſunt inſtrumenta aliarum partium in ratione domeſtica, & ciuili, atq; vt ſufficientia ipſarũ in veris diuitijs numeratur. Nam quæcunque eſt ratio de veris diuitijs, deq; inſtrumentis omnino domeſticis, ac ciuilibus; illa ratio domeſticę, ciuiliſque rationis pars ſit oportet. Loci adiuncti. Vnus à genere: Copiam harum rerum ſubiectarum numerari in veris diuitijs; quòd rebus neceſſarijs, vtilibusque per ſe ad vitam, & ſocietatem domeſticam, ciuilemque, ideſt copia & ſufficientia earum rerum, quarum pars ſunt iſtæ, de quibus eſt pecuniaria alimentaria, veræ diuitiæ contineantur. Alter locus à proprietate: Contineri rebus neceſſarijs &c. veras diuitias; quòd veris diuitijs certus finis ſit conſtitutus, non veris non ſit conſtitutus; ſit autem certus finis conſtitutus illis duntaxat rebus neceſſarijs &c. Tertius locus à ſimili, vel à genere: Veris diuitijs conſtitutum eſſe certum finem; quòd omnia artium inſtrumenta finita ſint; & veræ diuitiæ ſint multitudo inſtrumentorum, artium inſtrumentis ſimilium.

Tex. lxxxviij [a] Καὶ ἔοικεν ὅ γ' ἀληθινὸς πλοῦτος ἐκ τούτων εἶναι. [b] ἡ γὰρ τῆς τοιαύτης κτήσεως αὐτάρκεια πρὸς ἀγαθὴν ζωὴν οὐκ ἄπειρός ἐστιν: [c] ὥσπερ Σόλων φησὶ ποιήσας· πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. [d] κεῖται γάρ, [e] ὥσπερ καὶ ταῖς ἄλλαις τέχναις. [f] οὐδὲν γὰρ ὄργανον ἄπειρον οὐδεμιᾶς ἐστι τέχνης οὔτε πλήθει, οὔτε μεγέθει: [g] ὁ δὲ πλοῦτος ὀργάνων πλῆθος ἐστὶν οἰκονομικῶν, καὶ πολιτικῶν.

a. Elicit. Diuitias alias eſſe veras, alias non veras: & quę vtraque ſint.

e. Elicit. Domeſticã ciuilémq; rationẽ eſſe quaſdam artes.

f. infinitũ eſt nec etc. Elicit. infinitũ dupliciter dici vel multitudine, vel magnitudine idem P. Cæli tex. com. 34.

[a] Et videntur ſanè veræ diuitiæ ex his eſſe. [b] huiuſmodi enim * rei ſufficientia * ad bonam vitam nõ eſt infinita: [c] vt Solon inquit Poeticè; Diuitiarum autem nullus terminus conſpicuus viris ſedet. [d] ſedet enim, [e] quemadmodum & alijs artibus. [f] nullum nanque vllius artis inſtrumentum infinitum eſt nec multitudine, nec magnitudine: [g] diuitiæ autem ſunt multitudo inſtrumentorum domeſticorum, & ciuilium.

Pro ijs, quæ in hoc tex: dictũ f. quare infrà textum 103. et ſeq.

** κτήσεως, ideſt bonorũ.*

** πρὸς ἀγαθὴν ζωὴν, ad bene viuẽdum.*

E X P L A N A T I O.

Prima principia arg. huius loci.

Qvid ſit generaliter inſtrumentum aliâs diximus; & quid ſit propriè actiuum inſtrumentum, [g] quod quidem diuiditur in domeſticum, & ciuile. [g] Diuitiarum autem traditur in præſentia huiuſmodi definitio: Diuitię ſunt multitudo, copia'ue inſtrumentorum domeſticorum, & ciuilium, ideſt ſocietatis, & vitæ domeſticę, atque ciuilis. Hinc πλοῦτος vocantur à Gręcis, quaſi πολύοντος. Et multitudinis quidem, copiæq; inſtrumentorum hęc conditio eſt, vt ſatis eſſe videantur ad id efficiendum, pręſtandumque, cuius ſunt inſtrumenta. Dicuntur autem inſtrumenta domeſtica, & ciuilia alia verè, alia non verè. [a] quapropter & diuitiæ aliæ verę erunt, alię non verę. Verę diuitiæ, veraq; inſtrumenta domeſtica, &

g. domeſticorum, & ciuilium.

g.

a vera diuitia.

Actiui inſtrumẽti diuiſio in domeſticum et ciuile.

Diuitiarũ definitio.

Diuitiarũ nomen græcum.

Diuitiarũ, & inſtrumentorũ domeſticorũ, ciuiliũmq; diuiſio in vera, & nõ vera, & quæ vtraq; ſint.

ciuilia ſunt illa, quæ naturâ ſuâ ſunt huiuſmodi, ideſt quę per ſe conducunt, [b] ſatiſq; eſſe poſſunt ad vſus vitæ ciuilis, atque domeſticæ: non vera, quę per ſe, & naturâ ſuâ non ſunt talia, vt conducant, poſſintq; vnquã eſſe ſatis vſibus vtriuſque vitæ, ad quos ipſa inſtrumenta, diuitiæq; nominantur. Primo genere comprehenduntur non ſolùm cibaria, & veſtes, cæteraque ad alimentariam rationem attinentia, de quibus dictum eſt in textu 84, & 85; ſed omnia, quæcunque per ſe, aut neceſſitati inſeruiunt, aut commoditati, aut voluptati. Secundum genus efficiunt numi, & quæ alia ſunt, numorum in modum, quorum vſus in commercio, commutationeq; conſiſtat. Harum dupliciũ diuitiarum, atq; inſtrumentorum ſunt quatuor inter ſe differentiæ; vna, quòd vera inſtrumenta per ſe, & ſua vi cõducunt ſingula ad certos vtriuſq; vitę vſus, [b] quibus vitę vſibus vniuerſis verę diuitiæ, quæ ſunt multitudo, & copia huiuſmodi inſtrumẽtorum ſunt ſatis; non vera autẽ inſtrumenta, & diuitiæ nõ veræ, illa quum naturaliter in alios dirigãtur fines, non vi ſua, & per ſe, ſed lege, & pacto humano ſic conducunt ad vſus domeſticos, & ciuiles, quorum inſtrumenta dicuntur, vt ipſis alia comparentur, quæ propriè, & per ſe conducant; iſtę, quæ ſimiliter ſunt multitudo huiuſmodi inſtrumẽtorum, nunquam ſunt tam magnæ, vt hiſce vſibus tutò, & per ſe ſufficiant. Altera differentia eſt; quòd vera inſtrumenta, veræque diuitiæ naturâ his vſibus ſunt deſtinata; non vera minimè naturâ, ſed lege, & cõuentione noſtra. [b] Tertia differentia naſcens ex prima, cuius ratio paulopòſt explicabitur: [b] ſufficientiæ inſtrumentorum, & diuitiarum verarum, vt ſcilicet ſuppetant cunctis vtriuſque vitę noſtræ vſibus, eſt certus finis: [c] ſufficientia non verarum finem non habet, ſed porrigitur in infinitum. Quarta differentia, proxima, & affinis tertiæ: [b] vera inſtrumenta, diuitiæq; certo quodam modo, & aliquatenus non infinitè expetuntur: [c] non vera expetuntur infinitè: ſicut Solon cecinit:

Diuitiarũ verarũ, & nõ verarũ, inſtrumẽtorũmq; tã domeſticorũ, quàm ciuiliũ verorũ & nõ verorum differẽtię quatuor. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

b. ſufficientia & bonam vitam. *b. g.* *b. c.* *b. d.* *c.* *b. d.* *c.*

Πλούτου δ᾽ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

Diuitiarum meta viris clara haud ſedet vlla:
Et noſtri Poetæ: *Auri ſacra fames:* Et:
Creſcit amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit: Et alia ſexcenta.

Argumẽtatio huius loci. Hæc de primis argumentationis principijs. Iam verò argumẽtationem ipſam conſyderemus. Quoniam igitur principia duplicia ſunt, & inter ſe implexa; comprehenduntur enim diuitiæ vocabulo inſtrumentorum; *Syllogiſmus principalis biceps.* biceps exurgit principalis ſyllogiſmus loco à rebus ſubiectis ad hunc modum. [g] Omnis ratio, quæ eſt de inſtrumentis domeſticis, ciuilibusque, & præcipue quæ eſt de principalibus, pars domeſticæ, ciuiliſq; rationis exiſtat oportet: item omnis ratio, quæ eſt de veris diuitijs, eſt perſpicuè pars domeſticæ, & ciuilis rationis: ſed pecuniaria alimentaria eſt ratio de rebus, quæ ſunt inſtrumenta domeſtica, & ciuilia principalia; quarumque ſufficientia in veris diuitijs numeratur: ergo &c. Vtraque maior eſt per ſe nota, & conceſſa ab omnibus. ad quam enim facultatem pertinebit, aut quæ facultas per ſe erit illa, quę tractat inſtrumenta domeſtica, ciuiliaque, & quę eſt de veris diuitijs, ſi non ſit pars domeſticæ, & ciuilis rationis? Prima minor ęquè nota ex ijs, quæ ſuprà multis locis poſita, & conſtituta fuerunt. [a] Secunda minor ſic oſtenditur per locum à genere. [a] Rebus, quę condun-

Duarũ maiorũ ppoſitionũ firmamẽtum. Primę minoris firmamẽtum. P proſyllogiſmus, et locus à genere: Copiã rerũ, de quib' eſt alimentaria, in veris diuitijs maximè numerari.

ex g. a. *a. ex his eſſe.*

conduntur ad vitam, neceſſarię, vtilesq́; naturâ ſuâ ad ſocietatem domeſticam, & ciuilem, vt dicebat antecedēs textus, ideſt earum rerum copia, & ſufficientia verę diuitię continentur: res, de quibus eſt pecuniaria alimentaria, ſunt maior, potiorq́; pars eiuſmodi rerum, quæ conduntur ad vitam, &c: ergo earum copia & ſufficientia in veris diuitijs maximè numeratur. Minor eſt nota ex antè conſtitutis. [b] Maior probatur per locum à proprietate. nam verarum diuitiarum proprium hoc eſt, & hac re maximè à non veris diſcernuntur; quòd illarum, vt ſatis ſint, expleantq́; deſyderium, & indigentiam noſtram, eſt certus, ſtatutusq́, finis; harum, de quibus Solon loquebatur, nequaquam, ſed maior ipſarum ſemper expetitur copia: [b] ſolis autem illis rebus, quę conduntur ad vitam, neceſſarię, vtilesq́; naturâ ſuâ ad ſocietatem domeſticam, & ciuilem, hoc adeſt, vt ſufficientia earum certum habeat finem; quod quidem per ſe, atque ex vſu rerum eſt manifeſtum: ergo &c. [d] Probatur rurſus maior, hoc eſt notari hac conditione veras diuitias, quòd ſufficientię earum certus ſit finis, per locum à ſimili, vel à genere. [f] Nullum vllius aliarum artium inſtrumentum eſt infinitum, ſed vnunquodque finem habet tam multitudinis, quàm magnitudinis; hoc autem oſtendi poteſt tum inductione, [e] vt indicant verba textus: tum præterea ratione; nam eorum inſtrumentorum vſus non eſſet, niſi eſſent ipſa finita, atque perfecta. Et dixi aliarum artium, quoniam domeſtica, ciuiliſq́; ratio vocabulo artium cōtinentur, & ſunt quędam artes. [g] Sed porrho diuitiæ nihil aliud ſignificant, niſi multitudinem, affluentiamq́; inſtrumentorum ad domeſticam, ciuilemq́; vitam, ac ſocietatem pertinentium; verorum quidem, germanorumque, ac ſimilium inſtrumentis artium, quæ propriè artes dicuntur, ſi verę diuitiæ fuerint; ſi non veræ, ſimulatorum, & quæ in aliū vſum, quàm in quem eorum natura tendat, flectantur. Itaque ſicut hæc, non vera domus ciuitatiſq́; inſtrumenta, propriarum artium inſtrumentis diſſimilia, nec inopię noſtrę accommodata, quia leuare eam per ſe nequeant; nunquam videntur eſſe ſatis ad illa comparanda, quæ eius tollendæ vim habent; fortaſſe nec ſunt, proptereaquòd variari aut illorum pretium, aut ipſorum æſtimatio poteſt; & hac de cauſa infinitè expetuntur: [d] ſic illa vera, noſtris egeſtatibus naturaliter deſtinata, ſuaq́; conſtitutione idonea, atque ob id ſimilia inſtrumentis artium; infinitè expeti nec poſſunt, nec debent. Et quanquam nonnunquam appetitus fallitur vel ob vitioſam conſuetudinem, vel ob indigentias naturales, multas admodum, & penè continuas; deſyderantibus quibuſdam immenſas domos, veſtes quamplurimas, ſeruorum, iumentorum, & aliorum eiuſdem generis myriades; nemo tamen tam præter modum hæc concupiſcit, quàm numos: &, ſi aliquis concupiſcit, ex ea parte concupiſcit, quatenus hæc quoque numis ęſtimantur, & ad cauponationem, non ad vſum verum, & naturalem referuntur. Denique quicquid de noſtro ſit deſyderio, & licet

Secundus proſyllogiſmus, et locus à proprietate: Diuitias veras cōtineri ſufficiētia earū rerū, quæ neceſſarię, vtilesq́; per ſe ſocietati domeſticæ et ciuili, ad vitam conducuntur.

Tertius ꝓſyllogiſmus, et locus à ſimili: Diuitiarū verarū eſſe certū finem tam reſpectu deſyderij, quàm reſpectu indigētiæ noſtræ, non verarū, contra; & quibus de cauſis.

Inſtātię ex eo, quòd deſyderēs aliquis etiā veras diuitias in immenſum, ſolutio per explicationē cauſarū, & modi huius deſyderij.

Ex epiſt. pri. Horatij.

. . Bona pars hominum, decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, dicat: dic tu, quid referat intra
Naturę fines viuenti iugera centum, an
Mille aret? At ſuaue eſt ex magno tollere aceruo:
Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas.
. . . . Quid habet pulchri conſtructus aceruus?
Millia frumenti tua triuerit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus, quàm meus.

In parte 4. cap. 21.

Sed de hac re infra.

Partes

Partes textus. Partes textus tres. Prima (a) proponit maiorem primi proſyllogiſmi, quo per locum à genere conficitur ſecunda minor ſyllogiſmi principalis. Secunda (b c) probat hanc maiorem huius primi proſyllogiſmi per locum à proprietate, & differentia verarum, ac non verarum diuitiarum, cuius probationis minor tacetur, ponitur maior. Tertia (d e f) probat hanc aliam maiorem ſecūdi proſyllogiſmi de proprietate verarum diuitiarum per locum à ſimili, vel à genere, poſita concluſione huius probationis in, d, loco in, e; maiori in, f; minori in, g.

S C H O L I A.

Quo terminetur id, qđ ad beneuiuēdum eſt ſatis. *Sufficientia ad bonam vitam.* Ideſt quantū ad bene viuendū ſit ſatis. M.Tullius in primo & ij. Off. terminat hoc cōmoditate vitæ, & iucūditate, deniq; facultatibus rerū, copiis, opibus, & potentia tāta, vt nos, noſtroſq; iuuare poſsimus.

Dictū Solonis. *Vt Solon inquit poeticè, Diuitiarum &c.* Plutarchus in lib. de cupiditate diuitiarum, eodem modo, vt nos fecimus, dictum hoc Solonis de falſis diuitiis, falſoque earum deſyderio interpretatur.

Cauſa, cur inſtrumenta infinita eſſe non poſſint. *Nullum nanque vllius artis inſtrumentum infinitum eſt.* Cur inſtrumenta nequeant eſſe infinita, cauſa hæc affertur ſub initio vij. horum librorum quod ſi exuperent, & nimia ſint ita, vt inter ea & facultatem, quæ vti iis debet, non ſit conueniens proportio, ſiue magnitudine nimia fuerint ſiue multitudine; aut nihil prodeſſe, aut obeſſe etiam ipſa oporteat operi, & habenti. *In fine p. cap.*

ARGVMENTVM. TEXT. LXXXIX.

Concluſio theorematis, & modi, quo eſt conſtitutum. Demonſtratum eſt pecuniariam quandam, nempe alimentariam, quam apparuit eſſe ſecundum naturam, ad œconomos, ciuitatumque adminiſtratores ſic pertinere, vt ſit pars rationis domeſticæ, atque ciuilis: idque eſt demonſtratum per cauſam, & duplici nomine; primùm quia ſint pars obiecti; præterea quia ſint inſtrumenta vtriuſque rationis res, in quibus verſatur huiuſmodi pecuniaria.

Tex: lxxxix. Ὅτι μὲν τοίνυν ἐστί τις κτητικὴ κατὰ φύσιν τοῖς οἰκονόμοις, καὶ τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δι᾽ ἣν αἰτίαν, δῆλον.

Quòd igitur ſit quædam * ratio rei procurandæ ſecundum naturam œconomis, & ciuitatum adminiſtratoribus, & quam ob cauſam, manifeſtum eſt. * κτητική.

S C H O L I A.

Quo pacto, quòque demōſtrationis genere demonſtratū ſit alimentariā eſſe partē rationis domeſticæ, ac ciuilis. *Quam ob cauſam.* Pendet, proficiſciturq; vnaquæque ratio, & ars, & facultas à re ſubiecta, in qua verſatur (quā alio vocabulo, & libētiùs noſtri Scholaſtici obiectum appellant) tanquā à cauſa ſua. Quoniā igitur declaratum eſt, res, in quibus verſatur pecuniaria alimentaria, ad res, in quibus verſantur ratio domeſtica, ac ciuilis, referri & tanquā partem, & tāquam inſtrumenta; ſanè liquet nō ſolùm eſſe partē, ſed etiā quam ob cauſam pars ſit hęc pecuniaria alimētaria rationis domeſticæ, atq; ciuilis. Adhibitum ergo fuit ad hoc theorema genus illud demōſtrationis, quod potiſsimum, tribuensq; cauſam, & eſſe ab Auerroe appellatur.

Vox, manifeſtum, quid hîc ſignificet. *Manifeſtum eſt.* Manifeſtum eſt, quia eſt demonſtratum.

Textus

Textus LXXXIII.

*

Pecuniaria cauponia.

CAPITA XVIII. ET XIX.

De pecuniaria cauponia, ſeu tabernaria, & commutatrice græcè καπηλικῆς, καὶ μεταβλητικῆς: *quæ neque eſt ſecundum naturam, neque neceſſaria, neque pars rationis domeſticæ, aut ciuilis.*

Ἔστι δὲ γένος ἄλλο κτητικῆς &c. Textus XC. ad XCVII.

SCHOLIVM.

Hoc eſt alterum genus vitæ, & rationis pecuniariæ, ideſt τῆς χρηματιστικῆς, ἢ κτητικῆς, quod variè à Philoſopho nominatur varijs in locis. nam & καπηλικὸν ab eo dicitur, cauponium, ſeu tabernarium; & μεταβλητικόν, commutatitium; & μάλιστα χρηματιστικόν, maximè pecuniarium; & pecuniarium ſimpliciter κατ' ἐξοχὴν; & οὐ φύσει, καὶ οὐ κατὰ φύσιν non naturale; & μὴ ἀναγκαῖον, non neceſſarium; & multis alijs appellatur nominibus, quæ vnà cum rationibus ſuis antè à nobis ſunt explicata. Adhæc verò numularium vocatur à quibuſdam ex eo, quòd præcipuè in numis verſetur: ab alijs nundinarium, & nundinatorium; quod cauponio eſt par. Ego è tot vocabulis duo ſumpſi, cauponium, & commutatitium; tum quia frequentiùs his Philoſophus vtitur; tum quia ſimplices, & ſignificantes voces ſunt; tum quia oppoſita alimentario; ſicut enim illud deſignat quicquid per ſe, & proximè eſſe alimento nobis poteſt, ita hæc notant omnes res, quę per cauponationem, commutationemque aut ſimpliciter, aut tunc temporis, non per ſe primò vſibus vitæ noſtræ conducunt. Differt porrho hoc genus à ſuperiori, intima, & formali differentia acquiſitionis: quòd illud partim colendo, curandoque agros, & belluas manſuetas, vnde fructus demetat, partim venando, omnino carpendo; hoc permutando quæſtum

Vocabula, quibus appellari ſolet hoc genus pecuniaria.

In ſcholio communi totius huius diſputationis de pecuniaria.

Quæ delecta vocabula ad hoc genus ſignificandum, & cur talia.

Differentia formalis huius et ſuperioris generis pecuniaria ducta ab acquiſitione, & alijs vtriuſque generis proprijs.

Actus ſuperioris generis ſequitur per ſe quaſtus, actũ autem, q actus eſt permutatio, per ſe non ſequitur.

quæſtum facit. Illos actus colendi, venandiq; ſeqnitur per ſe acquiſitio,& amplificatio rei;quare omnes ſequitur: hũc permutãdi non ſequitur per ſe; imò contrariũ penè videtur lucrũ permutationi.permutatio enim naturâ ſuâ neutro addit, demit'ue quicquam; ſed par,& ęquale vtrinq; rependit. Itaque ſtatim apparet, nec omni permutationi quęſtũ comitari; & cui comitatur, comitari ſanè præter permutationis

Scopus eorum oĩum, q deinceps ĩ hoc ſcholio dicẽda sũt.

CONtractus, qui permutationis eſt genus, diuiſio generalis.

Contractus latè ſumpti genus, & deſcriptio quadam.

naturam. Vt igitur intelligamus quæ,& qualis,& quo pacto quęſtũ efficere atq; hoc genus pecuniarię,quod cauponium vocatur, conſtituere poſſit, paulo altiùs exordiendum eſt.

ACTionum noſtrarum, quæ valde multæ, aut potius innumeræ ſunt, vnum quoddam eſt genus, quo ad aliquem vſum, neceſſitatemque inter nos communicantes, obligamur alter alteri naturali, ciuili'ue obligatione, ideſt aſtringimur vel ex bono & æquo, vel ex legitimo iure

Definitio obligationis ex Inſtit. de Oblig.

ad aliquid præſtandum, vel non præſtandum. hoc nanque generaliter obligatio eſt, vinculum iuris legitimi, aut naturalis ad præſtandam aliquam rem nos aſtringens. Genus iſtud actionum obligationem qualemcunque, ideſt ſeu naturalem, ſeu ciuilem, & ſeu ſimplicem, ſeu mutuam parien-

Cõtractus vocabulum latè acceptũ quos, & qua contineat.

tium græcè συναλλάγματα, latinè contractus vocant. Tam latè nunc ſumo hæc vocabula, συνάλλαγμα, & latinè contractum; atque ſumebat primùm Ariſtoteles in v. ad Nicomachum; ſtatuens συναλλάγματα materiam emẽdatricis iuſtitiæ, vt comprehendunt nõn ſolùm genus illud reciprocarum conuentionum, quæ, ad effectum, & quaſi contrectationem rei venientes, actiones tribuunt, ſed cõuentiones omnino omnes,

Cõtractus, pactio, & cõuentio, ſumpta generaliter, aut nihil, aut parùm inter ſe diſtãt: et quomodo definiãtur.

& pacta, & delicta, & pollicitationes. Sanè verò pactio, & conuentio, & contractus etiam iuriſconſultis ſumpta generaliter aut nihil, aut parùm inter ſe diſtant: definirique vnumquodque eorum ſolet, quòd ſit duorum, plurium'ue placitum, & conſenſus, ſiue meliùs actus ex placito, & conſenſu in idem ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præ-

Cõſenſum eſſe in omni genere contractuũ, etiã eorũ, quos inuiti facim'.

ſtandum alteri ab altero, aut contrà ad non dandum, vel non faciendum, vel non prẽſtandum. Nam quanquam in quodam genere contractuum, quos inuiti facimus, conſentire

tire

tire non videamur: conſentimus tamen abſoluto, & generali cõſenſu; quia ciuitatis pars ſumus, quę cõſentit: & nos ipſi etiam, antequam eiuſmodi quidpiam cõmitteremus, verbi gratia adulteriũ, conſentiebamus, quicũque adulteraretur, ſic puniendũ eſſe: quamobrem poſtea quom adulteramur, in pœnam noſtram cõſentimus. Numerant autẽ hæc idest delicta, omnemq; in vniuerſum obligationem, vel potius quæ obligationem faciunt inter contractus cũ Philoſophis aliquando iuriſconſulti vt in l. 20. de iudicijs. Quapropter & pollicitatio cõtractus eſt. noſtram .n. ſemper obligat fidem vel ciuiliter, vel naturaliter: tenetq; aſtrictam, quoad promiſſum impleamus; niſi aut cauſa, aut tempore, aut lege, aut iure prętorio ante liberetur. atq; in his omnibus, & quom aſtringitur fides, & quom abſoluitur hoc, illo'ue modo, perficiendo, aut interpretando, ad iuſtitiam emendatricẽ confugimus, cuius materia cõtractus ſunt. Nec verò probo diſtinctionem pacti & pollicitationis allatam ab Vlp. in l. 3. de Pollicitationibus: vt pactum ſit duorum conſenſus, atque conuentio: pollicitatio ſit offerentis ſolius promiſſum. Imò hoc quoque nomine pollicitatio in contractuũ genere continetur, quòd eſt cõuentio, & conſenſus promittẽtis, eiusq;, cui promittitur. nam oblatio quidẽ erit, ſi non cõſentiat is, cui offertur: at non erit promiſſum, & pollicitatio. denique ſi donatio contractus eſt; erit etiam pollicitatio contractus: quippe ſimiles ſunt pollicitatio, & donatio: & penè eodem modo ſine obligationis reciprocatione fieri videtur. Quicũque igitur iuriſconſultorũ contractum eſſe ſpeciem conuentionis inquiũt; preſsè capiunt hoc nomen cõtractus, & Pædius in l. pri. de Pactis, nullum eſſe contractum, nullam obligationem dicens, quæ non habeat in ſe conuentionem, ſiue re, ſiue verbis fiat, conuentionem plane accipit pro conſenſu: qui quidem conſenſus non eſt genus; ſed cauſa contractus, manens in mente, ſicut contractus perficitur in actu exteriori. Preſsè autem captum vocabulum contractus iuriſconſulti tribus maximè modis definiunt.

Delicta, & obligationes olim in cõtractibus numerantur.

Pollicitatio eſt contractus.

Pactũ, & pollicitatio malè diſtinguũtur.

Nec cõuentio, nec conſenſus eſt genus contractus latè ſũpti ſed ... contractus, conſenſus cauſa eius.

Contractus anguſtè capti definitiones ... à iuriſconſultis.

Quidam contractum aiunt eſſe obligationem mutuam, ſiue reciprocam; ſequuti Labeonem, qui in leg. 1[illegible]. de verborum, & rerum ſi[illegible]nif. inquit contractum græce [illegible], vltro citroque obligationem eſſe. In qua definitione, præter cætera, obligatio ponitur qu[illegible]ſi genus: quæ non eſt [illegible]enus, ſed effectus contractus. Alij ob verba Vlpiani ſcribentis in leg. pri. de Pactis conuentionem eſſe verbum generale, pertinens ad omnia, de quibus negocij contrahendi, tranſigendique causà conſentiunt, qui inter ſe agunt; ſpecies conuentionis ſtatuunt vnam contractum, alteram tranſactionem. Contractum eſſe dicunt conuentionem contrahendæ, conſtituenda've obligationis; ſiue conuentionem duorum, aut plurium in idem ad dandum, vel faciendum, vel pręſtandum quid alteri ab altero. Tranſactionem eſſe conuentionem obligationis diſtrahendæ, diſſoluendæque controuerſię; ſeu eſſe conuentionem duorum, plurium've in idem, ad non dandum, vel non faciendum, vel non præſtandum. Alij demum exponentes eiuſdem Vlpiani verba illa in lege 7. eodem titulo, *conuentiones, quæ pariunt actiones, in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen contractus*; ſic definiunt contractum: contractus eſt conuentio, quæ actionem, non ſolùm exceptionem parit. Sed hæc viderint ipſi iuriſcõnſulti.

Concluſio de cõtractus latè ſumpti definitione, & amplitudine.

Nobis contractus, vt dicebam, in fuſa ſignificatione eſt actus ex placito, & conſenſu, obligationem quoquo modo pariens: comprehenditque promiſſa, & pacta, & conuenta, & delicta vniuerſa. Cur verò, ſicut delicta comprehendit, non æque comprehendat officia; quum hæc pariter, atque illa obligationem inducant, illa pœnarum, hæc præmiorum; diximus in v. lib. ad Nicomachum.

Cõtractus latè ſumpti genera, & modi.

Porrho autem contractuum, latè producta, quemadmodum diximus, huius vocabuli ſignificatione, quidam voluntarij ſunt, quidam non voluntarij.

Non voluntarij contractus, & eorũ modi.

Sunt non voluntarij, qui ex delictis naſcuntur. & horum quidam clandeſtini, vt furtum, adulterium: quidam violẽti, vt rapina, contumelia.

Volun-

Voluntarij vel pariunt exceptionem tantùm, nullo modo actionem; & dicuntur ſolùm conuentiones, pacta, pollicitationes; quæ ſolo conſenſu perficiuntur: vel pariunt etiam actionem; nec perficiuntur conſenſu ſolo, ſed traditione rei aut vera, aut quæ iuris auctoritate pro vera habeatur; indeque, ideſt quia ad effectum, & quaſi contrectationem rei veniant, in proprium tranſeunt contractus nomen. Hi propriè igitur appellati cõtractus duorum ſunt generum. nam vel gratuitò fiunt, & à liberalitate proficiſcuntur: vel ſunt, vt ſic dixerim, mercenarij, fiuntque ob cauſam. illi donationis: hi permutationis ſpeciem habent. Donationis, & gratuitorum cõtractuum, qui alterius tãtùm contrahentium gratià fiunt, modi hi ſunt. Quom dominium rei noſtræ perpetuò alicui damus, appellatur propriè donatio: cuius ſpecies eſt datio dotis: licet & hæc, & donatio ob cauſam tertio generi contractuum ob cauſam, quod vocant do vt facias, ſubijci videantur. quom verò ad tempus damus dominiũ rei noſtrę, vt ipſa, aut ſimilis reddatur; dicitur mutuum: quom vſum duntaxat eius tribuimus; commodatum: quom operam noſtram, mandatum; cuius appellatione continentur tutela, negotiorum geſtio, procuratio: quom diligentiam noſtram in re alterius cõſeruanda; depoſitum: quom fidem noſtram, vt periculo noſtro id, de quo agitur, fiat; fide iuſſio. Sunt permutationis, & ob cauſam, ſiue ob rem, vt Paulus appellat, reliqui omnes nominati, innominatique contractus, qui negocium continent, & vtriuſque contrahentium gratià fiunt. quorum quidem numerus ex diuiſione eiuſdem Pauli in l. 5. de Præſcriptis verbis hoc modo accipietur. *In hac quæſtione*, inquit ille, *totius ob rem dati tractatus inſpici poteſt: qui in his competit ſpeciebus. aut enim do tibi, vt des: aut do, vt facias: vt facio, vt des: aut facio, vt facias.* Has ſpecies deinde in minutiores formas & ipſe partitur, & nos clariùs, diſtinctiùsq; partiri ſic poſſumus. Nam quom do, vt des; aut res vtrinque; aut vtrinque numus; aut ab altera parte res, ab altera numus traditur. quarum permutationũ nos primam ſim-

Volũtarij cõtractus, & eorum modi.

Contractus propriè quid, & eius genera ac modi.

Donatiũs latè ſumpta & gratuitorũ cõtractuũ modi.

Donatio propriè.

Dotis datio.

Mutuum.

Cõmodatum.

Mandatum.

Tutela, Negociorum geſtio.

Procuratio.

Depoſitum.

Fide iuſſio.

Permutatio latè ſumpta, & contractuũ ob cauſam, ſiue ob rẽ genera & modi.

Modi ſimplices permutationis ſeu cõtractuũ ob cauſam.

Permutatio dati cum dato & eius modi.

plicem; ſecundam, & tertiam numularias; ac ſecundam quidem numulariam puram, tertiam numulariam mixtam poſthac vocabimus. Quod igitur ad hanc tertiam attinet, ſi permutatur res cum numo, & eſt permutatio abſoluta, ac perpetua; dicitur propriè emptio, & venditio: ſi non eſt abſoluta, ſed in quoddam tempus; aut fructus rei quæritur, & eſt locatio, conductioque rerum, vt inquilinorum, & portitorum; aut quæritur numi vſus, & eſt oppigneratio, hypothecaque ei affinis. quorum modorum vnuſquiſque, vel vſum vitæ duntaxat ſpectat; vel etiam quæſtum. Et numi numis ſimiliter permutantur vel ſine quæſtu, & collybo; quod raró fit, nec eſt artis, ſed amicitiæ: vel cum collybo, & lucro; quod alteri permutantium parti accedit interdum ex ſpecie numorum, interdum ex loco, interdum ex tempore. Hoc fœneratorum eſt proprium, græcè daniſtarum, menſtruas, & annuas vſuras pecuniæ, quam crediderunt, recipientium. Alia duo pertinēt ad trapezitas, menſarios, ſeu menſularios, & numularios, & argentarios Latini appellant. qui vel diuerſarum ſpecierum numos commutant, vt aureos ęreis, argenteis'ue, & pręſentes, eodemque in loco ſoluunt, ἀργυραμοιβοὶ à Gręcis vocati: vel traijciunt ad alia loca, ſoluuntque in illis, quos in alijs acceperunt, eoſdem, ſimiles'ue aut eiuſdem, aut diuerſarum ſpecierum: & vel traijciunt reuera, mittentes, portantes'ue periculo ſuo; vnde traiectitiæ pecuniæ vocabulum apud iuriſconſultos Digeſtorum lib. 22. de Nautico fœnore: vel non reuera traijciunt, ſed ſimulatè, teſſeris collybiſticis, quas literas cambij vulgus appellat, ſine vllo vecturæ periculo idem pręſtantes, hoc eſt numerantes alibi tantundem numorum, detracto ſuo illo collybo, quantum hìc accipiunt. Sunt qui argentarios à menſarijs diſtinguant: vt argentarij ſint ipſi trapezitæ; menſarij autem (quod eſt verbum de verbo factum, ita enim dicitur à menſa menſarius, quemadmodum ὁ τραπεζίτης ἀπὸ τῆς τραπέζης) nominarentur apud Romanos rei numarię publicæ duntaxat curatores. qua de re minimè pugnabo: licet potuerint demum Romani nomen commune menſariorum

Numularię permutationis mixta modi.

Emptio, et venditio.

Locatio et conductio rerum Oppigneratio Hypotheca.

Numularię permutationis ſimplicis modi.

Fenus.

ἀργυραμοιβὴ idest cōmutatio numorum.

Traiectio.

Carolus Sigonius in ij. de Antiquo iure Rom. cap. 11.

riorum confectoribus rationum publicarum propriè attribuere. Noui etiam argentarios, & fœneratores eoſdem Romæ multos fuiſſe. ſed ſeparare res, & actiones magis volui, quàm homines, aut vocabula. Quanquam autẽ vſus obtinuit ad faciliorem commutationem, vt vel ſolùm, vel maximè in ſolis numis hi tres modi quæſtuariæ, ex ſpecie, ex loco, ex tempore, exerceantur: tamen in rerum etiam permutatione, tam cum numis, quàm cum rebus exerceri poſſunt, & aliquando exercentur iiſdemmet formulis; in rerum quidem cum numis, quam permutationem numulariam mixtam appellauimus, duo poſteriores; in rerum autem cum rebus, quam ſimplicem permutationem diximus, omnes. Nam & in emptione, & in locatione, & in pignore quæſtus fieri poteſt non ſolùm ſimpliciter, ſed multò magis ex tempore, & ex loco. ſpecierum differentiã omittimus: quia numus ab altera parte appoſitus cuiuſuis ſpeciei vicem explet. At ſimplex permutatio ipſa per ſe lucroſa non eſt: reddunt lucroſam vel locus, vel tempus, vel ſpecies diuerſa. Quare Modeſtinus in leg. p. de Nautico fœnore merces inſtar numorum traiectitias appellat. Fœnusque ſimiliter in rebus ad tempus datis nonnunquã conſtituitur. Et nonnunquam lucrum petitur ex ſola rei varietate: vt ſi oleum, cuius tu interim egeas, ego cum hordeo commutem. Nec verò in his tantùm modis puræ numulariæ adhibetur iſta rerum permutatio ſimplex, verum etiam in locatione, & in oppigneratione, duabus poſterioribus formis mixtæ numulariæ. ſiquidem rebus quoque, nõ ſolùm numis & oppignerari res poſſunt, & conductarum rerum penſiones ſolui. Sed tamen cunctis his modis, formulisq́;, ad duas numularias propriè attinentibus, factæ rerũ vtrinque permutationes dicentur permutationes ſimplices ex additamento, verbi gratia fœneratitiæ, aut pigneratitiæ, & vel ad vſum vitæ duntaxat, vel ad quæſtum. Illa autem ſola verè, proprieque hoc nomen habebit permutationis ſimplicis, qua primùm homines naturaliter ad vitæ neceſſitatem vti cœperunt, proptereaquòd aliis eorum aliæ res viciſſim

Tres modi quæſtuariæ fœneratoria, et collybiſtica. qui videntur proprii puræ numulariæ, exercentur etiam in permutatione rerũ ſimplici, & in numularia mixta.

Permutatio rerũ ſimplex adhiberi etiã poteſt in locatione, & in oppigneratione, poſterioribus formis mixtæ numulariæ.

Simplex rerũ permutatio veri, & propriã quæ.

Summa oĩum modorum permutatiõis dati cum dato. ciſſim deeſſent, ac redundarent. Erunt igitur ad extremum omnes modi huius primi generis permutandi, quod do vt des Paulus vocat, numero ſex ſupra viginti. Duodecim quippe ſunt, ſi res nũmis, aut numi rebus permutentur: nimirum emptio & venditio; locatio & conductio; oppigneratio; & vnaquęque iſtarum vel ad vſum vitæ tantùm, vel ad quæſtum: tum locatio, & oppigneratio ad quæſtum vel ſimpliciter; vel ex tempore; vel ex loco per veram traiectionem, aut per teſſeras collybiſticas. Quinque ſunt, ſi numi vtrinque tradantur: nam hæc numorum permutatio vel eſt ſimplex; vel quæſtuoſa: & quæſtuoſa vel ex tempore; quod propriè eſt fœnus; vel ex loco, quam traiectionem vocamus veram, aut imaginariam; vel ex ſpecie, quam dicimus cõmutationem, Gręci ἀργυραμοιβὴν appellant. Nouem demum ſunt, ſi res tradantur ab vtraque parte. quorũ nouem quinque ſimiliter diſtinguuntur, vt proximè antecedentes. quatuor ſunt locatio conductioq́ue rerum, & oppigneratio rebus factæ vel ad uſum, vel ad quæſtum. *Permutatio facti cũ dato, & eius modi.* Alterum genus, quod uocat Paulus facio ut des, ſignificat permutationem omnem factorum cum datis numis, rebus'ue *Locationes operarum.* cuiuſuis generis, & modi; præcipuè tamen, & quatenus inſtitutæ diſputationi conducit, locationes operarum: vnde *Mercenaria, et eius partes.* & mercenarium nominabitur. Hoc autem genus ſic ſumptum totum ad quæſtum dirigitur: diſtribuiturq́ue in ſex omnino modos. nam vel operæ ſine arte; vel operæ artificioſæ hinc locantur, vénduntur'que; inde conducuntur, & emuntur. Operæ ſine arte ſunt quæ præſtantur facultatibus naturalibus, & ingenitis corporis, aut animi, ſed maximè corporis. Operę artificioſę ſunt aut artium, quę propriè ſic nominantur, viliorum, honeſtiorum'ue; aut ſcientiarum; aut virtutum: de quibus omnibus infrà ſuis in locis. *In com. 111. et in cõmentarijs partis 2. cap. 23. & alibi.* *Permutatio dati cũ facto.* Tertium genus eſſe ſtatuebatur do vt facias. quod per ſe vſum, non quęſtum ſpectat: opponiturq́ue ſuperiori: & tot manifeſtè, vt ad pręſentem diſputationem ambo pertinent, quot illud, continet modos: eſt enim hoc conductio earundẽ operarum quarũ illud erat locatio. Imò, ſi acrius inſpi-

inſpicias, non differt hoc genus à ſuperiori. Omnis enim permutatio, quà permutatio eſt, vertitur neceſſariò inter duos terminos. Et, ſi datur aliquid, vt aliquid fiat; neceſſe eſt viciſſim, hoc fieri, vt illud detur: alioquin non eſſet permutatio. quemadmodum igitur vnum eſt genus illud primum, cui do vt des Paulus nomen fecit, in quo datur ab vtraque parte aliquid: ita eſſe vnum genus debet, vbi ab altera parte aliquid datur, ab altera aliquid efficitur, vt illud detur, & hoc efficiatur. Hæc ſi vera ſunt, iam non ſunt amplius quatuor genera permutationis, ſed tria tantùm: vnum dati cum dato: alterum facti cum dato, vel dati cum facto: tertium facti cum facto. Cuius tertij generis adhuc modi ijdem ſunt, qui erant ſuperioris. nanque facta, quæcunque ſunt cõmutabilia vel ad vſum vitæ, vel ad quęſtum; rependi poſſunt tam factis, quàm datis: & in eo, quod attinet ad propoſitum, hæc facta operæ ſunt aut naturalium duntaxat facultatum corporis, animi'ue; aut etiam artium, virtutum, ſcientiarum. Hactenus ſimplices modi, diſtinctis inter ſe generibus permutationis. Exiſtunt verò & hiſce permixtis compoſiti quidam, vt emphyteuſis, & ſocietas. In emphyteuſi, cuius ſpecies quædam eſt, quod feudum appellant, datur res aliqua ſimul vt aliquid fiat ad conſeruandã eam, colendamque, ac reddendam meliorem, ſimul vt aliquid detur rei, aut operæ, aut pecuniarum. In ſocietate conferuntur ab vtroque numi, aut res, aut operæ; vel ab altero res, numi'ue, ab altero operę ad aliquod opus, & emolumentum vtriuſque cõmune. Tam latè patet permutatio: totque, ac talia genera, formas'ue, ac modos formarum præcipuos comprehẽdit: pręcipuos, inquam, nam & alij extrinſecus his adiungi, à rebus ducti accidentarijs; & ipſi rurſus in alios diuidi poſſent. Horum autem modorum, quicunque in vniuerſum aliquid quærunt præter permutationem, quaſi præmiũ permutationis; ob idipſum, quia non permutationem, ſed ex permutatione quærunt, & comparant aliquid; quæſtum efficiunt; pertinentque ad pecuniariam, quę in primis eſt ratio, & diſciplina quęſtuum

Tria tantùm ſunt genera permutationũ, nõ quatuor.

Permutatio facti cum facto, & eius modi.

Modi cõpoſiti permutatiõ is, ſeu cõtractuũ ob cauſam.

Emphyteuſis.

Feudum.

Societas.

Concluſio de modis permutationis late ſumpta.

Qui modi permutationis in vniuerſũ quęſtum efficiat, cauſamq́; pecuniariã conſtituãt, & qui minimè: quod ſuit propoſitũ oſtendere.

comparan-

comparandorum: quicunque verò permutatione contenti ſunt ob vitæ vſus, nihil aliud poſcentes; alieni ſunt, ut à quæſtu, ita etiam à pecuniaria. Hinc natum eſt genus pecuniariæ cauponatricis, formulas, legesque tradens, ac modos dirigens, quibus permutando, & cauponando quæſtum faciamus. Et ſubſunt quidem hac de cauſa pecuniariæ cauponatrici modi omnes permutationis, vnde aliquid acquiritur. Cæterùm tres ex omnibus, maximè quæſtuoſos, & faciliores, vulgatioresq; deliget Philoſophus, quos illi ſubijciat. Horum vnus eſt, qui, in emendo, & vendendo reſidens, mercaturam, tresque eius formas aperit: alter, qui in fœnerando totaque ratione numularia parit fœnerationem, & collybiſticam: tertius, qui in locatione operarum vel ſolius corporis, vel quarũdam animi naturalium facultatum, vel artiũ ſordidarum, aut liberalium, vel virtutum; quandò & liberalibus artibus, & quodammodo virtutibus contra earum naturam multi abutuntur; mercenariam gignit. Sed de his omnibus, vt dixi, poſtea.

Quot modos ex ijs omnibus, ꝗ cauponiam pecuniariã conſtituunt, deligat, & ſubijciat illi nominatim Philoſophus, quibúsq; de cauſis:

Totius de cauponia pecuniaria diſputationis duæ ſunt partes.

Propoſitio, & cum ea nomen quoddam, & comparatio huius cum genere ſuperiori. Caput xviij. tex. 90. *

Origo cauponiæ pecuniariæ. Caput xix. tex. 91. *

CA-

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM. TEXT. XC.

Propoſitio, & cum ea nomen, ratio nominis, comparatioque huius pecuniariæ cum ſuperiori ex vicinitate, ac duabus differentijs, quarum vna opus, & finem, altera cauſam ſpectat. Nomen eſt pecuniaria κατ' ἐξοχὴν. Ratio huius nominis, quòd rem, & diuitias amplificandi hæc pecuniaria nullum terminum habet. Comparatio, vtrum ſint idem, an diuerſa genera: putari idem facit earum vicinitas: diuerſa eſſe liquet ex differentijs: quarum duæ hic tanguntur: vna, cauſæ; quòd ſuperior naturâ; hæc non naturâ, ſed experientiâ, & arte exiſtat: altera operis, & finis; quòd illa habeat; hæc non habeat terminum rei amplicificandæ.

Text: xc.

[a] Ἔστι δὲ γένος ἄλλο κτητικῆς, [b] ἣν μάλιστα καλοῦσι, καὶ δίκαιον* αὐτὸ καλεῖν χρηματιστικήν· [c] δι' ἣν οὐδὲν δοκεῖ πέρας εἶναι πλούτου καὶ κτήσεως. [d] ἣν ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῇ λεχθείσῃ πολλοὶ νομίζουσι διὰ τὴν γειτνίασιν. [e] ἔστι δ' οὔτε ἡ αὐτὴ τῇ εἰρημένῃ, [f] οὔτε πόρρω ἐκείνης. [g] ἔστι δ' ἡ μὲν φύσει· [h] ἡ δ' οὐ φύσει αὐτῶν, [i] ἀλλὰ δι' ἐμπειρίας τινὸς καὶ τέχνης γίνεται μᾶλλον. [k] λάβωμεν δὲ περὶ αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐντεῦθεν.

* In quibuſdam exemplaribus legitur οὕτω.

[a] Eſt autem genus aliud * rationis rei procurandæ; [b] quam maximè vocant, & iuſtum eſt ipſum vocare pecuniariam; [c] propter quam nullus videtur eſſe terminus diuitiarum, & rei. [d] quam vt vnam, eandemq; cum ea, quę dicta eſt, multi cenſent ob vicinitatem. [e] eſt autem neque eadem cum ea, quæ dicta eſt; [f] nec procul ab illa. [g] & eſt ipſarum altera quidem naturâ; [h] altera verò nõ naturâ, [i] ſed per expetientiãm quandam, & artem fit magis. [k] ſumamus autem hinc initium de ipſa.

* κτητικῆς.

c. Elicitiũ: pecuniariã cauponatricẽ nullũ habere terminũ amplificandi rem & diuitias.

d. Ob vicinitatẽ. idem infrà tex. 107.

EXPLANATIO.

PARTES textus quinque. Prima (a b) nomẽ exponit, & rationem eius nominis indicat. Secunda (c) exprimit magis hanc nominis rationem; in qua conſiſtit altera differentia huius, & ſuperioris pecuniariæ, ſpectans opus, & finem. Tertia (d e f) comparat inter ſe has duas pecuniarias, quærens vtrum ſint idem, an varia genera; definiensque, quòd neque idem ſint, nec valde diſtantia. Quarta (g h i) tradit alteram differentiam, quæ cauſas reſpicit. Quinta (k) proponit propriè diſputationem de hac pecuniaria.

Partes textus.

SCHOLIA.

Differunt hæc duo genera pecuniariæ. Syntaxis verborum.

Eſt autem genus aliud. Ergo falluntur, qui eandem hanc, & ſuperiorem putant.

Quam maximè vocant pecuniariam. Refertur hoc pronomen, quam, ἣν, fœminini generis ad proximum nomen, κτητικῆς, non ad remotum, γένος. quod autem interponitur, *& iuſtum eſt ipſum vocare*, referendum eſt ad illud remotum, γένος: & quod ſequitur, *propter quam*, rurſus ad proxima vocabula, κτητικῆς, ἣν χρηματιστικήν. Loquendi modus haud familiaris Ariſtoteli, vbique puræ, & illuſtris breuitatis cultori. Poſſumus autem intelligere vel vocari hanc formam maximè pecuniariam, vt hoc ſit nomen, maximè pecuniaria: vel maximè, ideſt potiſsimùm, & quaſi κατ' ἐξοχὴν pecuniariam hanc formam vocari, vt ei nomen pecuniariæ per excellentiam tribuatur, quemadmodum tribuitur Homero per excellentiam nomen Poetæ. quam ſecundam interpretationem magis probo.

Maximè vocari pecuniariã, quomodo.

Cur dicatũ hæc forma maximè pecuniaria.

Dicitur ſanè hæc forma maximè pecuniaria: nam pecuniaria etiam eſt, & pecuniam ideſt rem parat ratio alimentaria; ſed hęc, quæ in numis, & omnino in permutatione vertitur, vberiorem. Proponit autem hoc vocabulum potius, quàm vllum aliorũ hoc in loco Philoſophus; propterea quòd magis, quàm vllum aliorum, deſeruit rebus, quæ conſtituuntur, vt per ſe liquet.

Pecuniaria cauponia nullum, alimẽtaria certum & ſtatutum terminum habet. Propter pecuniariã cauponiã nullus vĩ eſſe termin⁹ pecuniarũ et rei.

Propter quam nullus videtur eſſe terminus &c. Hæc pecuniaria cauponia nullum habet terminum: ſuperior alimentaria certum, & ſtatutum terminum habet rei, & diuitiarum. Cauſa huius differentiæ explicata eſt ſuprà. *In com. 88.* Sed quia huic nullus ſit terminus, quam vocant maximè pecuniariam, arbitrantur multi pecuniarię ſimpliciter, ac vniuersè terminum nullum eſſe. propter hanc igitur pecuniariam nullus videtur eſſe terminus diuitiarum, & rei.

Horũ duorũ generũ pecuniaria vicinitas, et differentia.

Ob vicinitatem. Vicina eſt, & affinis hæc pecuniaria ſuperiori. ambæ enim ad extremum eôdem tendunt, vt ſuppetant nobis neceſſaria, commodeque, ac iucundè viuamus. Sed alimentaria ſtatim, ac per ſe hæc ſuppeditat: cauponatrix numorum, & permutationis auxilio.

Tria diſcrimina cauponię, et alimẽtarię pecuniariæ: vnũ ab actibus formalib⁹: alterũ à cauſis: tertiũ ab ope, et fine.

Eſt autem neque eadem cum ea, quæ dicta eſt. Multa ſunt diſcrimina inter has pecuniarias. Illud primum, de quo dictũ eſt in ſcholio antecedenti, ab intimis actibus, & quaſi formis earum pendens. Secundum illud verò hæc duo, quæ hîc proponuntur. diſtingui enim, definirique maximè vnaquæque res ſolet ſecundum formam, & actum ſubſtantialem, etiam cauſa, & opere.

Duplex vſus verũ, quæ ſunt in bonis. Cauponia pecuniaria nõ naturâ, ſed per experientiam quandam artemq; exiſtit. ἐμπειρίας, & experientiæ vocabula.

Non naturâ, ſed per experientiam quandam, & artem. Dupliciter vtimur rebus, quæ ſunt nobis in bonis, quod mox Philoſophus dicet; vel fruendo ipſis, vt inſtituit natura; vel eas permutando. Primus vſus eſt prorſus naturalis. Secundus quodammodo naturalis, ſi non abutamur. abutimur autem permutatione, quom ex ea quæſtum facere, & amplificare rem volumus. Non exiſtit igitur naturâ hæc pecuniaria, quæ permutãdo quęſtum facit. non exiſtit naturâ: ergo ratione, & conuentu humano exiſtit: ergo arte quadam, hoc eſt norma rationis dirigitur: &, ſi arte, neceſſariò etiã experiẽtiâ, quæ eſt principium artis, vt expoſitũ eſt ſub initium primi Diuinorum. Experientia eſt græcè ἐμπειρία. Hæc magis latinè vſus verteretur: ſed verto experientiam, ſecernens eam ἀπὸ τῆς χρήσεως, quæ vſum propriè ſignificat.

Textus

Textus c x.

Origo cauponiæ pecuniariæ.

CAPVT XIX.

Origo pecuniariæ cauponiæ ſeu commutatitiæ.

Ἑκάστου γὰρ κτήματος διττὴ &c. Tex. c x i. ad c x v i i.

SCHOLIVM.

In tex. 91. RES, quæ in bonis eſſe poſſunt, ſuum vnaquæque, & proprium vſum habet ad neceſſitates noſtras, vitamque commodè, ac iucundè degendam. Euenit autem neceſſariò, vbi hæ res ſunt in bonis, ideſt vbi ſunt diſtincta dominia, vt alijs, atque alijs hominibus quarundam plus, quarundam minus earum adſit, quàm vſibus proprijs ipſarum ſufficiat. Quòd ſi quæ tibi ſuperſunt, deſunt mihi; & contrà quæ mihi ſuperſunt, deſunt tibi; docet nos ratio naturalis permutationē earum inter nos facere, quantum ad indigentias noſtras ſit ſatis. *Permutationis ſimplicis origo, neceſſitas, & cauſa.*

Tex. 93. Hæc itaque permutatio naturalis, & neceſſaria non in domibus, &, ſi quæ aliæ ſint ſocietates, in quibus omnia ſint communia; ſed in reliquis, in quibus ſunt cuique parti ſeparata, & propria, ob indigentiam, & imbecillitatem naturæ noſtræ cœpit initio exerceri ſimpliciter ad ſupplementum indigentiæ, non ad quæſtum; & ijſdem illis exerceri

Tex. 95. rebus, quæ deſyderabātur, ac ſuperfluebant. Deinde quia difficile erat quotidie inuenire, cui redundarent, quibus egeret alter; deeſſent, quibus abūdaret; tum difficilius, hoc inuento, res permutandas exæquari, ſine qua exæquatione *Permutationis nummulariæ origo & cauſa. Nummus quot, & quibus de cauſis, adinuentus.*

 nec

necd iuturna, nec vera permutatio eſſe poteſt; tandē multo difficilius cum exteris regionibus permutationem facere; exportatis ſemper ad eas rebus, quibus nos abūdaremus, illę egerent; & inuectis inde, quibus egeremus, illę abundarent; occurſum eſt his difficultatibus, introducto numi vſu, primum rudis, poſtea ſignati. Hic .n. ex hominum pacto, legeq; vnde eſt ipſi nomen, tanquam menſura quædam communis rerum omnium, quę poſſunt permutari; metitur, ac exęquat eas quantumuis diſpares: interueniensq; pro indigentia veluti fideiuſſor in futurā permutationem, ei, apud quem ſit, quacunque re, & quocunque tempore eguerit, illius copiam fore, ſi ſe tradiderit pro illa; obuium quenque, quibus aliqua ſuperſunt, licet non egeat tunc noſtris, nec fortaſſe alijs, ad ea nobiſcum cum ipſo permutanda, cogitatione futuræ inopiæ, propemodum impellit: demum commodiſsime, & nullo pene negotio, ſi cū alijs rebus, quarum eſt vſus in vita, compararetur; mittitur, deferturq; ad quęuis loca. Adinuento his de cauſis numo ad neceſſariam permutationem, ſine qua ciuilis ſocietas nulla eſſet: quom expeditiùs, &, quia expeditiùs, crebriùs in dies homines permutarent; animaduerſum eſt ex hac frequēti, facilique permutatione lucrum aliquando fieri. Qua re animaduerſa, incœperunt permutantes non ſolum præſentium mercium, verumetiam futurarum ęſtimationem circumſpectare. Hoc quum ſæpius ſucceſsiſſet; quęſtuique omnino eſſe cernerētur permutatio, ſi ratione adminiſtraretur: paulatim ex frequenti vſu regulę factę ſunt; ac veluti ars quędam conſtituta, inſtruens permutantes, vnde, & quibus modis plus, vnde, & quibus minus lucri, aut damni conſequeretur. Hæc fuit origo, & incrementum pecuniarię cauponię. Quę ob id in numis, alijsque rebus, quę numis ęqualem vim habent, ac facilè permutātur, precipuè vertitur, tanquam in ſua propria materia: tum pro fine principali proponit ſibi quęſtum, & amplificationem rei, preſertim numorum; ſicut alimentaria vſum ſibi proponebat.

Numi vtilitates.

Ex permutatione numularia quomodo orta pecuniaria cauponatrix.

Text. 96.

Pecuniaria cauponatricis materia, et finis principalis.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: XCI.

Hypotheſis quadam, & principium dicendorum. Duplicem cuiuſque rei, quæ habetur in bonis, per ſe vſum eſſe; vnum proprium, quo propriè re illa vtimur ad eum finem, ad quem facta eſt; alterum non proprium, & communem omnium, quæ in bonis habentur, qui eſt permutatio: cuius permutationis etiam materia, & cauſa explicantur. Loci, & argumenta tria. Vnum expoſitorium in calceo, probans hypotheſin vniuerſam. Alterum, & tertium oſtendentia propriè poſteriorem eius partem; quòd permutatio ſit vſus non proprius huius, aut illius rei, ſed communis omnium, quæ in bonis habentur; quòdque ſit vſus earum ſecundum ſe: illud ex materia permutationis ducitur; quæ materia ſunt res huius modi, ideſt quæ habentur in bonis: hoc ducitur ab origine, & cauſa; quoniam permutatio originem, & cauſam habeat naturalem, cœpta ex eo, quòd partim plus, partim minus iſtarum rerum, quàm ſatis ſit ad proprios vſus, homines haberent.

Text. xcj. [a]Ἑκάστου γὰρ κτήματος διττὴ ἡ χρῆσίς ἐστιν: [b]ἀμφότεραι δὲ, καθ' αὐτὸ μὲν· [c]ἀλλ' οὐχ ὁμοίως καθ' αὐτό, [d]ἀλλ' ἡ μὲν οἰκεία, [e]ἡ δ' οὐκ οἰκεία τοῦ πράγματος: [f]οἷον ὑποδήματος, ἥτε ὑπόδεσις, [g]καὶ ἡ μεταβλητική. [h]ἀμφότεραι γὰρ ὑποδήματος χρήσεις. [i]καὶ γὰρ ὁ ἀλλαττόμενος τῷ δεομένῳ ὑποδήματος, [k]ἀντὶ νομίσματος, [l]ἢ τροφῆς, [m]χρῆται τῷ ὑποδήματι, ᾗ ὑπόδημα, [n]ἀλλ' οὐ τὴν οἰκείαν χρῆσιν: [o]οὐ γὰρ ἀλλαγῆς ἕνεκεν γέγονε. [p]τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ περὶ τῶν ἄλλων κτημάτων. [q]ἔστι γὰρ ἡ μεταβλητικὴ πάντων, [r]ἀρξαμένη τὸ μὲν πρῶτον ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν, [s]τῷ τὰ μὲν πλείω, [t]τὰ δὲ ἐλάττω τῶν ἱκανῶν ἔχειν τοὺς ἀνθρώπους.

** κτήματος, rei quæ in bonis habetur.* · ** ἡ μεταβλητική.* · ** ἡ μεταβλητική.*

[a]Vniuſcuiuſque enim *rei, quæ in bonis habetur, duplex eſt vſus; [b]atque vterque quidem per ſe; [c]ſed non ſimiliter per ſe, [d]verùm alter proprius, [e]alter non proprius eius rei: [f]veluti calcei, calceâtuſque, [g]& *permutatio. [h]vterque enim eſt calcei vſus. [i]etenim qui cum eo, qui calceo eget, [k]pro numo, [l]aut alimento permutat, [m]vtitur calceo quâ calceus eſt, [n]ſed non proprio vſu: [o]non enim permutationis causâ eſt factus. [p]idem autem euenit & in alijs rebus, quæ in bonis habentur. [q]eſt enim omnium *permutatio, [r]cœpta quidẽ primùm ex eo, quod eſt ſecundum naturam, [s]quia alia plura, [t]alia pauciora, quàm quæ ſatis ſint, homines habeant.

k. l. Elicitur, duos eſſe modos permutationis rerum, vnã rei cũ re, alterum rei cũ numo.

q. Elicit, materiã propriã permutationis eſſe res, quæ in bonis habẽtur.

E X P L A N A T I O.

a. & inde. [a]Omnivm rerum, quæ in bonis habentur, communis finis eſt ſupplementum noſtrę indigentiæ; proprius cuiuſque earum, ſupplementum propriè huius, & illius indigentiæ noſtræ. Et quoniam finem ſemper vſus antecedit: [a]hinc fit vt dupliciter vnaquaque eiuſmodi rerum vti homines poſſint: [d]vno modo propriè ad proprium ſuum finem, ideſt ad ſupplen-

Hypotheſis de duplici fine, et duplici vſu p ſe, proprio, & communi, τῶν κτημάτων.

dam

Primũ argumentum expoſitorũ in calceo.

dam hanc indigentiam, cuius cauſâ natura, vel ars rem illam efficit, [f] vt ſi calceo pedem induamus: [e] altero communiter ad finem generalem, & ad ſupplendam indigẽtiam alius κτήματος, vel etiam ſuam, ſed aut forma alia, aut alio tempore; [g] vt ſi calceum item pro tritico, numis'ue permutemus, quibus vel triticum, vel calceum alius formæ, aut verò eiuſdem, cæterùm tempore alio emamus. [f] Sunt igitur ambo iſti vſus, & quom pes induitur, & quom fit permutatio, vſus calcei per ſe, quatenusq́; calceus, atque in genere eſt τῶν κτημάτων; quia ambo ſupplent indigentiam noſtram præſentem, aut futuram, ad quem finem κτήματα omnia diriguntur: ſuntq́; hac ratione inter ſe ſimiles; quia neuter eſt vſus ex accidenti. [c] Attamen non eodem pacto vterque eſt per ſe calcei, & quatenus calceus eſt: ſed primus verè, & ſimpliciter; proptereaquòd proprius, perpetuusq́; ſit calcei vſus, ac finis, in nullam aliam rem cadens. Ob hoc enim ſolùm, ſemperq́; conficitur calceus, vt ſit indumentum pedis: atque hæc eſt eius natura, & ratio. quòd ſi calceolarij calceos facere, vt vendant, numosq́; pro ijs recipiant, principaliter videntur: hic certè eſt finis non calceorum, ſed calceolariorum, à primo vſu ad ſecundum proficiſcentium, quo indigentias ſuas ſubleuent reliquarum rerum vitæ humanæ accommodatarum.

Ambo iſti vſ *τῶν κτημάτων ſunt vſus eorum, per ſe, & quatenus ſũt κτήματα.* *Quo pacto prior vſus q proprius dicitur κτήματος cuiuſque, ſit vſus per ſe.*

[g. i. k. l. m. n.] [f. & inde.] [c. d. e.]

Quibus modis poſterior vſus, qui eſt permutatio, ſit vſus per ſe, nec tamen proprius, ſed cõmunis.

[e] Hic autem ſecundus vſus calcei, ſitus in permutando ad ſupplendam quamlibet indigentiam, non amplius, quia ſit proprius, perpetuusq́; calcei vſus, [m] imò contrà, quia communis ſit omnium κτημάτων, in quibus calceus numeratur, eſt vſus calcei per ſe, & quatenus eſt calceus, hoc eſt quatenus eſt quoddam κτῆμα, huicq́; generi ſubeſt, cuius finis eſt in vniuerſum ſupplere indigentiam humanam. Vel eſt vſus calcei per ſe hæc calcei permutatio: quoniam eo ipſo tempore, & modo, quo calceus permutatur, verè calcei per ſe, & quà calceus eſt, permutatio fiat; quod eſt calcei proprium euadere. Si enim alia res eſſet, non calceus, quom permutatur; haudquaquam permutaretur: quippe indiget tunc propriè calceo, & calceum vult, non rem aliam, qui numos, aut vinum tradit pro calceo. Vel igitur ex genere, & reſpectu tradentis calceum, vel ex tempore, & reſpectu calceum accipientis dicitur permutatio vſus calcei per ſe, & quatenus eſt calceus. [p] Quod declarauimus in calceo de duplici vſu per ſe, vno proprio, altero non proprio, & communi; verum eſt in cæteris quoque rebus, quæ in bonis habentur. Sicut enim calcei; ſic cuiuſque reliquarum, & iiſdem modis fieri poteſt permutatio. Hęc de tota hypotheſi. [q] Poſterioris autem eius partis, ideſt quòd permutatio ſit vſus non proprius cuiuſque, ſed communis omnium rerum, quę in bonis habentur; quòdq́; ſit per ſe vſus earum; oſtendamus rurſus illud ex materia; hoc ex cauſa, & origine permutationis. [q] Nam ſic rerum, quæ in bonis habentur, eſt permutatio; vt nulla ſit prorſus permutatio, ſine aliquibus huius generis rebus; nullaq́; ſit res huius generis, quæ permutari non poſſit. Sunt igitur res huius generis propria permutationis materia, vt de permutatione nunc loquimur, ideſt vt refertur permutatio ad pecuniariam. Ex quo liquet vſum hunc permutandi non eſſe proprium huius, aut illius rei, quæ permutatur, ſed communem omnium, quæ habentur in bonis, dicunturq́; à Græcis κτήματα. [r] Item permutatio, quoniam in his rebus verſatur, [s] primum ortum à natura, eoque, quod eſt ſecundum naturam, & naturæ comitatur, traxit. [t] Siquidem hominibus non æqualiter, nec pro modo indigentiæ cuiuſque iſtæ res ad vitam vtiles ſua ſponte

Illatio p. argumenti expoſitorij à calceo ad alia κτήματα.

Duo alia arg.

Secundũ arg. ex materia permutationis. *Materia propria permutationis ſunt τὰ κτήματα.*

Tertium arg. ex cauſa permutationis. *Origo, & cauſa prima permutatiõis quæ fuerit.*

[e. m. n.] [m.] [p.] [q. & inde.] [q.] [r. s. t.] [r.] [s. t.]

ſponte diſtribuuntur. Adſunt his quędam genera ipſarum, exempli gratia vinum, & triticum in maiori copia, quàm vſus eorum requirat; alia deſunt, vt iumenta, & veſtes: contrà illis iſthæc ſuperſunt; deficiunt priora: quæ ſi inuicem permutent, dantes ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum inutilia pro vtilibus; habebit facile vnuſquiſque de vnoquoque genere quantum ſibi ad viuendum ſit ſatis. hoc verò nos docet ratio naturalis. Et eſt hoc à natura tributum omni generi animantium, vt omnia, quæ vitæ eorum conducant, & quàm poſſunt facillima via, & modo inquirant,& parent. Natura igitur, ac ratio naturalis adduxerunt homines initiò ad faciendam permutationem rerum ſuperuacuarum cum deſyderatis. Quòd ſi permutatio huiuſmodi rerum naturam, ac rationem naturalem ſequitur; iam & ipſa ob hâc ipſam cauſam eſt naturalis. Quicquid autem naturale eſt; eſſe ſimul per ſe oportet eiuſdem rei, cuius eſt naturale; & eâdem ratione, qua eſt naturale.

Partes huius textus quinque. In prima (a b c d e) proponitur hypotheſis: In ſecunda (f ad o) eſt primum argumentum per expoſitionem in calceo. In tertia (p) eſt illatio huius argumenti à calceo ad alias res eiuſdem generis. In quarta (q) ponitur principium ſecundi argumenti. In quinta (r s t) ponitur principium tertij. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Sed alter quidem proprius, alter verò non proprius rei. Quicquid prædicatur vt ptoprium, prædicatur etiam per ſe: non tamen contra quicquid per ſe prædicatur, neceſſe eſt prædicari vt ptoprium. de qua re alibi dixi. *Propriŭ et per ſe inter ſe cōparata.*

Calceâtusque καὶ ἡ μεταβλητική. & infrà, *eſt enim* ἡ μεταβλητική *omnium*. Hęc vox ἡ μεταβλητική ſignificat hîc ipſam permutationem, non rationem permutandi, aut pecuniariam commutatricem. Quanquam idem non ſunt, ſed planè diuerſa permutatio, ideſt ἀλλαγή, ſeu μεταβλητική, vt nomen iſtud nunc ſumitur, & pecuniaria, ἡ κτητική, vel χρηματιστική, vel etiam χρηματιστικὴ μεταβλητική, pecuniaria commutatrix. Siquidem permutatio eſt actus: pecuniaria eſt ratio, & facultas ex illo actu rem parans. Victorius in primo loco vertit, *quom commutatur calceus*: in ſecundo, *licet permutare*. Sumetur etiam hæc eadem vox infrà in textu 94. pro permutatione. *Vox ἡ μεταβλητική quid hoc loco ſignificet.*

Pro numo, aut alimento. Duas ſpecies permutationis rerum notat; nimitum ſimplicem, quæ eſt permutatio rei cum re, & numulariam quæ eſt rei cum numo. *Duæ ſpecies permutationis.*

Vtitur calceo quà calceus eſt. Per ſe, & quâ tale nunc ἐκ παραλλήλου, quemadmodum & in tex. com. 36. P. Poſteriorum. Quomodo autem hæc idem ſint, quomodoq; diuerſa; & quibus inter ſe diſtinguantut quatuor illæ prædicandi formulæ, De omni, Per ſe, Quatenus tale, & Primò, cōficientes vniuerſale demonſtratiuum; annotaui ad illum textū com. 36 P. Poſteriorum. Non repugnat autem, calcei, quà calceus eſt, & per ſe eſſe permutationem; licet ratione generis, ideſt ex eo, quòd calceus eſt quoddam κτῆμα, in eum conueniat. nam & homo per ſe, & quà homo eſt, animal dicitur; licet ſint etiam alia animalia, atque omnia ex eo, quòd ſenſum habeant. *Per ſe, & Quà tale hic ἐκ παραλλήλου. De omni, Per ſe, Quatenus tale, & Primò vbi diſtincta. Prædicari aliqd de aliqua re, et quatenus eſt res euſmodi, et ratione generis, non eſt abſurdum.*

Cœpta quidem primùm ex eo, quod eſt ſecundum naturam. Quæritur vtrum permutatio à natura fluxerit; an pacto, & conuento humano ſit conſtituta. Philoſophus hîc originem, & cauſam mediam ei tribuit: quom ait, initium primum ipſam habuiſſe ab eo, quod eſt ſecundum naturam, hoc eſt, vt ego interptetor, à natuta humana, ſeu à ratione naturali ex deſyderio, quod communem naturam ſequitur. Subſcribunt huic ſentētiæ iutiſconſulti, aſsignantes permutationem iuri gentium, & quidem primo: quod antiquiores à naturali non diſtinxerunt. Ego inter hæc iura hanc eſſe differentiam puto, quam *Permutatio vtrum et quomodo naturâ, & cuius omnino ſit iuris.*

alibi

Iuris naturalis, & gẽtium primi, & ſecundi, & ciuilis propriæ differentia.

alibi declaraui: vt ius naturale dicatur id, quod præmonet natura communis cuius nimirum ſimulachra, ac principia in aliis quoque naturalibus rebus cernantur: ius gentium primum ſit id, quod præcipit natura hominum propria, ſeu ratio naturalis, vt appellat eam etiam Caius in l. 9. de Iuſt. & iure, omnibus hominibus naturaliter data, quæ à Theologis noſtris vocatur aliquando lumen naturale: ius gentium ſecundum ſit illud, quod dictat eadem ratio iam formata moribus; & vſu, ac peritia rerum humanarum edocta quid ſeruari debeat communiter inter omnes populos, non quid propriè inter huius, aut illius regionis incolas: à qua demum animaduerſione, quęnam his, vel illis propriè conueniant, manat ius, quod appellatur ciuile. Sic igitur permutatio ab eo, quod ſecundum naturam eſt, originem duxit, ideſt à ratione, & lumine naturali in cunctis hominibus emicante. qua quidem ratione quum initio perſpexerint, facillimè indigentiis, & deſyderiis ſuis ſuccurri poſſe, quod natura cõmunis efflagitat, ſi alter alteri conceſsiſſet, quí equid ſuperat ſibi, illi deerat, viciſsimq́ue ab eo recepiſſet, quicquid illi ſuperabat, ſibi deficiebat; permutare inuicem inutilia cum vtilibus cœperunt. Permutationem autem hîc fusè quidem intellige, cuius quatuor genera initio huius diſputationis ex Paulo iuriſconſulto enumerauimus: præcipuè tamen illud intellige genus, quod dati cum dato appellatum eſt; huiusq́ue eam partem, qua res re permutatur, & cui eſt nomen ſimplex, & abſoluta, ac prima permutatio. hæc enim re vera prima fuit, vt docet quoque idem Paulus in l. p. de Contrah. empt.

Concluſio de origine, et cauſa primæ permutationis. — *Vocabulũ permutationis quid hîc ſignificet.* — *Prima permutatio quæ.*

Locus ſimilis ex Paulo iuriſconſulto.

Quoniam alia quidem plura, alia autem pauciora &c. Eodem modo Paulus loco citato de Contrah. empt. leg. p. *quoniam plerunque euenit vt quod alteri ſupereſt alteri deſit; olim ſine numo fiebat permutatio.*

ARGVMENTVM. TEXT: XCII.

Infertur ἀνὰ μέσον, & modo corollarij, partem eam pecuniariæ, cui nomen eſt καπηλικὴ, ideſt cauponatrix, & tabernaria, ſeu commutatitia, non eſſe ſecundum naturam. Locus ab actu eius proprio, qui eſt permutatio quædam, quæ ſcilicet petit contra primæ permutationis naturam, & cauſam, non vſum, ſed quæſtum, reiq́ue amplificationem in infinitum.

Text: xcij. [a] Ἡ καὶ δῆλον, [b] ὅτι οὐκ ἔστι φύσει τῆς χρηματιστικῆς ἡ καπηλική. [c] ὅσον γὰρ ἱκανὸν αὐτοῖς, [d] ἀναγκαῖον ἦν ποιεῖσθαι τὴν ἀλλαγήν.

[a] Quo etiam perſpicuum eſt, [b] non eſſe naturâ cauponiam partem pecuniariæ. [c] quoad enim ſat ipſis forer, [d] neceſſe erat facere permutationem.

EXPLANATIO.

Repetitur de permutationis origine quomodo fuerit id, quod eſt ſecũdum naturã, dupliciter.

[a] DICTVM eſt proximè permutationem ab eo, quod ſecundum naturam eſt, initium, & originem habuiſſe, hoc eſt tum ab appetitu naturę communis nobis cum reliquis animantibus, vt vnuſquiſque, quę ſibi vtilia ſunt ad viuendum, quærat, eaque, quàm facillimè commodiſſimèq́; poteſt, ſtudeat adipiſci; tum à lumine, & vi nobis propria rationis naturalis, oſtendẽte, ſi inuicem permutemus redundantia cum ijs, quæ deſyderantur, quoniam alijs, & alijs noſtrûm alia, & alia è contrario deeſſe, ac ſuperare ſoleant, habiturũ vnumquenque quantum ſibi ad viuendum futu-

a. c. d. futurum ſit ſatis. [a]Ex quo planè liquet permutationẽ eam eſſe naturalem, qua, quod ſatis eſt, quæritur. hic enim eſt finis, conſiliumq́; naturæ, & naturalis rationis ad permutationem nos adducentis. [d]Quare permutatio vlterius tendens, nec deſinens in eo, quod eſt ſatis, naturalis non erit. eiuſmodi autem eſt permutatio pecuniariæ cauponiæ. Hæc enim pecuniaria nunquam ſatiata diuitijs, vt ſuprà diximus, quærit, paratq́; cauponando, & permutando numos, ac rem in infinitum. [b]Non eſt naturalis permutatio, quam facit pecuniaria cauponia: ergo nec ipſa cauponia pecuniaria, quæ permutationem eam facit, quatenus facit, ideſt quatenus cauponia eſt, poteſt eſſe naturalis. [d]Oporteret enim, vt eſſet naturalis, vſque eò duntaxat permutare, dum pararetur cauponanti quod ſibi ad vitæ vſum eſſet ſatis: hoc autem conditioni illius repugnat, quæ in hoc ſita eſt, vt ſemper amplificare rem ſtudeat, & quæſtum petat vberiorem. Loquitur ergo palàm Philoſophus de permutatione dati cum dato, vnde mercatura, & fœneratoria, non de facti cum dato, ex qua pendet mercenaria. quippe multi mercenariorum id ſolùm, quod ſibi ad viuendum ſit ſatis, operis ſuis quærunt, imò plerunque nec tantum, quantum ſit ſatis. Vocabulum autem ἡ καπηλικὴ, hoc eſt cauponatrix, ſeu cauponia ratio, quo nunc vtitur, & ſæpius poſthac vtetur, ſignificat quidem propriè ſpeciem quandam artificij, & pecuniariæ commutatricis, quam Plato opponit, ipſe ſubijcit mercaturæ; quidam vocant inſtitoriam artem, & φοινικικὴν; alij anguſtiùs tabernariam tantùm, quæ vinum, & eſculenta, ab alijs emens, alijs in taberna vendit, ſoletq́; in vendẽdo corrumpere; ex quo factum eſt illi nomen apud Græcos καπηλική. In hac tamen diſputatione fuſiùs vſurpatur hoc vocabulum ad ſignificandum totum genus commutatricis pecuniariæ, de quo genere nunc ſermo eſt, & quod alimentario opponitur.

Permutatio naturalis quæ, & quæ minimè.

Permutationẽ pecuniariæ cauponiæ non eſſe naturalẽ.

Cauponiam ipſam pecuniariam non eſſe naturalem.

De qua permutatione & forma pecuniariæ cauponiæ loquatur in hoc textu Philoſophus

Vocabulum καπηλικὴ, ideſt cauponia.

Partes textus duæ. In prima (a b) eſt theorema. In ſecunda (c d) argumentatio. *Partes textus.*

ARGVMENTVM. TEXT. XCIII.

In qua ſocietate cœperit fieri permutatio; & qualis, & cur. Non in prima cœpit, ſed in maiori. Cauſa, nam hic ea eſt opus, ibi minimè. Et huius differentiæ ratio ex conditione vtriuſque ſocietatis, propria ad res, quarum permutatio eſſe poteſt: nempe quòd ibi omnes vnius ſunt; & per illum reliquis quodammodo communes: hic propriæ, & inæqualiter diſtributæ aliæ alijs. Talis autem incœpit, vt vtilium ſolùm inter ſe commutarent: cuius rei tum cauſa indicatur, tum ſignum adiungitur per locum à ſimili in Barbaris.

Text: xciij. [a]Ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ κοινωνίᾳ. [b]τοῦτο δ' ἐστὶν οἰκία, [c]φανερὸν ὅτι οὐδέν ἐστιν ἔργον αὐτῆς, [d]ἀλλ' ἤδη πλείονος τῆς κοινωνίας οὔσης. [e]οἱ μὲν γὰρ τῶν αὐτῶν ἐκοινώνουν πάντων: [f]οἱ δὲ κεχωρισμένοι πολλῶν πάλιν.* καὶ ἑτέρων [g]ὧν κατὰ τὰς δεήσεις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὰς μεταδόσεις· [h]καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ καὶ τῶν βαρβαρικῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν ἀλλαγήν. [i]αὐτὰ γὰρ τὰ χρήσιμα πρὸς αὐτὰ καταλλάττονται· [k]ἐπὶ πλέον δ' οὐδέν· [l]οἷον οἶνον πρὸς σῖτον διδόντες, καὶ λαμβάνοντες, [m]καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἕκαστον.

* *Aldi. codex non hſ vocem* καὶ.

[a] In prima igitur ſocietate, [b] hoc autẽ eſt domus; [c] manifeſtum eſt, nihil opus eſſe ipſa; [d] ſed quom iam amplior ſocietas eſt. [e] nam alij quidem ipſorum communionem omnium habebant: [f] alij autem erant ſeparati multis rurſus, & diuerſis; [g] quorum neceſſe erat pro indigẽtijs *traditiones mutuas facere; [h] quemadmodum adhuc faciunt multæ Barbarorum gentes permutatione. [i] ipſa enim vtilia ijſdem commutant; [k] amplius verò nihil; [l] vt vinum pro frumento dantes, & accipientes, [m] & aliorum huiuſmodi vnunquodque.

*μεταδόσεις, communicationes, permutationes.

EXPLANATIO.

Prima ſocietas quæ, & quæ ampliores.

[b] PRIMA, minimaq́; ſocietas, quæ per ſe conſtare poſſit, vt ſuprà apparuit, eſt domus: [d] maiores, & pleniores, quæ ab ea propagantur, primùm vici, deinde ciuitates, tandem regna, & gentes, & totum genus humanum. [a] Domus (loquor de perfectiſſima) tres continet ſocietates, domini & ſerui, mariti & vxoris, patris & filiorum: eſtq́; in omnibus paterfamiliâs quaſi centrum, in quo omnes iungũtur & terminantur. idem enim ipſe eſt & dominus, & maritus, & pater. [c] Hic, vt ſeruorum, ita aliorum κτημάτων, ideſt totius rei domeſticæ verè eſt dominus: quam diſpenſat, diſtribuitq́; in ſingulos familiæ ſuæ; prout cuiuſque eorum vſus, & neceſſitas poſtulat. Quoniam igitur ſolius patrisfamiliâs res ſunt in domo, nemine aliorum habente per ſe quicquam proprij; & ſunt nihilominus participes, quoad ipſis ſat eſt ad vitę vſus, omnes omnium; hoc duplici nomine non eſt neceſſaria in domo permutatio. Primùm enim qui inuicem permutant, habere vtrique aliquid ſuum, ac proprium debent, quod permutent. deinde verò, vbi nihil deeſt, ſed habetur quantum ad viuendum eſt ſatis, minime opus eſt permutatione. [f] At in maioribus ſocietatibus dominia rerum ſunt diſtincta: nec ſingulis noſtrûm omnes res; nec æqualiter ſingula earum genera diuiduntur, vt ijs vita contenta eſſe poſſit; ſed alijs, & alijs alia, & alia; atque eadem exiliora, vberioraque, quàm pro vſibus, & indigentijs noſtris, quemadmodum diximus in tex. 91. [g] Itaque in his ſocietatibus ad leuandas inopias ſummè neceſſaria permutatio fuit: vt traderent inuicem, acciperentq́; homines, quæ ſuperarent, ac deeſſent. [g] Et hac de cauſa etiam principiò hæc permutatio ſequens indigentias, ac neceſſitates vitæ, eodẽ modo fiebat, [h] quo adhuc fit apud multas Barbaras nationes: [i] commutantibus, qui egerent, vtilia ad vitam duntaxat (quorum, quæ genera, rationesq́; ſint, ſæpe diximus) dum traderent ſemper, quod ſibi inutile, quia ſuperuacuum, at vtile accipientibus, quoniam deſyderatum à natura ipſis deeſſet; vicisſimq́; pro eo aliud acciperent diuerſi generis, inutile ſimiliter illis, ſibi vtile; [l] vt frumentum pro vino, vinum pro frumento; [k] non numum, aut quid numo ſimile. Initiò igitur permutatio talis fuit, quoniam primi homines naturę inſtinctum ſequebantur, eſtq́; hæc vera huius rei cauſa. Sed & talem hac de cauſa fuiſſe, cõfirmatur per locum à ſimili ex eo, quòd in multis Barbaris gentibus permaneat etiam nunc talis. viuunt enim Barbari, vt pueri, maximè ſecundum naturam.

Paterfamiliâs in domo eſt dominus omnium rerũ, quarũ tamen pro indigentia, vnuſquiſq́; familię eſt particeps.

In domo nec neceſſaria eſt, nec exiſtit permutatio et cur.

In maioribus ſocietatib. neceſſaria pmutatio, & cur.

Cauſa cur pmutatio initio fuerit rerum duntaxat vtiliũ, qualis nũc apud quoſdã Barbaros.

Margin: b. d. a. c. c. & e. f. g. g. pro indigẽtijs. h. i. l. k.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a b c d) proponit in prima ſocietate non eſſe opus permutatione; eſſe in maiori. Secunda (e f) rationem tradit huius differentiæ. Tertia (g per totum) aperit, cuius modi fieri cœperit initio permutatio; indicata cauſa huius rei, & adiecto argumento ex ſimili.

S C H O L I A.

Syntaxis verborum.

Nam alij quidem ipſorum communionem omnium &c. Hos, qui omnium cõmunionem habẽt, refero ego ad primam ſocietatẽ; alios, qui ſeparati ſunt multis, ad maiorem. D. Thomas, Faber, Acciaiolus vtroſque referunt ad maiorem.

Permutatione ſimplici olim vtebãtur, nõ emptione.

Neceſſe erat pro indigentijs traditiones mutuas facere. Ideſt permutatione rerum ſimplici olim vtebantur, non emptione. Hoc idem ſcribit Paulus iuriſconſultus in leg. p. de Contrah. empt. Olim non ita erat numus, inquit, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; ſed vnuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum inutilia vtilibus permutabant.

Cauſa cur permutatio primùm facta ſit ſine numo, & rerum vtiliũ ad vitam.

Pro indigentijs. Hac voce cauſam indicauit, cur initiò permutatio facta ſit ſine numo; ſed rerum duntaxat; & rerum vtilium ad vitam. nam indigentia, & neceſſitas naturalis cauſa fuit permutationis: eſt autem indigentia, & neceſſitas naturalis rerum ad vitam vtilium, non numorum: quare oportuit homines, qui naturaliter viuerent, indigentiæ ſuccurrentes, eiuſmodi ſolùm rerum permutationem feciſſe.

Columbus Petrus Martyr. & alij. Aloyſius Venetus in P. ſanrum Nauig. Franc. Aluarezius cap. 29. & alij. Olaus Magn⁹ lib. iv. cap. 5. & lib. vi. cap. 22.

Permutationũ ſimpliciũ vſus ſine numo adhuc in quibuſdam locis.

Quemadmodum adhuc faciunt &c. Ad occaſum, in eo tractu, quem nouum orbem appellant, penè toto, patrum noſtrorum memoria, antequam eò accederent Hiſpani; nullus erat numi vſus; res ipſę per ſe permutabantur. Qui mos permutationum ſimplicium obſeruatur etiam nunc in Senega, magnaque Aethiopiæ parte, quæ meridiem ſpectat: & in Bothnia quibuſdamque aliis regionibus ſeptentrionalibus, & aliis in locis. Nam quod ait Faber nullam eſſe orbis terræ partem, vbi res pro re non commutetur; verum quidem eſt, ſed à propoſito alienum. Sola enim deberet eſſe cõmutatio, quemadmodum Philoſophus loquitur: non aliquando commutatio; aliquando emptio, & venditio. Falſum quoq; eſt, quod à quibuſdam idem ſcribi ait, retineri adhuc apud Seras populos, & Garamantas hunc morem permutandi res ſine numis. Siquidem & Seres, & Sinæ, & Garamantes numorum vſum iamdiu receperunt. Pauſaniæ tamen ætate etiamnum Indi, in quibus potiſſimùm Sinæ, & Seres numerabantur, quid numus eſſet, neſciebant: licet ea pars orbis terrarum auro, & ære maximè abundaret. ſic enim ſcribit ipſe in Laconicis. vbi eadem refert, quæ hîc Philoſophus, de priſco more comparandi per commutationem, quæ quiſque vellet bobus, ſeruitiis, rudi argento, & auro ultro, citroq; datis, & acceptis. Eſt aũt hoc, quod addit Philoſophus de Barbaris, ſimul expoſitio modi, quo incœpit fieri permutatio, ſimul argumentum quòd ſic fieri incœperit.

Annotatio Fabri ad hũc locum inanis.

Alterũ Fabri dictum.

Numorũ vſu carebant Indi Pauſaniæ tẽpore.

Duplex vſus exẽpli Barbarorum in hoc loco.

Permutatio rerũ ſimplex varijs orationis formulis exprimi poteſt, quarum optimam Philoſophus elegit.

Quæſtio iuriſconſultorũ vtrum pmutatio ſimplex rerũ vtiliũ dici debeat ẽptio.

Ipſa enim vtilia ijſdem commutant. Vtilia vtilibus commutant, inquit Philoſophus. Paulus iuriſconſultus in lege paulo antè citata, contrario modo: inutilia utilibus permutabant. Et tertio quoque modo dici poſſet: inutilia, inutilibus permutari. Quom enim do vinum, quod mihi ſupereſt, tibi deeſt vt triticum, quod è diuerſo tibi ſupereſt, deeſt mihi, accipiam; & uinum, mihi inutile, tritico, inutili tibi; & vinum, vtile tibi, tritico, vtili mihi; & uinum, inutile mihi, tritico, vtili tibi permuto. At maximè propriè dicimus utile utili permutari. quia hoc eſt primum propoſitum vtriuſque noſtrum; vt, quo indigemus, id conſequamur. Quærunt autem iuriſconſulti vtrum hęc reciproca traditio rerum vtilium, quibus uterque egemus, dici hodie quoque ſine numis emptio, & venditio debeat, quemadmodum ab Homero, & ab aliis aliquando appellata eſt. Sabinus, & Caſſius eſſe emptionem & venditionem putarunt: Nerua, & Proculus permutationem eſſe, non emptionem. Vtraq; ſchola teſte Homero vtebatur, citatis ad hoc eius carminibus. Et prior quidem uoluntatem, ac propoſitum cõtrahentium reſpiciebat: quod propoſitum in permutatione huius generis rerum vtilium, & in emptione idem eſt; com-

 parandi

parandi nimirum ea ſibi, quibus emptor, & permutator æque indigent. Poſterior, autem ſchola ſpectat vim, & naturam huius contractus, quam emptionem dicimus: cuius ſanè proprium eſt, vt in ea numus adhibeatur, tanquam æſtimator præſentis, & fideiuſſor futuræ permutationis. De hac controuerſia Paulus in leg. p. de Contrah. empt. Et Iuſtinianus Inſt. eodem tt. §. item pretium: Doctoreſque omnes ad ea loca, ſequentes poſteriorem ſententiam.

Numorum inutilitas naturalis. *Vltra verò nihil.* Obtulit Benzonius Indo cuidam Cartagenæ, quæ eſt regio noui orbis, numum argenteum pro pullo gallinaceo. Ille, accepto numo, ſubdidit eum dentibus, quaſi comeſturus: ac ſtatim reddito, Chriſtiane, inquit, hac te opus non habeo: ſi tu pullo indiges, & tradi à me tibi velis; da aliquid contrà, quo ego indigeam. Sic inutiles numos eſſe, cupiditatemque eorum inanem ad naturam, oſtendit. *Hieronymus Benzonius in lib. 9. Hiſtor. noui orbis.*

ARGVMENTVM. TEXT. XCIIII.

Permutationem huiuſmodi, id eſt ſimplicem nec præter naturam eſſe, nec ſpeciem vllam pecuniariæ. Locus à proprio ipſius munere, & fine: quod eſt explere id, quod ſecundum naturam eſt ſatis.

Text: xciiij. [a] Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη μεταβλητικὴ, οὔτε παρὰ φύσιν, [b] οὔτε χρηματιστικῆς ἐστιν εἶδος οὐδέν, [c] εἰς ἀναπλήρωσιν γὰρ τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας ἦν.

[a] Huiuſmodi quidem igitur * permutatio neq; prçter naturam, [b] neque pecuniariæ ſpecies vlla eſt. [c] in expletionem nanque erat ſufficientiæ ſecundum naturam. * μεταβλητικὴ.

E X P L A N A T I O.

Antecedēs argumētationis, & eius firmamentum. [c] Proprium munus, & finem ſimplicis permutationis eſſe expletionem eius, quod ſecundum naturam eſt Satis, [c] liquet ex ſuperioribus tribus textibus. ſiquidem pro indigentijs, & quoad ſatis eſſet nobis ad viuendum ſecundum naturam, fiebat hæc permutatio. [a] ergo non eſt hçc permutatio præter naturam: [b] & adhuc, ergo non eſt ſpecies vlla pecuniariæ, nec vllo modo pertinens ad pecuniariam. [a] Primum connexum euidens. vnde enim natura habet id, quod eſt ſatis, & quo contenta eſſe queat; illud, quaſi adiuuans, perficienſq; ipſam naturam, præter naturam eſſe omnino nō poteſt. Secundum connexū item notum. nam pecuniaria omnis tam alimentaria, quàm commutatitia, & cauponia non ſolùm ſupplet id, quod deeſt, & τὴν κατὰ φύσιν αὐτάρκειαν, ſed etiam quæſtum facit aut rerum ad vitam, victumq; per ſe pertinentium, aut numorum. *Duo conſequentia. Primi connexi firmamētum. Secūdi cōnexi firmamētum.* c. erat. a. b. a.

Partes textus. Partes textus tres. Prima, & ſecunda proponunt duo theoremata. Tertia rationem vtriuſque per locum à munere, & fine.

S C H O L I A.

Vox μεταβλητικὴ. *Huiuſmodi igitur permutatio.* Vox ἡ μεταβλητικὴ propriè quidem ſignificat rationem, & artem permutādi at hîc ſumitur pro ipſa permutatione, ſicut etiam ſuprà ſumebatur in tex. 91.

Permutatio ſimplex nō eſt ſpecies vlla pecuniariæ. *Neq; pecuniariæ ſpecies vlla eſt.* D. Thomas, & alij intelligūt nō eſſe permutationē ſpeciem vllam pecuniariæ cauponiæ. affertq; rationem D. Thomas: quoniā numis non exerceatur. Ego fuſiùs nec cauponiæ, nec alimentariæ ſpeciem eſſe. Et ratio communis ſumitur ex verbis Philoſophi, vt in explanatione declaraui.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: XCV.

Quo modo, quibuſq́ue de cauſis ex permutatione ſimplici, ac naturalem ortum habente, altera ſecundum rationem, quæ in locum illius ſucceſſit, ideſt numularia, atque numus ipſe primùm rudis, deinde ſignatus extiterint: expoſitis interim quatuor conditionibus, duabus materiæ, duabusq́ue quaſi formæ numorum. Cauſæ tres: difficultas permutandi ſimpliciter: ratio conſiliaria huic difficultati ſuccurrere ſtudens: & pactum tale. Modus: neceſſe erat permutationem facere etiam cum exteris regionibus in varios vitæ vſus: hæc autem ſimplex eſſe non poterat ob difficilem plurimarum rerum aſportationem: quare excogitarunt homines, pactiq́ue ſunt, ad permutationes expedite quouis loco, & tempore faciendas, alicui rerum vtilium, cuius facilis in vita tractatio eſſet, affingere pretium omnium aliarum, diuidendo illam in partes, definiendoq́ue quanque partem primùm magnitudine, deinde pondere, ac tandem appoſita nota, quæ, ipſius quantitatem deſignans, metiendi moleſtia eos liberaret. Conditiones materiæ numorum, vt ſit vna rerum vtilium; vt habeat vſum tractabilem. Conditiones quaſi formæ, vt communis conſenſus vim ei attribuerit cõtinendi reliqua omnia vtilia; vt ſit diuiſa in partes certarum quantitatum.

Text. xcv. [a] Ἐκ μέντοι ταύτης ἐγένετο ἐκείνη κατὰ λόγον. [b] ξενικωτέρας γὰρ γινομένης τῆς βοηθείας [c] τῷ εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς, [d] καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον· [e] ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπορίσθη χρῆσις. [f] οὐ γὰρ εὐβάστακτον ἕκαστον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων: [g] διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς [h] τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι, καὶ λαμβάνειν, [i] ὅ, τῶν χρησίμων αὐτὸ ὄν, [k] εἶχε τὴν χρείαν εὐμεταχείριστον πρὸς τὸ ζῆν· [l] οἷον σίδηρος, [m] καὶ ἄργυρος, [n] κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον· [o] τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει, [p] καὶ σταθμῷ· [q] τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, [r] ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς. [s] ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον.

[a] Ex hac tamen nata eſt illa ſecundum rationem. [b] quum enim peregrinum proueniret auxilium, [c] inferendo, quorum indigi erant, [d] & emittendo, quibus abundabant; [e] neceſſariò numi inuentus eſt vſus: [f] non enim facile portatu eſt vnunquodque eorum, quæ ſecundum naturam ſunt neceſſaria: [g] quaprorpter ad permutationes [h] tale quid pacti ſunt inter ſe dare, & accipere, [i] quod, quum ipſum eſſet de numero vtilium, [k] habebat vſum tractabilem ad vitam; [l] quale eſt ferrum, [m] & argentum, [n] & ſi quid eſt aliud huiuſmodi; [o] primùm quidem ſimpliciter definitum magnitudine, [p] & pondere; [q] poſtremò autem & charactere adiecto, [r] vt liberet ipſos menſione. [s] character .n. eſt poſitus quãtitatis ſignum.

EXPLANATIO.

Partes textus.

Partes huius textus quatuor. Prima (a) quaſi proponit ea, quæ in his duobus textibus ſunt explicanda: ſed vnà tradit veram, & præcipuam cauſam numulariæ permutationis, atque cauponij generis pecuniariæ, quæ eſt conſiliaria ratio. Secunda pars (b c d e f) exponit alteram cauſam, quę eſt difficultas rerum ſimpliciter permutãdarum. Tertia (g h i k l m n) narrat poſtremam cauſam, quę conſiſtit in tali pacto, primamq́; conditionem aperit formæ numorum, & ambas materię, quę materiæ conditiones confirmantur exemplis. Quarta (o p q r s) exponit alteram condinetionem formæ numorum, & tres gradus eius deinceps procedente tempore excogitatos, alium alio magis idoneum ad iuſtiorem, commodioremq́; permutationem faciendam.

SCHOLIA.

Series huius et ſuperiorũ textuum. — *Conſiliũ Philoſophi in hoc loco.* — *Ratio humana duplex vna prima et naturalis altera ſecunda & conſiliaria.*

Ex hac tamen nata eſt illa ſecundum rationem. Concluſerat proximo in textu permutationem ſimplicem, quam ſuprà in textu 91. dictum fuit ex eo, quod eſt ſecundum naturam, ideſt à natura noſtra, tandemque à ratione, & lumine naturali orrum habuiſſe; nec eſſe præter naturam, nec ſpeciem vllam eſſe pecuniariæ, aut vllomodo ad pecuniariam attinere. Hic igitur progrediens ad reliqua, obijcientis ſibi quod contrà afferri poſſet, & obiectum diluentis in modum; coniungit, coercetque orationem coniunctione aduerſante, *tamen*, quę reſpondet alteri coniunctioni, *quidem*, poſitæ in principio textus ſuperioris. Quaſi ſic dicat: Quanquam à natura, & ratione naturali profecta eſt ſimplex permutatio, hacque de cauſa differt à permutatione numularia, quæ nullo modo à natura, naturaliue ratione, & lumine manat, ſed à ratione formata moribus, vſuque, ac peritia rerum humanarum, quam ob id conſiliariam rationem appellare poſſumus: quanquam, inquam, diuerſa eſt permutatio ſimplex, & naturalis à numularia, & rationali, nec eſt per ſe ſpecies vlla pecuniariæ, aut vllo modo pertinens ad pecuniariam: tamen ex hac ſimplici, naturalique permutatione nata eſt illa numularia, & rationalis, quam ſcilicet ratio conſiliaria ex ea eduxit: nec ſolùm nata eſt numularia permutatio ex permutatione ſimplici; ſed per numulariam permutationem demum cauponia pars pecuniariæ facultatis, producente ambas ratione cõſiliaria. Sic ergo verba iſta interpretor: *Ex hac*, ideſt ex permutatione ſimplici *nata eſt illa ſecundum rationem*, nata eſt altera permutatio, quam numulariam appellamus: & rurſus *nata eſt illa*, nata eſt pecuniaria cauponia poſt numulariam, & ex numularia permutatione; quarum vtranque genuit ratio ex permutatione ſimplici, vt in hoc, & in ſubſequenti textu oſtendetur. Sunt enim hæc verba, ſi iſtoc pacto exponas, propoſitio communis eorum, quę in his duobus textibus traduntur.

Expoſitio huius loci. — *D.Thomæ ſententia de argumento huius textus.* — *Victorius quomodo vocẽ illã κατὰ λόγον.*

D.Thomas, nobiſcum conſentiens, probari hoc in textu ait, permutationem numulariam, non profectam à natura; ſed à ratione inuentam eſſe, ortamq́; ex permutatione ſimplici. Victorius uocem illam, *ſecundum rationem, ideſt κατὰ λόγον* accipit *ἀντὶ, τοῦ ἀλόγως*, pro eo, quod eſt meritò, & iure: vt modum notet, non cauſam efficientem. Ego quidem ſic ſumi *κατὰ λόγον* frequenter ſcio: ſed, cur diceretur nunc iure nata ex ſimplici permutatione permutatio altera, planè ignoro. Itaque eo libens in ſententiam D.Thomæ: natamq́ue ſecundum rationem intelligo tum permutationem numulariam, tum pecuniariam cauponiam; quòd ratio eas produxerit.

Tres cauſa, & differentes in ſimplici permutatione, ob quas num⁹ eſt adinuentus.

Quum enim peregrinum proueniret auxilium &c. Tres cauſas, ob quas numus ſit adinuentus, reſpondentes tribus difficultatibus, quæ occurrunt in ſimplici permutatione, attigimus nos in primo huius capitis ſcholio. Earum cauſarum, difficultatum'ue duæ primæ expoſitæ ſunt ab Ariſtotele in quinto cap.

v. & in

v. & in primo ix. ad Nicom. & à Paulo iuriſconſulto in l. p. de Contrah. empt. Tertiam, quæ omnium potentiſsima eſt, addit hoc in loco Philoſophus.

Inferendo quorum indigi erant &c. Quæ præſidia vitæ nobis comparentur exportatione earum rerum, quibus abundamus, & inuectione earum, quibus, indigemus; nemo ignorat. In his autem poſita eſt mercatura illa magna, & ſatis ſpecioſa, de qua poſtea.

Exportationis & inuectionis rerũ vtilitas. Mercatura ſpecioſa fundamentum.

Neceſſariò numi inuentus eſt vſus. Permutationum, vt ad præſentem locum attinet, tres formæ ſunt. Vna eſt ſimplex, qua res ſine numis inter ſe permutantur, & de qua dictum eſt ſuprà; nullo modo pertinens ad pecuniariam, ortumque habens ex eo, quod naturâ eſt. Altera forma eſt numularia neceſſaria, quam honeſtam, ac liberalem appellare poſſumus, numo emens, numoq; vendens ea, quæ deſunt tantùm, & quæ ſuperſunt iis, qui illa vtuntur ſine vlla quæſtus cupiditate. hæc ſucceſsit in locum ſuperioris, adinuenta à ratione; nec pertinet vllo modo ad pecuniariam. Tertia forma eſt cauponia, & numularia non neceſſaria: quæ, lucri faciendi, & amplificandæ pecuniæ causâ vel in emendo, & vendendo non quæ ſibi, ſed quæ aliis deſunt, ſuperſuntque, qualis eſt cauponum, inſtitorumque omnium, vel in numis commutandis, qualis argentariorum, ac fœneratorum, tota verſatur. Et hæc quidem luctoſa, illiberaliſque dici poteſt, attinens propriè ad pecuniariam cauponiam, cuius proprius eſt actus. Loquens igitur de ſecunda forma, quæ neceſſaria eſt, in præſentia Philoſophus, hacq; ipſa neceſsitate diſtinguens eã à tertia, de qua poſtea exponet; ait hic neceſſariè numi inuentum eſſe vſum: & neceſſariam permutationem hanc eandem appellabit in textu ſubſequenti.

Permutationum tres quædam formæ. Permutatio rerũ ſimplex. Permutatio numularia neceſſaria. Permutatio numularia lucroſa.

De ſecũda harũ triũ formarum permutationis hic loquitur Philoſoph⁹, et quomodo eam diſtinguat à 3.

Non enim facile portatu eſt vnunquodque &c. Hæc maxima fuit cauſarum excogitandi, & introducendi numorum vſum, quemadmodum diximus.

Maxima cauſarũ numi introducendi.

Quapropter ad permutationes tale quid pacti ſunt &c. Quo primùm tempore hoc factum ſit, & quis numorum, numulariæque permutationis auctor extiterit, dubitatur. Quidam inquiunt Phœnices pecuniam inueniſſe, ſicut & pondera, & menſuras, alij Aeginetas, alij alios nulla ferè ratione, aut teſtimonio, quod pondus habeat. Plinius in lib. xxxiij. ſcribit incognita fuiſſe Troianis temporibus emptionem, & numum: permutatione duntaxat ad ſupplendas indigentias vitæ vti homines ſolitos. Colligit hoc ex quodam loco Homeri ſub exitum vij. Iliados: quem locum ita vertit erudituſsimus Connanus

Numerum, numulariſq; permutatiõis initium quo primùm tẽpore, et quo auctore.

Plinius lib 33. Naturalis hiſtoria cap 1. Frãciſcus Connanus lib. vij. Com. cap. 5.

Quum naues Lemno veniſſent vina ferentes,
Protinus inſignes numeroſo crine Pelaſgi
Illa ſibi emerunt, ære hic, ferro'ue coruſco,
Iſte boum corijs, aut ipſis bobus, at ille
Seruis in bello captis.

Sed non ſequitur, quemadmodum idem Connanus ait: ſi res permutare illi tunc maluerunt; ob id nullum fuiſſe emptionis, ac numi vſum. Ad hoc Ilias poeſis eſt, nõ hiſtoria: & laudãdus eſt Homerus, ſi ea canit, quæ felicius æuum, & Heroum vitam, quam imitabatur, decent; licet non vſquequaque ſint vera. Quid, quòd ipſe Plinius in lib. vij. antè affirmauerat, emere, ac vendere à Libero patre inſtitutum: qui Liber pater multis ſeculis dicitur Troiana bella anteceſſiſſe? Anteceſsit & Theſeus aliquot annis, à quo percuſſum numum bouis imagine Plutarchus, & alij tradunt. In ſacra autẽ hiſtoria legimus multo ante Theſei, & Bacchi tempora Ioſephum à fratribus venditum Madianitis mercatoribus triginta argenteis: & Abrahamum eius proauum diuitem valde fuiſſe in poſſeſſione auri, & argenti. Quinimò Cainum, primi hominis filium, toto animo in pecuniis incubuiſſe Ioſephus ſcribit. Vt tandem vſus numi, & pecuniæ in rebus humanis antiquiſsimus, ac penè cum ipſo orbe natus videatur.

Plinius lib. 7. cap. 56.

Cap. 37. ſacra Geneſeos. Cap. 13. et 24.

Ioſephus Antiquit. Iudaicarum lib. 1. cap. 4.

Pacti ſunt inter ſe. Hæc eſt prior pars, & conditio quaſi formæ numorum. de quo enim paciſcuntur homines, vt vim, auctoritatemque numi habeat; id planè numus erit, quom fuerit diuiſum in partes certarum quantitatum, tametſi

Pactũ humanum eſt prior pars quaſi formæ numorũ, et quale pactũ.

tametſi & δυσμεταχείριστον, & inutile omnino eſſet per ſe. Quod ſanè liquet ex fruſtis papyraceis, quibus aliqui populi pro numis vtuntur; & ex ferreis numis vaſti ponderis, quos Lycurgus introduxit. Eſt autem hîc pactum intelligendum non ſpeciale, ſed generale, quod facit vel conſenſus communis, vel iuſſum eorum, qui reſpublicas regunt.

Due conditiones materię numorum. Vna conditio vt ſit è rebus naturâ ſuâ aliquem vſum nobis praſtantibus.

Quod quum ipſum eſſet de numero vtilium, habebat vſum tractabilem. His duabus conditionibus præditam rem eſſe oportet, quæ accommodatiſsima, & maximè idonea ſit numorum materia. Vna eſt vt in rebus ad vitam vtilibus numeretur. Nam ſi eſſet omnino inutilis; eam haud libenter acciperent homines pro rebus ſuis: ne forte futura, abrogata lege, qua in numos fuiſſet redacta, ipſis nihil reſtaret. quamobrem qui ex rebus inutilibus aliquando, vel quæ inutiles ea formatione redderentur, puta ex corio, papyro'ue numos confecerunt; id planè fecerunt vel inuiti, & cogente neceſsitate, vt bellorum temporibus; vel inſcitia, & tarditate ingenij, vt quidam Barbari, quorum cõmercio, & conſuetudine finitimi abſtinent; vel ad tollenda hęc ipſa commercia, & conſuetudines; quod Lycurgus in Spartana republica molitus eſt, ferrum, ex quo numos cuderet, omni antea facultate ad reliquos vitæ vſus priuans, aceto candenti inſperſo. Altera conditio eſt, habere vſum in vita tractabilem, græcè ἐυμεταχείριστον. Dicuntur autẽ hoc pacto tractabiles, & ἐυμεταχείριστοι res omnes; quæcũque facilè tum aſportari huc illuc, quemadmodum ait D. Thomas, tum prætereà condi, liquari, cogi, duci, cudi, figurari, verſari manibus; quod græcum denotat vocabulum, frequentiſsimè, diutiſsimeque quàm minimo ſuo intertrimento, quàm minimaque inquinatione corporis noſtri, ac vaſorum, in quibus reponuntur, queunt. Proinde Lycurgus eodem conſilio, vt pecuniæ cupiditatem, vſumque commerciorum cum exteris regionibus è Sparta eijceret, hanc quoque conditionem, quod ad aſportandum, recondendumque attineret, numis ſuis detraxit. ſublatis enim aureis, & argenteis omnibus, ferreos induxit, exigui pretij præ pondere, & magnitudine: ita vt magna cella domi ad condendam decem minarum ſummam, immentisque ad conuehendam quiſque egeret; quod Plutarchus annotauit.

Altera conditio, vt habeat vſum in vita tractabilem. Tractabiles in vita res ideſt ἐυμεταχείριστοι. Lycurgi numi, et conſilium in illis.

Harũ duarũ conditionũ materia numi q̃ anteponenda.

Harum porrhò duarum conditionum, vtilitatis ad vitam, & vſus tractabilis, ſi inter ſe conferantur, poſterior præſtat. Itaque quæ vtiliſsimæ, maximeque neceſſariæ res ſunt, vt terræ fructus, & animalium, ipſaque animalia; quoniam non ſunt ἐυμεταχείριστα; nullo vnquam loco vim, & appellationem numorum receperunt. Contrà metalla à pleriſque omnibus, qui rudes, & hebetes prorſus non fuerint, omni tempore in numos conuerſa ſunt: quoniam ſunt omnium maximè ἐυμεταχείριστα; licet non tam vtilia ſint nobis, quàm ſuperiora. Et tamen non exigua, obſcura'ue emolumenta ſunt metallorum: tot vaſa, tot inſtrumenta artium, vſuumque vitæ noſtræ quotidie ex ipſis conficiuntur, apparentque omnibus locis: vt interim taceam medicinas, & ornamenta, quæ maxima ſunt. Ad has duas conditiones materiæ numorum, quæ hic tanguntur à Philoſopho, tertia fortaſſe addi poſſet: vt ſit rari, ac ſpecioſi generis. Sed hæc conditio ſine prioribus, præſertim ſine ſecunda rem idoneam, quæ in numos vertatur, nunquam efficiet. cui rei argumento ſint gemmæ, & vniones.

Metalla præſtãtiſſima materia numorũ.

Metallorũ vtilitates.

Tertia quadã cõditio materia numorum.

Numorũ differẽtia ex materijs.

Aerei, Argentei, Aurei.

Ferrei.

Plumbei.

Quale eſt ferrum, & argentum, & ſi quid aliud huiuſmodi. Metallis, vt diximus, potiſsimùm adſunt ambæ conditiones materiæ numis idoneæ. quapropter & ferro, & argento, & reliquis metallorum tam ſimplicibus quàm permixtis vſi homines ſunt ad numos, & pro numis; ſed præſertim ęre, argento, auro: ex quibus quidem olim Græci, & Romani, & ſecundum eos nationes aliæ prudentiores numos confecerunt ſuos; atque temporibus noſtris penè omnes gentes ſuos conficiunt. Ferrei numi Byzantiis in vſu fuerunt, vt teſtatur Ariſtophanes in Nebulis; & Spartanis, à Lycurgo imperati, quod in Lycurgi vita Plutarchus explicat. Romæ etiam cuſi à Numa Pompilio, ſi Suidæ credimus Tranquillum citãti. Et nunc in quibuſdam Indiæ regionibus ferreas quaſdam virgulas, ſimiles acubus, & in Angotis regno, quod Pretoianni paret, globulos ferreos loco numorum cum omnibus rebus permutari narrant. Stanneis, ideſt ex plum-

Iulius Pollux. C. Plinius & alij. Ariſtoph. in Nebulis: σιδαρέοισιν ἀπορ ἐν Βυζαντίῳ. Plutarch. in vita Lycurgi. Nicol. Comes Venet. ad Frãc. Aluarezius in itinerib. ſuis, ille Indico, hic Aethiopico.

ex plumbo candido numis vti Syracuſanos coegit aliquando ſenior Dionyſius; ſtatuto pretio pro vna Attica drachma drachararum quatuor: cuius rei meminerunt Iulius Pollux, & Auctor ij. Oeconomicorum. Varia metalla Romæ primus compoſuit in numos, teſte Plinio, Liuius Druſus in tribunatu plebis; octauam partem æris argento miſcens. Quem poſtea multi imitati ſunt, ac noſtro ſeculo imitantur monetarum cuſores; aliquando eãdem, ſæpe diuerſis miſture rationibus tam æris cum argento, quàm cum auro argenti. Sed & plumbi candidi, vel etiam ferri portionem multam argento iungunt: & ferro, aut æri aurum ſuperinducũt, qui adulterinas cudunt monetas. Et ferro æreos numos M. Antonius adulterauit, vt Plinius memoriæ prodidit. Hoc igitur rationi, quæ naturam ſequitur, conſentaneum fuit, portionibus metallorum ſimplicium, mixtorum'ue rudibus, aut ſignatis omnes res æſtimari, permutarique ab hominibus. Illud autem magis à natura alienum, & totum ex lege, ac inſtituto: tribui has partes rebus aliis, quibus deeſt vel alterutra, vel vtraque conditionum antè expoſitarum. [a]Salis maſſulis in toto regno Pretoiannis, & in quibuſdam regionibus imperatoris Tartarorum, quem vocant magnum Canem, pro numis vti perhibent. [b]Fructibus amygdalæ ſimilibus, cacapos, vel cacaos appellãt, in noua Hiſpania: quorum etiam fructuum formam referentes monetas ex miſtura metallorum conflant, atque eodem nuncupant vocabulo. [c]Ligneos, teſtaceos, ſcorteos numos Romæ aiunt fuiſſe ante Numam Pompilium. [d]Et apud Septentrionales populos olim ſimiliter ſcorteos numos cum quibuſdam notis argenteis, quę pretium indicarent. [e]Papyraceis cum aſcriptione nominum, & ſigillorum narrant nunc vti Scythas magni Canis, & quaſdam Indiæ regiones. [f]Albæ quædam conchulæ in littore maris reperiuntur, noſtri ſuculas vocant: iis emi omnia dicunt in Caraiania prouincia, aliiſq́; nonnullis magni Canis, & apud Azanagos Aethiopes. [g]Lapillis, verò quibuſdam, quos feiium oculos appellant, in nonnullis Indiæ regionibus. [h]In Moſcouia olim auriculas quorundam animalium inſtar numorum fuiſſe, quibus omnia permutarentur, literis proditum eſt. [i]Et hodie in Taprobana inſula, quam multi Sumatram Plinij eſſe opinantur, caluarias humanorum capitum eundem vſum præſtare. Aliiſque in locis fortaſſe ex aliis rebus numi conſtituti ſunt.

Primùm quidem ſimpliciter definitum magnitudine &c. Excogitãtur primùm res, inueniunturque: deinde pedetentim, & gradatim ad perfectionis apicem adducuntur. Et numus itaque, ideſt illud, quod in permutationibus, tanquam medium, & pretium cuiuſuis rei ab altera parte dandum, ab altera accipiendum homines ſtatuerunt, definitum primò ſimpliciter fuit magnitudine, ac menſura quadam, non appenſum, non ſignatum. Qui mos fortè etiam nunc ſeruatur in Angotis regno, & in partibus quibuſdam Indiæ, vbi globulis, & virgulis illis ferreis pro pecunia vtuntur. Sed & in multis aliis eorum numorum generibus, quæ proximè ſunt commemorata, forma, & magnitudo ſpectãtur magis, quàm pondus. Deinde quoniam eiuſdem menſuræ, non eiuſdem ſemper pretij res erat. nec tantundem omnino illius habebatur, ob præſtantius, aut deterius genus; pondere incœpti diſcerni, ac determinari numi. Notum eſt hoc ex Romana præcipuè hiſtoria, & lingua. Quia enim appenderetur pecunia, non numeraretur; æris grauis, vt ait Plinius, pœna dicta eſt; & expenſa in rationibus; & impendia; & dependere; & militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſatores libripendes; & alia ſexcenta. Noſtris quoque temporibus [a]in Caindouia, & Caraiania, prouinciis magni Canis, virgulæ aureæ, argenteæque; [b]& in Tomburto, regno Africæ quodam, & in toto regno Pretoiannis fruſta auri puri appenduntur: [c]& in Moſcouia ante annum circiter ducenteſimum fruſta argenti longiora appendebantur. quę fruſta, & virgulæ aureæ, argenteæque erant, ſuntque illis loco numorum. Tandem verò quum moleſtum, operoſumque videretur, tam crebro meriti, appendere, ac computare cuius quiſque numus pretij, & rationis eſſet, diſtributis iis pondere notæ appoſitæ ſunt, pretium, & modum indicantes.

Plinius lib. 33. Hiſt. cap. 3.

Plin. lib. 33. cap. 9.

a Frãc Aluarezius cap. 32. Marc. Paulus Venet. lib. ij. cap. 38.
b. Ferdinãdus Corteſius in ij. relatione ad Carolum V.
c. Suidas ex Tranquillo.
d. Olaus lib. 6. Hiſtorię Septẽtrionalis c. 12.
e. Marc. Paul. Venet lib. ij. c. 18. et Ioſaphatus Barbar. in ſuo itinere Perſico ca. 19. Nicolaus Comes Venet. in loco ſuprà citato.
f. Marc. Paul. lib ij cap. 39. & 48. Aloyſius Muſtius in p ſuarũ Nauig.
g. Nicol. Comes Venet. in loco ãtè citato.
h. Sigiſmund. Liber Baro in Moſcouia Cõmentarijs.
i. Nicol. Comes Venet. in loco antè citato.

Plinius lib. xxxiij. cap. 3.

a. M. Paulus Venet. lib. ij. cap 38.
b. Io. Leonius ſect. 7. Aphricæ Franciſcus Aluarezius in itinere Aethiopico cap. 28.
c. Sigiſmund. Liber Baro loco ſup citato.

Mixti.

Ex ſale.

Fructus quidam.

Lignei, Teſtacei, Scortei.

Papyracei. Succula genus conchularum.

Lapilli quidã. Auricula animalium. Caluaria humanorum capitum.

Inuentio, & perfectio rerũ non ſimul exiſtunt. Numi definiti. Primùm magnitudine, & menſura.

Secundò, pondere.

Tertiò, nota et charactere.

 Et

Numerũ ponderaimminuũtur.

Et pondere. Quanquam pretia numorum pondere definiuntur, vt tanti vnuſquiſque ponderis huius, aut illius materiæ tantum valeat: tamen à regibus, & à rebuſpublicis lucri faciẽdi cauſâ ſæpenumero in ſecũdis, & tertiis percuſsionibus pondera imminuuntur: aliquãdo etiam vel ab his, vel à populo pretia augentur. Atque hæc eſt altera duarum cauſarum, vnde improbi dicuntur numi; diſpar ratio videlicet ponderis, & pretij. altera cauſa conſiſtit in modo mixturæ, quem monetales noſtri legam appellant. Scribit Plinius Romæ, pondus monetarum procedente tempore vſque eò imminutum fuiſſe, vt de vigintiquatuor partibus vna tantùm relinqueretur. Primo nanque bello Punico aſſes, qui ſinguli ſingulas æris libras, ideſt duodenas vncias habuerant, ſextantario pondere percuſſos, hoc eſt duarum vnunquenque vnciarum: dehinc Annibale vrgente, Q. Fabio Maximo Dictatore vnciales factos: mox lege Papyriana ſemunciales. Et ex pondere pleriſque numis nomina data; minæ, ſtateri, aſsi librali, dipondio, trienti, quadranti, qui & triuncis, denario, quinario, ſeſtertio, libellæ, ſembellæ, multiſque aliis.

Numorũ improborũ cauſæ duæ.
Loc⁹ Plinij de põdere numorũ Romæ imminuto.
In loco ſuprà citato.
Numi ex pondere nomẽ habentes.

Poſtremò autem & charactere adiecto &c. Signato numo, vt ex aſpectu ſtatim cognoſceret vnuſquiſque, quantum valeret, liberareturque hoc modo à moleſtiis metiendi, & ponderandi; numerari pecunia cœpit, quæ prius appendebatur. & hûc pertinet id, quod apud Paulum ait Octauenus: ſignatæ materiæ numum, infectę pondus dici oportere. Porrho numus quidem dici etiam debet, quom rudis, & ſine ſigno definitur ſolùm pondere, aut magnitudine: ſed tamen propriè vocabulo hoc nuncupatur, quom eſt ſignatus; & magis propriè monetę, quia ſigno nos moneat. Quid verò auctoritatis, & virium afferat nota iuſſu principis, populiue numo appoſita, planè intelligitur ex inutilibus numis, puta papyraceis, aut ſcorteis, quibus aliqui aut olim ſunt vſi, aut etiam nunc vtuntur. Numos primùm ſignaſſe Phedonem Arginum, decimum ab Hercule tam ex argento, quàm ex aliis metallis Ephorus tradidit, vt refert Strabo. Iulius Pollux narrat Phedoni Argiuo alios, alios Erichtonio in Attica, & Licia, Xenophanem Lydis, Agloſthenem Naxijs inuentum hoc tribuiſſe. Septimius Florens tribuit Saturno principi: indeque ærarij ait præſidem exiſtimatum. Scribit Herodotus Lydos primos omnium aureum, argenteumque numum percuſsiſſe. Plinius latẽte, auctore incerto, qui primus ſignauerit ex auro denarium; Romæ tamen ſignatum eſſe poſt annum ſexageſimum ſecundum, quàm ex argento: & ibidem ſignatum argentum anno vrbis 484. C. Fabio Conſ. (ſic enim corrigenda ſunt verba Plinij) quinque annis ante primum bellum Punicum. De auctore ſignati æris in vrbe, & in Latio quatuor opiniones ſunt. Plinius, ac Remeus, Seruium Regem primùm ſignaſſe aiunt; antea rudi vſos. Suidas Pompilium Numam, qui idem & ferrum ſignauerit: atque ab eius nomine numum appellatum. Macrobius Ianum. Eutropius Saturnum. At, ſi Saturnus, vel Ianus, quod magis puto, æs Latinis ſignauit; veriſimile non eſt, rudi eo vſos Romanos: ſed ſumpſerunt appendendi, & expenſæ, & cætera, quæ dicta ſunt vocabula ab antiquioribus. Varia autem numis impreſſa ſunt ſigna arbitrio condentium & antiquis, & noſtris temporibus. Quiſque tamen populus, præſertim rerumpublicarum, habere proprium quoddam ſolet. Vt Athenienſes prius bouis imagine, qua Theſeus δίδραχμον percuſſerat, deinde noctuæ pecuniam ſuam ſignauerunt: Peloponneſes, teſtudinis: Corinthij, Pegaſi: Tarentini, Tarentis Neptuni filij delphino vecti: Mytilenæi, Sapphûs: Chij, Homeri: Ialienſes, pueri inſidentis delphino: Dardani, gallorum pugnantium: Aſpendij, luctatorum: Rhegini, leporis: Cephalenij, equi: Thaſij, Perſei: Argiui, muris: Perſæ, ſagittarij. Priſci Romani in ære aliquando pecudum notam, vnde pecunia appellata; aliquando Iani effigiem, roſtrum nauis, & rates: in argento bigas, quadrigas, victoriam inſculpſerunt. Poſteriorum verò notæ, vt etiam noſtris temporibus, penè innumeræ: ſed in pleriſque ab altera parte effícti ſunt ſummorum magiſtratuum, ac principum vultus. Ex ſuis quoque inſignibus, quemadmodum ex ponderibus multi numi appellationem habuerunt: vt apud Romanos bigati, quadri-

Numus rudis & ſignatus. Pecunia appẽſa & numerata.
ff. de Rei vindic. l. 6.
Numi & monetę vocabula.
Signãdæ pecuniæ auctor primus.
Strabo lib. 9. Iulius Pollux lib. 9. Septimius Florens in Apologetico. Herodotus lib. primo. Plinius lib. 33. cap. 3.
Romæ quandò primùm aurũ quando primùm argentũ ſignatum.
Aes quis primus Romæ, & in Latio ſignauerit.
Plin. loco cit. Suidas citans Tranquillũ in verbo ἀσσάρια. Macrobius Saturnalium cap. 7. Eutropius l. 1.
Inſignia numorum varia.
Ex Iulio Polluce lib. 9.
Ex Plinio lib. 33. cap. 3.
Numi appellationẽ habentes ex inſignibus ſuis.

quadrigati, victoriati; apud Græcos teſtndo, bos, noctua, virgo, pullus, ciſtophorus, & ſexcenti alij. Apud nos verò nullus penè numus eſt, qui aliunde, quàm ex inſigni ſuo nominetur. Character eſt græcum uocabulum. Eo tamen vti malui, quàm latino, nota, vel ſignum: quia propriè nota eſt græcis σύμβολον, καὶ σύγμα; ſignum σημεῖον: his autem quoduis indicium quantumuis leue, imperfectumque ſignificatur; character ſonat abſolutins quid, ac fixum magis. *Characteris vocabulum.*

Character enim eſt poſitus quantitatis ſignum. Nota apponitur ad ſignificandam quantitatem. Cuius autem rei quantitatem? Certè ſubſtantiæ, ac ponderis; ſed magis pretij. hoc eſt ſignificat hæc nota, quæ numo adiicitur, rationem numeri, menſuræque huius ipſius numi, cuius ipſa nota eſt, ad primum, & minimum numum: qui quidē primus, ac minimus numus in iſto genere rerum commutabilium, atque æſtimabilium eſt menſura prima, quantitates, æſtimationesque aliarum omnium eiuſdem generis rerum, pro vi, & officio primæ menſuræ, notas reddens. Indicat enim ſignum cuiuſque numi, quot ille numorum primorum, minimorumque numerum, ac pretium in ſe contineat. Et in minimo numo ſignum apponitur, vt ſciamus eum minimum eſſe, atque indiuiduum. Hoc fortaſſe intellexit Paulus iuriſconſultus in illis verbis leg. pimç de Contrah. empt. *Eaque materia, forma publica percuſſa, vſum, dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quàm ex quantitate; nec vltra merx, ſed pretium vocatur.* Hinc etiam numis aliquando pro ſigno, vel cum alio ſigno apponitur temporibus noſtris, & olim apponebatur numerus, ſeu ſumma pretij, docens ſcillcet quot ille minutioribus numis valeat: quem numerū pretij appoſitum in numo priſci æram vocarunt. Lucilius: *Hæc eſt ratio peruerſa, æra numeri eſt ſubducta improbè.*

Character quātitatis ſignū quomodo.

Vide initium 2. Diuinorum.

Locus in l. pi de Contrah. empt.

Summa pretij numis appoſita.

Nonius Marcellus.

Aera.

ARGVMENTVM. TEXT: XCVI.

Cauponij generis pecuniariæ ex neceſſaria ſecundum numum permutatione ortus, & incrementum, cum cauſa incrementi. Introducto numo, & neceſſaria ſecundum eum permutatione; ex hac natum eſt genus pecuniariæ cauponium; ſimplex quidem illud primum, & ſtudium tantùm ob paruam exercitationem; deinde experientia redactum in artem tradentem regulas de locis, perſonis, temporibus, formis, quibus permutati numi plurimum reddant lucrum.

Text. xcvj. [a] Πορισθέντος οὖν ἤδη νομίσματος, ἐκ τῆς ἀναγκαίας ἀλλαγῆς θάτερον εἶδος τῆς χρηματιστικῆς ἐγένετο, τὸ καπηλικόν· [b] τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ἴσως γινόμενον· [c] εἶτα δι' ἐμπειρίας ἤδη τεχνικώτερον, [d] πόθεν, καὶ πῶς μεταβαλλόμενον πλεῖστον ποιήσει κέρδος.

[a] Inuento igitur iam numo, è neceſſaria permutatione altera ſpecies pecuniariæ nata eſt, ipſa cauponia; [b] primùm quidem ſimpliciter fortaſſe facta; [c] deinde per experientiam iam artificioſior, [d] vnde, & quomodo permutatus plurimum faciet lucrum.

EXPLANATIO.

Ortus cauponiæ pecuniariæ ex neceſſaria ſecundum numum permutatione. Numus reddidit facilē, & frequētē permutationē rerum vtilium. Frequēs, et facilis permutatio demōſtrauit lucrū, qui permutationē cōſequitur, ſi arte fiat. Lucri ex permutatione facilè prouenientis cupiditas genuit cauponiam pecuniariam.

ªNumo inuento ad neceſſarias vitæ ciuili permutationes, præſertim rerum, quæ ab exteris, & longinquis regionibus importantur, ſicut antea explicatum eſt; facilis euaſit, expeditaq; quocunque tempore, & loco permutatio. quapropter multo frequentius, quàm antea, homines permutare res, quibus egebant, & quibus abundabant, cœperunt. quum enim nullo amplius labore, aut moleſtia, ſed cum quadam potius iucunditate inuicem permutarent, ex quouis vel leuiſſimo deſyderio permutationem faciebant. In hac igitur tam frequenti, & tam prompta permutatione animaduerſum eſt, aliquando conſequi vel alterum, vel vtrunque permutantium præter id, quod petebant, ideſt præter res, quibus egere videbantur pro alijs, quibus abundabant, etiam illud, quod non habuerant in animo, lucrum videlicet, & quæſtum ampliorem, exiliorem'ue. Hoc animaduerſo iam multi, allecti quæſtus ſuauitate, permutationes aggrediebantur non ad præſentem indigentiam, ſed ad futuram quolibet tempore, ſuæque omnino rei amplificationem. Ita ex neceſſaria, honeſtaq; permutatione, quæ numo fit, exorta eſt altera ſpecies pecuniariæ, quam cauponiam vocamus, hoc eſt exortum eſt ſtudium quærendæ, & amplificandæ rei noſtræ per commutationem, cauponando, & nundinando res, operas, numos. ᵇHoc tamen ſtudium non tam artificioſum ab initio, vt poſtea fuit. ſed, quod in aliis etiam euenit, ſimplicius, rudiusque adminiſtrari cœptum: tandem vſu, & exercitatione in regulas, præceptaq; abijt; & ex ijs præceptis quædam quaſi ars facta. ᶜQuorum quidem præceptorum duo ſumma ſunt capita; vnum vnde; alterum quomodo permutatis numis plurimum lucri proueniat. Et vtrunque caput habet duas partes: vnde enim, vel de locis, vel de perſonis: quomodo, vel de temporibus, vel de formis permutandi intelligi poteſt. De locis præcepta traduntur, quom ex quibus locis ad quæ loca hæc, aut illa genera numorum, & mercium aſportanda ſint, dicitur. alibi nanque alia ſuperſunt, aut deſunt; pluris, minoris'ue æſtimātur. De perſonis, quom callidos, malitioſos, κύμινος, ideſt cumini ſectores vitandos eſſe; imperitos, ſimplices, largos quærendos, vnde lucrum captes permutando. De temporibus, ſi ratio ſubducitur, quo quidque tempore maximo, aut minimo valeat: & quanto temporis ſpatio quantum emolumenti præbere poſſit. De formis denique permutandi ſunt illa omnia, quæ de apponendis in quaque permutatione pactis, de obligandi formulis, de mercibus, numisq; ſic, aut ſic oſtendendis, laudandis, vituperandis, diſſimulandis, prædicandis, ſexcentisq; alijs generibus aſtus, & fraudis, quę nos docet caupona.

Incrementum cauponiæ pecuniariæ, & tranſitio à ſtudio ſimplici ad artē quādam.

Præceptorum cauponiæ pecuniariæ capita principalia quatuor.

Præcepta de locis.

Præcepta de perſonis.

Præcepta de temporibus.

Præcepta de formis.

Partes textus.

Partes textus quatuor. Prima (a) proponit ſimpliciter ortum pecuniariæ cauponiæ. Secunda (b) primum ortum. Tertia (c) incrementum cum cauſa incrementi. Quarta (d) quibus capitibus contineatur artificium eiuſmodi pecuniariæ.

SCHOLIA.

Auaritia, & malorū, q ab ea pficiſcūtur cauſa eſt hominū prauitas, nō ratio numi.

In cap. 3. lib. xxxiij.

Inuento igitur iam numo &c. Huic finitimum eſt quod Plinius ait: *à nummo primam eſſe originem auaritiæ excogitatam, fænore quæſtuoſam ſegnitiam. hanc paulatim exarſiſſe rabie quadam, non iam auaritiam, ſed famem auri.* Auaritiæ tamen, & malorum, quæ certè innumera, immenſaque ab ea naſcuntur, cauſa fuit, eritque

ſemper

ſemper hominum prauitas; non ratio, & facultas numi, quæ ad bonum per ſe diriguntur.

Altera ſpecies pecuniariæ nata eſt, ipſa cauponia. Conſidera an hæc ſpecies pecuniariæ potuerit eſſe ante numum per ſimplicem commutationem rerum: quandò non ſolùm mercatura, mercenariaque, ſed etiam ipſa fœneratio abſolui poteſt in ſolis rebus ſine numo, quemadmodum antè diximus. At quanquam fieri poſſet pecuniaria cauponia ſine numo; non tamen facta eſt ab initio. quippe facilem omnino eſſe commutationem oportet, vt hæc appareat, quæ ex frequenti, & ſola exiſtit commutatione.

Cauponia pecuniaria verè extitiſſe potuit ante numum.

In ſcholio huius diſputationis de pecuniaria cauponia.

Ipſa cauponia. Multi vertunt numulariam. Et Io. Faber, meritò, inquit, numularia nuncupatur, quòd poſt inductum numum emerſerit; quòdque circa quæſtum, cumulationemque numorum maximè verſari videatur; imò in ea numus ſit primum, & vltimum, vt pòſt dicetur. Verùm tamen *τὸ καπηλικὸν* làtinè eſt cauponium; & numularij uocabulum latiùs patet. Dicitur enim numularia etiam permutatio, quæ ſine quæſtu res tantùm numis permutat. D. Thomas, Petrus Victorius, & quidam alij de argentariorum pecuniaria hîc loqui tantùm Philoſophum exiſtimant. Sed falluntur. Diſputat enim de toto cauponio genere, quòd alimentario opponitur.

Τὸ καπηλικὸν hîc vertēdum eſt non numulariū, ſed cauponium.

Nō de ſola argētaria loquitur hîc Philoſophus, ſed de tota cauponia, ſeu commutatitia.

Primùm ſimpliciter fortaſſe facta. D. Thomas, quem multi ſequuntur, intelligit non pecuniariam cauponiam, ſed lucrum à principio factum eſſe ſimpliciter, ideſt caſu, & fortuitò ex permutatione, quòd hæc quidem res nihil tale ſibi proponentibus fructum tulerit. Planum eſt tamen, pronunciari hoc à Philoſopho de pecuniaria cauponia, quæ initiò fuerit rudior, & ſimplicior, quàm ſit in præſentia, vt dixi in explanatione.

Verba hæc intelligēda ſunt de cauponia, non de lucro.

Fortaſſe. Ex modeſtia Philoſophica. nam hoc verè commune eſt omnium artificiorum, ſtudiorumque noſtrorum, vt primo ſui ortu rudia, & imperfecta, vſu, exercitationeque perficiantur.

Studiū quoduis prīcipio rude, poſtea perficitur.

Vnde, & quomodo permutatus. Rectè Petrus Victorius participium *μεταβαλλόμενον* refert *πρὸς τὸ νόμισμα*, quod eſt neutri generis. Nos vertimus, *permutatus*, in genere maſculino, vt intelligatur referri ad numum.

Syntaxis, & verſio.

Textus LXXIIII.

Diſtinctio cauponiæ, & alimentariæ pecuniariæ.

CAPITA XX. ET XXI.

Diſtinctio duorum generum pecuniariæ, nempe cauponij commutatitij'ue, & ſimplicis, ſiue alimentarij; atq; vnà geminarum diuitiarum, verarum ſcilicet, et opinabilium; quarum opinabiles, quæ ſunt multitudo numorum, eorumq;, quæ numis æqualem vim habent, cauponij generis ſunt finis; veræ, quæ conſtant multitudine inſtrumentorum per ſe vtilium ad vitam, ſunt finis alimentarij.

Διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιστικὴ μάλιστα &c. Tex. XCVII ad CXI.

Duæ ſententiæ multitudinis falſæ, hæc duo theoremata, de cauponiæ, alimentariæq; pecuniariæ, & de verarum opinabiliumq; diuitiarũ diuerſitate oppugnãtes. Cap. 20. tex. 97.

Duæ aliæ ſententiæ eiuſdem multitudinis, veræ, & contrariæ ſuperioribus, quę demum à propoſitis theorematis minimè differunt. Cap. 21. tex. 99.

SCHOLIVM.

Cõſtãtia propria ſapiẽtũ, inconſtantia vulgi.

PROPRIVM ſapientum eſt, conſtare ſibi: vulgus, & multitudo hominum fluctuat opinionibus, aliàs aliud ſentiens. Quemadmodum verò de alijs rebus; ita de pecuniaria, & de diuitijs, quę pecuniarię finis ſunt, varijs tẽporibus, imò ferè eodem temporis momento ad alias, & alias conditiones, & cauſas animũ conuertens, variè exiſtimat. Aliquando putat numis tãtummodo diuitias cõtineri; & ob hanc cauſam cauponium genus, cuius finis ſit numorum multitudo, eſſe totã pecuniariam. aliquando cõtrà quęrit, diuinatq; alias diuitias pręter numos; & aliam pecuniariã pręter cauponiã. Quamobrem neceſſe eſt Philoſopho, de pecuniarię formis, earumq; finibus differẽti, aduerſus hanc vulgi inconſtantiã duo ſtabilire theoremata; vnũ de diſcrimine cauponij, & alimentarij generis pecuniarię; alterũ de differẽtia diuitiarũ, q̃ verè, ꝓprieq; diuitię nominãtur, et multitudinis numorũ.

Varia vulgi opiniones de pecuniaria, et de diuitijs.

Neceſſitas horum duorum theorematũ.

CAPVT

CAPVT XX.

Duæ ſententiæ multitudinis falſæ, penè vnum ſolum genus pecuniariæ, quod cauponium, & commutatitium vocamus, agnoſcentis; ſtatuentisq́ plerunque diuitias eſſe multitudinem numorum.

Διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιστικὴ &c. Tex. XCVII. & XCVIII.

SCHOLIVM.

DVo ſunt theoremata, quę nunc ſumuntur conſtituenda, & demonſtranda; vnum de duorum pecuniariæ generum; alterum de duplicium diuitiarum diuerſitate. Et ſunt duæ ſententiæ vulgi falſæ, illa oppugnantes. Prima ſententia contra primum theorema ſtatuit vnum tantùm eſſe genus pecuniariæ, quod cauponium vocatur, argumentis ductis ex materia, munere, & fine, proprijs huius cauponij. Secunda ſententia contra ſecundum theorema ponit diuitias eſſe pecuniarum, ſeu numorũ multitudinem. locus cõmunis cũ aſſumptis ſuperiorum argumentorum à vi, inquam, & vtilitate numi. *Duo theoremata cõſtituẽda, & duæ ſẽtẽtiæ vulgi falſæ, illa oppugnantes.*

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. XCVII.

Prima ſententia vulgi falſa: vnum tantùm eſſe genus pecuniariæ, ipſum cauponium: quæ ſententia vel tacitè ponitur; dum aliquando exiſtimatur, pecuniariæ rationis ſimpliciter materiam eſſe numum; officium, poſſe proſpicere, vnde proueniat numorum multitudo; finem, diuitias in hac ipſa multitudine numorum poſitas. Et ſunt loci à propriis, quia hæc ſunt propria materia, & munus, & finis generis cauponij. Inferuntur verò hæc tria, materia, munus, & finis communiter ſophiſmate accidentis, quatenus ex proximè declaratis de vi, atque vtilitate numi in permutationibus, exiſtimatur pertinere ea ſimpliciter ad pecuniariam: tum verò propriè munus, ac materia fine comprobantur.

Text: xcvij. [a] Διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιστικὴ μάλιστα περὶ τὸ νόμισμα εἶναι· [b] καὶ ἔργον αὐτῆς τὸ δύνασθαι θεωρῆσαι, πόθεν ἔσται πλῆθος χρημάτων: [c] ποιητικὴ γὰρ εἶναι τοῦ πλούτου καὶ χρημάτων.

[a] Quapropter exiſtimatur, pecuniariam maximè circa numum verſari; [b] & munus ipſius eſſe, poſſe proſpicere vnde erit multitudo pecuniarum: [c] effectricem enim eſſe diuitiarum, ac pecuniarum. *a. ſimile infrà tex: 104.*

EXPLANATIO.

Numi vis, & vtilitas.

[a] DICTVM eſt, opus fuiſſe numo ad permutationes, vt indigentijs noſtris ſuccurreretur. quamobrem eo antiquitus excogitato, & inuento ſic vſos homines fuiſſe, vt ipſo ferè cunctas facerent permutationes; certè quaſcunque vellent; tum ex permutationibus deinceps auxilio ipſius adminiſtratis lucra, lucrandique rationem, ac facultatem haurirent. Tantas igitur numi vires animaduertens aliquando hominum multitudo putat, & pronunciat de eo iſta: Primùm, quod ſequenti textu exponetur, idem eſſe diuitias, & multitudinem numorum: [c] Secundùm, pecuniariam eſſe effectricem diuitiarum, quæ ſunt pecuniæ, & numorum multitudo; ita vt hæc numorum multitudo ſit finis omnino pecuniariæ: [b] Tertium, munus, & officium item pecuniariæ eſſe, poſſe proſpicere, & videre, vnde prouentura ſit multitudo pecuniarum, ſeu numorum: [a] Quartùm, verſari maximè pecuniariam in numo; quod eſt numum eſſe eius materiam. De primo horum quatuor pronunciatorum exponetur, vt dixi, in ſequenti textu. [c] Secundum conficitur ex illo. nam quia verè effectrix diuitiarum eſt ipſa ſimpliciter pecuniaria, tendens in eas tanquam in ſuum proprium finem; ſi idem ſint diuitiæ, & pecuniæ, ſeu numorum multitudo, vt ſtatuit primum pronunciatum, putatq; vulgus ſophiſmate ex accidenti, ob magnam vim, vtilitatemq; numorum, de quibus dictum eſt in proximis textibus; planè oportet pecuniariam ſimpliciter, & in vniuerſum eſſe effectricem pecuniarum idest multitudinis numorum, quæ multitudo numorum ſit pecuniariæ in vniuerſum proprius, ac certus finis. [a] Tertium, & quartum pronunciatum confici item poſſunt ad vulgi opinionem,

Pronunciata quatuor multitudinis de numo, & eorũ pronũciatorũ firmamẽtum primum.

Primum pronunciatũ exponetur in text. ſequenti. Secũdi pronũciati ꝓpria illatio ex primo.

Tertij, et quarti pronunciati gemina illationes, vna ex vi numi, altera ex 2. pnũciato.

Right margin: *a. quoque.* c. b. a. c. a. b.

nem, accidentis ſophiſmate, ex vi, atque vtilitate numi antea expoſita: quod facilè intelligitur. Sed & conficiuntur abſolutè ex ſecundo pronunciato. nam ſi multitudo numorum eſt finis pecuniariæ in vniuerſum: [b] neceſſe eſt, ob affinitatem finis, & muneris, eſſe munus, officiumq́; eiuſdem poſſe proſpicere vnde prouentura ſit illa numorum multitudo; [a] & quia finis materiæ accreſcit, eſſe etiam materiam ipſum numum, in qua maximè verſetur pecuniaria. At iſta quidem, quæ in hoc textu exponuntur, munus, & finis, vt infrà docebimur, non ſunt pecuniariæ ſimpliciter, ſed cauponiæ pecuniariæ; materia verò quodammodo etiam alterius pecuniariæ, & hóc modò pecuniariæ ſimpliciter, ſed nec ſola, nec maximè. Quoniam igitur cauponij generis omnino ſunt proprius finis, proprium munus, propriaq́; materia hæc, de quibus in hoc textu habetur oratio; ſanè, qui ea attribuit ſimpliciter pecuniariæ, ex duobus pecuniariæ generibus vnum tantùm agnoſcit, cauponium à nobis vocatum. Vnum itaque hoc genus, quod primum propoſitum fuit, agnoſcitur, & recipitur plerunq; à multitudine, hæc, quę dicta ſunt, pecuniariæ rationi ſimpliciter attribuente.

Emẽdatio ſuperiorũ multitudinis pronunciatorum.

Colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt, vnũ tantùm agnoſci à multitudine pecuniariæ genus, quod eſt cauponium.

Partes textus tres pro tribus pronunciatis, de materia, de munere, de fine pecuniariæ. *Partes textus.*

SCHOLIA.

Quapropter. Ab hac coniunctione illatiua initium ſumit Philoſophus. Inferuntur enim, conficiunturq́; ex ſuperioribus, vt oſtendimus, ſecundum vulgi ſententiam quæcunque in hoc, & in ſubſequenti textu dicuntur. *Cur ab illatiua coniunctione initiũ ſumat.*

Effectricem enim eſſe diuitiarum, ac pecuniarum. Verè, & per ſe effectrix diuitiarum eſt ipſa pecuniaria generaliter ſumpta: pecuniarum autem, vt pecunia numos ſignificat, minimè, niſi ex quadam parte, & quodammodo. Quocirca malè hæc confunduntur. Et ex hoc errore naſcitur alter: quia accipiunt cauponiam pro pecuniaria, partem ſcilicet pro toto. nam ſi illa duo idem eſſent: nec diuerſa quidem eſſet pecuniaria à cauponia. *Diuitiæ, et pecunia, ſicut à numis ſimpliciter, & numi nõ ſunt idem. Cauponia, & pecuniaria nõ differunt; ſi diuitiæ, et multitudo numorũ eſſent idem.*

Diuitiarum, ac pecuniarum. Si pecuniæ, & numi hîc idem ſignificant, vt dictum eſt: iam idem erunt finis, & materia. haudquaquam igitur pecuniariæ naturalis materia, & finis eſſe poſſunt: quia hæc duo in naturalibus ſemper ſunt differentia: ſed cuius ſunt, ſunt autem, vt diximus, cauponiæ; eam neceſſe eſt eſſe præter naturam. Aut non idem ſunt in hac parte finis, & materia: proptereaquòd materia eſt ſimpliciter numus: finis autem multitudo numorum. *Materia, & finis in hoc loco an idem.*

Ac pecuniarum. Ne decipitor quiſquam annominatione horum vocabulorum, τῆς χρηματιστικῆς, καὶ τῶν χρημάτων, pecuniariæ, & pecuniarum: quaſi eandem rem notent. τὰ χρήματα enim hîc propriè pecuniam, ideſt numos ſignificant: ἡ χρηματιστικὴ autem pecuniariam, quæ latiùs patet, quàm numularia, quippe quum ſit genus illius. *ἡ χρηματιστικὴ quid, & quid τὰ χρήματα hoc in loco ſignificent.*

ARGVMENTVM. TEXT. XCVIII.

Secunda ſententia vulgi falſa: Diuitias & multitudinem numorum idem eſſe. Confirmat hæc ſententia priorem per locum à quiditate, vt in ſuperiori textu explicatum fuit. Infertur ſimiliter, & euidentiùs, quanto euidentiùs hoc vulgus exiſtimat, ex vi, atque vtilitate maxima numi: ob quam numi vtilitatem per ſophiſma accidentis videtur ſtudere numis omnis pecuniaria. Sed in argumentatione vniuerſa, vt confirmat hęc ſententia, & vt infertur, circulus apparet.

Text. xcviij. ᵃ Καὶ γὰρ τὸν πλοῦτον πολλάκις τιθέασι νομίσματος πλῆθος, ᵇ διὰ τὸ περὶ τοῦτ' εἶναι τὴν χρηματιστικὴν, καὶ τὴν καπηλικήν.

Etenim diuitias ſæpenumero ponunt eſſe multitudinem numorum, ᵇ proptereaquòd in his verſatur pecuniaria, & cauponia.

EXPLANATIO.

Hæc ſententia non ſolùm eſt ſententia, ſed etiam pronũciatũ, & primum quatuor pronunciatorum.

Hanc ſecundam ſententiam multitudinis falſam, quæ adducitur contra ſecundum theorema, non ſolùm ſententiam nominauimus, ſed etiam pronunciatum: proptereaquòd ex ea conficiatur prior ſententia, vt vidimus in proximo commentario. Et diximus eſſe primum quatuor pronunciatorum, quæ ibi expoſita fuerunt, ob eandem cauſam, nimirum quia ſit etiam ſententia, non ſolùm pronunciatum. hoc enim nomine priores obtinet partes, ſi cum reliquis, quę ſolùm pronunciata ſunt, comparetur: quanquam poſteriori proponitur loco. ᵇPendet, inferturq; ſimiliter hęc ſecunda ſententia, ſiue primum pronunciatum, ſed euidentiùs, & clariùs, quàm pronunciata ſuperiora, ex ijs, quæ antea dicta fuerunt de maximo vſu, poteſtateq; numorum. Nam numi quidem eam vim, eum fructum eſſe dictum eſt, vt poſſe fieri eius operâ cuiuſuis rei permutatio videatur; adipiſcamurq; numo omnia, quorumcunque indigi, aut cupidi ſumus; quaſi in numis omnia contineantur; & qui numos habet, habeat vniuerſa ad neceſſitates, commoditates, ſuauitatesq; vitæ ſuæ pertinentia. Adhoc verò & ex permutatione, quæ numo fit, plurimum lucri plerunque nobis accedere, aut accedere poſſe, fuit declaratum. ᵇHis igitur duabus de cauſis, quia numo omnia permutantur, & quia ex numaria permutatione maximè lucrari licet; euenit primùm, omnes pecuniarias tam eius generis, quod eſt pars domeſticæ curę, quàm eius, quod appellatur cauponium, quoniam omnes denique tendunt in quæſtum, illaque, quæ ad vitæ vſum referuntur, quærunt; verti in numis; numorumq; copiam quoquo modo nobis comparare. Deinde euenit, hoc, quod aliquando faciunt, facere ipſas ſemper, à nonnullis exiſtimari. Vertuntur autem omnino in diuitijs, petuntq; eas, tanquam finem ſuum, omnes pecuniariæ. ᵃ Ergo hac ratione, quam Philoſophus in textu adumbrauit, conſiſtere in multitudine numorum diuitię videbuntur. b. b. a.

Ratio Philoſophi, qua conficitur hæc ſecunda ſententia, ſeu primum pronunciatum ex vi, atque vtilitate numi.

Numi vis, & vtilitas.

Altera ratio, qua cõfici poſſet eadem ſecunda ſententia ex eadem vi, atque vtilitate numi.

Sophiſma rationum ſuperiorum.

Et huic rationi addi altera poſſet. nam qui omnia habet ad neceſſarium, commodum, iucundumq; vitæ vſum pertinentia; is planè eſt diues; nec quicquam aliud ad extremum diuitiæ ſunt, quàm rerum eiuſmodi copia: habere autem illa omnia videtur, qui numos habet, vt poſitum fuit. Sed in his rationibus, ac conſequentijs eſt ſophiſma ex accidenti. Siquidem numo accidit ex pacto, legeq; vis illa, atque vtilitas ad permutationes, quę dicta eſt. quapropter non eſt perpetua, vt poſtea dicetur. Permutationi verò non ſolùm accidit, ſed pręter naturam eius eſt, vt lucrum ex ipſa fiat. Itaque falluntur qui munus, & finem totius pecuniariæ in numis ponunt ob hęc accidentia numorum, ac permutationis numulariæ. Si totam etiam argumentationem excuſſeris, circulum reperies in ea.

Circulᵘ in argumentatione vniuerſa, qua ſ[i]acinebantur hæ duæ vulgi ſententia.

Totius

Totius nanque principium eſt hoc, περὶ τοῦτο εἶναι τὴν χρηματιστικὴν, καὶ τὴν καπηλικήν, ideſt, in numo verti pecuniariam, & cauponiam. ex quo principio conficitur, eſſe idem diuitias, & multitudinem numorum: quod ſecundam ſententiam, & primum pronunciatum vocauimus. Ex hoc autem primo pronunciato conficiebatur ſecundum, Finem pecuniariæ eſſe numorum multitudinem. Et ex ſecundo tertium, Materiam eiuſdem numum eſſe. Ergo vel à fine ad finem progréditur oratio; ſi hæc verba περὶ τοῦτο εἶναι, in numo verti, finem ſignificent, vt nos ea exponebamus: vel à materia ad materiam; ſi materiam ijs ſignificari aliquis voluerit.

Partes textus. Partes textus duæ. Prima continet ſententiam. Secunda rationem eius.

CAPVT XXI.

Alia dua ſententia,ſuperioribus contraria,et vera,eiuſdẽ multitudinis nonnunquam alias diuitias præter numos, pecuniariamq́ aliam præter cauponiã quærentis: quæ ſententia multis rationibus confirmantur partim antiquis ipſius multitudinis, partim nouis Philoſophi, cõtinentibus differentias vtrorunq́ generum cùm pecuniariæ, tum diuitiarum.

Οτι δ' πάλιν λῆρος ἔιναι δοκεῖ &c. Textus xcix. ad cx.

Rationes antiquæ, multitudinis, duæ.	*Concluſio & approbatio.*	*Rationes nouæ Philoſophi, quatuor.*	*Corollariũ de ſtudio diuitiarũ finito, et ĩfinito.*
Pars p. text. xcix.	*Pars ij. tex. ci.*	*Pars iij. tex. cij.*	*Pars iiij. tex. cvi.*
*	*	*	*

PARS PRIMA CAPITIS XXI.

Rationes antiquæ multitudinis ad has ſententias confirmandas, tradendasq́ differentias inter numos, & diuitias veras; atque inter cauponiam, & alimentariam pecuniariam.

Οτι δ' πάλιν λῆρος &c. Tex. xcix. & c.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: XCIX.

Prima ratio antiqua partim à quiditate, & virtute, partim à cauſa numi: quòd numus, quicquid eſt, quatenus hoc nomen habet, id eſſe non per ſe, & naturâ ſuâ, ſed lege, & opinione prorſus videatur etiam aliquando multitudini; vtpote cuius pretium, & vtilitas omnis ad res vitæ neceſſarias ex vtentium pendeat voluntate, qua mutata pereat. Ex quibus elucent tres differentiæ geminarum diuitiarum, &, ſecundum illas, duplicis pecuniariæ in quiditatibus, viribus, cauſis. Loci principales à vi, & quiditate, & cauſa. Locus adiunctus ab euentis.

Text. xcix. [a] Ὅτι δὲ πάλιν λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα, * καὶ νόμος παντάπασι, φύσει δ' οὐθέν: [b] ὅτι μεταθεμένων τε τῶν χρωμένων, οὐθενὸς ἄξιον, οὔτε χρήσιμον πρὸς οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων ἐστί.

** καὶ εἷς νόμος legunt Aretin. Baſil. Ald. & multi alij libri. Victor. et Vetus interp. nõ habent vocem εἷς. quæ lectio eſt melior.*

Totus hic textus ſūptus eſt ex cap. 5. v. libri ad Nicomachum.

[a] Aliquando autem è contrario nugæ videtur eſſe numus, & lex vſquequaque, naturâ autem nihil: [b] quòd & mutata ſententia vtentium, nihili ęſtimandus, nec vtilis ad vllam rerum neceſſariarum eſt.

E X P L A N A T I O.

*b. * nihili æſtimādus: vtilis. b. mutatis vtentibus. b. nihili æſtimandus, nec vtilis. a.*

[b] PRETIVM numi, & *vtilitas omnis ad res vitæ neceſſarias, quæ in eum conueniunt, quatenus appellatur numus, [b] pendent prorſus ex voluntate eorum, qui ipſo vtuntur. quapropter mutata eorum voluntate, & conſilio; [b] ſtatim nullius pretij, inutiliſq; omnino ad cunctas eas res euadit. [a] Ergo numus, quod videtur etiam aliquando multitudini, per ſe nihil eſt; & lege, opinioneq; conſtat, non naturâ. Veræ autem diuitiæ per ſe eſſe aliquid, & maximum quidem debent; naturâq; hac de cauſa, non lege, & opinione conſtare: ſi vera eſt communis ſententia de illis, quòd ſufficientiam præſtent; &, vbi adſint, nihil præterea aliunde deſyderetur rerum ad vitæ vſum accommodatarum. Ergo quærendæ ſunt pręter numos aliæ quædam diuitiæ, quæ per ſe, & naturâ ſuâ, non lege ſolùm, & hominum uoluntate ſint tales, hoc eſt quibus per ſe, quandiu adſunt, contenta ſit hominum vita ad explendas cumulatiſſimè indigentias, vſuſq; ſuos vniuerſos, nec alieni conſilij mutationem vllo modo vereatur. Ergo etiam præter numulariam, cauponiam'ue quærenda eſt alia pecuniaria, quæ in has tendat diuitias. Omnino enim diuitiæ ſunt finis pecuniarię, vt dictum eſt ſuprà.

Numi cõditiones ex quiditate, virtute, cauſa.

Verarũ diuitiarum conditiones ex quiditate, virtute, cauſa.

Eſſe alias diuitias præter numos, quæ veræ ſint.

Eſſe aliã pecuniariã præter cauponiã.

Partes textus duæ. Prima nihil eſſe naturâ, ſed nugas, & legem duntaxat ipſum numum proponit. Secũda hoc probat per locum ab euentis.

Partes textus.

S C H O L I A.

Aliquando autem è contrario videtur. Hæ voces reſpondent uocibus ſuperioribus in text. 98. *ſæpe ponunt;* & in tex. 97. *videtur.* Vt intelligamus eandem multitudinẽ ſæpe quidẽ accipere opiniones illas, quæ in illis textibus ſunt explicatæ: nonnunquam tamen & in has deſcendere, quæ illis contrariæ ſunt.

Vulgus ſæpe ſuperiores probat ſententias, nonnunquam tamen et has.

Alluſio in verbis. *Vocabulũ, numi grecè vnde.* *Numus quomodo naturâ, quomodo lege conſtet.*

Nugæ videtur eſſe numus & lex. græcè, λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα, καὶ νόμος. Ludit Philoſophus in his verbis νόμισμα, καὶ νόμος, vt Victorius ait. Vocarunt enim numum Græci νόμισμα ἀπὸ τοῦ νόμου, ideſt à lege: quod ſcribitur in v. ad Nicomachum, vnde omnia, quæ hîc dicuntur, ſumpta ſunt. Et ob hanc cauſam numum inquit eſſe νόμον, ideſt legem prorſus. Intellige autẽ numum nugas, legemq́ue omnino eſſe, & nihil naturâ, quatenus appellatio hæc ei conuenit, & numus eſt, inſtitutus ad permutationes faciendas. nam quatenus eſt aurum, vel argentum; profectò eſt aliquid naturâ, ęſtimationemq́ue, & vtilitatem per ſe habet, non lege, aut inſtitutione hominum ad humanam vitam. hoc eſt ad extremum materia numi eſt res naturalis; ipſe numus, & quicquid eſt quaſi eius forma, eſt à lege. Similia his ſcribuntur ab Athenæo in lib. iv. Cœnarum. *In v. ad Nich. cap. 5.* *Athenæus lib. 4. cap. 18.*

Vox &. *Quòd & mutata ſententia vtentium.* Conſydera vocem, &, græcè τε, quam interpretes prætermiſerunt. Illa ſignificat, opinor, ipſius numi prætium, vtilitatemq́ue perire duobus modis: vno, ſi materia intereat, ex qua conſtat: altero, ſi mutetur uoluntas, inſtitutumq́ue vtentium, quod eſt quaſi forma illius.

Pretium, & vtilitas in numo idem, in alijs rebus diuerſa, & quomodo. *Pretium, & vtilitas rei proportiõe nõ ſemper ſeſe ſequũtur.*

Nihili æſtimandus, nec vtilis ad vllam rerum neceſſariarum. In numo, quà numus eſt, hæc duo non diſtinguuntur, pretium, & vtilitas; ſed vtilitas pretium eſt, & pretium vtilitas: nec vlla eius vtilitas ad vſum vitæ præter pretium: vnde etiam pretium dici ipſe ſolet, quom merci opponitur. Sanè ſi ex numo, ideſt ex numi auro cochleare facias: iam hæc vtilitas auri erit, non numi. In cæteris rebus aliud pretium eſt, aliud vtilitas. Et quanquam pretium ex vtilitate deberet naſci, ac plerunque naſcitur: tamen exigui pretij res poteſt eſſe vtiliſsima; & maximi, parum vtilis; vt liquet de pane, & adamante: niſi admonitu neceſsitatis reſipiſcamus.

ARGVMENTVM. TEXT. C.

Secunda ratio antiqua, à connexis & repugnantibus: quia numis abundans ſæpenumero carere poßit alimento neceſſario, & fame perire: quod Mida exemplo comprobatur. Vnde elucet alia differentia in euentis poſita.

Text: c. [a] Καὶ νομίσματος πλουτῶν πολλάκις ἀπορήσει τῆς ἀναγκαίας τροφῆς: [b] καίτοι ἄτοπον τοιοῦτον εἶναι πλοῦτον, οὗ εὐπορῶν λιμῷ ἀπολεῖται. [c] καθάπερ καὶ τὸν Μίδαν ἐκεῖνον μυθολογοῦσι διὰ τὴν ἀπληστίαν τῆς εὐχῆς, [d] πάντων γιγνομένων τῶν παρατιθεμένων χρυσῶν.

[a] Et diues numorum carebit ſæpe neceſſario alimento: [b] quanquam abſurdum eſt, eiuſmodi eſſe diuitias, quibus abundans fame pereat; [c] quemadmodum & Midam illum fabulantur ob * inexpletionem optati; [d] quum omnia ei fierent, quæ apponerentur, aurea.

** διὰ τὴν ἀπληστίαν τῆς εὐχῆς: quia optauerit, id, quo expleri nõ poſſet.*

Propoſitio: Repugnare diuitijs, vt qui ijs affluẽs careat alimento neceſſario. *Aſſũptio: Cũ quãtauis copia numorum poſſe aliquem carere alimẽto neceſſario.* *Cõfirmatio aſſumptionis.*

E X P L A N A T I O.

[b] Absvrdvm eſt, & repugnat rationi diuitiarum, vt quis, ijs affluens, careat neceſſario alimento, ac fame pereat; quemadmodum & per ſe, & ex ijs, quæ antea diſputata ſunt, liquet: [a] ſed quantamuis copiam numorum quis habuerit, & quantumuis eorum diues dicatur; nihilominus fieri poteſt, & fit ſæpenumero, vt careat alimento neceſſario, & fame pereat; [c] quod fabula Midæ demonſtrat: ergo numi veras diuitias b. a. c. d.

non

non faciunt: ergo nec numularia, aut cauponia vera pecuniaria eſt: ergo præter numos aliæ diuitiæ, ijs veriores; & præter numulariam, cauponiam'ue alia pecuniaria ponenda eſt.

Duo theoremata: Eſſe alias diuitias præter numos, & aliā pecuniariā præter cauponiam.

Partes textus tres: In prima (a) eſt aſſumptio. In ſecunda (b) eſt propoſitio. In tertia (c d) eſt confirmatio aſſumptionis.

Partes textus.

S C H O L I A.

Quemadmodum & Midam illum fabulantur ob inexpletionem optati. In his verbis ſubaudiēdum eſt: neceſſario alimento caruiſſe, & fame penè confectum. Quæ autem ſequuntur, *quum omnia ei euaderent aurea, quæ apponerentur,* ſunt quaſi cauſa, & expoſitio huius rei, cur alimento caruerit Midas, &, voti ſui compos factus, magis egeret ita, vt ſatiari nullo modo poſſet. Notiſsima, vulgatiſsimaque eſt Midæ fabula, quam inſeruit Ouidius in ij. librum Metamorphoſeos. Optauerat ille à Baccho, vt, quicquid contingeret, in aurum verteretur. Annuit Bacchus optatis. Tum ille

Supplemētum verborum.

Mida fabula aſſumptionem confirmans.

. . . . diuesque, miſerque
Effugere optat opes, &, quæ modo vouerat, odit.
Copia nulla famem releuat: ſitis arida guttur
Vrit; & inuito meritus torquetur ab auro.

Verùm quid opus eſt fabulis? ſæpe, vt ait Philoſophus, hoc euēnit, euenturumque eſt in annonæ difficultatibus, præſertim bellorum temporibus, aut dum peregrinamur. Puto me legiſſe in Hiſpanicis nouarum terrarum luſtrationibus fruſtum panis veniſſe aliquando mille aureis numis; & qui illud emerit, ſeruatum; qui vendiderit, fame abſumptum eſſe. Certè Caſilini vrgente fame ſcribunt Strabo in v. & Valerius in vij. libro, ille medimnum frumenti ducentis drachmis, hic murem ducentis denariis vēditum eodem euentu, vt venditor fame periret, emptor incolumis euaderet. Multaque alia ſimilia in hiſtoriis referuntur.

Confirmatio einſdē aſſumptionis ex hiſtoria, & veritate.

Valeri᷒ Max. lib. vij. cap. 6.

Ob inexpletionem optati. Διὰ τὴν ἀπληστίαν τῆς εὐχῆς. non quòd optatum expleri non potuerit. Expletum eſt enim cumulatiſsimè: &, quicquid tangebat, fiebat aurum. Sed hoc optato expleri ille, qui optauerat, prorſus non potuit. Expletio latine dicitur. hinc inexpletionem feci: quæ, vtro libèret modo, acciperetur, vel actiuè, vel paſsiuè.

Sentētia verborum.

Vocabulum inexpletionis.

Textus xcix.

*

Concluſio, & approbatio.

PARS II. CAPITIS XXI.

ARGVMENTVM. TEXT. CI.

Concluſio, & approbatio harum duarum ſententiarum de alteris diuitiis præter numos, & altera pecuniaria præter cauponiam.

Text. ci. [a] Διὸ ζητοῦσιν ἕτερόν τι τὸν πλοῦτον, καὶ τὴν χρηματιστικήν· [b] ὀρθῶς ζητοῦντες.

[a] Quapropter quærunt alterū quippiam, diuitias ipſas, & ipſam pecuniariam; [b] rectè quærentes.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Duæ ſuperiores ratiões firmæ, & in medio poſitæ. [a] Firmæ ſunt duæ rationes, quas duo proximi textus explicarunt, & in medio poſitæ. [a] Ab ijs igitur excitata hominum multitudo, licet non perſpiciat, ſentit tamen, quæritq́; nonnunquam; [b] ac rectè quidem quærit alteras diuitias à numis, & alteram pecuniariam à cauponia. a. a. quaquam b.

Duæ theoremata.

Partes textus. Partes textus duę. Vna concluſionem: altera approbationem continet.

Textus XCIX.

Rationes nouæ Philoſophi.

PARS TERTIA CAPITIS XXI.

Rationes nouæ Philoſophi ad has ſententias confirmandas, tradendasq́; differentias cauponij, & alimentarij generis pecuniariæ; itemq́; verarum diuitiarum, & numorum.

Ἔστι γὰρ ἑτέρα ἡ χρηματιστικὴ &c. Tex. CII ad CVI.

ARGVMENTVM TEXT. CII.

Prima ratio Philoſophi per locum à cauſa: quòd quędam pecuniaria, & quędam diuitiæ ſint, quæ naturâ, inſtinctuque naturali exiſtunt, & ſunt eiuſmodi, non ratione conſiliaria tantùm, & lege. Vnde rurſus apparet differentia cauſarum inter duo genera pecuniariæ; & inter numos, ac veras diuitias.

Text. cij. [a] Ἔστι γὰρ ἑτέρα ἡ χρηματιστικὴ, καὶ ὁ πλοῦτος, [b] ὁ κατὰ φύσιν.

[a] Eſt enim altera pecuniaria, & ſunt alteræ diuitiæ, [b] quæ naturâ.

EXPLANATIO.

Argumentatio. [b] Est quędam pecuniaria, nempe alimentaria, quæ naturâ, hoc eſt quę inſtinctu naturali hominum exiſtit, non conſiliaria ratione, vt cauponia; ac rurſus ſunt quædam diuitię, veræ ſcilicet, quę naturâ ſuâ, & per ſe eiuſmodi ſunt, non lege, & voluntate noſtra, vt numi: [a] ergo rectè quęrit hominum multitudo diuitias alteras, & alteram pecuniariam, hanc præter cauponiam, illas pręter numos, vt dicebatur in textu antecedenti. b. a.

Aſſumpti firmamentum. Aſſumptum eſt notum ex ijs quę antea ſunt conſtituta in diſputatione de pecuniaria alimentaria. Continet hæc ratio primam differentiam inter

numos,

numos, & veras diuitias; inter cauponium, &alimentarium genus pecuniariæ. Quæ differentia eſt differentia cauſarum. Illa enim, ideſt cauponium genus, & numi ratione, legeq; conſtant, vt dictum fuit in text. 96. & 99: hęc conſtant naturâ, & inſtinctu naturali, vt eſt dictum in diſputatione de genere alimentario.

Differẽtia cauſarum efficiẽtium inter numos, & veras diuitias, inter cauponium, et alimẽtarium genus pecuniariæ.

Partes textus duæ. In prima eſt quaſi concluſio. In ſecunda eſt quaſi ratio.

Partes textus.

ARGVMENTVM. TEXT: CIII.

Secunda ratio Philoſophi, continens tres alias differentias cauponiæ, & alimentariæ pecuniariæ, à toto, vel à genere, à fine, & ab actu proprio cauponię: quoniam illa altera pecuniaria, ideſt alimentaria ſubſit rationi domeſticę: hęc cauponia non ſubſit; proptereaquòd ſit pecuniarum, ideſt numorum effectrix; nec alio modo, niſi per commutationem eorum.

Text. ciij. [a] Καὶ αὕτη μὲν, οἰκονομική· [b] ἡ δὲ καπηλική, ποιητικὴ χρημάτων, [c] οὐ πάντως, ἀλλ' ἢ διὰ χρημάτων μεταβολῆς.

[a] Et hæc quidem eſt domeſtica ratio: [b] cauponia autem eſt effectrix pecuniarum, [c] non quoquo modo, ſed per pecuniarum commutationem.

EXPLANATIO.

a. [a] Iſta altera pecuniaria, de qua proximè dicebatur, quam natura, ſeu inſtinctus naturalis progenerat, hoc eſt alimentaria, ſubeſt rationi domeſticæ, tanquam eius pars: cauponia nullo modo ſubeſt, pertinet'ue ad rationem domeſticam: ergo & eſt altera pecuniaria præter cauponiam; & differt iſta altera pecuniaria, quam alimentariam nominamus, à cauponia toto, quod eſt quaſi genus. Maior propoſitio conſtituta eſt ſuprà, pręſertim in quarta parte cap. xvij. & infrà rurſus conſtituetur in prima xxiij. Minor ſic oſtenditur per ſecundam, & tertiam differentiam: quarum illa

Argumẽtatio. Prima differẽtia alimentariæ, & cauponię à toto, ſiue genere.

Maioris propoſitionis firmamentum.

Minoris probatio.

b. à fine, hæc ab actu ſumitur. [b] Cauponia eſt effectrix pecuniarũ, ita vt pecuniarum, ideſt numorũ multitudo, quemadmodũ annotaui ad text. 97. ſit finis eius: non eſt autẽ finis rationis domeſticæ, nec partis, aut ſpeciei rationis domeſticę multitudo numorum; ſed quod ad viuendum ſit ſatis, diuitiæq; naturales ſunt eiuſmodi finis. Quanquam enim efficit, ſuppeditatq; quadantenus numos ratio ipſa domeſtica: non tamen eos efficit, ſuppeditatq; vt finem ſuum; verùm vt ijs vtatur ad finem ſuum, comparans illa, quæ deſunt vſibus vitæ, commutansq; numorum ope cum illis, quæ ſuperſunt. Ita præterquam genere, ac toto, differunt etiam finibus

Altera differentia à fine.

c. cauponia, & alimentaria pecuniaria. [c] Adhuc, quod ad ipſum actum efficiendi, parandiq; numos attinet; quom dicitur, cauponiam facere numos, non intelligitur, fieri ab ea numos omnino, & ſimpliciter, ſed certa quadam ratione duabus conditionibus definita. Quarum conditionum vna eſt, vt non per ſe gignat, multiplicet'ue numos cauponia, quemadmodum

Tertia differẽtia ab actu. Effectrix pecuniarũ quemodo cauponia.

cuſoria, & metallica. Altera conditio eſt, vt ex commutatione non rerum ſuarum, quæ ſibi ſuperſint, quod facit œconomus; ſed ex ipſa ſola commutatione, vel numorum prorſus, quemadmodum fœneratores, & argentarij ſolent; vel hinc numorum, inde operarum, aut rerum, quemadmodum ſolent mercenarij, & mercatores; caupo faciat, multiplicetq; pecuniam, & numos. Quare in hoc etiam actu faciendi numos, ac permutandi apparet differentia cauponiæ, & alimentariæ. Animaduerte hac, & ſequenti ratione contineri ſolùm differentias duorum generum pecuniariæ, non item duplicium diuitiarum.

Hac duarratione hu°, et ſub ſequenti tex° continêri differentias duorum generum pecuniaria tātum, nō duplicitū diuitiarū.

Partes textus tres: vnaquæque vnam proponit differentiam.

Partes textus.

ARGVMENTVM. TEXT. CIIII.

Tertia Philoſophi ratio, & quinta differentia inter cauponiam, pecuniariamque alimentariam, à proprio illius obiecto, quod numus eſt: hoc autem oſtenditur per locum à proprietate obiecti reſpectu actus: nam cuius facultatis actus eſt aliqua res elementum, & terminus; eiuſdem facultatis eadem res eſt obiectum proprium.

Text: civ. [a] Καὶ δοκεῖ περὶ τὸ νόμισμα αὕτη εἶναι: [b] τὸ γὰρ νόμισμα στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς ἐστί.

[a] Et videtur circa numum hæc verſari: [b] numus enim eſt elementum, & terminus permutationis.

a. ſimile ſuſ tex. 97.

EXPLANATIO.

Differvnt obiectum, & finis: quòd finis terminat, & perficit non ſolùm actum, ſed etiam facultatem, ſubſtantiamq;, vnde actus proficiſcitur, & denique eſt id cuius causâ: obiectum nec eſt id cuius causâ; nec perficit propriè; ſed terminat; & terminat actum tantùm, non ſubſtantiam, aut facultatem; &, quum ſit terminus, [b] eſt etiam initium, & fundamentum totius actus, ſine quo exiſtere, aut permanere actus prorſus non poteſt. In textu igitur antecedenti argumētum, & differentiam mediam à fine ducebat Philoſophus: in hoc argumentatur propriè ab obiecto. Et quanquam finis ibi poneretur idem numus, qui hîc ponitur obiectum: non tamen eſt omnino idem: quoniam non numus ſimpliciter, ſed multitudo numorum erat finis pecuniariæ cauponiæ. Obiectum rurſus, & materia, quom de actionibus loquimur, nō ſunt res diuerſæ: at ex diuerſis relationibus diuerſa ſunt nomina eiuſdē rei. quod enim obiectum dicitur ad facultatem; idē dicitur materia ad cauſam efficiētem. ſubiectum autem maximè propriè nominatur, quod eſt ſub forma, de qua re alibi. Conuenit itaque, eſſe hîc numum obiectum, qui in tex: 97, erat materia cauponiæ pecuniariæ. Sed conſyderemus verba, & rationem Philoſophi. [a] Videtur circa numum verſari pecuniaria cauponia, vt numus ſit proprium eius obiectum: circa numum tanquam circa ſuum proprium obiectum non verſatur alimentaria, ſed circa res per ſe vtiles humanæ vitæ; ergo præter cauponiam eſt altera pecuniaria, nimirum alimentaria; differuntq;

Obiecti, & finis diſcrimina.

Locus argumentationis, at differentia, quæ in hoc tex: proponuntur, qua ſint: & quo pacto differat à loco, & à media differētia tex. ſuperioris.

b. elementum & terminus.

Vocabulorū, obiecti, materia, ſubiecti diſtinctio.

Solutio dubitationis, quomodo hic ponatur numus obiectum, qui in tex: 97. ponebatur materia caponia.

Argumētatio ex differētia obiecti inter duas pecuniarias.

runtq; hæ duę pecuniariæ inter ſe obiecto. Minor eſt nota ex ſuperiori diſputatione de pecuniaria alimentaria. Maior hoc modo demonſtratur. [b] Quæcunq; res eſt elementum, & terminus, ideſt prima cauſa, ſedesque, ac fundamentum perpetuum; in quo incipit, & in quo deſinit actus alicuius facultatis; illa eadem res eſt obiectum proprium eiuſdem facultatis: numus autem eſt elementum, & terminus actus pecuniariæ cauponiæ: ergo eſt eiuſdem pecuniariæ cauponiæ obiectum proprium. Maior eſt per ſe manifeſta.. natura enim, & proprietas obiecti, vt ad actum refertur, eſt talis. [b] Minor etiam liquet ex ſuperioribus. nam proprius actus cauponiæ eſt permutare; ac permutare quidem nō ad vſum, ſed ad quęſtum, vt ſæpe annotaui, præſertim ad textum 92; vel, quemadmodum dicebatur in textu antecedenti, actus eius eſt numos permutando numos facere: ergo à numo incipit, & in numum deſinit, nec à numo, ijs'ue, quæ numo parem poteſtatem habent, ſeparatur vllo modo cauponiæ actus, qui eſt eiuſmodi permutatio.

Minoris propoſitionis firmamentum. Proſyllogiſmi probas maiorem.

Firmamētum maioris proſyllogiſmi. Firmamētum minoris proſyllogiſmi.

b. b permutationis.

Partes textus duæ. In prima ponitur maior ſyllogiſmi principalis. In ſecunda ponitur minor proſyllogiſmi; & indicium in voce, *permutationis*, quòd illa minor ſit ex ſuperioribus manifeſta. *Partes textus.*

ARGVMENTVM. TEXT. CV.

Quarta ratio Philoſophi reſpectu quidem diuitiarum, ab adiacentibus, quæ ſunt interminatum, & terminatum; reſpectu autem generum pecuniariæ, à finibus, qui ſunt diuitiæ, & pecuniæ, & ab actibus expetendi, & quærendi. Continet hæc ratio tres differentias duplicium diuitiarum, tresque ſimiliter duplicis pecuniariæ. Vna differentia diuitiarum eſt ab adiacentibus: diuitiæ numariæ ſunt per ſe infinitæ; veræ finem habent. altera eſt ab actibus patiendi: illæ quæruntur infinitè à cauponia; hæ non quæruntur infinitè ab alimentaria. tertia eſt à proprijs ipſarum relationibus ad ſuas pecuniarias: illæ ſunt vltimus finis cauponiæ; hæ non ſunt vltimus alimentarię, ſed quidam, qui in vlteriorem finem porrigitur, domeſticæ rationis ſcilicet, cuius pars eſt alimentaria. Prima harum differentiarum ſumitur vt nota ex tex. 88: conficitur tamen aliquo modo etiam ex ſecunda, & eſt locus ab actu patiendi. Secunda conficitur ex tertia per locum à proprijs, & per alterum à genere, vel à ſimili in artibus: quarum artium vnaquæque eſt ſui finis in infinitum; eorum verò, quæ ſunt ad finem; non eſt in infinitum. tertiæ prior pars ſumitur vt nota: pars poſterior oſtenditur per locum à munere rationis domeſticę; quod quidem munus non ſit diuitias, aut pecunias vllas comparare, ſed vti comparatis in familię gubernatione. Differentiarum duplicis pecuniarię, pendentium à differentiis duplicium diuitiarum, vna ſumitur ex finibus, & inſtrumentis, quę diuitię ſunt, ideſt ab illorum adiacentibus: nam cauponatricis diuitię ſunt infinitę; alimentariæ non ſunt infinitæ. altera ſumi-

tur ab actibus: quia cauponia quęrit numos in infinitum; alimentaria nec numos, nec alias pecunias quęrit in infinitum. tertia ſumitur à finibus ſummis, & non ſummis: quòd cauponię ſummus finis ſint diuitię; alimentarię non ſint diuitię, aut pecunię omnino ſummus, ſed quidam finis, qui in vlteriorem dirigatur.

Text. cv. [a] Καὶ ἄπειρος δὴ οὗτος ὁ πλοῦτος, ὁ ἀπὸ ταύτης τῆς χρηματιστικῆς. [b] ὥσπερ γὰρ ἡ ἰατρικὴ τοῦ ὑγιαίνειν εἰς ἄπειρόν ἐστι, [c] καὶ ἑκάστη τῶν τεχνῶν τοῦ τέλους εἰς ἄπειρον· [d] ὅτι μάλιστα γὰρ ἐκεῖνο βούλονται ποιεῖν· [e] τῶν δὲ πρὸς τὸ τέλος οὐκ εἰς ἄπειρον· [f] πέρας γὰρ τὸ τέλος πάσαις· [g] οὕτω καὶ ταύτης τῆς χρηματιστικῆς οὐκ ἔστι τοῦ τέλους πέρας· [h] τέλος δὲ ὁ τοιοῦτος πλοῦτος, καὶ * χρημάτων κτῆσις· [i] τῆς δ' οἰκονομικῆς οὐ χρημάτων κτῆσις * ἐστὶ τέλος· [k] οὐ γὰρ τοῦτο τῆς οἰκονομικῆς ἔργον.

** In omnibus libris legitur χρηματιστικῆ i. pecuniaria. * πέρας legi in omnibus libris grecis. D. Tho. et Aret. videl legiſſe τέλος. Pro his, quæ in hoc, & in ſeq. textibus dicūtur, vide etiā ſup. tex. 88.*

[a] Et infinitæ porrho hæ diuitiæ, quæ ab hac pecuniaria quęruntur. [b] quemadmodum enim ars medicā rectè valendi in infinitum eſt; [c] & vnaquæque artium ſui finis in infinitum; [d] quam maximè enim volunt illum efficere; [e] eorum verò, quæ referuntur ad finem, non in infinitum; [f] ipſe nanque finis eſt terminus * omnibus: [g] ita & pecuniariæ huic non eſt terminus ipſius finis: [h] finis verò diuitiæ huiuſmodi, & pecuniarum comparatio; [i] domeſticę autem pecuniarum comparatio non eſt finis; [k] non enim hoc eſt domeſticæ rationis munus.

** artibus intelligo, non ijs, quæ referūtur ad finem: græcè enim eſt πάσαις fęminis ſermone.*

E X P L A N A T I O.

Tres argumētationes, ex quibus ratio huius textus cōſtat.

Mvlta ſunt in hoc textu ſubaudienda, repetēdaq; ex tex. 88. quod ex ijs, quæ dicentur, planum erit. Tota ratio in tres argumentationes principales reſoluitur, quæ illico oſtendant duas ſententias initio huius capitis propoſitas. Et prima quidem earum argumētationum per locum ab adiacentibus probat ſecundam ſententiam, quòd præter numos ſint aliæ quædam diuitiæ à numis diuerſæ: ſecunda ex finibus, & tertia ex actibus confirmant primam, ideſt probant eſſe pręter cauponiam alteram pecuniariā ab ea prorſus differentem. Prima argumentatio ſic explicatur.

Prima arg. ꝑ locū ab adiacētibus, oſtendens eſſe alias quaſdā diuitias numis veriores. Et in hac argumētatiōe tres differētia geminarū diuitiarū.

[a] Diuitiæ, quas expetit, paratq; cauponia tanquā ſuum finē, & quæ ad extremū, vt ſuprà apparuit, nihil aliud ſunt, niſi multitudo numorū, ſunt infinitæ; ac duobus quidē modis infinitæ, vno ex ſe, ac naturâ ſuâ, quatenus diuitiæ appellantur, altero ex ſtudio cauponiæ pecuniariæ, quatenus hæc eas expetit, quærità; in infinitum: ſed ſunt quędā diuitiæ, quas quærit, paratq; alimentaria, & quas veras diuitias appellare ſoliti ſumus, quæ non ſunt infinitæ nec ex ſe, & naturâ ſuâ, vt diuitiæ appellantur, nec ex ſtudio alimentariæ, licet ex ſtudio, & cupiditate quorundam hominum videri aliquando infinitæ poſſint: ergo præter diuitias numarias ſunt aliæ diuitiæ à numis diuerſæ. [a] Maior propoſitio habet duas partes pro duplici infinitate. Prima pars de infinitate ex natura rei ſatis euidens eſſet ex ijs, quæ dicta fuerunt in textu, & commentario 88. nam quicquid diuitiarum vocabulo nuncupatur, ob idipſum nuncupatur hoc vocabulo, quia

Maioris propoſitionis huius argumentationis prima, ꝙ diuitię numarię infinita ſint ſuā naturā ſuā, ꝗ ex ſtudio cauponæ, confirmatio.

vſibus

vſibus vitæ ſufficere abundè queat: nunquam autem quãtauis numorum
multitudo per ſe, & naturâ ſuâ vitæ vſibus ſufficere vllo modo poteſt, ne-
dum poſſit abundè; propterea quod vitę vſibus numi accommodati non
ſint, nec deſtinati naturâ, & per ſe, ſed lege, & conuentione tantùm, vt
b. & inde. eo in loco ac ſæpe alibi expoſitum fuit. [b] Et tamẽ Philoſophus, cõprobans
ſecundam infinitatem, quam facit ſtudium cauponiæ, probare ſimul ali-
quo modo hanc videtur per locum ab actu patiendi. veriſimile enim eſt
numarias diuitias per ſe, & naturâ ſuâ infinitas eſſe, ſi à propria earum fa-
cultate expetuntur, quæruntúrq; in infinitum. Hoc autem, ideſt expeti
infinitè à cauponia numarias diuitias demonſtrat Philoſophus ex eo,
b. [b] quòd diuitiæ numarię ſint finis facultatis cauponię, vt ſępe eſt dictum;
b. c. [b] & facultas, arsq; vnaquęque infinitè expetat ſuum finem, quemadmo-
dum poſtea declarabitur in tertia argumentatione, cuius maior propoſi-
tio totam hanc partem maioris propoſitionis huius argumentationis pri-
mæ continet. At minor eiuſdem argumentationis primæ, quæ ſubau-
c. i. dienda eſt, [c] indicatur enim duntaxat quibuſdam verbis; tres habet par-
tes; vnam, non eſſe diuitias veras infinitas ex ſe; alteram, non eſſe eaſdem
infinitas ex ſtudio alimentariæ; tertiam, ex cupiditate quorundam homi-
num videri aliquando infinitas: & omnes hæ partes poſitæ ſunt in tex. 88.
a. per totum. ponenturq; in ſubſequentibus. [a] Secunda argumentatio ex finibus, pro-
bans primam ſententiam, tota ſimiliter ſubaudienda, & conſecutione ne-
ceſſaria inferenda eſt ad hunc modum. Quorum pecuniariæ ſtudiorum,
rationumq; diuitiæ, & fines inter ſe ſunt diuerſi; illa ſtudia, rationesq; ne-
ceſſe eſt eſſe inter ſe diuerſas: ſed diuitiæ, & fines cauponiæ, & alimentarię
ſunt inter ſe diuerſi: ergo &c. Maior eſt per ſe nota. nam finibus potiſſi-
mùm ſtudia, facultatesq; diſtinguuntur. Minor eſt concluſio ſuperioris
b. & inde. argumentationis. [b] Tertia argumentatio ex actibus, probans eandem
g. h. primam ſententiam, eſt huiuſmodi. [g] Cauponia pecuniaria quærit infini-
i. tè numarias diuitias: [i] alimentaria nec has, nec veras quærit infinitè: ergo
eſt ab illa omnino diuerſa. Ambæ propoſitiones ſimul hoc modo oſten-
c. duntur. [c] Ars, & facultas vnaquæque eſt finis ſui vltimi, ac ſummi (nam
d. de hoc loquimur) in infinitum, hoc eſt quęrit infinitè illum, [d] vultq; quàm
e. maximè eum efficere, & comparare; [e] quæcunque verò in illum ſunt de-
ſtinata, eorum non eſt in infinitum, ſed certa quadam præſcriptione, &
ing. & i. modo: [g] cauponia, & alimentaria ſunt artes, facultatesue, aut denique ſi-
miles artibus, & facultatibus: ergo, per locũ à genere, vel à ſimili, vtraque
erit ſui finis vltimi, ac ſummi in infinitum; eorumque, quæ deſtinantur
h. ad finem, non in infinitum, ſed certa quadam pręſcriptione, & modo.
i. [h] ſunt autem cauponiæ ſummus finis diuitię numarię: [i] ſunt & hæ, &
aliæ, quas veras nominamus, alimentariæ rationis non ſummus finis, ſed
b. & inde. ex deſtinatis ad vlteriorem finem: ergo &c. [b] Eſſe vnamquanque artem,
b. & facultatem ſui vltimi finis in infinitum, [b] pręterquam quòd exemplo
c. vnaquaque artium. medicinæ oſtenditur; innuitur etiam confirmari poſſe [c] tum inductione,
d. percurrendo alias artes; [d] tum ratione per locum à coniugatis. & ratio
eſſet huiuſmodi. Finis ſemper, & per ſe vim habet appetitionis mouen-
dæ: quicquid autem per ſe, & ſemper vim aliquam, & poteſtatem habet;
id, quo amplius, cumulatiusq; omnibus modis fuerit, vim eam obtinebit
perfectiorem, atque efficaciorem; quemadmodum color candidus, quan-
to fuerit candidior, tanto magis diſijciet aſpectum noſtrum: ergo finis,

Minoris ꝓpoſitiõis argumẽtatiõis primę, ꝙ diuitia verę non ſint infinita nec naturâ ſuâ &c. firmamentum.

Secunda arg. ꝑ locũ à finibus, & inſtrumẽtis, probãs eſſe alterã pecuniariã ꝓter cauponiam ab ea prorſus differẽtẽ. In qua argumẽtatiõe cõtinetur ꝑ. differẽtia duplicis pecuniarię.

Tertia arg ꝑ locum ab actibus idẽ oſtendens. In qua argumẽtatiõe cõtinentur 2 et 3 differẽtia duplicis pecuniaria.

Ambarũ ꝓpoſitionũ tertia argum, maioris, ꝙ cauponia quærat infinitè numariasdiuitias, et minoris, ꝙ nec has, nec veras alimentaria quęrat īfinitè, firmamẽtum.

Finis ſui vltimi eſſe artem, et facultatem vnamquãque in infinitum.

quo

Deſtinata in fines nō quæri ab artibus, ſacultatibusuè in infinitum.

quo magis comparabitur, eo magis expetetur; & quo magis expetetur, eo magis comparabitur. [e] Non quęri, parari'ue ab artibus in infinitum, ſed certa quadam prę́ſcriptione, & modo res illas, quæ ſunt deſtinatæ ad finem, ſatis planum eſt per expoſitionem cauſæ. [f] Nam finis in omnibus artibus eſt terminus, qua tanquam regula, ac menſura cætera menſurantur, præſcribiturq; illis modus, vt tantopere quærantur, quantopere adiuuare eum terminum, ac finem poſſunt. [h] Quòd diuitię numarię ſint ſummus finis pecuniariæ cauponiæ, ſępe dictum eſt: nec eſt repetendum:

Diuitiæ veræ ſint'ne finis pecuniariæ alimentariæ, & qualis.

ſed intelligitur ex vſu rerum. [i] Reſtat difficultas de pecuniaria alimentaria: cuius quum aliàs affirmatum ſit finem eſſe veras diuitias; hîc negatur aut has, aut vllas omnino, id enim ſignificat pecuniarum vocabulum, eſſe eius finem. At ſoluitur. [l] nam ſunt quidem finis veræ diuitię rationis alimentarię, non tamen vltimus finis, ſed qui in vlteriorem dirigatur finem. Quippe ratio alimentaria, ſi de priuatis ſit rebus, de quibus nunc propriè loquimur, eſt pars rationis domeſticę, [i] vnde etiam vocari ſolet pecuniaria domeſtica; quemadmodum quę eſt de publicis, reducitur ad rationem ciuilem: at fines partium, qui propriè cernuntur, nominantur'ue extra finem totius, non ſunt ſummi fines; ſiquidem in eum, qui totius finis eſt, porriguntur: nec quærit, cupit'ue pars vlla, imò deſpicit prorſus finem, ac ſalutem ſuam præ totius fine, & ſalute, in quibus reſidet ſalus, & perfectio cunctarum partium. [k] itaque ſi vllę diuitię eſſent ſummus finis rationis alimentariæ; eędem eſſent finis rationis domeſticæ: ſed non ſunt finis rationis domeſticę diuitiæ, aut pecuniæ vllę, quandò ne munus quidem rationis domeſticæ, quod fini anteuertit, poteſt eſſe pecuniarum comparatio, quæ pecuniarum comparatio ſimiliter anteuertit pecunias & diuitias.

Duplex q̄ſtio ex ijs, quæ proximè dicta ſunt.

Cuius igitur hoc munus erit; ſi non eſt rationis domeſticę? & quod tādem erit rationis domeſticę munus; ſi hoc non eſt? An domeſticę quidem rationis munus ſupremum eſt domum, ac familiam, quam optimè poſſit, ad benè, feliciterq; viuendum gubernare: munera autem inferiora ſunt multa, de quibus alibi dixi. verùm, quod ad præſentem locum, ideſt quod ad ipſas pecunias attinet, vti pecunijs in domeſtica gubernatione eſt proprium munus rationis domeſticæ. Pecunias autem comparare, quantum ſatis ſit ad benè, beateq; viuendum in domo, eſt munus alimentariæ, quæ eſt pars domeſticę rationis.

Secunda quæſtionis ſolutio, Quodnam ſit munus ratiōis domeſticæ.

Primæ ſolutio, Pecuniarū cōparatio ſufficiens cuius'nā ratiōis ſit munus.

Summa oīum differentiarū, quæ in hac 3. parte cap. 21. tā inter duas pecuniarias, quàm inter geminas diuitias traditę ſunt à Philoſopho.

Omnes differentię expoſitę à Philoſopho in hac tertia vigeſimiprimi capitis parte; diuitiarum quidem quatuor; generum autem pecuniariæ octo fuerunt. Prima diuitiarum tradita eſt in textu 102. à cauſis ducta: reliquæ tres in hoc textu; quarum vna ſumitur ab adiacentibus quātitatis; altera ab actibus oppoſitarum facultatum in ipſas diuitias; nouiſſima à proprijs ipſarum relationibus ad eaſdem facultates. At generum pecuniarię prima differentia item à cauſa ducitur, quæ differentia expoſita eſt in eodem textu 102. ſecunda a toto: tertia à fine: quarta à proprio actu cauponiæ, qui eſt actus faciendi numos, & permutandi; atque hæ tres differentiæ expoſitæ fuerunt in text. 103. quinta differentia in textu 104. ex obiecto proprio ſumebatur. ſexta à finibus, & inſtrumentis ideſt ab adiacentibus illorum; & ſeptima ab actibus quærēdi; & octaua à finibus ſummis, & non ſummis traduntur in hoc textu. Multi alij ex his deduci, & ad has addi differentiarum loci poſſent in vtroque genere comparatorum: ſed nimis prolixa euaderet oratio, nec fieret operæpretium.

Partes

Partes textus decem. Prima ponit primam differentiam. Secunda, Tertia, & Quarta cõfirmant exemplo, inductione, & ratione vnamquanque artem eſſe ſui finis in infinitum. Quinta ponit, eorum, quæ ad fines diriguntur, non eſſe artes in infinitum. Sexta hoc probat ratione. Septima infert eodem modo, vt de artibus dicebatur, pecuniariam cauponiam eſſe ſui finis in infinitum. Et eſſe diuitias nummarias finem huius pecuniariæ admonet octaua. Nona ſubiungit nullas omnino diuitias eſſe finem pecuniariæ domeſticæ. Decima huius rei rationem affert ex munere rationis domeſticæ. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Et infinitæ porrho hæ diuitiæ &c. Hæc omnia continebãtur ſaltem virtute in tex.88. nec fortaſſe magna eſt vtilitas repetendi. nec conuenit hoc doctrinæ elementariæ, quali vti Ariſtoteles ſolet. *Indicium de hoc loco.*

Ars medica recte valendi in infinitum eſt &c. Dubito an hoc ſit omnino verum: vnamquanque artem quærere, ac velle ſuum finem in infinitum. Qua enim ratione infinitæ erunt comparationes, appetitionesque rerum, quæ finitæ ſunt, ac modum habent? ſed de his alibi. In explanatione D. Thomam ſecuuti ſumus. *Artes quærere, ac velle ſuos fines in infinitũ, quale enũciatum.*

Diuitiæ huiuſmodi, & pecuniarum comparatio. Pecuniarum comparatio græcè eſt χρημάτων κτῆσις. Hoc uocabulum κτῆσις, quom eſt ἀσύνθετον, ferè ſemper rem, & patrimonium ſignificat Philoſopho noſtro: quom vero iungitur, vt hic, voci χρημάτων, aut alicui alij ſimili, notat comparandi, vel poſsidendi actum. Reddi igitur æque poterat latinè poſſeſsio, ac comparatio. & fortaſſe illud nomen latinum aptius videtetur ad hoc inciſum: conuenit enim magis fini, vt ſit poſſeſsio, quàm vt ſit cõparatio: ſed nõ ſimiliter aptum fuiſſet ad nouiſsimũ, in quo dicitur χρημάτων κτῆσιν nõ eſſe munus rationis domeſticæ. Quis vero hoc reprehendat, Pecuniarum comparationem eſſe finem cauponiæ: quando cauponia pecunias quærit in infinitum; totaque, ac ſemper eſt in pecuniis comparandis? *Verſio quorũdam verborũ.*

Domeſticæ autem Pecuniarum comparatio non eſt finis. In omnibus græcis, & latinis exemplaribus pro pecuniarum comparatione, ideſt græcè χρημάτων κτήσεως legitur, χρηματιστικῆς, *pecuniariæ.* Sed eſt mendum manifeſtum. quid enim ſignificabit domeſtica, ſeu œconomica non pecuniaria? Omnino factam puto hanc vocem χρηματιστικῆς ex duabus vocibus χρημάτων κτήσεις, vt emendaui, quæ voces reſponderent iiſdem uocibus poſitis in membro ſuperiori; τέλος δὲ ὁ τοιοῦτος πλοῦτος, καὶ χρημάτων κτῆσις: vel factam eſſe ex vna uoce χρηματίζεσθαι eiuſdem ſignificationis, cui reſponderent illæ ſequentis inciſi, οὐ γὰρ τοῦτο. D. Thomas certè ſic interpretatur, quaſi legerit χρημάτων κτῆσις, pecuniarum comparatio: & Celius ſequitur D. Thomam. Etiam nomen τέλος tranſiji in πέρας, finis in terminum. ſic enim ſcriptum eſt in omnibus exemplaribus latinis, & græcis *terminus*, & πέρας, præterquam in codice Aretini, & in commentario D. Thomæ: Hi ſoli agnoſcunt uocem τέλος, quum finem interpretentur. Nomen domeſtica, ideſt græcè œconomica, quod eſt nomen adiectiuum, ſignificat in hoc inciſo pecuniariam œconomicam; in ſequenti autem domeſticam facultatem, & rationem, quam œconomicen Græci uocant. Sumitur ex hoc loco, pecuniarum comparationem, ac tandem diuitias non eſſe finem rationis domeſticæ. Cui ſententię haudquaquam repugnat id, quod ſcribitur in primo cap. primi ad Nicom. rationis domeſticæ finẽ diuitias eſſe. ſiquidem ibi exempla afferens, Ariſtoteles, non rem decernens, vulgi opinioni ſeſe accommodauit, quod confirmabitur, liquebitque magis ex ſequenti tex.108. *Emendatio ſcripturæ.* *Epithetum domeſticũ, vario ſignificatu in his duob. inciſis; prout in eo varia nomina ſubaudiuntur.* *Cõciliatio huius loci cum primo cap. P. ad Nicom.*

Textus

Textus x c i x.

Corollarium de ſtudio diuitiarum finito & infinito.

PARS QVARTA CAPITIS XXI.

Corollarium de ſtudio diuitiarum finito ex natura rei, & quà attinēt diuitiæ ad domeſticam, ciuilemq́ rationem; infinito ex vſu, atque hominum inſtitutis. cuius corollarij prioris partis cauſa expoſita ſunt; poſterioris deinceps explicabuntur.

Διὸ τῇ μὲν φαίνεται ἀναγκαῖον &c. Tex. c v i. ad c x i.

ARGVMENTVM. TEXT. CVI.

Corollarium cuius prior pars infertur ex ſuperioribus. Hac ratione, quà ad œconomicen, ſimiliterque ad politicen diuitię ſpectant; earum, omnium terminum aliquem eſſe: at in factis, inſtitutisque hominum apparere contrarium; cunctis, qui rem quærunt, coaceruantibus numos in infinitum.

Text. cvj. [a] Διὸ τῇ μὲν φαίνεται ἀναγκαῖον εἶναι παντὸς πλούτου πέρας. [b] ἐπὶ δὲ τῶν γινομένων [*] ὁρῶ συμβαῖνον τοὐναντίον: [c] πάντες γὰρ εἰς ἄπειρον αὔξουσιν, οἱ χρηματιζόμενοι, τὸ νόμισμα. [*] ὁρώμεν Videm.

[a] Quapropter hac ratione apparet neceſſarium eſſe, vt omnium diuitiarum ſit terminus. [b] at in ijs, quæ fiunt, video accidere contrarium: [c] omnes enim augent, rem quærentes, numos in infinitum.

EXPLANATIO.

Diuitiæ et pecunia aut per ſe, aut ex hominum cupiditate et vſu, aut ex ſtudijs aliquarū facultatum poſſunt conſyderari. Pecuniaria .i. facultates de pecunijs, et diuitijs quot in vniuerſum, et quę, et quales.

[a] Divitiæ, & pecuniæ, quæcunque fuerint, ſiue numariæ, ſiue naturales, aut conſyderari per ſe poſſunt, vt res huiuſmodi nobis vtiles, aut ex cupiditate, vſuq; hominum peruerſo, aut ex ſtudio aliquarum quaſi facultatum, verarum, falſarum'ue, quæ in illis vertuntur, appellanturq; hac de cauſa pecuniariæ. Et ſunt quidem hæ pecuniariæ omnino quatuor: binæ de priuatis, ac domeſticis; binæ de publicis, ac ciuilibus pecunijs, diuitijsq; atque in vtroque genere quæ vera eſt, vocatur alimentaria, & eſt pars, illa domeſticæ, hæc ciuilis rationis ſeu facultatis: quæ falſa eſt; quum veram imitari videatur, non tamen eſt pars, nec domeſticæ, *a. hac ratio.*

a. meſticæ, nec ciuilis rationis, & nominatur cauponia. ᵃ Si conſyderentur igitur pecuniæ, & diuitię per ſe, ac ſecundum naturam ſuam: quæ veræ ſunt, ac naturales, quoniam hanc habent naturam, vt vitæ noſtrę vſibus ſint deſtinatæ, leuentq́; indigentias; terminantur neceſſariè eo, quod ſatis eſt, ac ſufficit abundè iſtis vſibus, atque indigentijs leuādis: numarię cōtrà, quia non naturâ, ſed lege, & conuentione hominum ad hęc diriguntur; nunquam terminum haberent, niſi ijs terminum lex quędam veræ rationis, quam alimentariam vocamus, præſcriberet, metiens eas vſu, & æſtimatione naturalium. b. ᵇ At ſi conſyderentur pecuniæ, & diuitiæ, quatenus eas homines expetere ſolent, adducti inſcitia, & illecebris voluptatis, cupiditatem, ſexcentorum capitum beſtiam, generantibus, quam cupiditatem, & quam inſcitiam ſequitur cauponia; norma falſę rationis, interminatæ, & immenſę ſtatim apparent tam numariæ, quàm naturales. Ita naturà naturalibus diuitijs; & omnibus, tam naturalibus, quàm numarijs vera ratio alimentaria, exequuta in illis naturę, in his legis conſilium, ad naturalem viuendi vſum ſpectantis, modum imponit; quæ vera ratio alimentaria, ſi priuatæ diuitiæ fuerint, domeſticæ; ſi publicę, ciuilis rationis eſt pars: cupiditas autem noſtra, inſcitiaq́; modum, quem habent naturales, & quem habere debent numarię, prorſus detrahunt, redduntq́; omnes a. infinitas. ᵃ Ergo ex natura ſua naturales diuitię, & omnes omnino tam naturales, quàm numariæ, ᵃ vt pertinent ad œconomicen, de qua dictum eſt in exitu textus proximè antecedentis, & ad politicen, cuius eſt eadem ratio, hoc eſt quatenus hæ facultates in illis diuitijs vertuntur, atque illas quærunt, habēt terminum neceſſariò. ᵃ Atque hoc etiam alio argumento in textu proximè antecedenti oſtendebatur. ſiquidem nec munus pecuniarum comparatio, nec finis pecuniæ, aut diuitiæ vllæ eſſe poterant domeſticæ facultatis. ex quo eueniebat ne alimentarię quidem domeſticæ, quæ eſt pars domeſticæ facultatis (ſimiliter autem opinandum & de ciuili) finem vltimum eſſe diuitias, aut pecunias vllas, ſed quendam duntaxat finem, qui in vlteriorem dirigeretur, hoc eſt eſſe eas diuitias, pecuniasue in numero inſtrumentorum, & deſtinatorum ad finem: deſtinata autem ad finem non infinitè quærebantur, imò certa præſcriptione, & modo, quem finis, ad quem diriguntur, ipſis conſtituit. Sed quanquam diuitiæ naturales ex natura ſua ſunt finitæ; & omnes, quatenus pertinent ad ciuilem, domeſticamq́; facultatem, quęri, expetiq́; finitè debent; quemadmodum dicebamus: b. ᵇ tamen contrarium cernitur ex ipſo vſu rerum in factis c. hominum, atque inſtitutis. ᶜ Omnes enim tam domuum, quàm ciuitatum rectores, aut penè omnes vel inſcitia naturali, peruerſęue conſuetudinis cæcutientes, vel ſtimulis vaſtarum, innumerabiliumq́; cupiditatum acti, ᶜ quom ſunt in parte pecuniaria (hoc enim ſignificat participium οἱ χρηματιζόμενοι, quod maximè articulus oſtendit) nihil vltrà ſpectant: ſed penitus diuidentes hāc partem à domeſtica, ciuiliq́; facultate, ad quas, quarumq́; fines perpetuò & intueri ipſi, & annectere eam deberent; efflagitant, congerunt, augent numos, & pecunias in infinitum. Cuius profectò vſus; vel rectiùs abuſus, veræ rationi, naturæq́; ipſarum rerum repugnantis, propriæ cauſæ quærendæ ſunt.

Partes textus duæ pro duabus partibus corollarij.

a. hac parte. *a. quapptor.* *c. rem quærētes.*

Diuitiæ, et pecunia conſyderata per ſe, et ex ſtatu, quæ ſunt veræ facultatis, quæ finita, & quæ infinita, et quibus de cauſis.

Diuitiæ, et pecuniæ conſyderatæ ex hominum appetitu apparent omnes infinita.

Diuitijs naturalibus naturæ, vtriſq; vera ratio alimentaria modum imponit; cupiditas & inſcitia noſtra vtriſque adimunt.

Diuitias naturales ex natura ſua, naturales, et numarias quà attinent ad œconomicen, et ad politicen, terminū habere.

Diuitiæ numariæ, et naturales quęruntur, expetūturq́; infinitè vtriſq; ab hominibus.

Partes textus.

SCHOLIA.

Infertur prima pars corollarij, & unde.

Quapropter. Conficitur hæc prima pars corollarij, vt diximus, ex ſuperioribus; præſertim ex textu antecedenti, in quo declaratum eſt, nullas diuitias, aut pecunias eſſe vltimum finem pecuniariæ domeſticæ, ſed omnes eſſe in numero eius deſtinatorum.

Verſio, et ſignificatio vocis τῇ.

Hac ratione, græcè τῇ. Reddi latinè poteſt iſta uox, vel *hac*, ideſt hac ratione, & via, vt nos fecimus: vel *huic*, ideſt huic facultati. Hoc ſecũdo modo Leonardus Aretinus, D. Thomas, & Iacobus Faber ſic exponunt: *in hac*, ideſt in œconomica, & in re domeſtica. Priorem expoſitionem amplectitur Petrus Victorius: quam ego etiam magis probo.

Omnes q̃ hoc in loco.

Omnes enim. Poteram ſimpliciter omnes homines interpretari; quoniam peccatum eſt latiſsimè fuſum, vt ſcribitur etiã ſub initium lib. vii. quæri ab omnibus pecuniarum, potentiæ, & gloriæ, & omnium huiuſcemodi rerum infinitam vbertatem, ac copiam. Intelligo tamen propriè œconomos, ſeu patresfamilias, & reipublicæ adminiſtratores. cæteri enim aut non acquirunt, aut his acquirunt, non ſibi: de qua re latè iuriſconſulti. Et omnes intellige vulgus hominum, non ſapientes: qui pauci ſunt, nec decipi ſolent.

Expoſitio verborum.

Rem quærentes. D. Dhomas interpretatur œconomos, & ſibi conſtat: quia uox, τῇ, œconomicen ei ſignificabat. Ego intelligo coerceri hoc participio nomen omnes: vt omnes quidem domuum, ciuitatumque rectores; at non ſemper, neque omnino, ſed quandiu, & quatenus duntaxat rem tractant pecuniariam, nullum ſtatuere ſibi modum numorum congerendorum ſoleant.

Syntaxis verborum. Vocabuli numus quid, & cur hoc loco vſurpetur.

Numos. Iungi poteſt uocabulum hoc, τὸ νόμισμα, tam cum participio χρηματιζόμενοι, quàm cum verbo αὔξουσιν. Mihi placet, vt cum hoc iungatur. Et augent quidem vniuerſi numos in infinitum: quia ſemper augere ſtudent. Per numos autem intellige pecuniam omnem, agros, ſeruos, animalia, & cætera, quæ in bonis numerantur. reſpondet enim hoc, quod hîc dicitur, *augere numos in infinitum*, ei, quod dictum eſt in primo inciſo, *omnium diuitiarum terminum eſſe*. Sed quia facilius numi exaggerãtur, conſeruanturque, quàm reliqua; & reliqua numis conſeruantur, & exaggerantur (appello autem numos nunc non ſolùm cuſos numos, ſed etiam materiam, ex qua cuduntur) videas plures numis, quàm reliquis augendis ſtudere, præſertim reipublicæ adminiſtratores, multa æraria, in quibus illos recondant, ædificãtes. quamobrem Philoſophus hîc propriè meminit numorum.

Textus CVII. CIIX. CIX. CX.

Cauſa poſterioris partis corollarij proximè inducti (cur, inquam, omnes, quicunque rem quærunt, augeant numos in infinitum) à prima ad ſummam: quæ ſunt etiam cauſæ pecuniariæ cauponiæ.

Αἴτιον δὲ τὸ σύνεγγυς &c.

ARGVMENTVM. TEXT. CVII.

Cauſa ſumma: quæ eſt propinquitas iſtarum rerum, ideſt duplicis pecuniariæ, diuitiarumque duplicium, ob propinquas ipſarum materias, obiecta, actus, & fines.

Αἴτιον

Text: cvij. ᵃ Αἴτιον δὲ τὸ σύνεγγυς αὐτῶν. ᵇ ἐπαλλάττει γὰρ ἡ χρῆσις τοῦ αὐτοῦ, ὄντα * ἑκατέρας τῆς χρηματιστικῆς: ᶜ τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις, ᵈ ἀλλ᾽ οὐ κατὰ ταὐτὸν, ἀλλὰ τῆς μὲν ἕτερον τέλος, τῆς δ᾽ ἡ αὔξησις.

* ἑκατέρα in multis libris.

a. idem ſuprà tex. 90. * τοῦ αὐτοῦ. * τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις. * κτῆσις.

ᵃ Cauſa autem eſt propinquitas ipſarum. ᵇ variatur enim vſus * eiuſdem rei, quum ſit vtriuſque pecuniariæ: ᶜ * eiuſdem vſus enim eſt * res, reique acquiſitio, & poſſeſſio; ᵈ ſed non ſecundum idem, verùm huius quidem alius finis, illius autem incrementum.

E X P L A N A T I O.

a. ipſarum, αὐτῶν.

Pecuniaria genera duo, alimentarium, et cauponium.

ᵃ D v o ſunt genera pecuniariæ, vt ſæpe diximus; nimirum alimentarium, quod etiam œconomicum, politicumq́; aliquando, aliquando ſimplex, aliquando naturale, ac neceſſarium vocamus; & cauponium, quod eodem modo interdum numularium, interdum nundinatorium, interdum præter naturam, & non neceſſarium dicimus. Diuitiæ item duplices ſunt: vnæ veræ, ſeu naturales, quæ τῷ ὄντι ταμιεύσεως rerum per ſe ad vitam vtilium continentur: alteræ numariæ, ſiue legitimæ, & non naturales, quę continentur multitudine numorum, cæterorumq́; quæ ex hominum inſtitutione ęqualem numis vim habent. ᵇ Materiæ harum duplicium diuitiarum, quę & materiæ, & obiecta dicuntur duorum generum pecuniariæ, ſunt res, & numi: vt per res intelligamus ea, quę ex ſe, & naturâ ſua vtilia ſunt ad vitā; per numos ea, quæ ex hominum inſtitutis, ac legibus inſtrumenta ſunt ad illas res comparandas, ideſt tam numos ipſos, quàm quæ numis parem habent poteſtatem, quatenus hanc poteſtatem habēt: ſintq́; res materia propria diuitiarum naturalium; ſint numi propria non naturalium: pecuniariæ autem vtriuſque ſint ambo materia, & obiectum; ſed alimentariæ magis res, quam numi, quanuis modo aliquo & numi poſt numorum inſtitutionem; cauponiæ magis numi quàm res, quanuis & res aliquo modo. ᵇ Actus, & finis vtriuſque pecuniariæ actiuè, vtrarunque diuitiarum paſſiuè ſunt ille acquiſitio, hic poſſeſſio, naturalium quidem diuitiarum propriè alimentarię, legitimarum autem propriè cauponię. ᵈ Sed pecuniaria alimentaria hunc finem ſuum, qui in poſſeſſione diuitiarum naturalium cōſiſtit, ad alium prꝫterea dirigit finem, nempe ad eum, qui eſt totius domeſticę, aut ciuilis facultatis; quandoquidem partiū fines, vt ſuprà annotauimus, non ſeipſis, ſed finibus eorum, quorum illæ partes ſunt, terminantur: cauponia in ſuo, qui eſt poſſeſſio legitimarum, hoc eſt multitudinis numorum, cęterarumque rerum, quę numis ἰσοδυναμοῦσι, conquieſcit nec aliò ſpectat; augens numos, & reliqua eiuſdem poteſtatis in infinitum. ᵇ Materiæ igitur, & obiecta partim eadem, partim proxima ſunt: quatenus numis res, & rebus numi ex inſtituto hominum nullo negotio commutatur. ᵇ Actus item, & fines, ſicut communes ijdem, ſic proprij tam vicini ſunt, quàm ſunt vicinæ hæ materiæ, aut hæc obiecta, res, & numi. Quamobrem nec plus diſtantes inter ſe erunt diuitiæ naturales, legitimæque, quarum hi ſunt fines, & actus, & materiæ, & quæ demum aut nullo modo, aut parum admodum ab his finibus, ac materijs differunt. Et pecuniariæ pariter, alimentaria, cauponiaque, iiſdem de cauſis propinquæ, ac connexæ inter ſe ſunt.

Diuitiæ geminæ, naturales, et legitimæ.

b eiuſdē rei. c. res.

Materiæ duplicium diuitiarum, materiaque, & obiecta duorū generum pecuniariæ. Rerū, et numorū in hoc loco vocabula.

b. vſus. c. eiuſdem vſus.

Actus, & fines vtriuſque pecuniariæ actiuè, vtrarūque diuitiarū paſſiuè.

d.

Finis, qui eſt poſſeſſio, ſummus in cauponia, non ſummus in alimentaria pecuniaria.

In com. 105.

b. eiuſdē rei. c. res.

Tam materia duplicium diuitiarū, quàm materia, obiectáq; duplicis pecuniarię ſunt propinqua.

b. vſus. c. eiuſdem vſus.

Actus aq; & fines ita duplicis pecuniarię, quàm geminarum diuitiarū propinqui ſunt.

Diuitias geminas naturales, & legitimas propinquas eſſe. Duas pecuniarias, alimētariā et cauponiā propinquas eſſe.

 ᵃ Quæ

Hæ ꝓpinquitates materierū obiectorum are eſſe in cauſa, vt homines ſtudeant augere pecuniat in infinitum.

[a] Quæ propinquitates, & coniunctiones diuitiarum, finium, actuum, materierum, obiectorum, ipſarum denique pecuniariæ formarum ſunt in cauſa, vt homines decipiantur, ſtudeantq́; omnes, ſiue priuati ſint, & œconomi, ſiue publici, & rectores ciuitatum, quom ſunt in parte pecuniaria, exaggerare numos, ac pecuniam in infinitum, attribuentes alimentariæ ea, quæ ſunt propria cauponiæ. Decipimur enim omnes non in his, quæ multùm, ſed in his, quę parùm inter ſe diſtant, ſicut in Phædro Plato ait. Hæc ſunt, quæ ſignificat hoc in loco Philoſophus. [b] Eiuſdem, inquit, rei vſus, quum ſit vtriuſque pecuniariæ, variatur. Nam materia omnino eſt eadem in vtraque pecuniaria, quemadmodum apparuit: vtrobique enim res, & numi; licet in rebus magis alimentaria verſetur, & in numis propter res; in numis autem magis cauponia, & in rebus propter numos. Huius autem materiæ, quæ eſt eadem in vtraque pecuniaria, vſus variatur. De inſtrumentis propriè dicitur vſus: & quom vtimur inſtrumētis ad aliquid vel agendum, vel præſtandum, vel fruendum, illa quaſi actio inſtrumentorum, quæ noſtrę adminiculatur, vtilitasque, quam ex ea capimus, vocatur vſus. hæc autem, quibus continetur materia vtriuſque pecuniariæ, res, inquam, & numi, ſunt æquè inſtrumenta tam domuum, quàm ciuitatum ad bene, beateq́; viuendum: licet res per ſe, ac proxima inſtrumenta ſint; numi ſint tanquam inſtrumenta aliorum inſtrumentorum. Hic itaque vſus inſtrumentorum ad bene viuendum in domibus, ac ciuitatibus, quum ſit eiuſdem rei, ideſt ſit materiæ communis ambabus pecuniarijs, quæ materia eſt hæc eadem inſtrumenta beneuiuendi, quorum, tanquam inſtrumentorum, neceſſariò eſt aliquis vſus; & hac de cauſa, quum videri omnino idem vſus poſſit; variatur tamē aliquo pacto. [c] Quo autem variatur? vtrum materia? actu? fine? Nequaquam. Nam materiam, quam vniuersè κτῆσιν, ideſt rem, & ſubſtantiam appellamus, iam diximus eandem eſſe. Similiter verò & finis idem, & actus idem apparet: quorum vterque græcè eodem nomine exprimitur, τῆς κτήσεως; latinè ille poſſeſſio vocatur, hic acquiſitio eiuſdem rei, & ſubſtantię, ideſt eorundem inſtrumentornm, numorum, ac rerum, ac, ſi vis, etiam diuitiarum in vtraque pecuniaria. Sic enim arbitror exponenda eſſe verba illa textus, τῆς αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις. *eiuſdem vſus eſt κτῆσις.* Quippe apud Græcos vocabulum hoc, κτῆσις, tria ſignificare ſolet: quorum vnum eſt res, ac ſubſtantia, quæ eſt materia; & obiectum commune; alterum eſt acquiſitio, quæ eſt actus communis; tertium eſt poſſeſſio, quæ eſt finis communis vtriuſque pecuniariæ. Ἡ κτῆσις igitur, ideſt materia, & obiectum in vtraque pecuniaria eſt eiuſdem vſus, ſiue habet eundem vſum, & vtilitatem ad leuandas indigentias noſtras. Et rurſus ἡ κτῆσις, ideſt acquiſitio illius materię, tandemq́; numorum, ac rerum, eſt eiuſdem vſus in vtraque pecuniaria: quia in vtraque eſt idem actus acquirendi numos, & res, atque ad diuitias perueniendi. Eadem enim eſt natura, & eſſentia acquiſitionis, licet modis diſtinguatur, & in cauponia, & in alimentaria. Denique in vtraque ἡ κτῆσις, hoc eſt poſſeſſio bonorum, ac diuitiarum eſt eiuſdem vſus. nam poſſeſſio eſt finis vtriuſque, quo fine vtraque propriè terminatur. in poſſeſſione enim deſinit tam cauponia, quam alimētaria pecuniaria. Nec materia igitur, obiectoúe, nec actu, nec fine vſus iſte variatur: ſicut nec quidem ſeparabantur vllo illorum trium vel hæ duę pecuniarię, vel illę duplices diuitiæ; imò ſimiles, ac propinquæ erant. [b] Et tamen variatur

Expoſitio verborum. Materia eſt eadē ī vtroq; pecuniaria, q̄ materia ſunt inſtrumenta ad beneuiuēdum, & huius materia, inſtrumētorúmq; vſus aliquo pacto variatur. Vſus vocabulum.

Non materia, non actu, non fine variatur iſte vſus, diſtant ne inter ſe gemina diuitia, aut duo genera pecuniaria.

b. variatur vſus.

Variatur hic vſ°, differūtq; duæ pecuniariæ, et diuitię, duplices modo et ratione tātùm, cuius rationis differētia cernitur in fine.

d. at non ſecūdum idem.

d. ſed huius alius finis.

riatur aliquo pactò iſte vſus, quemadmodum dicere incœpimus eiuſdem rei, atque inſtrumentorum, hoc eſt illa ipſorum quaſi actio, & vtilitas. [d] Neceſſe eſt igitur, quoniam re vlla variari non poteſt, vt varietur modo, & ratione, potiſſimumq; ratione ea, cuius differentia cernatur in fine. Sic igitur ratione diuerſa finis ille vſus variatur; differuntq; inter ſe duæ pecuniariæ, & diuitię duplices: [d] proptereaquòd in alimentaria, eiusq; diuitijs poſſeſſio aliò ſpectat, & in alium dirigitur finem, nempe in eum, qui eſt totius domeſticæ, & ciuilis facultatis: in cauponia autem, diuitijsq; numarijs nullus alius finis ſpectatur, prętetquam hęc ipſa multitudo, & multiplicatio numorum, ac pecuniarum cum poſſeſſione coniuncta. Omnia itaq; in duabus pecuniarijs, diuitijsq; duplicibus aut eadem, aut proxima, & cognata ſunt, materiæ, obiecta, actus, fines; tum ipſæ diuitiæ, quæ à finibus, materijsq; aut nihil, aut parum diſtant; atque ipſæ demum pecuniariæ, quibus hæc omnia ſubijciuntur, vicinæ, ac coniunctę. Tam multæ cōiunctiones ac vicinitates cauſa ſunt hominibus, dum in pecuniaria verſantur, vt ſtudeāt augere pecuniam in infinitum, quemadmodum ſuprà dicebamus. Imò & cauſa fuerunt ab initio totius generis cauponij. Ob has enim vicinitates ex alimētario in hoc tranſitum eſt; dempto, & quaſi reſecato fine, ad quem illud referebatur, vt antè apparuit, & paulopòſt declarabitur.

Concluditur proximas eſſe cùm diuitias geminas, tum duas pecuniarias ob pximos fines, actus, obiecta, materias earum.

Cōcluditur p. propoſitum de ſumma cauſa ſtudij ī hominibus augēdę pecuniæ in infinitū, totiusq; generis cauponij.

Partes textus quatuor. Prima proponit duplicium diuitiarum duorumq; generum pecuniariæ propinquitatem eſſe cauſam peruerſi hominum vſus in exaggerandis infinitè diuitijs. Secunda confirmat propinquitate actuum, finium, materierum verè propinquas eſſe tum diuitias, tum pecuniarias, cum quadam tamen diuerſitate. Tertia magis confirmat eſſe propinquas, quaſi conuerſa oratione. Quarta modum diuerſitatis exponit.

Partes textus.

S C H O L I A.

Propinquitas ipſarum. αὐτῶν alij interpretantur duorum pecuniariæ generum. Addo ego & diuitiarum duplicium. Fortaſſe intelligi cum his poſſunt fines quoque, & actus, & obiecta, & materiæ ipſarum, quæ omnia ſunt propinqua.

Pronomen αὐτῶν quid hoc in loco repræſentet.

Variatur enim. Hoc verbum *variatur* eſt maximè attendendum: cui reſpondet id, quod paulopòſt ſequitur in eandem ſententiam, *ſed non ſecundum idem.* A D. Thoma vſque adeo deſpicitur, vt quod hîc ait Philoſophus *vſum variari* exponat ipſe eundem actum eſſe.

Verbū variatur.

Vtriuſque pecuniariæ. Sic vertunt omnes, & exponunt vtriuſque in ſecundo caſu. Nemo tamen corrigit mendum, quod eſt in omnibus græcis libris: In quibus legitur ἑκατέρα. Addendum eſt enim, ς, quod deeſt; & ſcribendum ἑκατέρας.

Mendū in libris græcis correctū.

Eiuſdem vſus enim eſt res. Conuerſum ſuperioris dicti: *vſus eſt eiuſdem rei.* Amborum penè eadem ſententia de finibus, actibus, obiectis, materijs aut ijſdem, aut ſimilibus, vt in explanatione declarauimus.

Conſyderatio verborum.

Res, reique acquiſitio, & poſſeſſio. Vnum eſt græcū uocabulum, κτῆσις; quod his tribus expreſſi, vt nihil effugeret. Explanatorum enim alij acquiſitionem, alij poſſeſſionem vertunt. Sed ante hæc duo ſignificat ἡ κτῆσις ipſam rem, & ſubſtantiam, ideſt quicquid eſſe in bonis poteſt: quod ſæpe admonui.

Verſio vocabuli κτῆσις.

ARGVMENTVM. TEXT. CVIII.

Cauſa proxima: quæ eſt opinio vulgaris, de domeſticæ rationis munere, ac neceſſitate tuendi, augendi'ue pecuniam in infinitum, à propinquitate in antecedenti textu expoſita ortum trahens.

Text: cviij. [a] Ὥστε δοκεῖ τισι τοῦτ' εἶναι τῆς οἰκονομικῆς ἔργον· [b] καὶ διατελοῦσιν, ἢ σώζειν οἰόμενοι δεῖν, ἢ αὔξειν τὴν τοῦ νομίσματος οὐσίαν εἰς ἄπειρον.

[a] Quare videtur quibuſdam hoc eſſe domeſticę rationis munus: [b] & perſeuerant, oportere putantes aut ſeruare, aut augere numi ſubſtantiam in infinitum.

EXPLANATIO.

Opinio vulgaris de munere domeſtica rationis. & œconomorũ nata ex propinquitate expoſita in text proximè antecedenti.

[a] QVONIAM propinquæ ſunt diuitię, fines, actus, materię duorum generum pecuniarię, & denique hæc ipſa genera; ſed prçcipuè quoniam propinqui ſunt fines; quorum ille qui eſt cauponiæ, eſt multitudo; & quatenus in eo definit, nec vltrà tendit ipſa cauponia, quemadmodum tendit alimentaria, eſt etiam multiplicatio numorum: opinantur plerique multiplicationem iſtam numorum, [a] de qua dicebatur ſub exitu textus antecedentis, eſſe munus domeſticæ, atque eodem modo ciuilis rationis: fines enim partium munera totius euadunt. [b] Iterum verò, quia domeſticæ, ciuilisq; rationis munus ſit numos multiplicare; multiplicariq; numi nequeunt, niſi etiam conſeruentur; quinimo hanc ipſam ob cauſam multiplicantur, vt eorum adſit copia, & multitudo; opinantur ijdem, per locum à coniugatis, debere œconomos, gubernatores q; ciuitatum omnes aut conſeruare, aut augere pecuniam in infinitum. In qua opinione perſeuerantes, ſtudent, quando ſunt in parte pecuniaria, accumulare infinitè numos, & quicquid denique numorum vim habet, quod hîc appellatur ſubſtãtia numi. Vnde etiã irrepſit in homines cauponium genus. a. quare. a. hoc. b.

Perſeuerantia in hac opinione, & vſus ex ea ortum trahens.

Partes textus.

Partes textus duæ. Vna infert ex antecedenti textu errorem quorundam, quòd augere pecuniam ſit munus rationis domeſticæ. Altera errorem amplificat ex perſeuerantia, & neceſſitate, quam imponunt œconomis numos conſeruandi, aut augendi in infinitum.

ARGVMENTVM. TEXT. CIX.

Cauſa media, nempe ob quam ex propinquitate illa textus centeſimi ſeptimi naſcitur opinio iſta, de qua in textu antecedenti: & eſt ſtudium cùm in viuendo ex cupiditate, tum in benè viuendo ad corporales fruitiones. Locus ab actibus: nam & cupiditati, quam ſequuntur, qui viuere tantùm affectant; & fruitioni corporali, quam non ſeparant à beneuiuendo, felicitateque plerique eorum, qui hunc ſcopum intuentur; neceſſaria videntur eſſe infinita inſtrumenta; cupiditati quidem, per locum ab adiacentibus, quoniam ipſa per ſe infinita eſt; fruitioni autem corporali, per locum à iudicio, quia à pecunijs vniuerſam pendere, nunquamque ob id habere ſatis illarum, præſertim pro fine poſitam, exiſtimatur.

Text. tit.

[a] Αἴτιον δὲ ταύτης τῆς διαθέσεως τὸ σπουδάζειν περὶ τὸ ζῆν, ἀλλὰ μὴ τὸ εὖ ζῆν· [b] εἰς ἄπειρον οὖν ἐκείνης τῆς ἐπιθυμίας οὔσης, καὶ τῶν ποιητικῶν ἀπείρων ἐπιθυμοῦσιν. [c] ὅσοι δὲ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἐπιβάλλονται, τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσιν· [d] ὥστ', ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἐν τῇ κτήσει φαίνεται ὑπάρχειν, πᾶσα ἡ διατριβὴ περὶ τὸν χρηματισμόν ἐστι.

b. vide idem ſub exitũ cap. a. ỹ. horũ lib.

[a] Cauſa autem huius diſpoſitionis eſt, quòd ſtudent in viuendum, at non in beneuiuendum: [b] quum ſit igitur in infinitum porrecta illa cupiditas, etiam efficientia cupiunt infinita: [c] quicunque autem & bene viuere affectant, quærunt id, quod facit ad fruitiones corporales: [d] itaque, quoniam & hoc in [*] re adeſſe videtur, occupatio vniuerſa eſt in pecuniæ coactione.

** κτήσει.*

E X P L A N A T I O.

a.
a huiꝰ diſpoſitionis.
Neceſſitas huius tertię cauſa.

[a] QVOD vicinæ ſint duæ pecuniariæ, & quæ ad eas pertinent, diuitiæ, fines, actus, materiæ; cauſa ſatis commoda exiſtimari potuit, [a] vt quidam deciperentur, putarentq; munus domeſticæ diſciplinę eſſe amplificare pecuniam in infinitum. Sed quum error hic tam latè pateat, omnesque, aut penè omnes ita cenſeant; alia profectò cauſa afferenda fuit, & adiungenda vicinitati. Hanc igitur cauſam tradit hoc in loco Philoſophus, & eſt huiuſmodi. [a] Viuit hominum maior pars temerè, cupiditatem, propenſionemq; naturalẽ ſequens, more belluarũ; nullo ſibi propoſito fine bene, beateq; viuẽdi. [c] Alij, in quibus etiam multi ſunt celebratorum ſapientum, paucis quibuſdam exceptis, quos æquus Iupiter adamauit, hunc finem benè, beateq; viuendi ſibi proponentes, terminant tamen beatitudinem fruitione corporali vel cumulatè, vt Cyrenaici, & Epicurei, à quibus petitur voluptas; vel quodam modo, vt Hieronymus, qui contentus eſt doloris vacuitate. Neq; enim ſunt prorſus idem ἀπόλαυσις, καὶ ἡδονή, fruitio, & voluptas: quod quidam putant: fruitur enim etiam corpore, aut animo, qui caret dolore, non ſolùm qui perfunditur voluptate. Et vtor nomine fruitionis, latinis auribus non admodum familiari: quia aptiſſimum eſt huic loco; nec alio tam apto fortaſſe vti poſſem. [b] Porrho autem cupiditas humana, cui à ratione non ſit adhibitus modus; ob innumera, inconſtantiaq; eius cùm initia, quæ viſa, opinionesq; ſunt, tum obiecta, quæ ſunt res, vnde oblectari quoquo pacto quis poteſt, infinitam naturam habet, porrigiturq; in infinitum, vt multis in locis Plato, Ariſtotelesq; aſſeruerunt, & vſus rerum docet. [b] Quamobrem infinitis quoq; inſtrumentis, ideſt pecunijs, diuitijsq; infinitis egere exiſtimatur; ac ſanè indiget. Quid, quòd illa ipſa viuendi cupiditas per ſe ſola, quia tempus infinitum complectitur, vellentq; perpetuò homines viuere, efflagitat rerum verè ad vitam vtilium infinitatem? [d] Similiter verò nec ad fruitiones corporales, prępertim ſi quis hunc vltimum ſibi proponat finem, ſatis eſſe videntur pecuniæ, aut diuitiæ vllæ, quæ infinitę non ſint. Etenim fruitio corporalis, atque in primis voluptas, quæ eſt maxima eius pars, cum cupiditate eſt coniuncta, & ad illam refertur tanquam id, cuius gratiâ, ſedans, explensq; eam, vt expleri poteſt. Proinde æquè ambæ habent aut non habent modum. Adhoc omnis finis expetitur infinitè, ex

a. ſtudent in viuendum.
c.
Duo hominũ hallucinãtiũ genera, quorũ vnum viuere ex cupiditate, alterũ beneuiuere ad fruitiões corporales ſibi proponit.
Fruitio et voluptas nõ ſunt idem.
De vocabulo fruitionis.
b. in infinitũ porrecta illa cupiditas.
Cupiditas humana in vniuerſum per ſe infinita eſt, et quare.
b. quum ſit. etiam efficientia &c.
Cupiditas humana in vniuerſum per ſe expoſcit inſtruměta i. pecunias iſinitas.
d.
Cupiditas viuẽdi p ſe expoſcit inſtrumẽta i. pecunias infinitas.
Fruitio corporalis, pſertim p fine poſita, eſt p ſe iſinita egetq; inſtrumẽtis i. pecunijs infinitis.

textu

textu 10; tantò magis ſummus. d Diuitiæ autem, & pecuniæ ſunt inſtrumenta efficiendarum fruitionum corporalium. d Has igitur infinitates cupiditatum, ex quibus viuunt, fruitionumq́; corporalium, ad quas ſuum beneuiuendi conſilium dirigunt, adhibentes, applicantesq́; pecuniarijs rationibus homines, tanquam regulas quaſdam; quam illarum iſtis ſimilem, cógruentemque, hoc eſt infinita inuenium, & infinita expoſcentem, eam deligunt, putantq́; eſſe veram rationem pecuniariam, reiecta altera, quæ non eſt ſimilis. Hinc arbitrantur domeſticę facultatis munus eſſe amplificare opes in infinitum; ſtudentq́; omnes id facere; quemadmodum & ab initio, quum non reſponderet naturalis pecuniaria his regulis ſuis, totum genus cauponium introduxerunt. quod mox declarabit Philoſophus in textu ſequenti.

Quo pacto ab his infinitatibus cupiditatũ, fruitionũq́; corporaliũ generit primũ opinio expoſita in tex. antecedẽti de munere œconomices, & œconomi, deinde ſtudiũ cogẽdi pecunias in infinitũ, totiusq́; generis cauponij.

d. & hoc in ... adeſſe vt dei. *d. Occupatio vniuerſa eſt in pecunia coaceruanda.* [illegible]

Partes textus.

Partes textus quatuor. Prima exponit priorem cauſæ partem, quæ eſt ſtudium in viuendum ex cupiditate. Secunda rationem, vnde ex hoc ſtudio putent augendas pecunias in infinitum. Tertia partem cauſæ poſteriorem, quæ eſt ſtudium in bene viuendum ad voluptates corporeas. Quarta ſimiliter rationem hujus poſterioris partis.

S C H O L I A.

Cauſa appetitus pecuniarum.

Student in viuendum. quicunque & bene viuere affectant, quærunt id, quod facit ad fruitiones corporales. Duplex humani animi affectus, & conſtitutio, inquit Philoſophus, cauſa eſſe poteſt vt diuitię infinitè expetantur. Vnus affectus eſt ſtudium viuendi ſimpliciter ex cupiditate more belluarum, ideſt ſi temerè, & nullo conſilio, quocunque nos cupiditas rapuerit, impulerit'ue, eam ſequamur. Alter affectus eſt ſtudium viuendi non amplius ſimpliciter ex cupiditate, ſed ex huiuſmodi cupiditate, propoſito nobis fine beneuiuendi, qui fruitione corporali ſit circunſcriptus. Nam & fruitio corporalis, & cupiditas ſimpliciter infinita eſt. quocirca infinita etiam inſtrumenta, quemadmodum diximus in explanatione, vtraque expoſcit. M. Tullius in primo. Offic. ſcribit, expeti diuitias cùm ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates: in quibus autem maior animus eſſet, in his pecuniæ cupiditatem ſpectare ad opes, & ad facultatem gratificandi: delectare etiam magnificos apparatus, vitæque cultum cum elegantia, & copia: quibus rebus effectum eſſe, vt infinita pecuniæ cupiditas exiſteret. Omnes hæ cauſæ Ciceronis, excepta prima, in poſteriori duarum Philoſophi noſtri continentur, ideſt in fruitione corporali. Prior, quæ conſiſtit in viuendo ex cupiditate, prætermiſſa eſt à Cicerone; & pro ea ſubſtitutus vſus vitæ neceſſarius; qui quidem vſus vitæ neceſſarius non eſt cauſa infinitæ, ſed terminatæ, & modum habentis appetitionis pecuniarum. At defendetur fortaſſe Cicero, quòd de appetitu pecuniarum generaliter, non de infinito earum appetitu ibi loquatur. Expetuntur enim pecuniæ vel finitè ad vſum vitæ neceſſarium, & naturalem; vel infinitè, ſi reliquæ omnes res, quas Cicero enumerat, & ad quas etiam vita ex cupiditate reuocari poteſt, nobis proponantur.

Duplex expoſitio vocabuli cupiditas hoc in loco.

In infinitum porrecta illa cupiditas. Cupiditatem hîc dupliciter ſum interpretatus: vno modo, cum P. Victorio, viuendi cupiditatem; quæ ex tempore infinita eſt: altero modo, cum D. Thoma, cupiditatem humanam in vniuerſum; quam initia, obiectaque varia, & innumerabilia infinitam reddunt, niſi cohibeat eam ratio.

ARGVMENTVM. TEXT: CX.

Quo pacto nominatim pars poſterior cauſæ modò expoſitæ, ideſt ſtudium quorundam in beneuiuẽdo ad corporales fruitiones fuerit ab initio, ſitq; etiam nunc cauſa generis cauponij, atque vtriuſque eius formæ, nundinariæ, & mercenariæ: nempe quia fruitio corporea, quò omnia referenda eſſe illi exiſtimant, ſicut ipſa modum non habet, ſic expoſcit etiam diuitias exuperantes, & infinitas, quas ſolum parat cauponium genus. Locus principalis ab adiacentibus. Locus adiunctus à iudicio. Inter hæc vituperatur mercenaria forma per locum à repugnantibus: quoniam naturæ artium, virtutum, facultatum naturalium, ex quibus acquirit, non conueniat pecunias facere; ſed alius vniuſcuiuſque earum ſuus, ac proprius ſit finis: quod oſtenditur inductione: & cauſa huius erroris aperitur.

Text. cx. [a] Καὶ τὸ ἕτερον εἶδος τῆς χρηματιστικῆς διὰ τοῦτ' ἐλήλυθεν. [b] ἐν ὑπερβολῇ γὰρ οὔσης τῆς ἀπολαύσεως· [c] τὴν τῆς ἀπολαυστικῆς ὑπερβολῆς ποιητικὴν ζητοῦσι· [d] κἂν μὴ διὰ τῆς χρηματιστικῆς δύνωνται πορίζειν· δι' ἄλλης αἰτίας τοῦτο πειρῶνται, [e] ἑκάστῃ χρώμενοι τῶν δυνάμεων οὐ κατὰ φύσιν. [f] ἀνδρείας γὰρ οὐ χρήματα ποιεῖν ἐστιν, ἀλλὰ θάρσος· οὐδὲ στρατηγικῆς, καὶ ἰατρικῆς· ἀλλὰ τῆς μὲν νίκην, τῆς δ' ὑγίειαν: [g] οἱ δὲ, πάσας ποιοῦσι χρηματιστικάς· ὡς τοῦτο τέλος ὄν· πρὸς δὲ τὸ τέλος ἅπαντα δέον ἀπαντᾶν.

a. Elicitur, pecuniariã cauponiã effectricem eſſe exuperationis poteſtatẽ fruendi afferentis. d. e. Elicitur duas eſſe formas cauponiæ pecuniariæ. e. f Elicitur, Mercenariæ pecuniariæ tres partes eſſe.

[a] Et altera ſpecies pecuniariæ propter hoc prodijt. [b] quum enim fruitio ſit in exuperatione; [c] effectricem exuperationis, ad fruendum vim habentis, quærunt. [d] &, ſi per pecuniariam comparare non poſſint; per aliam cauſam hoc tentant, [e] ſingulis vtentes facultatibus non ſecundum naturam. [f] fortitudinis enim non eſt pecunias facere, ſed audentiam, neque imperatoriæ rationis, & artis medicæ; ſed illius quidẽ victoriam, huius autem ſanitatem: [g] illi verò cunctas efficiunt pecuniarias; quaſi hic ſit finis; ad finem autem omnia deferri oporteat.

EXPLANATIO.

Fruitio corporalis per ſe exuperans, & infinita. Cauponia pecuniaria ex ſtudio corporaliũ fruitionũ pfluxit, & qua ratione. Duæ formæ pecuniariæ cauponiæ, nũdinaria, mercenariáq; quo modo, et ordine à ſtudio fruitionũ corporaliũ fluxerint.

b. [b] Frvitio corporalis, niſi temperetur ratione, non habet modum neque ex ſe, neque ex cupiditate, quam ſequi ſolet: ſed manet omnino, c. exultatq; in exuperantia. [c] quapropter qui illam pro ſummo ſibi proponunt fine; quærant etiam exuperantes, & infinitas pecunias, ac diuitias neceſſe eſt, vnde exuperantiæ eiuſmodi fruitionis, quoad poſſint, ſatisfa- a. ciant. [a] Non quærit autem, nec parat diuitias in infinitum naturale, & alimentarium pecuniariæ genus, vt ſuprà apparuit. Itaque oportuit eos, qui primùm finem iſtum ſibi propoſuerunt, alterum genus inducere, cauponium, artificioſumque, quod hoc moliretur. Et primò quidem per commutationem, nundinationemq; externarum duntaxat rerum, ideſt

mercium, ac numorum pecuniam cogebant. [d]Deinde quum multi id facere non poſſent; nec reſponderet ad ſpem euentus vel ob inopiam, vel ob imperitiam, vel ob aleam fortunæ; incœperunt quoque tum nummis, tum rebus commutare operas cunctarum, quas poſſiderent, artium, virtutum, facultatum naturalium, vt medicinæ, prudentiæ bellicæ, roboris corporis; hanc aliam rationem quæſtus inſtituentes. [e]Sic igitur introductum eſt, duratq; ijſdem de cauſis totum genus cauponium, duæq; ipſius formæ: quarum alteram nundinariam, comprehendentem mercaturam, & fœnus; alteram mercenariam, vel operariam non malè appellabimus. [e]Cæterum hæc mercenaria eſt in primis vituperãda: propterea quòd viribus cùm inſitis, tum comparatis partim doctrina, partim vſu, alioq; directis, contra naturam earum abutitur; [g]detorquens omnes ad lucrum; [f]quum nulla per ſe ſit quæſtuaria; ſed alium vnaquæq; ſuum, & proprium habeat finem, vt inductione oſtendi poteſt. [g]Errant autem homines ob id, quòd pecuniam finem, & ſummi finis proximum inſtrumentum eſſe arbitrantur. quamobrem quia ad finem omnia planè ſunt referenda; artes, virtutes, facultates naturales, contra naturam earum, reddunt pecuniarias.

d. — e & inde. — e. f. — g. — f. — g.

Mercenaria, et eius partiũ vituperatio. Mercenaria, et eius partes virib⁹ cùm inſitis, tũ cõparatis abutũr. Cauſa erroris hominũ vires eas cauponãtium.

Partes textus.

Partes textus ſex. Prima proponit fluxiſſe inde genus cauponium, ideſt à ſtudio beneuiuendi in corporales fruitiones. Secunda (b c) explicat qua fluxerit ratione: & eſt locus ab adiacentibus. Tertia (d) duarum formarum cauponij generis ortum indicat; quæ ambę ab eodem fonte manarunt, nundinaria primùm, deinde mercenaria. Quarta (e) vituperabilem eſſe hãc mercenariam ea de cauſa, quia abutatur rebus, ex quibus quęſtum facit. Quinta (f) probat abuti per inductionem: diuiſis his rebus in tria genera, quę ſunt vires naturales, artes, virtutes. Sexta (g) aperit cauſam erroris, conſiſtentem in opinione.

S C H O L I A.

Cauponiũ genus fluxit q̃dã ab vtraq; parte cauſa proximè expoſita, ſed magis à poſteriori, & cur.

Et altera ſpecies pecuniariæ propter hoc prodijt. Duas partes habebat cauſa expoſita in textu proximè antecedenti quarum vna in viuendo ex cupiditate, altera in beneuiuẽdo ad fruitiones corporeas ſtudium erat. Et quanquã vtraque ſimul immenſarum pecuniarum deſyderio, ſimul cauponio pecuniariæ generi quod eò tendit, dediſſe initium videtur: tamen minus à priori, quæ eſt temeraria, & ſine conſilio; magis à poſteriori, quæ ratione, conſilioque nititur, fluxit genus cauponium: ſiquidem & ipſum vtitur ratiocinatione. Proinde Philoſophus hîc nominatim de poſteriori loquitur parte, priori dimiſſa. quod clarè liquet ex ſecunda parte textus.

Pecuniaria nomen quid hoc in loco. Nundinaria.

Et ſi per pecuniariam comparare non poſſint: Vocabulum pecuniariæ deſignat hoc loco non totum genus cauponium, ſed partem eius, quæ opponitur mercenariæ, & quam, vt clarior res eſſet, nundinariam uocauimus, complectentem mercaturam, & fœneratoriam.

Tres partes mercenarię indicat hoc ĩ loco Philoſoph⁹.

Per aliam cauſam hoc tentant, ſingulis vtentes facultatibus &c. Exempla deinde affert Philoſophus ἀνδρίαν, στρατηγικὴν, ἰατρικὴν. His exemplis inductus ſum in hanc ſententiam, tactam etiam quodammodo à D. Thoma, vt putarem, indicari hîc tres partes mercenariæ: quarum vna facultatum inſitarum, quas natura gignit; altera virtutum, quæ vſu, & exercitatione acquirũtur; tertia artium, ſcientiarumque, quæ comparantur doctrina, operas vendit. ἰατρικὴ certè, ideſt medicina eſt ars. στρατηγικὴ, imperatoria, eſt virtus, & pars prudentiæ. ἀνδρία, licet magis propriè robur animi deſignet; tamen ſignificare etiam poteſt corporis fortitudinem: & ex hac corporis fortitudine, non ſolùm ex illa animi

audentes

audentes homines redduntur. Sed dubitabis, vtrùm virtute malè vti, & contra naturam aliquis poſsit, quemadmodum hic aſſeuerat Philoſophus, abuti homines his facultatibus? Planè, ſi vera, & perfecta fuerit virtus, nequaquam poterit; ſed ſolùm, ſi imago, & ſpectrum quoddam virtutis.

Virtute malè vti, & contra eius naturam an aliquis poſſit, & quomodo.

Singulis vtentes facultatibus non ſecundum naturam &c. Damnat hic Philoſophus omnes mercenarios; & fortaſſe eos magis, quorum ſcientiæ, virtuteſque, quàm quorum corporis miniſteria, & naturales in vniuerſum facultates emuntur. quanquam Cicero in lib. p. Officiorum jllos quæſtus, in quibus prudentia, aut doctrina refulgeat, honeſtos affirmat, & liberales. de qua re, & de tota controuerſia, quæ cui ſit anteponenda omnium partium generis cauponij tam ex mercenarijs, quàm ex nundinarijs, dicam infrà loco magis idoneo. Nunc paucis vtra tandem vituperabilior, hæc ne mercenaria virtutum, atque artium liberalium, de qua hic precipuè Philoſophus loquitur; an fœneratoria, quam omnes maximè deteſtantur. Nec dubium eſt, iniuſtiorem eſſe fœneratoriam. peccat enim & in homines, & in naturã multis modis, vt pòſt declarabimus; mercenaria in naturam tantùm, & vno tantùm modo. Sed hæc naturæ fortaſſe infeſtior, quàm illa, & violentior: ad hoc uerò abiectior, & ſordidior: nam quanto excellentiores, nobilioreſque res ſunt numis, ac mercibus virtutes, ſcientiæque, quibus ipſa abutitur; tanto magis naturæ aduerſatur: & tanto magis eſt turpis, & illiberalis; quantò liberaliores illæ ſunt, ac honeſtiores. Contemnet itaque, non ſolùm damnabit aliquis imperatores, ſapienteſque noſtri ſeculi: quorum illi bella cauponantur, non gerunt; hi non docent artes, ſed actionantur: & vtrique ſimul ſe, ſimul ſuas facultates, quibus ſe plurimi æſtimari volunt, prælucereque aliis putant; pudendę ſubijciunt ſeruituti.

Mercenaria olì damnatur.

In parte 2 ca. 23 ad text. 117.

Mercenaria virtutum, artiúmq; liberalium cũ fœneratoria comparatio.

ad tex. 117.

Duces, et literati veri mercenarij damnantur.

D. Auguſt de Ciuitate Dei lib. vij. cap. 3.

Illi verò cunctas efficiunt pecuniarias. Hinc miratur D. Auguſtinus cur ab antiquis celebrata ſit Dea Minerua, & obſcurata Dea Pecunia: quandò rarò inuenies hominem, qui non habeat artem ſuam venalem; pluriſque pendatur ſemper id, propter quod aliquid fit, quàm id, quod propter illud fit. Hinc etiam Propertius.

Pecuniæ vis, et aſtimatio.

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor:
Auro pulſa fides: auro venalia iura:
Aurum lex ſequitur; & ſine lege pudor.

Textus LXXIIII.

*

Epilogus redigens ad quædam capita ea, quę dicta ſunt de duabus pecuniarijs.

CAPVT XXII. TEX. CXI.

ARGVMENTVM. TEXT. CXI.

Epilogus per enumerationem quorundam capitum, [a] ad quæ poſſunt omnia, quæcunque de duabus pecuniarijs hactenus expoſita ſunt, reuocari.

Text. cxj. [a] Περὶ μὲν οὖν τῆς τε μὴ ἀναγκαίας χρηματιστικῆς καὶ τίς, [b] καὶ δι' αἰτίαν τίνα ἐν χρείᾳ ἐσμὲν αὐτῆς, εἴρηται· [c] καὶ περὶ τῆς ἀναγκαίας, ὅτι ἑτέρα μὲν αὐτῆς, [d] οἰκονομικὴ δὲ, [e] κατὰ φύσιν, [f] ἡ περὶ τὴν τροφήν, [g] οὐχ, ὥσπερ αὕτη, ἄπειρος, ἀλλὰ ἔχουσα ὅρον.

[a] De pecuniaria igitur non neceſſaria & quæ ſit, [b] & ob quam cauſam ſit ipſa nobis in vſu, dictum eſt; [c] & de neceſſaria, quòd eſt alia ab illa, [d] domeſtica autem, [e] ſecundum naturam, [f] quæ in alimento, [g] non infinita, ſicut illa, ſed habens terminum.

EXPLANATIO.

Capita eorũ omnium, quæ hactenus de vtraq; pecuniaria dicta fuerunt. Quæ ſint hæ duæ pecuniariæ.

MVLTA dicta ſunt de vtraque pecuniaria. tamen, ſi mentis aciem intendas, perſpicies poſſe omnia ad hæc reuocari. [a] Nam aut quæ ſint pecuniariæ iſtæ, quęritur, quorum nomina, rationes, ſpecies earũ proponuntur: vt in parte p. & 2. cap. xvij. ſpecies alimẽtarię expoſitę fuerunt; in textu 110. ſpecies cauponię; ratio alimentariæ in tex. 77, & 81; ratio cauponię in 90; tandem nomen cauponię in 90; nomen alimentarię in 77. [b] Aut quæritur quam ob cauſam extiterint, ideſt quas cauſas, & quos naſcendi habeant modos: vt de origine cauponię dictum fuit in cap. 15; & de cauſis tum ibi, præſertim in tex. 95. & 96. tum in parte 4. cap. xxj. à textu 107; de cauſis verò, & de origine alimentarię pręcepuè in 2. & 3. parte cap. xvij. Et hæc omnia ſimpliciter. [c] Comparatè autẽ oſtenſum eſt, eas eſſe diuerſas, differenteſq; facultates, peculiariter quidem in text. 90. & in cap. xx. & xxj; ſed paſſim quoque per diſputationẽ vniuerſam.

Quas cauſas, et quos naſcẽdi modos habeant.

Differẽtia ipſarũ inter ipſas quoque modis cõprehẽſa.

Redu-

Reducuntur omnes illarũ differentiæ in hos quinque modos: vt vel diſtẽt
eſſentiâ, & quiditate, omnino genere; vel cauſa efficiente; vel materia; vel
d. fine; vel vtilitate. [d] Ad primum modum pertinet, alimentariam eſſe par-
tem, cauponiam non eſſe partem rationis domeſticæ: quod, propoſitum
ſuprà communiter de pecuniaria in vniuerſum in textu 74. & 76. & pro-
priè de alimentaria in 77; fuit poſtea declaratum de alimentaria in quarta
parte capitis xvij, & quodã pacto de vtraque in textu 103; declarabiturq́;
e. adhuc magis in capite proximè ſequenti. [e] In altero modo continetur,
alimentariam eſſe à natura; cauponiam non eſſe à natura, ſed à ratione, &
à ratione quidem in multis peruerſa: quæ dicta fuerunt de alimentaria in
tertia parte eiuſdem capitis xvij, in textu 90, & in 102; de cauponia in 90,
f. 91, & 101. [f] Verſari alimentariam in alimento, rebusq́; per ſe ad vitam vti-
libus; cauponiam in alijs non conducentibus naturâ ſuâ ad vſus vitę (quò
illa etiam referuntur, quæ de obiectis in textu 104, & fortaſſe alibi dicta
fuerunt) attinet ad tertium modum: cuius theorematis pars prior de ali-
mentaria conſtituta eſt in prima, ſecunda, tertia parte capitis xvij, & in
textu 87, & 102; pars poſterior de cauponia in parte prima, & tertia capi-
g. tis xxj. [g] Eſt quarti modi, quòd alimentaria finem habeat diuitias natura-
les, hoc eſt tantum inſtrumentorum, quãtum ſatis ſit ad beneuiuendum;
cauponia nullum certum habeat finem, ſed pro fine ſibi proponat infini-
tam multitudinem, amplificationemq́; numorum: atque cum his finibus
implicita ſunt actus, & inſtrumenta: de quibus omnibus expoſitum eſt in
tex: 88. 105. 90. 102. 103. [h] Nouiſſimo modo comprehenditur alimen- *A. nõ neceſſaria. c. de neceſſaria.*
tariam eſſe neceſſariam; cauponiam non eſſe neceſſariam: quod liquet ex
alijs, quæ de vtraque ſunt demonſtrata. Sed & húc pertinent ea omnia,
quæ de permutationis, ac numi neceſſitate, vtilitate, inutilitate ſcribun-
tur in capite xix; & quæ de varijs vitis, alimentisq́; in prima, & ſecunda
parte xvij. Huiuſmodi igitur eſſe hic epilogus poteſt. Nam quanquam
videtur Philoſophus quędam propriè cauponiæ, quędam propriè alimen-
tariæ tribuere: tamen omnia de vtraque fuerunt antea declarata. quocir-
ca ego etiam de ambabus hîc cõcludi intelligo, quæcunque de alterutra
concluduntur. Et fortaſſe ipſe breuitatis, vel potius difficultatis augendæ
b. causâ, cui maximè ſtudet, id fecit. [b] Verba illa græca ἐν χρείᾳ ἐσμὲν αὐτῆς, ſic *Verſio, & expoſitio quorundam verborũ 2. partis.*
vertuntur, exponunturq́; à quibuſdam: *egemus ipſa*, nimirum cauponia. Et
certè nemo negaret optimè reddi latinè, egere, quod dicitur græcè ἐν χρείᾳ
εἶναι. Sed repugnant iſta inter ſe: egere homines cauponia; & eſſe eam
minimè neceſſariam, quod in hoc eodem textu aſſeritur. Itaque ego ali-
ter verti: vt quom de cauponia propriè illa verba exponuntur; talis eua-
dat ſententia, qualis propoſita fuit in textu 106. & explicata in ſequenti-
bus; ob quam cauſam, inquam, creber ſit vſus eius inter homines: quom
verò traducuntur ad alimentariam; intelligamus, cur illa ſimpliciter ſit
nobis vſui.

Partes textus ſeptem pro ſeptem prioribus epilogi partibus. nam octa- *Partes textus.*
ua, quæ eſt de vtilitate, ſeparari non poteſt: quum apponatur quaſi du-
plex nota diſtinguens pecuniarias.

Textus LXXIIII.

*

CAPVT XXIII.

Appendix è duabus quaſtionibus, quæ ex ijs, quæ conſtituta ſunt, deciduntur. Vna, quæ eſt principalis, ſuprà etiam propoſita, & deciſa, hic deciditur abſolutiùs; quo pacto ſe habeat ratio pecuniaria ad domeſticam, & ciuilem. Altera, quæ eſt proxima, non principalis, & cuius propriè non eſt facta mentio, comparans formas pecuniariæ inter ſe ad expetendum, & fugiendum, ſimpliciter deciditur.

Δῆλον δὲ καὶ τὸ ἀπορούμενον &c. Text. CXII. ad CXVIII.

Quæſtionis propoſitæ, & deciſæ etiam ſuprà, Quo pacto ſe habeat pecuniaria ad domeſticam, & ciuilem rationem; deciſio abſolutior.

Pars prim. text: cxij.

*

Alterius quæſtionis, cuius propriè non eſt facta mentio, De cõparatione formarum pecuniariæ inter ſe ad expetendum, & fugiendum, bonum, & malum; deciſio ſimplex.

Pars ij. text: cxvi.

*

PARS PRIMA CAPITIS XXIII.

Quæſtionis, ſeu controuerſiæ propoſitæ initio huius tractatus in cap. xv, ex qua ducta eſt tota diſputatio de re, & ratione pecuniaria, quaq́; aliquo modo deciſa etiam fuit in 4. parte cap. xvij; deciſio abſolutior; ſtatuens ex antè declaratis, & per diſcuſſionem duarum dubitationum, veritatem obſcurantium, genus alimentarium eſſe partem domeſticæ, ac ciuilis rationis, cauponium non eſſe partem, nec vllo modo ad eas attinere.

Δῆλον δὲ καὶ τὸ ἀπορούμενον &c. Tex. CXII. ad CXVI.

SCHO-

SCHOLIVM.

PROPOSITA eſt in cap. xv. hæc controuerſia, *Series.* Quo pacto pecuniaria ſe haberet ad domeſticam facultatem: vnde occaſio, & aditus quidam daretur ad totam diſputationem de re, & ratione pecuniaria, quemadmodum vidimus. Et quoniam quatuor partibus controuerſia hæc continebatur: dimiſſa eſt prima, vtrum idem forent ratio domeſtica, & pecuniaria; tanquam manifeſtò appareret non eſſe omnino idem: tres aliæ relictæ; vtrum pars, an miniſtra eſſet pecuniaria domeſticæ facultatis; vtrum pars maxima, an qualis qualis pars; vtrum miniſtra præbens materiam, an exhibens inſtrumenta. De his tribus lata ſententia eſt, quod ad alimentariam formam attineret, in quarta parte cap. xvij: oſtenſumque duobus argumentis, eſſe eam partem non maximam quidem, ſed tamen partem tum domeſticæ, tum ſimiliter, & peræqua proportione etiam ciuilis facultatis: ex quo eueniebat non eſſe vllo modo miniſtram. Reſtabat vt concluderetur de altera forma, hoc eſt de cauponia, vel ſimpliciter de vtraque, quid eſſet ſentiendum; atque vnà diluerentur principales difficultates, quæ veram ſententiam obſcurare poſſent. Hæc igitur nunc præſtat Philoſophus. *Quid in vnoquoq; horum quatuor textuum faciat Philoſophus. Deciſio quæſtionis.*

text. 112. Primùm enim concludit, manifeſtum eſſe ex ijs, quæ de vtraque pecuniaria ſunt diſputata, quam rationem habeat pecuniaria omnino ad domeſticam, & ad ciuilē rationem; vtrum illarum ſit pars, & qualis pars; an miniſtra, quæ ei antecedat, præparans inſtrumenta, aut materiam: quaſi verò ex declaratis vtriuſque formæ attributis liqueat, alimentariam eſſe quandam partem domeſticæ, ac ciuilis rationis, cauponiam nec partem eſſe vllam, nec alio modo cum illis coniungi. Deinde quia duæ in primis dubitationes negotium faciunt, & priorem ſententiam de alimentaria oppugnare videntur; eas exponit, ac tollit. *Duæ dubitationes contra deciſionem.*

text. 113. Vna dubitatio eſt: quì dici poſſit pecuniariam alimentariam eſſe partem, vel etiam miniſtram domeſticæ, aut ciuilis rationis; ſi *Prior dubitatio ex materia alimentaria, quam natura facit.*

res, & pecuniæ alimentariæ à natura fiunt; à natura præbentur Oeconomo, & ciuitatis rectori. nam ſi hoc eſt verum, vt certè eſt: ecquod amplius relinquetur munus pecuniariæ alimentariæ, vnde nominari debeat pars, aut miniſtra vel domeſticę, vel ciuilis facultatis; imò, vnde prorſus eſſe ipſa aliquid poſſit? Et ſoluitur ex ſimili, quod cernitur in multis alijs facultatibus: quibus natura æque præbet res ſubiectas, in quibus vertuntur; retinentque illæ nihilominus nomina, & ſpecies ſuas. ſiquidem ſpectandam eſſe tractationem, adminiſtrationemque materiæ in quauis facultate; non primam eius generationem. Altera dubitatio eſt: cur magis ponere debeamus alimentariam pecuniariam eſſe partem domeſticæ, ciuiliſque facultatis, quàm medicam artem; ſi ſanitate eodem modo opus eſt familię, & populo, quemadmodum alimentis, alijſque rebus ad vitam vtilibus. Diluitur autem hæc dubitatio: quoniam prouidere ſanitatem familiæ, ac ciuibus, eiuſque curam habere ſic attineant ad œconomum, ciuitatiſque rectorem; ſicut ad eoſdem attinent prouidere, & adminiſtrare rem pecuniariam: nec tamen ſimilis omnino ſit medica facultas rationi alimentariæ; propterea quòd hæc nullo modo generet pecunias ſuas, ſed procuret ſolùm, quum à natura generentur, licet adiuuantibus aliquando naturam ſeruis, & miniſtris ipſius alimentariæ; medica ars gignat planè quodammodo ſanitatem, hoc eſt adiuuet natutam in generando.

Poſterior dubitatio ex ſanitate, qua eodē modo opus eſt familiæ, et populo.

text. 114

text. 115

ARGVMENTVM. TEXT. CXII.

Pronunciat deciſionem controuerſiæ inductæ in capite decimoquinto ſub initio huius diſputationis; quo pacto ratio pecuniaria ſe habeat ad œconomicen, & ad politicen, an vt pars, an vt miniſtratrix; manifeſtam eſſe ex hactenus conſtitutis: ita indicans genus alimentarium eſſe quandam partem illarum facultatum; cauponium nec partem illarum eſſe, nec alio modo ad eas attinere: nam vtrunque liquet ex ijs, quæ vtrique generi attributa fuerunt.

Δῆλον

Text: cxij. [a] Δῆλον δὲ καὶ τὸ ἀπορούμενον ἐξ ἀρχῆς, [b] πότερον τοῦ οἰκονομικοῦ, καὶ πολιτικοῦ ἐστὶν ἡ χρηματιστικὴ, [c] ἢ οὔ, ἀλλὰ δεῖ τοῦτο μὲν ὑπάρχειν.

[a] Perſpicuum autem eſt & id, de quo à principio eſt dubitatum, [b] vtrum rectoris domus, & moderatoris ciuitatis ſit pecuniaria, [c] an non, * ſed oportet hoc quidem adeſſe.

** citat hoc infrà in textu 115.*

EXPLANATIO.

a. id, de quo à principio eſt dubitatum.

Quæſtio, ſeu controuerſia, et eius partes.

[a] Dvbitatvm eſt vſque ab initio huius diſputationis, quæ'nam familiaritas intercederet pecuniariæ cum domeſtica, & cum ciuili ratione. Et quoniam conſpicuum erat omnino differre eam aliquo modo ab vtraq; illarum: [b] quærebatur deinde vtrum eſſet ipſarum pars, quod hîc verba iſta ſignificat, πότερον τοῦ οἰκονομικοῦ, καὶ πολιτικοῦ ἐστὶν ἡ χρηματιστικὴ, hoc eſt *vtrum rectoris domus, & moderatoris ciuitatis ſit pecuniaria;* [c] an non eſſet pars, ſed miniſtra, quod item deſignatur verbis ſequētibus, ἢ οὔ, ἀλλὰ δεῖ τοῦτο μὲν ὑπάρχειν, ideſt *an non, ſed oportet hoc quidem adeſſe*, pecunias ſcilicet. Nam ſi pars nō eſt, & oportet nihilominus, quod ipſa facit, & in quo verſatur, adeſſe œconomo, ac ciuitatis moderatori: vtique neceſſe eſt ipſam eſſe miniſtram domeſticæ, & ciuilis facultatis. hęc enim eſt propria conditio facultatum miniſtrantium: vt munera ipſarum, & quicquid demum faciũt, aut præparant, præſtò ſint illis, quibus miniſtrant. Diuidebatur verò vtrunque caput quæſtionis. nam ſi pecuniaria eſt pars domeſticæ, ciuiliſq; facultatis; aut eſt pars maxima earum, aut qualis qualis: & rurſus, ſi eſſet miniſtra; aut materiam exhiberet, aut inſtrumenta. [a] Quo itaque pacto decidenda ſit tota hæc controuerſia, iam euadit manifeſtum ex ijs, quæ de vtroque genere pecuniariæ ſunt declarata. Siquidem de genere alimentario, quia naturale eſſet, & de rebus naturalibus, maximè neceſſarijs, maximeq; vtilibus ſocietati ciuitatis, & domus, tandem de veris inſtrumentis domeſticis; ciuilibuſque, ac de veris diuitijs, finem habens quæſtus, diuitiarumq; ſuarum vſum ad beneuiuendum; demonſtratum eſt in textu 87. 88. 89. repetitumq; in 103. 105. 111. eſſe partem domeſticæ, ac ciuilis facultatis; partem, inquam, non maximam, ſed aliquam tantùm. Similiter verò ex contrarijs locis attributiſque contrarijs, quia oſtenſum fuerit cauponiũ genus non eſſe à natura, imò ab imbecilla, vel peruerſa ratione, cupiditateq; temeraria; quod vel nullum finem proponeret ſibi præter infinitam numorum multitudinem, vel proponeret fruitiones corporales, quæ æquè ſunt infinitæ, in diuitijs præterea, inſtrumentiſq; domuum, ac ciuitatum non veris, ſed opinabilibus, & infinitis perpetuò maneret occupatum; ſequitur manifeſtè ipſum nec partem eſſe domeſticæ, ciuilis'ue facultatis, nec vllo alio modo ad eas pertinere. Etenim domeſtica, ciuiliſq; facultas omnibus ſuis partibus cũ natura, naturaliq; ratione, vnde naſcuntur, conſentiunt: finitæ ſunt, & finita quærunt; eaq; in certos dirigunt fines, qui ad extremum ſunt fines beneuiuendi hoc, aut illo modo.

Miniſtrantiũ facultatũ proprium.

Deciſio huius controuerſiæ ex ijs, quę hactenus ſunt conſtituta.

SCHOLIVM.

Vtrũ, et quomodo pecuniaria ſit pars, vel miniſtra domeſticę, ciuiliſq; rationis.

Expoſitio huius loci ab alijs allata.

Perſpicuum autem eſt &c. Dixi quemadmodum exponam ego verba huius textus, ſeparemque ab iis, quæ proximè ſequentur. Alij connectũt, volentes hic in cōtrariam partem, atque ego dixerim, decîdi à Philoſopho quæſtionem propoſitam; adiungique in textu proximè ſequenti rationem eius deciſionis.

Sententia aliorum, quòd ſit miniſtra, non pars.

Decidi itaque hoc pacto: vt quum interrogauerit Philoſophus id, de quo dubitatum fuerat, vtrum, inquam rectoris domus, & moderatoris ciuitatis ſit ipſa pecuniaria; reſpondeat his verbis, ἢ οὔ, *an non*, non eſſe partem, ſed miniſtram; & rationem addat, quia oporteat hoc, ideſt pecunias adeſſe œconomo, ac ciuitatis moderatori, quas pecunias nimirum natura facit, vt dicetur

Refutatio eius expoſitionis et ſententia atque probatio quòd non ſit miniſtra, ſed pars. Ratio prima.

proximo in textu. Sed primùm, quænam, obſecro, hæc ratio erit: natura facit pecunias: ergo pecuniaria eſt miniſtra domeſticæ, aut ciuilis facultatis? qua parte adiuuatur hoc, pecuniariam eſſe miniſtram, ab illo, quòd natura pecunias faciat? Deinde, quomodo interrogat vtrum ſit pars, an miniſtra; reſponderque eſſe miniſtram, non partem, qui ita loquitur: manifeſtum eſſe id, de

Secunda.

quo dubitatur, vtrum rectoris domus etc? nonne potius liquere ait, vtra pars

Tertia.

ſit ſumenda? Ad hæc, quomodo nō erit abſurdum, reſpondere Philoſophum de pecuniaria alimentaria duntaxat, cuius pecuniæ à natura generantur, ni-

Quarta.

hilque dicere de cauponia? Præterea, ſi pecuniaria non eſt pars, ſed miniſtra domeſticæ, ciuiliſque facultatis; erit profectò facultas ab illis ſeparata; debetque hac de cauſa ſeparatis etiam libris tradi: quemadmodum dialectica, quę eſt miniſtra, non pars philoſophiæ, vt uolunt Peripatetici, comprehenditur

Quinta.

propriis libris. Inſuper, cuius obſecro erit hæc pecuniaria miniſtra? & quis erit pecuniarius, ſi non ſit œconomus? parabit'ne alius pecunias œconomo, eo dormiente? aut poterit eſſe œconomus ſine adminiſtratione pecuniarum? At ſi idem ſit œconomus, & pecuniarius; idem eodem modo pecuniarius, & ciuitatis moderator: quo pacto non eſt à ratione alienum, eundem hominem

Sexta.

ſimul eſſe miniſtrum, & architectum? Tandem ſatis perſpicua eſt ſententia Philoſophi tum in his quatuor textibus, tum vero in ſuperioribus 87, 88, 89, 103, 105, 111, & in tota hac diſputatione, alimentariam pecuniariam eſſe partem domeſticæ, ciuiliſque rationis; cauponiam non eſſe partem, nec vllo mo-

Confirmatio eiuſdē theorematis ex quibuſdā auctoritatibus.

do ad eas pertinere. In principio etiam P. Oeconomici idem ſtatuitur, hoc eſt *Cap. 2.* rem, & pecuniam domus; pecuniariam rationem domeſticæ facultatis partem eſſe. Et Cato, reliquique ſcriptores de Re ruſtica, & de re familiari, non ſolum rei familiaris pecuniariam partem faciunt, ſed etiam præcipuam partem. Nec

Quomodo pecuniaria alimentaria poſſet appellari miniſtra domeſtica, ciuiliſque facultatis.

abnuerem tamen pecuniariam alimentariam aliquo modo miniſtram domeſticæ, & ciuilis facultatis appellari poſſe: ſed aliquo modo tantùm poſſet; ſimpliciter autem eſt pars. quod ſic declaro. Conſtat pecuniaria alimentaria, vt ſæpe dixi, ex tribus rationibus: quibus hæc nomina ſunt facta, acquirendi, conſeruandi, vtendi pecuniis. Iſt hæc igitur poſtrema, & nobiliſsima ratio, quę ab vtendo nomen habet, ita eſt pars facultatis domeſticæ, ciuiliſque, vt nullo

Vtēdi pecuniis ratio, et ex ſe, & qd ad opus ſuū attinet, eſt omno pars domeſtica, ciuiliſq; facultatis, ac nullo modo miniſtra.

modo dici queat miniſtra. ſiquidem hoc opus vtendi pecuniis ſuis, vel fruendo ipſi, vel aliis diſtribuendo, retinent perpetuò in ſe oeconomi, & moderatores ciuitatum; nec cuiquā impertiunt; nihil ad id conferentibus eorum miniſtris, aut ſeruis, niſi quòd portant, præparāt, diſponunt, quæ ſunt fruenda, aut diſtribuenda. Concedunt quidem hunc vſum pecuniarum nonnunquam domini, ac reges ſeruis, & miniſtris ſuis: ſed vel in quoddam duntaxat concedunt tempus, quo etiam tempore nec œconomi, nec moderatores ciuitatum propriè dicentur: vel quadam ex parte, ſumma rei ſibi reſeruata. Aliæ autem

Acquirēdi ratio, & ratio cōſeruandi pecunias ſūt partes ex ſe; tamē, qd ad opera ſua attinet, appellari quoquo modo miniſtra poſſunt facultatis domeſticæ, atque ciuilis.

duæ priores rationes, quas vocabamus acquirendi, & conſeruandi, pertinent & ipſæ ad domeſticam, ciuilemque facultatem ſimpliciter, vt partes: tamen ſi opus vtriuſque ſpectes potius, quam initium, & quam id, cuius gratiâ: pertinere ad illas quoquo modo vt miniſtrę videbuntur. Etenim in vtraque ipſarum, ideſt tam in conſeruando, quàm in acquirendo, contrà ac in vtendo faciant, adhibent œconomi, moderatoreſque ciuitatum ſeruos, ac miniſtros aliquos: nec vllus eſt tam paruæ ciuitatis rector, nullus tam abiectus œconomus, qui acquirere, aut tueri per ſe acquiſita velit, aut ſi vellet quidem, poſsit, vel debeat. Etiam ruſtici noſtri, qui domos regunt, non arant ipſi, nec oues paſcentes cuſtodiunt: ſed aut famulis, aut mulieribus, filiiſque ſuis, aliis'ue, qui ſunt iis pro famulis, hęc committunt miniſteria: ipſi, quæ in rem ſunt, iubent; & partis, conſeruatiſque vtuntur. Vt partes itaque, ſimpliciter attinebunt ad domeſticam,

meſticam, ciuilemque facultatem hæ duæ rationes, acquirendi, & conſeruandi; quatenus œconomi, ciuitatumque moderatores cognoſcunt, prouident, imperant, in conſeruando, quæ, vbi, quandiu, quibus modis conſeruare; in acquirendo, quæ, vnde, quo tempore, quibus rationibus acquirere oporteat; diriguntque omnia iſta ad fines beneuiuendi. Attinebunt verò aliquo modo ad eaſdem & vt miniſtræ; quatenus iidem œconomi, moderatoresque ciuitatum non per ſe ipſi acquirunt, conſeruant'ue, quemadmodum per ſe ipſi vtebantur, ſed acquirunt, & conſeruant per ſeruos, ac miniſtros ſuos, quibus tamen imperant, quæ ſunt facienda, & quæ ipſi norunt. Sed hæc clarius in proximè ſequentibus textibus refulgebunt.

ARGVMENTVM. TEXT. CXIII.

Tollit dubitationem primam: qui poſſit pecuniaria alimentaria eſſe pars, aut miniſtra domeſticæ, ciuiliſque facultatis, vel quicquam omnino; ſi res & pecuniæ, quæ illius eſſe dicuntur, ſiunt, prebenturque à natura œconomo, ac ciuitatis moderatori. Locus à materia. Eſt autem ſolutio à ſimili in facultatibus effectricibus, aliiſque partibus actualis; quibus res ſubiectæ pariter à natura traduntur, & ad quas pertinet illarum rerum non generatio prima, ſed tractatio, & cognitio in tractationem, ſiue vſum.

Text. cxiij. [a] Ὥσπερ γὰρ καὶ ἀνθρώπους οὐ ποιεῖ ἡ πολιτική. [b] ἀλλὰ, λαβοῦσα παρὰ τῆς φύσεως, χρῆται αὐτοῖς: [c] οὕτω καὶ τροφὴν τὴν φύσιν δεῖ παραδοῦναι, γῆν, ἢ θάλατταν, ἢ ἄλλο τι. [d] ἐκ δὲ τούτων, ὡς δεῖ ταῦτα διαθεῖναι, προσήκει τὸν οἰκονόμον. [e] οὐ γὰρ τῆς ὑφαντικῆς ἔρια ποιῆσαι [f] ἀλλὰ χρήσασθαι αὐτοῖς: [g] καὶ γνῶναι δὲ τὸ ποῖον χρηστὸν καὶ ἐπιτήδειον, ἢ φαῦλον καὶ ἀνεπιτήδειον.

Elicit ex hoc textu: Facultates actuales, & effectrices non generare ſuas materias ſed vti ipſis, eaſque cognoſcere ad vſum.

[a] Sicut enim & homines non facit facultas ciuilis; [b] ſed, quom acceperit à natura, vtitur ipſis: [c] ſic & alimentum naturam tradere oportet, terram, aut mare, aut aliud quidpiam; [d] ex his autem, quemadmodum oportet hæc diſponere, attinet ad œconomum. [e] non enim eſt artis textoriæ lanas facere; [f] ſed vti ipſis; [g] & nouiſſe verò, qualis bona, & idonea, & mala, & minimè idonea.

EXPLANATIO.

a. b. nō facit, vtitur. c. d. tradere, diſponere, e. f facere, vti.

c. naturam. c. aut aliud quidpiam.

Materia alimētaria generatio ad naturā ptinet: adminiſtratio cognitioq; in eā administratio: nē ad domeſticā, ciuilēq; facultatem.

[a] Rervm, quæ pecuniariæ alimentariæ tanquam materia ſubijciuntur, quas veras, naturaleſq; pecunias, & nonnunquam alimenta appellamus, aut generatio ſpectari poteſt, aut tractatio, & curatio, quæ aliquando etiam vſus vocatur, fuſiori huius vocabuli ſignificatione. [b] Si generatio ſpectetur, eſt opus naturæ; generat enim natura [c] vel per ſe ſola, [c] vel adiuta ope, & miniſterio humano (verbi gratia colendorum agrorum, aut paſtoralis ſcientiæ) omnia hæc alimenta, & pecunias naturales, quæ ad vitam benè, commodèq; transigendam ſunt neceſſaria: vt in cap. xvij. fuit declaratum. nam & [c] terra præbet plantas, terreſtria animalia, aues, & [c] mare piſces; [e] & ipſa animalia, plantæq; fructus ſuos naturaliter: ex quibus

c. terram. c. aut mare. c. aut aliud quidpiam.

 omni-

omnibus viuimus, text: 80. quinque illa genera alimentorum, ſeu pecuniarum naturalium demetentes, quæ explicata ſunt in textu 84. [d] Curatio autem, & vſus latè pro adminiſtratione, ideſt [d] pecunias iſtas, quas in vſus noſtros procreat, & deſtinat natura, [d] tractare, vt oportet, [d] tum acquirendo, decerpendoq; eas ex terra, mari, plantis, animalibus, tum conſeruando, tum propriè vtendo, ac diſtribuendo, [g] vna cum cognitione, quæ hanc tractationem comitatur, vt ſciamus, quæ, vnde, quando, quo pacto, vbi, quandiu, quibus acquirendæ ſint, conſeruandæ, diſtribuendæ; [d] pertinet profectò ad domeſticam, ciuilemq; facultatem. atque hoc nomine pecuniaria, quæ in eiuſmodi cognitionem, tractationemque, & earum formas, quemadmodum diximus, diſtribuitur, eſt verè pars domeſticæ, ciuiliſq; facultatis. Equidem hoc ſatis eſt, vt ipſa ſit pecuniaria, & vt ſit pars rationis domeſticæ, ac ciuilis; verſari eam his modis in pecunijs naturalibus, quas neceſſe eſt œconomis, & moderatoribus ciuitatũ omnino adeſſe, quemadmodum dicebatur in textu ſuperiori: nec requiritur præterea, vt eas generet; imò à natura generante debet accipere.

d.
d. hac.
d. diſponere.
d. ex his.
g
d. attinet ad œconomum.

Pecuniaria, vt cognoſcit, adminiſtrat atque materiã alimẽtariam, eſt verè pars facultatis domeſtica, atque ciuilis.

[a] Commune eſt hoc ei cum alijs partibus actualis diſciplinæ, ideſt earundem domeſticæ, ciuiliſque, atque etiam moralis, & cum effectricibus facultatibus. [b] quarum quidem vnaquæque, res ſubiectas ſibi à natura accipiens iam generatas, [b] in earum deinde ipſa vſu, ideſt tractatione, curatione'ue, & notitia, quæ in eum vſum tendit, tota occupatur. [a] Ita ſanè ratio ciuilis, quod ad alteram eius partem, quę de hominibus eſt, attinet; eos non facit, ſed ſuſcipit factos à natura, & natos. [b] ijs verò ſuſceptis vtitur, hoc eſt curat, & tractat ſuſceptos educando, inſtituendo, regendo ratione, exercitatione, legibus, vi tandem, & ſpe, ac metu, præmioque, ac pœna. [g] Quæ vt rectè exequatur, exquirit quoque, diſcernitque, qui deteriores, qui præſtantiores, qui magis, qui minus idonei appareant ad hæc, vel ad illa miniſteria, & munia ciuitatis. Quanquam enim, vt boni deinceps naſcantur, prouidet initiò ratio ciuilis, quantum poteſt; quemadmodum & pecuniaria, vt bona, & idonea nobis proueniant animalia, & plantæ, fructuſq; plantarum, & animalium; ſimiliterq; fortaſſe aliæ quędam facultates, vt res, & materiæ ſuæ probæ gignantur, & ad ſua opera accommodatiſſimę: tamen verè incipere curæ earum, & officia videntur tunc, quom ſuſceperint natas. [c] Ita etiam textorum ars, quæ eſt ex genere effectricium, in quo fortè genere reponere pecuniariam quiſpiam voluerit; [f] vtitur ad texendum lanis, [e] quas gignit natura in quibuſdam animalibus, & plantis: [g] nouitque, quã ſibi deligat potius ad quodque genus telarum; quæ egregia ſit, & commoda; & quę rurſus vilis, & incommoda.

Facultates effectrices & actuales nõ faciũt materias ſuas ſed capiũt tantum et conſyderãt ad eam ipſam curationem.

a ſicut enim &c. e ſic & alimentũ &c.
b. quom acceperit à natura.
b. veil. ſ vti.
a.
b. vnũ ipſis.
g & nouiſſime &c.
f.
e. lanas facere.
g.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a b) oſtendit alteram Politicæ partem, quę eſt de hominibus non facere ſuam materiam, ſed, quom à natura eam acceperit, tractare illam. Secunda (c d) concludit non eſſe abſurdum, ſi idem contingat in altera eius parte, quæ eſt pecuniaria. Tertia (e f g) declarat hoc idem euenire in arte textorum.

S C H O L I A.

Similitudo facultatũ contemplantium cũ actualibus, & effectricib⁹. quia illæ nõ ſibi faciũt ſuas materias; ſed vtræq; accipiũt à vi aliqua ſuperiori.

[a] *Sicut enim & homines non facit &c.* Quemadmodum ſcientiæ, & facultates contemplantes proprias materias ſuas, quas ſubiecta appellant, minimè probant; ſed ſumunt eas vel à ſenſibus, vel à ſcientijs ſuperioribus, vel ab vtriſque: ita quoque facultates actuales, & effectrices ſuas haudquaquam faciunt; ſed accipiunt vel à natura ſola, vt ciuilis homines; vel à natura ſimul, & arte aliqua

inferiori;

inferiori; vt textoria lanas; ars ædificandi ligna, & calcem: quarum quidem naturæ, & artis inferioris, has materias præbentium, natura ſemper ſimpliciter facit; ars inferior vel adiuuat naturam in efficiendo, vt agricolendi miniſterium ad pecuniariam; vel præparat, & accommodat materiam iam factam, vt lapicidarum ars ad ædificatores. Sit igitur hoc generale enunciatum: Nulla actualis facultas, nulla ars effectrix generat materiam ſuam: ſed ſumens illam vel à natura, vel ab arte & natura ſimul, vtitur ea iam genita, & accommodata. Loquimur autem de artibus, quas Scholaſtici reales uocant. nam de rationalibus aliud dicendum.

Enunciatũ generale de operatione facultatum actualium, effectricúmque ad ſuas materias

Homines non facit facultas ciuilis. Eſt vna pars ciuilis facultatis, & vna item domeſticæ, quæ ſunt de hominibus: ſicut alteræ duæ ſunt, quę ſunt de rebus illas autẽ nemo negaret eſſe partes ciuilis, ac domeſticæ facultatis: & tamẽ homines æque, ac res pecuniariæ, à natura fiunt, partibuſque illis ſuppeditantur. Ciuilem autem fortaſſe nominauit Philoſophus tanquam illuſtriorem: domeſticam prætermiſit breuitatis causâ.

Argumẽtatio à partibus ciuilis, domeſticaq; facultatis, quæ ſunt de hominibus, ad alteras, q̃ ſunt de rebus. Ciuilẽ facultatẽ cur nominet Philoſophus, domeſticam taceat.

Sic & alimentum naturam tradere oportet. Cui tradere oportet? Nimirum hominibus, quos eadem natura facit, vt dicebatur in textu 82, & 83. Vel tradere oportet ijs partibus domeſticæ, ciuiliſque facultatis, quæ ſunt de alimentis, ſiue de pecuniis alimentariis, quæque hac de cauſa alimentariæ rationes propriè nominantur: quemadmodum & alteris earundem facultatum partibus, quæ erant de hominibus, homines tradebat.

Aut aliud quidpiam. Coniungi hoc poteſt vel cum uocibus, *terram*, *aut mare*, proximè antecedentibus; vel cum remotiori voce, *naturam*. Prima verborum conſtructione ſignificarentur plantæ, & animalia, ex quibus fructus percipiuntur. Altera conſtructione deſignaretur ars, aut peritia, verbi gratia agricultura, aut coquinaria, quibus natura adiuuatur ad alimenta nobis ſuppeditanda. Et quanquam priorem modum conſtruendi maximè probem; tamen poſteriorem etiam indicare in explanatione uolui.

Syntaxis verborum.

Diſponere. In græco textu eſt διαθεῖναι. Multa ſignificat hoc verbum διατίθεσθαι. Quidam hîc vertunt diſpenſare, & diſtribuere. Alij, & meliùs, adminiſtrare. Notat enim, vt puto, Philoſophus vſum, ideſt tractationem, & curationem omnem. Mihi tamen magis placuit verbum diſponere: licet hoc propriè latinis ſit ordinare. Sed verbum verbo reddendum erat in re controuerſa. Et Boethus Seuerinus quoque τὴν διάθεσιν pro affectione diſpoſitionem eſt interpretatus in Prædicamentis, & alibi, haud multum diſsimili intelligentia.

Verſio.

διάθεσις.

Hæc. Ideſt alimenta. Quamuis enim alimentum dixerit in numero ſingulari: tamen multa ſunt genera alimentorum, ex terra, mari, & aliis quibuſdam. Neque enim puto pronomen iſtud, *hæc*, referendum eſſe ad alimentum, & ad homines coniunctim: de quibus vtriſque pronuntiatum eſt initio textus, tradi ea à natura ciuili facultati.

Syntaxis verborum.

Non enim eſt artis textoriæ lanas facere. D. Thomas, ſic deſeruiunt, inquit, œconomicæ, & natura, quæ gignit homines, alimentaque, & pecuniaria, quæ hæc acquirit: ſicut arti textoriæ deſeruiunt & eadem natura, quæ lanas generat, & mercatura, quæ acquirit eas. Quaſi verò ſine mercatore textor eſſe non poſſet: aut quaſi ſine pecuniaria, ideſt ſine ratione acquirente, tuente, diſtribuente rem, & pecunias maneret œconomice.

Expoſitio D. Thomæ.

ARGVMENTVM. TEXT. CXIV.

Exponit ſecundam dubitationem: Cur pecuniariam alimentariam potius, quam medicam facultatem domeſticæ, ciuiliſque partem ſtatuamus; ſi indigent familia, & populus ſanitate ſimiliter, atque alimentariis pecunijs. Locus à fine.

Text. cxiv. [a] Καὶ γὰρ ἀπορήσειεν ἄν τις, διὰ τί ἡ μὲν χρηματιστικὴ μόριον τῆς οἰκονομίας, ἡ δ' ἰατρικὴ οὐ μόριον: [b] καίτοι δεῖ ὑγιαίνειν τοὺς κατὰ τὴν οἰκίαν, ὥσπερ ζῆν, ἢ ἄλλο τι τῶν ἀναγκαίων.

[a] Etenim dubitaret vtique aliquis, cur pecuniaria quidē ſit pars curæ domeſticæ, medendi aūt facultas non ſit pars: [b] quanquam opus eſt valere eos, qui in domo ſunt, quemadmodum viuere, aut aliud quidpiam eorum, quæ ſunt neceſſaria.

EXPLANATIO.

Initium ratio nis huius difficultatis.

[b] Finis medicæ artis eſt * ſanitas; finis pecuniariæ * cibus (qui in præſentia victus vocabulo, hoc eſt τοῦ ζῆν, ſignificatur) * cæteraque genera alimentorum aliâs expoſita. quibus quidem alimentorum generibus & hîc, & alibi rerum neceſſariarum nomen tribuitur, propterea quòd ſine illis vita humana nec benè, nec cōmodè, nec diu traduci queat. * Vtraq; autem re, hoc eſt alimentis, & ſanitate ſimiliter eſt opus * familiæ, & populo. Et quibus rebus ęquè indigent familia, & populus; earum rerum facultates, tendentes in eas, tanquam in ſuos fines, videntur ęque ponendæ, aut non ponendæ partes rationis domeſticæ, atque ciuilis: ad quas ſanè pertinet æqualiter comparare ea, quæ æqualiter ſunt neceſſaria; ad ciuilem, quę populo; ad domeſticam, quę familiæ; quum familiam domeſtica, populum ciuilis ratio gubernet. [a] Ergo ſequi videtur, ſi pecuniaria pars domeſticæ, ciuilisq; rationis ponatur; earum ſimiliter partem ponendam eſſe medendi facultatem, quod fortaſſe nemo concederet.

Ratio dubitationis.

*b. * valere. * viuere. * aut aliud quidpiam: Præcipuè in comm 84. * opus eſt. * qui in domo ſunt.*

Concluſio dubitationis. a.

Partes textus. Partes textus duæ. Prima proponit dubitationem: Secunda rationem dubitationis.

ARGVMENTVM. TEXT. CXV.

Tollit ſecundam dubitationem etiam ex ſimili, κατ' ἀντιπαράστασιν: quoniam prouidere aliqua ex parte ſolùm & ſanitatem, quod medicina non facit, & pecunias, quod eſt munus pecuniariæ, ad œconomum attineat, ciuitatisque moderatorem: ſimpliciter autem prouidere ſicut illam ſit medici, non œconomi, aut moderatoris ciuitatis; ſic has non pecuniariæ ſit, ſed rationum miniſtrantium, & multo magis naturę. hoc deinde oſtenditur per locum à genere; quia natura alimentum ſimpliciter præbet genitis animalibus: & hoc rurſus per locum à parte; quippe ſtatim genitis, quod ſupereſt materiæ, ex qua generantur, ſit ipſis alimentum.

Text. cxv. [a] Ἐπεὶ δ' ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου καὶ τοῦ ἄρχοντος καὶ περὶ ὑγιείας ἰδεῖν· ἔστι δ' ὡς οὔ, ἀλλὰ τοῦ ἰατροῦ: [b] οὕτω καὶ περὶ τῶν χρημάτων ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου· ἔστι δ' ὡς οὔ, ἀλλὰ τῆς ὑπηρετικῆς. [c] μάλιστα δὲ, καθάπερ εἴρηται πρότερον, δεῖ φύσει τοῦτο ὑπάρχειν. [d] φύσεως γὰρ ἐστιν ἔργον τροφὴν τῷ γεννηθέντι παρέχειν: [e] παντὶ γὰρ, ἐξ οὗ γίνεται τροφή, τὸ λειπόμενόν ἐστι.

[a] Quo-

[a] Quoniam autẽ eſt quidem quodammodo œconomi, & Principis de ſanitate etiam videre; eſt autem quodammodo non, ſed medici: [b] ita quoque de pecunijs eſt quidẽ quodammodo œconomi; eſt autem quodammodo non, ſed miniſtratricis rationis. [c] maximè autem, vt dictum eſt prius, oportet naturâ hoc adeſſe. [d] naturæ enim eſt opus, alimentum genito præbere: [e] cuique enim, ex quo naſcitur, alimentum eſt quod relinquitur.

c. vt dictũ eſt prius, in text. 11.
d. idem ſuprà tex: 83.

E X P L A N A T I O.

Solutio Philoſophi κατ' ἀντιπαράστασιν.
Summa ſolutionis bifariã propoſita.

Solvtio dubitationis, vt paucis rem perſtringam, eſt huiuſmodi: Nec medicina, quæ ſanitatem, nec vlla rationum domeſticæ, ciuiliſq; inſeruientium, vt aratorum, opilionum, porculatorum, quæ pecunias ſimpliciter præſtare dicuntur, dum adiuuant naturę opus; ſunt partes ciuilis, aut domeſticæ: & tamen pecuniaria eſt vtriuſque pars, non ſolùm quà diſtribuit, ſed etiam quà conſeruat, & quà aliquatenus naturæ, facultatumq; inſeruientium opera prouidet pecunias; quemadmodum tueri quoque, ac prouidere aliqua ex parte ſanitatem cùm familiæ, tum pópulo generalibus quibuſdam animaduerſionibus pertinet ſanè ad œconomum, Principemq; ciuitatis. Vel ſic: Quanquam ſanitate, & alimentis æque indigerent familia, & populus: tamen medicina, quæ facit ſanitatem, non eſſet pars domeſticę, ac ciuilis rationis; pecuniaria, quę non facit pecunias, eſſet pars. ſiquidem medicina ſimpliciter, & per ſe facit ſanitatem cum natura coniuncta: pecuniaria non ſimpliciter, & per ſe, quod eſt opus facultatum deſeruientium, ipſiuſq; naturæ, ſed aliqua ex parte tantùm pecunias facit: & hoc quidem attinet ad œconomum moderatoremque ciuitatis; ſicut ad eoſdem attinet ſanitatem quoque àliquatenus prouidere. Vnà verò cum hoc, quòd facit aliquo modo pecunias pecuniaria, etiam conſeruat, ac diſtribuit eas ſimpliciter, quæ omnia domeſticæ, ciuiliſq; rationis opera ſunt. Ita medicina videtur magis ſimilis rationibus deſeruientibus pecuniarię, quàm ipſi pecuniariæ. Hęc ſumma ſolutionis, quæ fuſiùs ſic explicatur.

a. b. [a] Concedit Philoſophus ęque ſanitatem familię, populique, ac pecunias curandas eſſe ab œconomo, & ciuitatis moderatore, quod dubitationis erat fundamentum. Addit verò, medicinæ, pręſtanti vſquequaq; naturæ ope, & reſtituenti, ſi amiſſa fuerit, ſanitatem; *Explicatio fuſior eiuſdẽ ſolutionis.*

b. nequaquam ſimilem eſſe rationem pecuniariam; [b] quoniam hęc aliqua ex parte duntaxat, non omnino pecunias paret: [b] ſed eſſe ei ſimiles rationes pecuniariæ deſeruientes, puta arandi, & vineas colendi, quæ per ſeruos, miniſtroſq; exercentur: ab his enim ſimpliciter, [c] prębente natura, pecunias comparari. [d] Porrho pręberi à natura nobis, ac comparari veras pecunias probat Philoſophus argumento ex genere: quandoquidem proprium ſit naturæ opus, vt ſuppeditet alimenta viuentibus, quę generauit. [e] Et hoc rurſus probat per locum à parte: nempe ab eo, quod cernitur in ortu animalium. Ex qua nanque materia vnumquodque illorum generatur, eius materiæ quod reſtat, eſt alimentum generato, vt dictum eſt ſuprà, vberiuſq; in lib. de Generatione animalium fuit declaratum.

b. ſed miniſtratricis rationis.
c.
e.
in textu 83.

[a] Quo-

Sanitatē familiæ, populique quomodo curent, et quomodo nō, œconomus, et ciuitatis moderator.

[a] Quodammodo igitur curant, inquit, familiæ, populiq; ſanitatem œconomus, ac ciuitatis moderator, & quodammodo non curant. Curant .n. generalibus quibuſdā pręceptis, & animaduerſionibus, vt quibus in locis, & quomodo benè habitent, quibus veſcantur, quibus induantur, qua ratione, & quibus exercitationum modis corpora exerceant, vnde ijs copia medicorum, & medicamentorum, ſi quando in morbos inciderint, & alia huiuſmodi prouidendo, quorum quędam in vij. & in viij. horum librorum attinguntur. Non curant autem ſimpliciter, vt medici, potionibus, pilulis, ſcarificatione, ſectione venæ, collyrijs, cataphaſmatis, ac reliquis proprijs medendi modis. [b] Similiter & pecunias prouident quodammodo, & quodammodo non prouident ijdem, œconomus, & moderator ciuitatis: [b] abſolutè nanque generādo, & efficiendo eas minimè prouident; [b] quia hoc eſt munus facultatum deſeruientium, [c] ac multo magis naturę: [b] ſed prouident generaliter, animaduertēdo, pręcipiendoq; rationes, & modos, quibus potiſſimùm ſecundū naturam comparentur, non modò conſeruentur, diſpenſenturq; ad vſum, & neceſſitatem familiæ, & populi. [a] Quemadmodum ergo ſtudium illud, & cura generalis, vt ſana ſit ciuitas, ſanaq; familia, pertinet procul dubio ad œconomum, & principem ciuitatis; non pertinet ad eos medendi ars, quæ propriè ſanitatem tractat: [b] ita ratio pecuniaria, cuius eſt animaduerſio illa, & præceptio de comparatione pecuniæ, ſecluſa etiā conſeruatione, diſpenſationeque, eſt pars domeſticę, ac ciuilis facultatis; [b] facultates autem deſeruientes, quę pecunias ſimpliciter parant, & hoc nomine ſimiles ſunt medendi arti, non erunt pars; [c] multoque minus pars erit ipſa natura, ſuggerens maximè, & efficiens veras pecunias; ſicut etiam maximè efficit ſanitatem, miniſtrante medico. Hoc modo κατ' ἀντιπαράστασιν reſpondetur dubitationi ex verbis Philoſophi. Sed & κατ' ἔνστασιν reſponderi poteſt, negando parem curam haberi ſanitatis, & pecuniarum aut ab œconomo, aut à ciuitatis moderatore. Quippe durare in aliquod tempus ſine ſanitate, & gubernari tam domus, quàm ciuitas, vel aliqua earum pars poteſt; ſine pecunijs, & victu nulla nec in minimum quidem poteſt. Pręterea, ſic à natura formati ſumus, vt diu remedijs, & adminiculis ſanitatis non egeamus: alimentis perpetuò egemus.

Pecunias quomodo curēt, et quomodo non, œconomus, & ciuitatis moderator.

b. eſt aūt quodāmodo &c.

b. ſed miniſtratricis rationis.

c.

b. eſt quidem quodammodo &c.

Expreſſio totius ſimilitudinis.

b. ſed miniſtratricis rationis.

c.

Altera quedā ſolutio κατ' ἔνστασιν. Pecuniarū maiorem, quàm ſanitatis curā haberi ab œconomo, & ciuitatis moderatore.

Partes textus.

Partes textus quinque. Prima, & ſecunda continent ſimilitudinem: illa quidem proponit de ſanitate, œconomo, medico; hæc autem infert de pecunijs, œconomo, miniſtratrice ratione. Tertia addit generari maximè à natura, pręberiq; nobis veras pecunias. Quarta hoc probat per locum ex genere. Quinta confirmat quartam per locum à parte.

SCHOLIA.

Sanitatis ciuiū curā haberi à cōditoribus, moderatoribùsque ciuitatum.

Eſt quodammodo œconomi, & principis de ſanitate etiam videre. Sanitatis ciuium curam haberi, ſpectarique eam aliquatenus, ideſt eo modo, quem ego explicari, à conditoribus, moderatoribusque ciuitatum, liquet etiam ex cap. 11. vij. horum librorum, & ex ij. de Republica Platonis. Antipater autem Tyrius Stoicus, vt narrat Cicero in primo Officiorum, Panætio eiuſdem ſectæ philoſopho, qui de officiis ſcripſerat, obiecit, prætermiſſa ab ea duo præcepta fuiſſe, valetudinis curationem, atque pecuniæ: quaſi hæc duo propriè, & ſimiliter ad actuales facultates pertinerent; quod hic dicitur à Philoſopho noſtro.

Sanitatis, & pecuniæ cura ſimiliter attinent ad actuales facultates.

Deſeruientes etiā rationes accipiūt à natura veras pecunias.

Oportet naturà hoc adeſſe. Rectè annotat D. Thomas accipere à natura veras pecunias etiam rationes deſeruientes.

Cuique

Cuique enim, ex quo naſcitur &c. Animal generatur ex ſanguine menſtruo, inquit D. Thomas, quem alij ſequuntur: quod autem ſupereſt ex hac materia, ei conuertit natura in lac, præparatq; cibum eo, quod genitum fuit. Et hac de cauſa homini conſtituto ex rebus naturalibus aliç res naturales pro cibo erunt. Tria peccata. Primum. Pauca animalia generantur ex ſanguine menſtruo Secundum. Non veſcitur homo iis rebus, ex quibus proximè eſt conſtitutus conſtitutus eſt enim proximè ex ſanguine menſtruo. Tertium. Quanquam primum verum eſſet; non ſequeretur ſecundum.

Expoſitio aliorum.

Tria peccata in hac expoſitione.

Textus CXII.

Alterius quæſtionis cuius propriè non eſt facta mentio deciſio ſimplex.

PARS SECVNDA CAPITIS XXIII.

Alterius quæſtionis, cuius propriè non eſt facta mentio, de comparatione formarum pecuniariæ inter ſe ad expetendum, & fugiendum, bonum, & malum, deciſio ſimplex. Qua quidem ſtatuitur, alimentariam pecuniariam eſſe naturalem, neceſſariam, amoreq; ac laude dignam: cōtrà cauponiam, & huius maximè fœneratoriam, eſſe præter naturam, non neceſſariam, odioſam, ac vituperabilem.

Διὸ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἡ &c. Tex. CXVI. & CXVII.

SCHOLIVM.

IN multis huius libri locis non agnoſco aureum illum ordinem Ariſtotelium. Dictum eſt de hac re etiam ſuprà, crebroque iteratum: vt in textu 90. 92. 101. 102. 103. 110. 111. & infrà de eadem dicetur in textu 129. Ita diſcerpta ſunt, & diſtracta quæ cōiungi debebant. Tamen nuſquam data opera, nuſquam copioſius, quàm hic, pertractata eſt iſta quęſtio. quapropter iure appoſui, eius propriè mentionem factam non fuiſſe.

Methodus huius libri qualis.

Cur in argumento appoſitum, non eſſe factam huius quæſtiōis propriè mentionem.

ARGVMENTVM. TEXT: CXVI.

Pecuniariam alimentariam totam eſſe cunctis hominibus naturalem. Infertur hoc theorema ex enunciato proximè expoſito, quòd natura præbeat omnibus alimenta. Locus à materia. Tum vero, quia hæc pecuniaria ſit naturalis, ſequitur ſimul eſſe neceſſariam, amoreque, ac laude dignam, vt ex ſequenti textu, & commentario planum fiet.

Text. cxvj. Διὸ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἡ χρηματιστικὴ πᾶσιν ἀπὸ τῶν καρπῶν, καὶ τῶν ζώων.

Quapropter ſecundum naturam eſt pecuniaria omnibus, à fructibus, & animalibus.

EXPLANATIO.

Argumẽtatio theorematis ex ſuperiori pronunciato.

Ex eo, quod proximè pronunciatum eſt, naturæ eſſe partes, vt ſuppeditet alimenta hominibus, & animalibus vniuerſis; conficitur, liquetque, theorema, quod in hoc textu exponitur, Pecuniariam illam, quæ in fructibus, animalibusq́; poſita eſt, hoc eſt vno verbo alimentariam totam eſſe naturalem, & à natura datam omnibus hominibus. *Connexum euidens per locum à materia. nam fructus terræ, & quæ ex animalibus percipiuntur, lac, oua, & ſimilia, tum ipſa eadem animalia ſunt alimenta, quæ omnibus nobis natura ſuppeditat: ergo, quia illa omnibus ſunt naturalia, neceſſe eſt pecuniariam quoque, quæ in illis vertitur, eſſe naturalem & nobis omnibus, & maximè. *Omnibus autẽ intellige vel coniunctim ad tota genera, vt omnes vbique, &, ſi qui etiam feri homines ſunt, veſcantur tam fructibus, quàm animalibus. paucos enim omnino inuenies Pythagoræos animalibus abſtinentes: nec ipſi quidem, quum abſtineant carnibus; lac, & oua repudiant, quę partes quædam ſunt animalium. Vel intellige ad ſingulos ſeparatim: quaſi omnes iis veſcantur, ſed alij fructibus, alij animalibus, alij, & multo plures vtriſque. Quòd ſi omnibus eſt naturalis hæc pecuniaria; etiam neceſſaria eſt, amoreq́; ac laude digniſſima.

Cõnexi firmamentum. — ** quapropter.* — *Duplex expoſitio vocis, omnibus.* — **Omnibus.* — *Alia theoremata, quæ hoc ſequuntur.*

SCHOLIA.

Fructus, & animalia continent omnes formas rationis alimentariæ. — *Formarũ alimentariæ quæ magis, minusque naturales, & laudabiles.*

A fructibus, & animalibus. Continent hæc duo omnes formas alimentariæ rationis. Nam ſi per fructus propriè fructus terræ, ac plantarum intelligamus; vna agricultura eſt, quæ in his vertitur; reliquæ in animalibus ſunt occupatæ. At ſi hoc uocabulum in fuſiori capiatur ſignificatu; uocenturq́; fructus etiam animalium, lac, & oua, & cætera huiuſmodi: iam duæ formæ alimentariæ fructus reſpiciunt, agricultura, & paſtoritia; cæteræ ſunt propriè animalium. Sed age quæ nam iſtarum formarum magis, & quæ minus laudabiles, naturalesq́; ſunt exiſtimãdæ? An iure optimo agricultura omnibus anteponẽda eſt: quod Auctor primi œconomici, Xenophon in Oeconomico, & M. Tullius in libro de Senectute, atque in exitu primi Officiorum explicarunt. Secundum locum tenet venatio: ad quam, Platonem imitati, bellicam iuſtam reuocamus. Tertium eſt aucupium. Quare minimè mirum, ſi nobiles, ac reges his potiſsimùm exercitationibus delectantur. Hæc ſequitur piſcatus. Denique ordinẽ claudit ſtudium paſtoritium. quod tamen ſtudium manſuetudini, facilitatique noſtrę cap. 2.

accom-

accommodatum eſt magis, quàm tria ſuperiora, magisque ob id familiare, atque in vſu poſitum hominibus, vt infrà dicetur: licet minus generoſum, minusque naturale ex eo appareat, quia eſt proprium noſtrum, nec cum aliis animalibus nobis commune. Rationes, & cauſæ horum præceptorum tactæ ſunt ſuprà, præſertim ad textum 80. & 81.

Cap. 25.

ARGVMENTVM. TEXT. CXVII.

Pecuniariam cauponiam vniuerſam eſſe præter naturam, minimè neceſſariam, odioque, & vituperatione dignam; ſed omnium eius formarum maximè fœneratoriam. Primæ partis, de vniuerſa, loci duo: vnus à contrariis, in omnia quatuor attributa; quoniam alimentaria tota fit ſecundum naturam, neceſſaria, amoreque, & laude digna: alter locus à materia, nominatim in primum attributum, ex quo cætera eueniunt; quoniā alij ex aliis hominibus, ſibi naturaliter non deſtinatis, quæſtum faciunt. Secundæ partis, de fœneratoria, loci tres in primum item attributum, ex quo, vt dixi, reliqua conficiuntur: vnus à materia inſtrumentaria; nam ex numo res comparatur: alter à fine; nam vtitur numo non ad permutationem, cuius cauſa eſt inuentus, ſed ad eum ipſum amplificandum: hinc vocabulum fœnoris, græcè, τόκου, & eſt tertius locus à iudicio; nam præter ſuam, & in vniuerſum præter rerum artificialium naturam ferè parere numus numum videtur.

Text. cxvij. [a] Διπλῆς δ' οὔσης αὐτῆς, ὥσπερ εἴπομεν, [b] καὶ τῆς μὲν καπηλικῆς, τῆς δ' οἰκονομικῆς, [c] καὶ ταύτης μὲν ἀναγκαίας, καὶ ἐπαινουμένης, τῆς δὲ μεταβλητικῆς ψεγομένης δικαίως. [d] οὐ γὰρ κατὰ φύσιν, ἀλλ' ἀπ' ἀλλήλων ἐστί· [e] εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀβολοστατική, [f] διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, [g] καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη: [h] μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν· [i] ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον. [k] ὅθεν καὶ τοὔνομα τοῦτ' εἴληφεν: [l] ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐστιν· [m] ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος. [n] ὥστε καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστιν.

[a] Quum verò ipſa ſit duplex, vt diximus; [b] & altera quidem cauponia, altera autem domeſtica; [c] & hæc quidem neceſſaria, atque laudata, commutatitia autem iure vituperata; [d] non enim ſecundum naturam, ſed *ab alternatione eſt: [e] optima ratione odio habetur *fœneratoria, [f] propterea quòd ab ipſo numo fit res, [g] & non ad quod inuentus fuit: [h] permutationis enim gratiâ eſt introductus; [i] fœnus autem eum ampliorem facit. [k] vnde & nomen hoc ſumpſit: [l] ſimilia enim ſunt, quæ pariuntur, gignentibus ipſa; [m] fœnus autem, *ὁ τόκος, id eſt fœtus ac partus,* fit numus numi. [n] quare etiam maximè præter naturam eſt hæc omnium *pecuniæ coactionum.

* ἀπ' ἀλλήλων.
* ὀβολοστατική.
* χρηματισμῶν.

EXPLANATIO.

Pecuniariæ rationis genera duo.

ᵃD v o ſunt genera rationis pecuniariæ, vt ſuprà conſtitutum fuit: a.
ᵇ vnum οἰκονομικὸν, ἢ περὶ τροφὴν, domeſticum, & alimentarium: alterum b.
καπηλικὸν, ἢ μεταβλητικὸν, cauponium, ſeu commutatitium. Vtrunque mul-
tas formas habet: ᶜ & vna earum, quæ pertinẽt ad cauponium, eſt ὀβολοστα- c.
τική. quod vocabulum plerunque fœneratoriam rationem; aliquando
etiam collybiſticam, ſeu ſimplicem numulariã vniuerſam ſignificat. Hîc
malo accipi illud pro fœneratoria & quia auctores crebrius in hoc ſignifi-
catu idipſum vſurpant; & quia D. Thomas, multiq; alij cum eo ſic inter-
pretantur; & quia hanc interpretationem confirmat nomen τόκος, vnde
tertium argumentum ſumit Philoſophus: quanquam cætera, quę dicun-
tur, ſimiliter quadrant in alias partes collybiſticæ. ᶜ Cauponium igitur e.
genus nec ſecundum naturam eſt, nec neceſſarium, odio inſuper haberi,
vituperariq; ab hominibus ſolet. ᵉ atque hæc omnia, quę cauponio gene- e. a.
ri ſimpliciter adſunt, adſunt maximè formæ eius fœneratoriæ. ᵈ Primum d.
hoc modo oſtenditur. Domeſticum, ſeu alimentarium genus vniuerſum
eſt ſecundum naturam, vt apparuit, deducebaturq; in textu ſuperiori ex
quodam enunciato textus proximè antecedentis; ſiquidem res, in quibus
vertitur, ob eum finem factæ ſunt à natura, vt ijs ſic vteremur: ergo cau-
ponium vniuerſum, quod illi opponitur; contrariaq; inſuper de cauſa,
ideſt quia ex commutatione, & hominibus, non in hoc natis, quæſtus
fiat, erit non ſecundum naturam. ᶜ Quoniam verò domeſticum genus e.
eſt ſecundum naturam, cauponium non eſt ſecundum naturam: ſequi-
tur vnà illud eſſe neceſſarium, meritoq; ᵉ amari, ac laudari; hoc non eſſe e. odio habed.
neceſſarium, & iure vituperari, ᶜ atq; odio haberi. Quæcũque enim ſunt e.
naturalia; ea ſimul habẽt neceſſitatem; amoremque, ac laudem merentur:
inane, odium, & vituperatio cadunt propriè in ea, quæ non ſunt natura-
lia. Quippe natura nihil temere, omnia ſummo conſilio facit, proponens
ſibi, præſtansq; ſemper, quoad eius fieri poteſt, rectiora, & meliora; quæ
iure optimo amantur vt bona; laudãtur vt recta. Contrà autem quæ prę-
ter inſtitutum naturæ fiunt; quia à natura initium non habent; nec ha-
bent quidem neceſſitatem: tribuit enim natura vſquequaque, quæ ſatis
ſunt, & in omnem vſum; nunquam deficiens, nunquam deſerens nos:
& quia ſuperuacua ſunt, & vana, & auerſa à natura; ſunt etiam odio, &
vituperatione digna. Hæc de toto genere cauponio. ᶜ Fœneratoriam au- e.
tem eius formam dicimus eſſe maximè præter naturam: quoniam in ea, vt
præter naturam ſit, non vna tantùm, quemadmodum in reliquis formis,
ſed tres cauſę exiſtunt. ᶠ Prima cauſa eſt illi cõmunis cum reliquis: quòd f.
fœneratoria quoque vtitur re ſubiecta non ſecundum propriam illius, ac
veram naturam, ideſt non ad eum finem, ad quem à natura facta eſt; ſed
ad diuerſum: exempli gratia vtuntur fœneratores numis aureis, argen-
teis, æreis ad amplificandum patrimonium, qui non eſt finis naturalis,
nec proprius horum metallorum. ᵍ Secunda cauſa eſt, quòd neque ex ra- g.
tione quidem, ac inſtituto, quo primùm excogitatus, introductusque eſt
numus (& ſunt ratio, inſtitutumq; in ijs, quæ à nobis fiunt, altera natura)
vtuntur numo fœneratores. ʰ introductus nanque, excogitatusq; numus h.
fuit ad commutationem; vt faciliùs homines permutare inter ſe poſſent,
quæ eſſent ad vitam neceſſaria: ⁱ fœneratores autem vtuntur ad rem, & ad i.

Vocabuli ὀβολοστατικὴ ſignificatus.

Theoremata huius textus, numero octo.

Cauponiũ genus eſſe præter naturam.

Cauponiũ genus nõ eſſe neceſſariũ, iure vituperari, atq; odio haberi.

Fœneratoriã eſſe maximè pręter naturã tribus de cauſis.

m. eum ipſum augendum. [l]Tertia cauſa eſt, [m]quòd præter generis etiam naturam, & conditionem, ideſt præter conditionem rerum artificialium, in quarum genere eſt numus, & quarum nulla generat ſibi ſimile; cogat
k. fœnerator numum quaſi parere, & generare alium numum. [k]Hinc fœnoris nomen apud Latinos, & τόκου apud Græcos, ceu fœtus, & partus: ita enim Latini fœnus à fœtura appellarũt, vt Græci τόκον ἀπὸ τοῦ τίκτειν ideſt
l. à pariendo: [l]quoniam quę propriè pariuntur in genere animalium, ſimilia
n. ſunt generantibus; quemadmodum numus eſt numo ſimilis. [n]Maximè igitur præter naturam his tribus de cauſis eſt fœneratoria inter omnes pe-
o. cuniariæ cauponiæ formas. [o]Et, ſi maximè eſt præter naturam hæc forma cauponiæ; iuſtiſſimè etiam vituperatur; iuſtiſſimè odio habetur; minimeq́; eſt neceſſaria, per locum à coniugatis: nam quæ erant præter naturam, meritò vituperabantur, habebantur odio, nec erant neceſſaria.

Fœnoris, & τοῦ τόκου vocabula.

Fœneratoriã maximè vituperabilẽ, odio digniſſimã, & minimè neceſſariam eſſe.

Partes textus octo. Prima (a b) proponit diuiſionem pecuniarię in duo genera, quæ ſunt cauponium, & alimẽtarium. Secunda (c) oſtendit omnia quatuor attributa de toto genere cauponio per locum ab oppoſitis. Tertia (d) oſtendit nominatim primum attributum de toto item cauponio genere per locum à ſumma materia: ex quo primo attributo reliqua conficiuntur. Quarta (e) exponit tertium attributum de forma fœneratoria. Quinta (f) oſtendit de eadem forma primum attributum per locum à materia inſtrumentaria. Sexta (g h i) hoc idem oſtendit per locum à fine. Septima (k l m) adhuc idem oſtendit per locum à iudicio. Octaua (n) concludit fœneratoriam formam eſſe maximè præter naturam.

Partes textus.

SCHOLIA.

Commutatiria autem. Vetus Interpres vertit trãſlata. Ex qua verſione D. Thomas ſic exponit: Transferri cauponium genus, traduciq́ue ab eo, quod eſt neceſſarium naturæ, ad id, quod cupiditas efflagitat, vt ſuprà dictum fuit; & hac de cauſa vituperari.

Verſio & interpretatio D. Thomæ.

Non enim ſecundùm naturam. Duobus modis naturales aut contrà non naturales dici formas pecuniariæ rationis ſuprà admonuimus: vno modo ex initio & fonte: altero modo ex fine. Ex Initio, & fonte naturales erunt; ſi paretur inde res, vnde parari naturaliter poteſt: vt quom ex agris fructus decerpimus. Ex fine erunt naturales, ſi dirigatur illa res, quæ eſt parta, ad finem naturæ congruentem, ideſt ad eum vitæ vſum, cui à natura eſt deſtinata. Hìc de primo modo, ad initiũ pertinente. nam concluditur, cauponiam nõ eſſe ſecundùm naturã ob hoc, quia alij ex aliis hominibus, vnde naturaliter lucrum eſſe non poteſt, quæſtum faciant. At D. Thomas, non eſt, inquit, ſecũdùm naturã cauponium genus, quia neque ex rebus naturalibus eſt, neque ad ſupplendam neceſsitatem naturæ dirigitur. Coniunctio, *enim*, appoſita oſtendit confici ex hoc theoremate cætera, quæ proximè propoſita ſunt: hoc eſt non eſſe neceſſarium, & iure odio haberi, iure vituperari cauponium genus, quoniam non eſt ſecundùm naturam. Et hinc etiam ſumi poteſt argmentum per locum à coniugatis in theoremata ſecundæ partis, quæ eſt de fœneratoria. nam ſi vniuerſa cauponia eſt vituperabilis, odio digna, & non neceſſaria; quia non eſt ſecundum naturam: erit fœneratoria maximè vituperabilis, odio digniſsima, & minimè neceſſaria; quia eſt maximè præter naturam.

In ſcholio argumẽti huius diſputationis de pecuniaria.

Naturales, aut non naturales dicũtur formæ pecuniariæ duobus modis.

Cauponiũ genus quemodo non ſecundum naturam.

Ex hoc theoremate, Cauponium genus non eſt ſecundùm naturã, cætera conficiuntur.

Sed ab alternatione eſt. Sic verti ἀπ' ἀλλήλων: quia non potui melius vno uocabulo. Significat autem alios ex aliis lucrum facere, dum inter ſe commutant aut numos numis, aut res rebus, aut numos rebus.

Verſio & expoſitio.

Fœneratoria, ὀβολοστατική. Tota numularia ſimplex, quæ vocatur etiam collybiſticè, & fœneratoria communis, comprehendit fœneratoriam propriam, & argen-

Numularia ſimplicis, ſiue fœneratoriæ cõmunis formæ.

Fœnus eſt in omnibus formis collybiſticæ: propriè tamẽ dicitur in propria fœneratoria. *ὀβολοστατικὴν quid hic.*

In ſcholio argumẽti diſputationis de pecuniaria cauponia.

& argentariam. Illa ex tempore quæſtum facit. Huius duæ ſunt ſpecies: & altera ex traiectione; altera ex ſpecie numorum lucratur, quemadmodum diximus ſuprà. In his omnibus quidem eſt fœnus, græcè τόκος, quia numus parere numum videtur: propriè tamen hoc vocabulum dicitur in propria fœneratoria. quapropter ὀβολοστατικὴν hîc intelligimus propriam fœneratoriam: nam ex uocabulo τόκος paulo pòſt argumentum Philoſophus ducet.

Fœneratoria propria odioſiſſima, et deterrima.

Optima ratione odio habetur. Odioſiſsima ſemper fuit fœneratoria, & peſtis ciuitatum exiſtimata, quia non ſolùm res, ſed etiam corpora ciuium afficerētur. Multa exempla huius mali, remediorumque eius, ſexcentis fœnebribus legibus aſtricta auaritia, in Romana hiſtoria leguntur.

Quæ magis, & minus præter naturã, ac vituperabiles ex formis cauponiæ pecuniaria. *Fœneratoria propria.*

Quare etiam maximè præter naturam &c. Hominem hominis incōmodo ſuum augere commodum, ait Cicero in iij. Officiorum, magis eſt contra naturam, quam mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Augent autem fœneratores commodum ſuum incommodo aliorum. Quamobrem maximè peccant in naturam, quia in homines peccant. Adhoc tribus propriè nominibus aduerſari naturæ dicuntur: vno, quod ex re ea fructum capiunt, ex qua naturaliter capi nullus poteſt: altero, quod ad alium finem ea re vtuntur, quàm ad quem illam natura deſtinauit: tertio, quòd vtuntur ea etiam præter inſtitutum, legemque, & rationem, vnde lex manauit, quæ eſt altera natura in rebus ciuilibus. Et ad hanc tertiam cauſam reuocari poteſt id, quod quidam è noſtris aiunt, Concedi in fœneratione quaſi vſum tantùm eius rei, cuius vſus ſine dominio verè haberi non poteſt. Ob tot cauſas igitur, in hoc concurrentes, iure fœneratoria omnium cauponiæ formarum maximè dicitur præter naturam.

Mercenaria virtutum, & ſcientiarum.

Alia autem de cauſa maximè præter naturam, vituperationeq; digniſsimę videntur duæ mercenariæ, virtutum, ſcientiarumque, vt annotauimus ad textum 110: nempe quia rebus excellentiſsimis abutantur. At ſi quis quærat vtra tandem harum duarum mercenariæ formarum ſit magis præter naturam; quæ virtutibus'ne, an quę ſcientiis abutitur: reſpondebo, hanc magis, quę ſcientias vendit, eſſe pręter naturam. præſtare enim morum virtutibus virtutes intelligentiæ putantur.

Mercenaria facultatũ animi inſitarum.

Secundum has tres formas, fœneratoriam, mercenariam ſcientiarum, mercenariam virtutum, eſſe præter naturam cenſeo mercenarias facultatum animi inſitarum, vt conſilij, memorię, & aliarum id genus: nec minus mercenarios, aut ſeruos voco eos, qui ob numos, mercedem'ue aliam Principibus ſunt à conſilio, & à memoria; quàm illos, qui pueros mercede docent grammaticam & rhetoricam.

Inſtitoria mercatura. *Argentaria duæ.* *Mercenaria operarũ corporis.* *Mercenaria artiũ, quæ propriè ſic nominãt.* *Mercatura vera.*

Deinde eſt pręter naturam παράστασις, idest ſtataria, ſiue inſtitoria mercatura. Poſt hanc argentariæ duæ, traiectio, & ἀργυραμοιβή. Proximè mercenaria operarum corporis, & mercenaria artium, quæ propriè ſic nominantur. Poſtremo loco, & minimè omnium præter naturam, minimeq; vituperabilis vera mercatura. Sed de his etiam infrà.

Textus LXXIII.

Conſideratio rei, & rationis pecuniariæ ad vſum, & praxin.

CAPITA QVATVOR A XXIIII. AD XXVIII.

Conſideratio rei, & rationis pecuniariæ ad vſum & praxin.

Ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν &c. Tex. CXVIII. ad CXL.

Propoſitio, & cauſa reliquę tractationis	*Pecuniarię in ſuas partes diuiſio.*	*Fõtes cognitionis perfectæ ad praxin ſingularũ partium pecuniaria.*	*Vtilitas ex perfecta cognitiõe ſingularũ partium pecuniariæ ad praxin quam ampla.*
Cap. 24. tex. 118.	*Cap. 25. tex. 119.*	*Cap. 26. tex. 128.*	*Cap. 27. tex. 139.*

CAPVT

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM. TEXT. CXIIX.

Propoſitio, continuatio, & cauſa reliquæ de pecuniaria tractationis, quæ ad vſum ſpectat. Poſt expoſitionem eorum, quæ attinent ad cognitionem, percurrēnda ſunt illa, quæ ſpectant ad vſum rei, & rationis pecuniariæ. Loci duo; vnus à genere pecuniariæ; alter à proprietatibus conſyderationum: nam in omnibus ciuilibus rebus vtraque conſyderatio adhibenda eſt; prima, quia liberalis; ſecunda, quia neceſſaria.

Text: cxiix. [a] Ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς, [b] τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν δεῖ διελθεῖν: [c] πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, [d] τὴν δ' ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν.

[a] Quoniam autem ea quæ ad cognitionem attinent, definiuimus ſatis; illa [b], quæ ad vſum ſpectant, percurrere oportet: [c] omnia autem huiuſcemodi contemplationem quidem habent liberalem, [d] * experientiam verò neceſſariam.

* ἐμπειρίαν, vſum.

E X P L A N A T I O.

c. d. — c. contemplationem. — d. experiētiā.

OMNIVM [c] rerum ciuilium, quibus humanæ actiones, quæq; humanarum actionum ſunt, continentur, conſyderatio, & doctrina, vt ſæpe diximus, conſtat ex duabus partibus: [c] vna, quæ eſt generalior, ad cognitionem, contemplationemq; propriè pertinet, naturas, definitiones, proprietates, & ſumma genera exponens. [d] altera pertinet ad vſum, & praxin, tractationemque, quæ deſcendit ad ſingula, ſecans rem in partes minutiores, &, quæ in vnaquaque parte animaduertenda ſunt, præcipiens. Itaque diuidunt quidam non malè medicinam, & ſimiles artes in theoricas & practicas. [c] Sicut autem contemplatio, & cognitio huiuſmodi rerum eſt liberalis, & ingenuo digna viro: [d] ſic praxis & vſus eſt neceſſarius, ſine quo vita tranſigi omnino non poteſt. Quamobrem neutra conſyderatio eſt prætermittenda; nec quæ ad contemplationem refertur, [c] ob excellentiam, & præſtantiam, licet ad nullam aliam rem quicquam conduceret (quanto igitur minus, quom conducit maximè ad vſum, & ad totam vitam?) nec quæ ad hunc ipſum refertur vſum, [d] ob vitæ neceſſitatem, quanquam non æque eſſet liberalis, vt certè eſt & multarum aliarum rerum, & rationis pecuniariæ illius, quæ eſt pars do-

c. liberalem. — d. neceſſariā. — c. liberalem. — d. neceſſariā.

Conſyderatio rerū ciuilium duplex: vna ad cōtemplationem, altera ad praxin pertinet, & qualis vtraq; earū.

Medicinā & ſimiliū artiū diuiſio in theoricas, & practicas.

Contemplatio rerū ciuiliū liberalis; praxis neceſſaria eſt. Vtranq; cōſyderationē & quæ cōtemplationis eſt, & quæ eſt praxeos in cūctis ciuilib. rebus adhibēdā eſſe.

Neceſſitas, & ſeries ſequentis tractationis de pecuniaria.

meſticæ facultatis. [a] Quoniam igitur de ratione pecuniaria in vniuerſum, quę quidem ratio pecuniaria in hoc genere rerum ciuilium continetur; ſatis * diſtincta, explicataq́; ac definita illa ſunt, quæ ad * cognitionē, contemplationemq́; generalem ipſius attinent; quum dictum fuerit de eius fine, origine, generibus ſummis, & proprietatibus; ex quibus etiam definitiones colligi poterant: [b] neceſſe eſt vt percurramus ea, quæ ſpectant ad vſum, & praxin: percurramus, inquam, quoniam vt poſtea apparebit, indicanda paucis, & generaliter hæc potius ſunt, quàm ſingulatim tradenda, aut perfectè examinanda.

*a. * definiuim*. * ad cognitionem contemplationem. b.*

Quarundam vocum conſyderatio.

Voces, ἡ γνῶσις, καὶ ἡ θεωρία, cognitio, & contemplatio ἐκ παραλλήλου accipiēda ſunt: item ἡ χρῆσις, καὶ ἡ ἐμπειρία, vſus, & experientia. Priores duæ cōtemplationem; duæ poſteriores actionem deſignant: & ſibi mutuo opponuntur, ac reſpondent in hoc loco: ſicut etiam ſibi reſpondent, & opponuntur τὸ ἐλεύθερον, καὶ τὸ ἀναγκαῖον, liberale, & neceſſarium.

Partes textus.

Textus habet duas partes. Prima (a b) continuans, proponit ea, quæ reſtant conſyderanda. Secunda cauſam adiungit, ductam à genere, & à proprietatibus.

S C H O L I A.

Sequens tractatio de pecuniaria ad vſum pertinēs qualis.

Quæ ad vſum ſpectant percurrere oportet. Niſi verbo percurrendi excuſaremus Philoſophum: malè præſtaret, quod pollicetur. pauca enim ſunt quæ ipſe exponet de re, & ratione pecuniaria, ad vſum ſpectantia, prę multis, quæ ab aliis grauiſsimis, ac doctiſsimis viris de ruſtica, vrbanaque re tam ad domeſticos, quàm ad ciuiles vſus, ac neceſsitates traduntur.

Expoſitio verborum.

Omnia autem huiuſcemodi. D. Thomas, omnia, quæ pertinent ad actiones humanas: quam explanationem probo. P. Victorius, omnia, quæ pertinent ad rationem pecuniariam: quod minimè probo.

Coniunctio δὲ.

Coniunctionem δὲ, hoc eſt, *autem*, omnes accipiunt ἀντὶ τοῦ γάρ, vt ſæpe altera pro altera uoce & ab Ariſtotele, & ab aliis auctoribus vſurpari ſolet.

Triplex huius loci expoſitio.

Contemplationem quidem habent ἐλεύθερον, ideſt liberam, ſeu liberalem &c. Tribus modis exponi hęc pars poteſt. Vno modo, vt nos fecimus (quam expoſitionem etiam attigit P. Victorius) interpretando ἐλεύθερον liberale, & ingenuo homine dignum. Alter modus eſſet, ſi τὸ ἐλεύθερον liberum ſignificaret: quaſi poſſet vnuſquiſque arbitratu ſuo contemplationi huiuſmodi rerum, vel vacare, vel non vacare; tractatio autem, & vſus neceſſarius eſſet, non liber: proinde non minus, imò magis percurrenda eſſe, quæ ad vſum pertinent, quam quę ad cognitionem. Sed hunc modum non probo. Tertius modus omnium minimè probandus, excogitatus ob vocem ἐμπειρίαν, fuit D. Thomæ accipientis ἐλεύθερον pro expedito, & facili: nam facile eſſe cōſyderari hæc, & cognoſci generaliter; ſed ad perfectum vſum eorum neceſſariam eſſe experientiam.

Significationes vocis ἐμπειρία.

Experientiam, ἐμπειρίαν. Vox ἐμπειρία apud Græcos, & experientia apud Latinos tum vſum, & tractationem ſignificat; tum experientiam, ac peritiam, quę ex longa tractatione, multiſque vſibus naſcitur. In primo ſignificatu accipi hic eam puto. D. Thomas in ſecundo accepit.

Textus

Textus cxviii.

Pecuniariæ in ſuas partes diuiſio.

CAPVT XXV.

Pecuniariæ in ſuas formas & partes diuiſio.

Ἔστι δὲ χρηματιστικῆς μέρη χρήσιμα, &c. Tex. cxix. ad cxxviii.

SCHOLIVM.

TRia genera hìc faciet pecuniariæ, οἰκειότατον, ideſt maximè familiare, vel maximè proprium, aut etiam maximè naturale hominibus; commutatitium; medium: eorumq́; vnunquodque diuidet in multas partes. Supra autem duo tantùm fecit, naturale, & non naturale; ſeu alimentarium, & commutatitiũ. nam medium genus, vel in hunc diſtulit locum, vel comprehendere voluit in naturali, ideſt ἐν τῇ γεωργίᾳ. eidem quoque naturali ſubiecit venaticum vniuerſum, quod hìc prætermittitur. Cauſa differentis diuiſionis hæc eſt, quòd ibi ad contemplationẽ dirigebatur conſyderatio pecuniariæ; hìc dirigitur ad praxim: omnium autem naturalium formarum ſunt maximè in vſu agricultura, & paſtoritia. quocirca has in vnũ contrahens genus Philoſophus, vocauit ipſum οἰκειότατον, quaſi maxime domeſticum, & maximè vſitatum dicas. Et addidit medium, quod non æquè naturale eſt, ac illud; & paucorum planè hominum eſſe videtur præ multis, qui in illo exercẽtur. Sed quo pacto diſtributio in partes ad vſum, praximq́; potius, quàm ad cognitionẽ, & contemplationẽ refertur? Fortaſſe rẽ locare, quemadmodũ diximus, in ſumma genera, parteſq; præcipuas, vt inde natura eius clariùs

Pecuniaria hìc tria genera, ſupra duo, & quo pacto.

Diſtributio rei in partes quemodo ad theoriam, quo modo ad praxim pertineat.

perſpiciatur, theoriç eſt: minutior autē conciſio, ad ſingulas partes, & partes partium deueniens, vt cuiusq; earum vtilitas, & præcepta tradantur, pertinet ad praxim.

Pecuniariæ maximè ꝓpriç, ac maximè familiaris hominibus, eiusq; partium expoſitio. *Pars p. text. cxix.* *	*Pecuniariæ commutatiuæ, eiusq; partium expoſitio.* *Pars 2. text. cxxiiij.* *	*Pecuniariæ mediæ, eiusq; materiæ, ac partium expoſitio.* *Pars 3. text. cxxvij.* *

PARS I. CAPITIS XXV.

Pecuniariæ maximè propriæ, ac maximè familiaris hominibus, eiusq́; partium, ac præceptorum quorundam in illas generalium expoſitio.

Ἔστι δὲ χρηματιστικῆς μέρη, &c. Tex. cxix. ad cxxiiii.

SCHOLIVM.

Vocabulum ἡ χρηματιστικὴ οἰκειοτάτη quid ſignificet Philoſopho.

HAEC vox χρηματιστικὴ οἰκειοτάτη, ideſt pecuniaria maximè familiaris, vel maximè propria, & maximè naturalis hominibus, qua voce vtetur Philoſophus in textu 124. minus latè patet, quàm pateret ſuprà vox χρηματιστικὴ κατὰ φύσιν, ἢ οἰκονομική; hoc eſt quàm naturalis, & domeſtica pecuniaria. Quippe illa, ſi non comprehendebat etiam medium genus, hìc diſtinctum a naturali, eiq; oppoſitum; certè comprehendebat aucupium, piſcatum, & venationem, quarum formarum nulla prorſus hìc fiet mentio: niſi quis fieri fortaſſe velit, indicariq; eas his verbis textus 123. καὶ τῶν ἄλλων ζώων quod mihi non probatur. Eſt autem ad extremum in præſentia idem Philoſopho ἡ χρηματιστικὴ οἰκειοτάτη, pecuniaria maximè propria, ſeu maximè familiaris, & maximè naturalis nobis, quod res ruſtica, & agricultura latè ſumpta Græcis, ac Latinis ſcriptoribus.

Genera huius pecuniariæ quot, & quæ.

Quamobrem tot, & talia genera huius pecuniariæ Philoſophus ſtatuet; quot, & qualia illi ſtatuerunt rerum ruſtica-

rum

rum, quæ fructus cauſa exercentur. è quibus Varro etiam ijs generibus hæc nomina dedit, pecuariam, agriculturam, quæ propriè dicitur, paſtionem villaticam: &, tres de illis libros conſcribens, ſingulos ſingulis deſtinauit. Vocant autem res ruſticas in vniuerſum omnia, quæcunque his tribus generibus continentur, quanquam in vrbe nõnulla fieri eorum cernuntur: proptereaquod omnia multo melius, commodiùs, vberiùs fiãt ruri, vbi nata ſunt, & vnde in vrbem ſimul cum hominibus venerunt. At Philoſophus nomine ęq; communi appellauit ὀικειοτάτην χρηματιστικήν, quoniam formæ, quas huic ſubijcit, ſint nobis omnium pecuniarię formarum familiariſsimæ, maximèq; propriæ, ac maximè naturales. Videntur quidem aliquando naturales magis venatio, & piſcatus, & aucupium, quàm res ruſticæ ex eo, quod hæ ſint propriæ hominum, illæ hominibus cũ multis belluis communes, quæ communem nobiſcum naturam habent: nunquam tamen tam naturales ex propria natura noſtra, hoc eſt tam congruentes lenitati, manſuetudiniq; humani ingenij, nunquam tam familiares nobis erunt. quandoquidem pauci omnino ſunt, qui ex illis quæſtibus viuant, aucupes, piſcatores, venatores: maxima pars viuit ex ruſticis rebus: nemoq; tandem eſt, qui nõ ſuem, vel anſerem, vel gallinã alat; hæc autem ad paſtiones referuntur. Potuit etiam ὀικειοτάτη nominari à Philoſopho hæc pecuniaria, quaſi ad rẽm, & rationem domeſticam maximè accommodata. in quibus enim ipſa verſatur, ſunt ea, quæ maximè neceſſaria ſunt domui, ac familiæ. Cicero in primo officiorum conferens genus hoc pecuniariæ, & quæſtus, quod in rebus ruſticis conſiſtit, cum alijs, ſic inquit: *Omnium autẽ rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius, nil vberius, nil dulcius, nil libero homine dignius*. Agriculturæ enim vocabulum in fuſiori ſumpſit ſignificatu pro tota re ruſtica, quemadmodum liquet ex Catone maiori.

Varro lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 1.

Rem ruſticam cur vocet hãc pecuniariam.

οἰκειοτάτην cur vocet hãc pecuniariam Philoſophus.

Comparatio formarum generis venatoriæ, & ruſticarum verũ, vtræ magis naturales, magis propria, & magis familiares hominibus.

Secũda ratio cur οἰκειοτάτη vocata ſit à Philoſopho hæc pecuniaria.

Collatio rei ruſticæ cum alijs generibus quæſtus ex Cicerone.

ARGVMENTVM. TEXT. CXIX.

Tres communiſſimæ partes, ac veluti præceptorum generalium formæ huius pecuniariæ nobis familiariſſimæ, in cuncta eius genera, ſpecieſq́; proprias cadentes, ad vſum, & praxim: quarum partiũ prima res ſubiectas, altera locum, tertia modum ſpectat.

Tex. cxix. [a] Ἔστι δὲ χρηματιστικῆς μέρη χρήσιμα, [b] τὸ περὶ τὰ κτήματα ἔμπειρον εἶναι, ποῖα λυσιτελέστατα, [c] καὶ ποῦ, [d] καὶ πῶς.

[a] Sunt autem pecuniariæ partes vtiles, [b] expertum eſſe [*] eorũ, quæ in bonis habentur, qualia fructuoſiſſima ſint, [c] & vbi, [d] & quomodo. [*] *περὶ τὰ κτήματα pecorum.*

EXPLANATIO.

Ex quibus rebus fructũ petat hæc pecuniaria. *Res naturaliter fructuoſæ quot quibuſq́; modis fructuoſiores aliæ alijs.* *b. Fructuoſiſſima.* *b. Qualia fructuoſiſſima.*

[b] Petit pecuniaria omnis, quà pecuniaria eſt, tenditq́; in praxin, quæſtum, ac fructum. verumtamen hæc pecuniaria, quam familiariſsimã vocamus, fructũ petit propriè ex rebus naturaliter fructuoſis. Sunt porrho iſtarũ rerũ, quæ naturaliter ſunt fructuoſæ, aliæ alijs fructuoſiores [b] vel ex ſe, vt triticũ, faba, equus oue: & equus equo etiã, triticũ tritico; [c] vel ex loco, vt nonnunquã ouis equo, faba tritico, quia locus idoneus ſit oui, & fabę, nõ ſit idoneus tritico, & equo; [d] vel ex modo, curaq́; ijs à nobis adhibita, quoniã hic cultus, hęc colendi ratio, his inſtrumentis, hoc tempore, hac frequentia equo, puta, aut fabæ conueniat. Itaq; qui in hac pecuniaria excellere vult, [b] primùm cõſyderet, cognoſcatq́; oportet, quales rerum ſubiectarũ magis, & quales minus per ſe ſint fructuoſæ, facta earum comparatione cũ alijs, tam eiuſdem generis, quàm diuerſorum; [c] deinde quales in quibus locis; [d] poſtremò quales ex quo colendi modo: [b] & cognoſcat quidem non ſimplici tantum notitia, ſed quæ ſit vſu, atque exercitatione confirmata, quam experientiam vocamus. hoc enim eſt, quod ait Cicero: expertum maius quid ſignificare, quàm doctum. [b] Expertum igitur, peritumq́ue eſſe de eiuſmodi rebus, quæ in bonis habentur, quales fructuoſiſsimæ, optimæq́; ſint ex ſuis proprijs conditionibus; [c] expertum item eſſe, quales fructuoſiſsimæ, & optimæ in qualibus locis; [d] ac tãdem expertum eſſe, quales fructuoſiſsimæ, & optimæ quibus modis fiant; [a] ſunt partes communes, formæq́; præceptorum huius pecuniariæ nobis familiariariſsimæ, cadentes in cuncta eius genera, ſpecieſq́; proprias, ad vſum, & praxin.

Qualem, & quotuplicẽ notitiam habere debeat qui in hac pecuniaria excellere cupit. *Experientia quid.* *Partes communes, & forma præceptorum huius pecuniariæ.* *c.* *d.* *b.* *c.* *d.* *b. Expertum.* *b.* *c.* *d.* *a.*

SCHOLIA.

Expoſitio interpretum, & refutatio.

Sunt autẽ pecuniariæ &c. Nõ ſeparãt expoſitores verba huius textus à ſequentibus: quaſi hic etiam loquatur Philoſophus propriè de re pecuniaria. Item in ſententiam, niſi, quæ hîc dicuntur, omnia communia eſſent pecuariæ cum agricultura, & cum villatica paſtione. Acceditq́; eo vocabulum κτήματα, ideſt quæ habentur in bonis: quod quidem vocabulum commune eſt, non proprium pecudum. quanquam Petrus Victorius κτήματα accepit ἀντὶ τῶν βοσκημάτων, pro pecudibus, duriori ſanè interpretatione.

Fructuo-

Fructuoſiſſima. Hoc vocabulo notat finem primum pecuniariæ, præſertim huius pecuniariæ, quæ in rebus per ſe fructuoſis verſatur. Semper autem in ſuperlatiuis comparatiua continentur: & quod perfectiſsimũ eſt in vnoquoque genere, eſt veluti menſura, ac ratio minus perfectorum: itaque qui nouit fructuoſiſsima: nouit etiam magis, & minus fructuoſa. *Finis primus pecuniariæ, & huius pecuniariæ.* *Superlatiuorum nominũ vſus.*

Qualia ſunt fructuoſiſſima, & optima. De bobus, & equis, Virg. in tertio Georg.

. . . . optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent. *Loci ex Virgilij Georgicis.*

Continuò pecoris generoſi pullus in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.

Et vbi. Virgilius in primo Georg.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ,

Arborei fœtus alibi. Et quæ ſequuntur.

Et quomodo. Idem poeta in principio.
Quid faciat lætas ſegetes, quo ſydere terram
Vertere Mæcenas, vlmisque adiungere vites
Conueniat; quæ cura boum; qui cultus habendo
Sit pecori; atque apibus quanta experientia parcis;
Hinc canere incipiam . . . .
Vere nouo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit,
Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro. Et reliqua.

ARGVMENTVM. TEXT. CXX.

Pecuaria, primum genus pecuniariæ nobis familiariſsima, hoc eſt ad extremum rei ruſticæ: eiuśque partes, ac formæ præceptorum, primæ, ac maximè propriæ, quas differentiæ animaliũ, indicatæ, illuſtratæque exemplis, efficiunt: ad tres communes partes, quæ in textu ſuperiori exponebantur, adiunctæ: quarum trium communium partium, alias proprias ab humana cura naſcentes commonſtrantium, duæ priores in illis exemplis repetuntur; tertia ſubauditur: & ſecundæ quidem ratio additur, ducta ex prima per locum à fine.

Tex. cxx. [a] Οἷον, ἵππων κτῆσις ποία τις, ἢ βοῶν, ἢ προβάτων, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ζώων. [b] δεῖ γὰρ ἔμπειρον εἶναι, πρὸς ἄλληλά τε τούτων τίνα λυσιτελέστατα, [c] καὶ ποῖα ἐν ποίοις τόποις: [d] ἄλλα γὰρ ἐν ἄλλαις εὐθηνεῖ χώραις.

[a] Vt equorum res qualis, aut boum, aut ouium; ſimiliter autem & reliquorum animalium. [b] oportet enim expertum eſſe, quę horum inter ſe comparatorum ſint fructuoſiſſima, [c] & qualia in qualibus locis: [d] alia enim in alijs regionibus vigent.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Pecuaria nomina, & definitio ex Varrone.

Varro lib. 2. cap. 1. & lib. 3 cap. 1. & alijs locis.

Pecuaria prior agricultura, cùm natura, & tempore, tum vtilitate.

Pecvaria, quæ alijs nominibus paſtio agreſtis, & paſtoria res, & ſcientia paſtoralis à Varrone nuncupatur; ſic diffinitur ab eodem Varrone in cap. j. ij. libri: quòd ſit ſcientia pecoris parandi, ac paſcendi, vt fructus quàm poſſunt maximè ex ea capiantur. Hæc prior eſt agri cultione cùm natura, & tempore, tum vtilitate. Primum probat Varro cap. 2. primi, & cap. 1. ſecundi libri: vbi declarat homines, antequam agri colerentur, paſtoritiam vitam egiſſe; deinde ab hac vita ad agriculturam deſcendiſſe. Secundum, hoc eſt vtiliorem agricultura paſtionem eſſe, & reipſa comprobatur, & conceditur ab omnibus rei ruſticæ peritis. E quorum numero Cato ſenior, vt narrāt Cicero, Plinius, & Columella, quum ab eo quæreretur, quid maximè in re familiari expediret; reſpondit, bene paſcere; quid ſecundum, ſatis bene paſcere; quid tertium, bene vitire; quid quartum, arare. Partes generales pecuariæ conſtituuntur à Varrone in eodem cap. 1. lib. 2. octoginta vna. [a] Primùm nanque eſſe nouem partes, diſcretas ter ternas; vnas de minoribus pecudibus, oue, capra, ſue; alteras de maioribus, boue, aſino, equo; tertias de ijs, quæ non parantur, vt ex ipſis capiatur fructus, ſed vt propter ipſa, id eſt de mulis, canibus, paſtoribus. [b] Deinde vnanquanque harum nouem partium in ſe habere nouenas; quatuor in pecore parando; totidem in curando; & communem vnam. In parando pecore vnam partem eſſe de ætate: alteram de forma: qua ætate, quaque forma quæq; pecus paranda, habendaq; ſit: tertiam de ſeminio, quo ſint ſeminio quærendæ; hoc enim nomine aſinos Arcadicos in Græcia nobilitatos, in Italia Reatinos: quartam partem eſſe de iure, quemadmodum quanque pecudem emi oporteat ciuili iure. In curando pecore primam partem eſſe de paſtione, & eius rationem triplicem locum, tempus, genus alimenti. Secundam partem eſſe de fœtura, ad quam referantur quæcunque de admiſſura, & de vteri geſtatione, & de partu in conſyderationem veniunt. Tertiam partem eſſe de nutricatu, quantum lactis, & quo tempore, & vbi, & quot diebus ab vnoquoque pullo ſugendum ſit. Quartā partem eſſe de ſanitate, & particulas eius tres; cauſas, ſigna cuiuſque morbi, & medendi rationem explicantes. Nonam partem communem eſſe, quæ numerum pecorum cuiuſque generis, & ſexus conſtituat. Adiungit Varro pro fœtura, quæ in mulis deeſt, duas extraordinarias fructuum ſpecies: quarum vna eſt lana, ex ouibus, capriſque detonſa, aut vulſa: hanc appellant tonſuram. altera ſpecies eſt lac, & caſeus: quæ latiùs patet, à Græcis ſcriptoribus τυροποιία nominata. Has igitur omnes partes pecuariæ, quas Varro expoſuit; indicari hoc in loco à Philoſopho fortè aliquis exiſtimabit. [a] Et primas quidem illas ter ternas, imò quotquot eſſe poſſunt ob differentias animalium (nam præter enumerata à Varrone, Italiæ regionem, moremq; ſpectante, & camelorum in Arabia, atque in Bactris, & elephantorum in India, & aliorum fortaſſe alijs in locis animātium ſunt pecuaria) ſignificare Philoſophum, quom inquit, exempla ferens. *Vt equorum res qualis, aut boum, aut ouium, ſimiliter autem, & reliquorum animalium.* [b] Cæteras autem nouenas vnà cum fructibus extraordinarijs denotare tum his verbis; *quæ horum inter ſe comparatorum ſint fructuoſiſſima, & qualia in qualibus locis*, quæ verba proximè ſequuntur; tum illis, *qualia fructuoſiſſima, & vbi, & quomodo*; quæ, quum ſcripta ſint antè in textu proximè antecedenti, in hoc repeten-

Cicero in 2. officiorum. Plini. lib. 18. cap 5. Columella lib. 2. cap. 2.

Pecuaria partes generales ex Varronis doctrina.

a.

b. c.

Prima expoſitio huius textus.

Omnes hæ partes pecuariæ traditæ à Varrone hic indicantur.

a.

De camelis omnes, de elephantis Plinius lib. 8. cap. 9.

b. c.

a. vt. repetenda eſſe docet coniunctio, [a] *vt*, appoſita initio textus. Siquidem,
b. [b] *quæ, & qualis. τίνα, καὶ ποῖα*, pertinent ad binas priores earum nouenarum
c. partium, quæ ſunt de ætate, & de forma: [c] *vbi autem, ſeu qualibus in locis, & quomodo*, ideſt *ποῦ, καὶ ἐν ποίοις τόποις καὶ πῶς*, ad ſeptenas poſteriores, binosq; fructus extraordinarios. loco, enim, & modo, ſeminium, vnde comparanda, & ius, quemadmodum emenda pecora, & cunctæ aliæ ſuprà enumeratæ ſimiliter continentur: quod eſt per ſe manifeſtum. Vel ea tradere nunc Philo- *Altera expoſitio.*
ſophus voluit, quibus omnia dirigun ur, quæcunq; ad ſtudium attinent *Tres ſummæ formæ, dirigentes omnia, quæcunque ad ſtudium paſtoritium attinent traduntur hoc in loco.*
a. paſtoritium: & ſunt in vniuerſum tria; [a] vnum, natura ipſarum pecudum ex comparatione earum inter ſe tam in eodem genere, quàm in diuerſis,
b. atque etiam fructuum, quos illæ præbent; [b] alterum, locus; [a] tertium mo-
a. vt. dus, & ratio. Quippe & in parando pecore, & in paſcendo, & in admiſſura, & in fœtura, & in nutricatu, & in ſanitate, & in tonſura, & in mulctu, coagulationeq; lactis, ac caſei, cæterorumq; id genus lactariorum confectione hæc tria aut ſolùm, aut maximè attenduntur: totaq; peritia paſtoralis in his conſiſtit. modo enim, præter alia, ſubijciuntur etiam tempus, & numerus. Ex his verò definitionem pecuariæ, ſimilem ei, quàm attulit Varro, colligere licebit: vt ſit pecuaria peritia pecudum, quales maximè fructuoſæ ſint, & vbi, & quo pacto. *Definitio pecuariæ.*

Textus habet tres partes. Prima (a) ponit exempla primarum, & maximè propriarum pecuariæ partium, quas faciunt animalium differentiæ. *Partes textus.* Secunda (b c) partim repetit, partim ſubaudit cõmunes, quæ expoſitæ fuerunt in textu antecedenti: in quibus tamen communibus contineantur, commonſtrenturq; nunc, adhibitis exemplis, aliæ propriæ, naſcentes extrinſecus. Tertia (d) affert cauſam ſecundæ trium communium, deſumptam à prima.

S C H O L I A.

Vt equorum &c. Coniunctio, *vt*, oſtendit repetenda eſſe illa, quæ dicta fuerunt in textu antecedenti; quemadmodum in explanatione annotauimus. *Syntaxis verborum.*

Equorum, aut boum &c. Primæ, & maximè propriæ partes, ac differentiæ. quibus ratio, facultasque vnaquæque diſtinguitur; ſumuntur à differentijs rerum ſubiectarum, vt liquet ex initio vj. Poſt naturalium. *Partes, & differentiæ primæ ac maximè propriæ cuiusq; facultatis vnde ſumantur.*

Equorum res qualis, aut boum, &c. Qualis ſit res equaria; aut boaria, aut ouiaria, ſimiliter & pecudum aliarum, quod ad naturam ipſarum attinet; & quod ad loca etiam, & tempora quibus haberi, & curari eas oportet, quod deinceps ſubiungitur. *Syntaxis verborum.*

Aut boum. Bos arator pertinet ad agriculturam, non ad pecuariam, Cæteri autem boues, vitulus, & vitula; iuuencus, & iuuenca; taurus, & vacca, & armenta eorum ſunt pars pecuariæ. *Bos quomodo ad agriculturam, quomodo ad pecuariam pertineat.*

Quæ horum inter ſe comparatorum ſint fructuoſiſſima, & qualia in qualibus locis. Item, quod ſubaudiendum, repetendumque eſt ex tex. ſuperiori, *qualia fructuoſiſſima, & vbi, & quomodo.* Quod genus pecudum, & quæ, ac quales cuiusque generis, quod ad formam, ætatemq; eorum attinet, comparandæ ſint, vt vberrimum fructum capias, & vnde, ac quomodo comparandæ: tum quæ, quomodo, & quibus in locis paſcendæ, habendæ, admittendæ, nutricandæ, curandæ a morbis, & in ſanitate retinendæ, & cætera quæ diximus. *Expoſitio verborum.*

Alia enim in alijs regionibus vigent. Cauſa, cur locorum propriè meminerit, non contentus modo, & ratione, quæ ſatis eſſe fortè videretur. nã, inquit, alia in alijs regionibus potiora gignuntur, vtiliùs paſcuntur, ſtabulantur &c. *Cauſa cur locorum facta ſit mentio.*

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: CXXI.

Agricultura, ſecundum genus pecuniariæ nobis familiariſſimæ, ſiue rei ruſticæ: partesque eius ſummæ ac maximè propriæ, quas differentiæ agrorum faciunt, additæ ad tres communes partes ſuprà expoſitas in textu centeſimodecimonono, quibus communibus partibus aliæ propriæ, ab humana cura naſcentes, commonſtrantur.

Text: cxxj. [a] Ἢ περὶ γεωργίας, [b] καὶ ταύτης ἤδη ψιλῆς τε, καὶ πεφυτευμένης.

[a] Vel de agricultura, [b] & haciam nudaq́; & arboribus conſita.

[a] ἤ τε legũt Vetus interpres, Aretinus, Lambinus, & Victorius.

b idem text. 130.

E X P L A N A T I O.

Agricultura, et agrorum diuiſiones. *Diuiſio huius loci.* *Diuiſio Catonis.*

Dividit agriculturam, & agros in duas partes: quarum vna ſit nudi, vacuiq́; ſoli ad ſegetes, oleraque, & pabula pecudum: altera ſit conſiti arboribus, ac fruticibus. Et quanto melior eſt hæc diuiſio, quàm illa Catonis, diſtribuentis capite primo agros in vineam, hortum, ſalictum, oliuetum, pratum, campum frumentarium, ſyluam cæduam, arbuſtum, & glandariam ſyluam? Fortaſſe autem Cato non partiebatur ibi agriculturam, aut agros, ſed præponebat gradatim, vt Varro ait in capite ſeptimo primi libri, agros vtiliores minus vtilibus. Veruntamen ſi hoc dicatur, conſyderandum deinde eſt, quo pacto hæc ſententia Catonis, quinto loco pratum ſtatuentis, non repugnet alteri eiuſdem Catonis ſententiæ, quom primas in re familiari paſtioni attribuit, quemadmodum diximus in ſuperiori commentario. Hortus, pratum, campus frumentarius ſpecies ſunt nudi agri: cætera conſiti, præter ſyluam cæduam, quæ eſt pars mediæ pecuniariæ, interiectæ inter hanc, & commutatricem, vt infrà declarabitur. Fortè etiam pratum, & ſylua glandaria ad pecuariam magis attinent, quàm ad agriculturam: nec in agris quidem rectè numerantur; ſi vera eſt Varronis etymologia, maleq́; ipſe reprehenditur a Quintiliano, Agrũ dici ab agendo, quòd in eo terra agatur, & aliquid agatur fructus causâ. Ipſe autem Varro in cap. 5. primi libri de re ruſtica longe diuerſa ratione diſtinxit culturam agri in quatuor partes; ſingulasq́; earum in binas; & vnamquanque rurſus in multas: quas latè perſequitur. Idem in eiuſdem lib. cap. 5. definit agriculturam, quòd ſit ſcientia docens, quæ ſint in quoque agro ſerunda, ac faciunda, vt quæque terra maximos perpetuò reddat fructus. ſic enim corrigendũ arbitror eum locũ Varronis. Et in cap. 4. tradit principia ipſius agriculturæ eſſe eadem, quæ mundi eſſe ſcripſit Ennius, nempe aquam, terram, animam, & ſolem: metas autem, ſeu fines duos, vtilitatem, ac voluptatem. Sed de his aliâs.

Diuiſio Varronis. *Varro lib. 4. de lingua latina.* *Quintilianus lib. 1. oratoriarum inſtitutionum.* *Agricultura definitio ex Varrone.* *Emendatio loci Varronis.* *Agriculturæ principia, & fines, ex Varrone.*

S C H O L I A.

Expoſitio, & ſupplementum verborum.

De agricultura, περὶ γεωργίας. Non poteſt iungi hæc vox niſi cum nomine ἐμπειρίας. itaque hoc modo exponendus eſt hic locus: *vel de agricultura,* ideſt vel, quod attinet ad agriculturam, peritum eſſe oportet, quæ, & qualia qualibus in locis ſint fructuoſiſsima.

γεωργίας. ἡ γεωργία non modo cultum agri ſignificat, ſed etiam ipſum agrum. Si agrum hic interpretaremur; diceretur, quod ſequitur magis propriè, *& hoc agro iam nudo, & conſito.* *Vocabulum γεωργία.*

Et hoc iam nudo &c. Multæ adhuc gentes ſunt, quæ in agris ſegetum nullas arbores ſerant, vt Galli, & Germani, & plerique alij. At noſtri homines, etiam vbi arant, vitiũ, arborũq; diuerſarum, quibus vites maritent, ordines ponunt certis quibuſdam interuallis vel in quincuncem, vel alia aliqua figura. qui tamen agri ſic conſiti, ſi cum oliuetis, ſalictis, arbuſtis, ſyluis comparentur, nudi penè dici poſſunt. Dubitaui autem ſæpenumero, vtra ratio culturæ agrorum eſſet vtilior; priorne, ſeparans arborum, ac ſegetum agros; an hæc noſtra quæ vtrasque eodem in loco ponit. *Agricolādi rationes duæ.*

Arboribus conſita, πεφυτευμένη. Hoc vocabulum, πεφυτευμένη, vt notat etiam Petrus Victorius, ſignificat hic agrum conſitum non quibuſuis ſtirpibus, ceu oleribus, frumento'ue, ſed arboribus; & arboribus quidem frugiferis: nam quę fructum nobis in alimentum non ferunt, vt ſyluæ cæduæ, iam non ſunt huius, ſed pertinent ad tertiam pecuniariam, quæ media eſt inter maximè familiarem, & commutatiuam. *Vocabulum πεφυτευμένη.*

ARGVMENTVM. TEXT. CXXII.

Paſtio villatica, tertium genus pecuniariæ nobis familiariſsimæ, ſiue rei ruſticæ: partes que eius ſummæ, ac maximè propriæ, quas animalium in villa circum'ue eam variè paſcentium differentiæ faciunt, additæ ad tres communes partes, expoſitas ſuprà in textu centeſimo decimonono, quibus communibus partibus commonſtrantur aliæ propriæ, naſcentes ab humana cura.

Text. cxxii. Καὶ μελιττουργίας, καὶ τῶν ἄλλων ζῴων τῶν πλωτῶν, ἢ πτηνῶν, ἀφ' ὅσων ἐστὶ τυγχάνειν βοηθείας.

Et mellificij, & aliorum animalium natantium, aut volantium, ex quibuſcunque conſequi auxilium licet.

EXPLANATIO.

Dvo ſunt genera paſtionum, inquit Varro lib. 3. de Re ruſtica cap. 1. & 2. vnum agreſte, in quo pecuariæ ſunt: alterum villaticum, in quo ſunt gallinæ, columbæ, apes, & cætera, quæ in villa ſolent paſci. Definitur ab eodem Varrone in ſequenti cap. 3. pars pecuariæ attinens ad has paſtiones villaticas hoc modo: quòd ſit ſcientia eorum animalium, quæ in villa, circum'ue eam ali, ac paſci poſſunt, ita vt domino ſint fructui, ac delectationi. Vtilitas huius partis varia pro incidentibus rebus, atque temporibus. vincit enim interdum villa paſtionibus & arua, & paſcua: vt vnum tantùm ornithonem turdorum in Sabinis, qui fuit materteræ Cornelij Merulæ, ſcribat Varro reddidiſſe quodam anno ſexaginta millia ſeſtertiûm, hoc eſt mille, & quingentos aureos coronatos: interdum paſtionum villaticarum fructus vix æquat ſumptum, quem in eas facere oportet. Humilis tamen videtur paſtio villatica, & a quibuſdam adiecta ad agriculturam, quum eſſet paſtio, vt idem Varro ait; neque explicata tota ſeparatim ante

Paſtionis in pecuariam, & villaticam diuiſio.

Definitio paſtionis villaticæ.

Vtilitas villaticarũ paſtionum.

Varro lib. 3. cap. 2. de Re ruſtica.

Humilitas villaticarum paſtionum.

Varro cap. 1. lib. 3. de Re ruſtica.

Fff eum ab

eum ab illo. Proinde pauci omnino ſunt, qui in hoc genere tantum operę ponant, quantum ponunt in cultura agrorum, vel in re pecuaria: percenſuitque illud Philoſophus hac de cauſa nouiſſimo loco poſt pecuariam, & agriculturam. Formæ huius generis tres, ornithones, leporaria, piſcinæ. Ornithones dicuntur omnium alitum, quæ intra parietes villæ ſolent paſci. Leporaria, omnia ſepta affixa villæ, quæ habent incluſa animalia, quæ paſcantur. Piſcinæ, quę habent incluſos ad villam piſces cuiuſuis generis. Atque harum formarum ſingulæ minimũ in binas partes diuiduntur. Vt in prima parte ornithonum ſint ea, quæ terra modo ſunt contenta, veluti pauones, turtures, turdi: altera pars ea contineat, quæ nõ ſunt contenta terra ſolùm, ſed etiam aquàm requirunt, vt ſunt anſeres, querquedulæ, anates. Item in leporatijs vna pars habeat aprum, capream, leporem, & ſimilia: altera apes, cochleas, glires, & alia eiuſdem generis. Tandem piſcinarum aliæ dulces ſunt, aliæ ſalſæ. Has igitur tres ſummas formas paſtionum villaticarum, leporaria, piſcinas, ornithones tangit Philoſophus hoc in loco. *Et leporaria quidem ſignificat vocabulo mellificij, μελιττουργίας. apes enim elegit ex omnibus, quę ſunt huius formæ: propterea quod proportione maximæ ex ijs vtilitates, nulla penè impenſa, capiuntur, capiebanturq́; maiores antiquis temporibus priuſquam id, quod ſuccarum vocant, inueniretur. Quocirca anteponit etiã formã hanc Philoſophus piſcinis, & ornithonibus: *quas propinquis verbis deſignat, dicens: *& aliorum animalium natantium, aut volantium:* neglecto in his duabus ordine vtilitatis; quę ſanè multo maior percipitur ex ornithonibus, quàm ex piſcinis. *Adduntur poſtremò hæc, *ex quibuſcunque conſequi licet:* vt intelligamus fructum hîc peti, non voluptatem, aut gloriam. Quamobrem qui in caueis à quibuſdam incluſi tenentur, lupi, vrſi, leones, & alia huiuſmodi animalia, nullam prorſus vtilitatem nobis afferentia, ad hunc locum non pertinent. Nam quanquam ex his veſtes, & alia inſtrumenta fiunt, vt dicebatur in textu 84. non tamen ad hoc includuntur, ſed ad delicias. Vel forte excipere voluit Philoſophus noxia, & inutilia animalia, cuiuſmodi multa eſſe diximus, vt natrices, viperas, culices, muſcas.

Formæ paſtionum villaticarum. — *Ornithones qui.* — *Leporaria quę.* — *Piſcinæ quæ.* — *Ornithonum diuiſio.* — *Leporariorum diuiſio.* — *Piſcinarum diuiſio.* — *Expoſitio verborum, quibuſque in iis tangũtur tres ſũmæ formæ paſtionum villaticarum.* — *Leporaria.* — *Piſcinæ, & ornithones.* — *Nouiſſimorũ verborum duplex interpretatio.* — *Quæ animalia incluſa tenentur gloriæ, aut voluptatis gratia, ad hunc locũ non pertinent.*

Varro lib. 3. de Re ruſtica. cap. 3. — * *& mellificij.* — * *& aliorum animalium.* — * *Ex quibuſcunque habere auxilium licet.*

ARGVMENTVM. TEXT. CXXIII.

Concluſio: Pecuniariæ nobis familiariſſimæ, ac maximè propriæ partes ſummas eſſe, quæ dictæ ſunt.

Text. cxxiij. Τῆς μὲν οὖν οἰκειοτάτης χρηματιστικῆς ταῦτα μόρια καὶ πρῶτα.

Pecuniariæ igitur, quæ familiariſſima, maximeque propria eſt, hæ ſunt partes, & primæ.

S C H O L I A.

Vocabulum οἰκειοτάτη. *Quæ familiariſſima, & maximè propria eſt.* His duabus vocabulis reddimus latinè nomen græcum οἰκειοτάτη. Quid autem hæc nobis ſignificent, ſæpe diximus. ſic enim vocatur a Philoſopho res ruſtica, propterea quod eius formæ ſint nobis maximè in vſu ex omnibus formis pecuariæ alimentariæ; & ita hominum ſint

propriæ,vt in nullam belluarum cadant,quarum tamen quædam piſcatu, quædam venatione,quædam aucupio ſibi victum parant. ſed de his ſuprà.

Cur additum, & primæ.

Hæ ſunt partes,& primæ. Addidit vocem,*& primæ*,declarans ſe ſummas tantùm rei ruſticæ partes perſequutum eſſe; non omnes. Et hoc quidem ex ijs, quæ in commentarijs dicta ſunt,prorſus liquet.

Textus CXIX.

*

Pecuniariæ commutatricis, eiuſque partium expoſitio.

PARS SECVNDA CAPITIS XXV.

Pecuniariæ commutatitiæ,ſiue cauponiæ, eiuſque partium expoſitio.

Τῆς δὲ μεταβλητικῆς μέγιστον &c. Tex. CXXIIII. ad CXXVII.

SCHOLIVM.

Cõmutatitia pecuniaria in tria genera diſtributio.

Quo ordine diſcendum a Philoſopho de his tribus generibus commutatitiæ pecuniariæ.

Trium horum generum pecuniariæ commutatitię inter ſe comparatio.

SICVT tria erant genera ſuperioris pecuniariæ,quæ nobis eſt maximè familiaris, ſcilicet pecuarium, colendorum agrorum, paſtionum villaticarum, à rebus ſubiectis, quæ naturà ſuà fructum præbent, in primis facta: ſic tria ſunt commutatitiæ,mercatura,fœnus,mercenaria; quorum triũ mercatura ex mercibus, fœneratio potiſsimùm ex numis, mercenaria ex operis quæſtum facit. De his tribus generibus commutatitiæ in tribus ſequentibus textibus Philoſophus ſingillatim dicet, vtiliora ſemper præponens. Nanque mercatura eſt quæſtuoſior fœnore, ni tam periculoſa, & calamitoſa ſiet, vt ſcribitur à Catone in principio librorum de Re ruſtica. Item maius lucrum ſuppeditatur ex fœnore, quàm ex mercenarijs artibus,operiſque: ſed hę minus odioſæ ſunt; minus malæ, quia nemini ferè nocent; minuſq; ad extremum præter naturam, quandò vno tantùm modo ei aduerſantur,vt ſuprà annotaui.

Ad text. 117.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXIIII.

Mercatura, primum genus pecuniariæ commutatitiæ: eiusque partes, ac diſcrimina partium ab vtilitate, & ſecuritate.

Text.cxxiiij. ᵃ Τῆς δὲ μεταβλητικῆς μέγιστον μὲν ἐμπορία· ᵇ καὶ ταύτης μέρη τρία, ναυκληρία, φορτηγία, παράστασις· ᶜ διαφέρει δὲ τούτων ἕτερα ἑτέρων, τῷ τὰ μὲν ἀσφαλέστερα εἶναι, τὰ δὲ πλείω πορίζειν τὴν ἐπικαρπίαν.

ᵃ Commutatricis autem maxima quidem pars eſt mercatura: ᵇ atque huius partes tres, nauicularoria, oneraria, ſtataria: ᶜ differunt verò harum aliæ ab alijs, quod aliæ ſecuriores ſint, aliæ ampliorem fructum ſuppeditent.

EXPLANATIO.

Mercatura primum, & maximè quæſtuoſum genus commutatricis pecuniariæ. a.

ᵃ PRIMVM genus, & maximum lucro, hoc eſt maximè quæſtuoſum in pecuniaria cõmutatitia eſt mercatura. ᵇ Species, ſeu partes huius generis tres, ναυκληρία, φορτηγία, παράστασις, quas latinè ſic nominauimus, nauicularatoria, oneraria, ſtataria. Omnes quidem emunt quæ vendant, alioquin αὐτοπωλικαὶ eſſent, vt Plato nuncupat, non mercaturæ. ᵇ Sed prima alibi emens aliò in longinquas regiones mari, nauibusque, vnde nomen habet, tranſportat vendenda. ᵇ Secunda terreſtri itinere iumentis, ac vehiculis in loca propinquiora mittit. denominata autẽ eſt ab onere, ideſt ἀπὸ τοῦ φορτίου ex prima vocabuli origine, nam τὸ φορτίον ἀπὸ τοῦ φέρειν ideſt à ferendo dictum fuit; & ferre primùm, ac propriè de animalibus. quid ſi onus quoque ἀπὸ τοῦ ὄνου hoc eſt ab aſino appellauerint antiqui Latini, quæ bellua, nota omnibus, maxima pondera ſui corporis proportione defert? quanquam poſtea tranſlata nomina etiam ad inanima, & dictę φορτίδες onerariæque, naues quędam Latinis, & Græcis. ᵇ Tertia pars in eadem ciuitate, & loco emit, venditque eaſdem merces aucto pretio. ob id vocatur à Philoſopho παράστασις, à nobis pari verbo ſtataria, quæ etiam inſtiroria, & tabernaria, & propriè cauponia, græcè καπηλική, & ... & ... dicitur. ᶜ Diſcrimina harum trium partium duo: vnum in fructu, & vtilitate: in ſecuritate alterũ. Nam fructuoſior, & largiorem quęſtum pręſtans, ſi fortuna arriſerit, ναυκληρία: deinde φορτηγία: nouiſſimum locum tenet παράστασις. E contrario autem hæc eſt maximè tuta: & ſecundum eam φορτηγίας plurimum periculi habet ναυκληρία.

Species mercaturæ quot, & quæ. Species mercaturæ quid cõmune habeãt, quã ſic appellantur. Nauicularatoria quidditas, & nomina. Oneraria quidditas, & nomina. Statariæ quidditas, & nomina. Diſcrimina harum trium mercaturæ ſpecierum in vtilitate, & ſecuritate. (b. nauicularatoria. b. oneraria. b. ſtataria. c.)

Partes textus. Partes textus tres, quæ ſunt manifeſtæ.

SCHOLIA.

Mercatura quæ non uituperanda, & quæ etiam laudanda.

Maxima quidem pars eſt mercatura. Cicero in primo Officiorum *Mercatura, inquit, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna, & copioſa, multa vndique apportans multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda: atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, vt ſæpè ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari.*

Verſio. Naucleria. Nauigatio.

Nauicularatoria. Sic verti ναυκληρίαν, quia accommodatiorẽ vocem non habui. P. Victorius græco verbo vtitur. Aretinus tranſtulit in nauigationẽ. Sed nauigatio

Exercitoria.

Ex Vlpiano de Exercitoria. l. 1.

Exercitoria actio, & exercitor nauis ex Iuriſconſult.

gatio aliud prorſus ſignificat. A Calcagnino dicitur exercitoria. Vocant Iuriſconſulti exercitoriam actionem eam, quæ datur contra exercitorem nauis de vectura, & vecturæ mercede: exercitorem autem nauis eum, ad quem obuentiones, & redditus nauis omnes perueniunt, ſiue is dominus nauis ſit, ſiue à domino nauem per auerſionem conduxit vel ad tempus, vel in perpetuum. Quamobrem exercitoria non poteſt eſſe ναυκληρία, cuius hîc Philoſophus mentionem facit, ideſt non poteſt eſſe pars mercaturæ, quæ nauibus exercetur. Nauiculatores certè Ciceroni in oratione pro lege Manilia cum mercatoribus coniunguntur. Notat P. Victorius ναυκληρίαν hanc, quam ſub mercatura hîc Philoſophus collocat, a Xenophonte in lib. de Republica Lacedæmoniorum non poni ſpeciem, partemue mercaturæ, ſed illi opponi tanquam genus diuerſum. Plato autem in 2. de Republica conſentit cum Philoſopho noſtro ſubijciens eam mercaturæ. Sed pro naucleria maritimam mercaturam, ideſt ἐμπορίαν κατὰ θάλατταν nominat. Qua in re melius Philoſophus noſter. Fluminibus enim, non ſolùm mari, aguntur naues, merceſque importantur, & exportantur. Infrà tamen in 4. lib. cap 4. τὸ χρηματιστικὸν περὶ θάλατταν ſignificare ei nauiculatoriam hanc mercaturam videtur. & nomen θάλασσα vſurpatur aliquando pro omnibus aquis, in quibus nauigatur.

Nauiculatoria.

Nauiculatoria verum ſpecies mercaturæ.

Mercaturam maritima Plato vocat, & non rectè.

Stataria. Hæc eſt, quæ propriè καπηλική. nominatur alio vocabulo. καπηλικὴν autem ideſt cauponiam propriam Plato in Sophiſta, & in 2. de Republica non ſpeciem mercaturæ facit, ſed genus oppoſitum mercaturæ; quia mercatura ex vna ciuitate in aliam emendo, & vendendo merces tranſportet; cauponia propria in eadem ciuitate emat, & vendat, vt ad initium huius diſputationis de pecuniaria annotauimus Quapropter mercatura, ideſt ἐμπορία, καὶ ἐμπορικὴ Platonis duas ſuperiores partes ναυκληρίαν, & φορτηγίαν duntaxat continebit. Eodem modo Cicero in primo Officiorum caupones opponit mercatoribus. *Sordidi*, inquit, *etiam putandi qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant, nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur: nec verò quicquam eſt turpius vanitate*. Et in 4. horum librorum caupones, mercatoreſque, tanquam genera diuerſa, in multitudinem forenſem conijciuntur, quæ forenſis multitudo eſt tertia ex partibus neceſſarijs ciuitatum. Nam ſiue opponantur caupones mercatoribus, ſiue his illi ſubijciantur, æque neceſſarium eſt cuilibet ciuitati, etiam primæ, & maximè naturali, nedum turgidæ, ac delicatæ vtrunque genus, ideſt tam caupones, quam mercatores nauicularios, onerarioſque adeſſe, vt liquet ex iiſdem locis, Platonis in ij de Republica, & Philoſophi in iv. horum librorum. Porrho autem vocabulum παράστασις, de quo dubitat P. Victorius, vel factum eſt a verbo παρίστημι, quod ſignificat adeſſe, & aſsiſtere, vel a nomine παραστάς, quæ eſt porticus: quemadmodum etiam à taberna dicitur Latinè tabernaria.

Stataria nomina.

Stataria an ſpecies mercaturæ, an genus ab ea diuerſũ.

Mercaturæ partes ſecundum Platonẽ.

Stataria vituperanda.

Neceſſitas cauponum & mercatorum.

Vocabulum παράστασις.

Differunt verò harum &c. Alia quoque diſcrimina afferri potuiſſent ab honeſtate, à prudentia, & ab alijs rebus. Sed veras tantùm differentias, quibus diſtant, quatenus ſunt pecuniariæ, hoc eſt quatenus ſunt fructuoſæ, & lucroſæ, attingere Philoſophus voluit. Vt verò aliæ differentiæ poni poſſent: ita & aliæ ſpecies ex illis differentijs formari.

Harum mercatura ſpecierum diſcrimina.

Species aliæ mercaturæ formari poſſent.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXV.

Fœneratio, genus ſecundum pecuniariæ commutatitiæ.

Tex. cxxv. Δεύτερον δὲ τοκισμός.

Secunda autem pars eſt fœneratio,

EXPLA-

EXPLANATIO.

Fœneratio vtilitate, & ſecuritate quê locũ teneat inter genera pecuniaria commutatitia.

Fœneratio, de qua hic loquitur Philoſophus eſt fœneratio communis.

Fœnerationis communis ſpecies.

FOENERATIO eſt genus ſecundum tam lucro, quàm ſecuritate. Vincit enim fructu, & vtilitate mercenariam; ſed vincitur à mercatura. Rurſus, multo tutior eſt mercatura; ſed minus tuta, quàm mercenaria. Eſt autem fœneratio, de qua loquimur, communis illa alio nomine appellata collybiſtice: cui tres ſubſunt ſpecies, fœneratio propria, quæ lucratur ex tempore; & duæ argentariæ; vna, ἀργυραμοιβικὴ, commutatio numorum, quæ ex ſpeciei varietate; altera, traiectio, quæ ex diuerſitate locorum quæſtum facit. De his omnibus dixi ſuprà copioſè in initio diſputationis de pecuniaria cauponia: & quo pacto vnaquæq; fœnerationum iſtarum, licet in pura numularia, hoc eſt in numis vtrinque datis propriè exerceatur; tamen in permutatione rerum ſimplici exerceri etiam poſſit; & prima, tertiaque earum in numularia mixta, quom numi, & res permutantur.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXVI.

Mercenaria, tertium genus pecuniariæ commutatitiæ; eiuſque præcipuæ partes.

Tex. cxxvj. [a] Τρίτον δὲ μισθαρνία: [b] ταύτης δ' ἡ μὲν τῶν βαναύσων τεχνῶν, ἡ δὲ τῶν ἀτέχνων καὶ τῷ σώματι μόνῳ χρησίμων.

[a] Tertia pars eſt mercenaria: [b] & huius altera quidem operariarum artium, altera verò operarum ſine arte, ac ſolo corpore * commodatarum.

** χρησίμων miniſtratarum.*

EXPLANATIO.

Mercenaria nomina, & deſcriptio.

Mercenariæ diuiſio in duas ſpecies.

Duo ſignificatus vocis, ars operaria: & ex ijs duplex huius loci interpretari.

Dubitatio cõtra primã interpretationẽ.

Dubitatio cõtra ſecundam interpretationem.

Solutio pro ſecunda interpretatione.

TERTIVM genus pecuniariæ commutatitiæ eſt μισθαρνία, Platoni μισθωτική, latinè mercenaria, quæ operas locat, hoc eſt præſtat, commodatq; mercede. Diuiditur potiſſimùm in duas ſpecies: vna operas artium operariarum, græce βαναύσων: altera operas arte vacuas, quæ ſolo corpore adminiſtrãtur, locat, aut vendit. Operarias artes dupliciter poſſumus interpretari: vno modo vt ſignificentur artes per ſe ignobiles, & illiberales: altero, vt illæ etiã, quæ ab hominibus vſu, deſtinationeq; reddũtur illiberales, dum venum eunt, & pecuniæ parere diſcunt, licet per ſe, ac naturâ ſuâ eſſent liberales. In hac ſecunda ſignificatione vtitur aliquando Ariſtoteles hac voce βάναυσος, notans quicquid quocunque modo repugnat ingenuitati, vt in 4. ad Nicom. βαναυσίαν, καὶ βάναυσον nominauit vitium, & hominem magnos ſumptus inconcinnè facientia. Si primam interpretationem ſequare, acceperiſque operarias artes pro ſordidis, & ignobilibus; quò tandem reuocabuntur honeſtæ, & nobiles, vbi auaritiæ labe inquinantur, fiuntque mercenariæ? Sed et, ſi operariæ artes has quoque nobis ſignificent: vel virtutes, facultateſque animi naturales in artibus comprehendentur, quod alienum eſt à more peripatetico; vel alia, & perfectior diuiſio mercenariæ afferenda erit, qualem nos attulimus in commentario 110: dicen-

dicendumq́; à Philoſopho hîc principales duntaxat eius partes recenſeri. Cicero ſub exitum primi officiorum mercenarios tantùm dicendos putat, quorum operæ, non quorum artes emuntur; quæ eſt poſterior ſpecies duarum, quas hîc Philoſophus tetigit. Idem ſentire videtur Plato in ij. de Republica: vbi genera hominum, ex quibus naturalis ciuitas conſtat, recenſens, ſecundum locum opificibus tribuit, ſextum mercenarijs, ideſt ijs, qui vſum roboris ſuorum corporū vendunt. Quinetiam in iv. horum librorum artifices operarij ſecundam, mercenarij, ideſt θητικοὶ quartam efficiunt partium neceſſariarum ciuitatis. Sed aliud eſt ciuitatem in claſſes, & ordines digerere ex munerum, vtilitatumq́; differentium comparatione: aliud pecuniariam in ſua genera pro varijs rebus, ex quibus fit quæſtus, varijsque acquirendi modis diſpertire. Similiter autem & qui artiū, & qui corporum ſuorum ſine arte, & qui cæterarum quoque facultarum naturalium, & qui virtutum, & qui ſcientiarum operas vendunt, ex operis ſuis omnes, & miniſtrando, ſeruiendoque alijs hominibus mercedem, ac lucrum capiūt: diuerſa tamen ſunt munera eorum, diuerſæ quæ ex ijs ad ciuitatem vtilitates perueniunt. Quamobrem in ciuitatis diuiſione opificina artium à corporum operis debuit ſeparari: in partitione pecuniariæ ambo ſtudia ad communem formam, & modum lucri faciendi ſunt reuocanda.

An quæſtuaria artificum, & ſimiles aliq́, quę operas vēdūt, ſint partes mercenariq́.

Conciliatio huius loci cū alio quodam ex 4.lib.

Cap.3.

Textus habet duas partes.

Textus cxix.

Pecuniariæ mediæ, eiuſque materiæ, ac partium expoſitio.

PARS III. CAPITIS XXV. TEX. CXXVII.

ARGVMENTVM. TEXT: CXXVII.

Pecuniariæ mediæ inter commutatitiam, & maximè propriam, ſeu maximè familiarem nobis, eiusque materiæ, ac partium, pro modis materiæ differentium, expoſitio: tradita interim cauſa, cur hæc pecuniaria media dicatur.

Text.cxxvij. ᵃ τρίτον δὲ εἶδος χρηματιστικῆς μεταξὺ ταύτης καὶ τῆς πρώτης (ᵇ ἔχει γὰρ καὶ τῆς κατὰ φύσιν τι μέρος, καὶ τῆς μεταβλητικῆς) ᶜ ὅσα ἀπὸ γῆς καὶ τῶν ἀπὸ γῆς γινομένων, ἀκάρπων μέν, χρησίμων δέ: ᵈ οἷον ὑλοτομία τε, καὶ πᾶσα μεταλλευτική. ᵉ αὕτη δὲ πολλὰ ἤδη περιείληφε γένη: ᶠ πολλὰ γὰρ εἴδη τῶν ἐκ γῆς μεταλλευομένων ἐστί.

ᵃ Tertia autem ſpecies pecuniariæ, media inter hanc, & primam (ᵇ habet enim & eius, quæ eſt ſecundum naturam, partem quandam, & commutatitiæ) ᶜ * quæcunque à terra, & ijs, quæ à terra naſcuntur, infructuoſis quidem, verumtamen vtilibus: ᵈ vt ſylua cæduaque, & omnis metallica ratio. ᵉ hæc autem multa iam genera comprehendit: ᶠ multæ nanque ſunt ſpecies earum, quæ ex terra, rerum metallicarum.

* ὅσα omnia quæcunque.

EXPLANATIO.

Pecuniaria quędã media inter duas ſuperiores.

Materia pecuniarię medię quę, & quotuplex.

ᵃ Est tertium quoddam genus pecuniariæ rationis, interiectum medium inter commutatitium, quod proximè explicatum eſt, & primum illud, quod maximè proprium, maximèq; familiare hominibus nuncupabatur. ᶜ Subiecta huic tertio generi ſunt primùm ea, quę eruuntur, extrahunturq; è terra, ac terræ viſceribus, ᵈ vt adamas, aurũ, miniũ, ſtibium, chryſocolla, quicquid deniq; foſſitiæ rei, aut metallicæ, aut ſubterraneæ vocabulo ſignificatur. ᶜ Deinde ſunt ſubiecta illa, quæ à terra naſcuntur, fructus quidem non ferentia, qui nobis, aut noſtris animalibus cibo eſſe poſſint, ſed tamen vtilia, quemadmodum & ſuperiora, vel ad extruendas ædes, vel ad ſupellectilem, & alia inſtrumenta fabricanda, vel ad nutriendum ignẽ, vel ad cultum corporis, vel ad remedia morborum, ᵈ vt ſylua cædua, & vno verbo ſtirpes infructuoſæ. ᶜ In vniuerſum igitur materia huius mediæ pecuniariæ eſt res naturalis præſtans per ſe nobis non cibum, ſed alias commoditates. * Diuiditurq; hæc materia in duas partes: quarum vna continet metalla, & foſſilia, vno verbo, & ſubterranea, quæ anima carent, & è terra eruuntur: altera continet, quæ animam habent, plantas minimè frugiferas; fortaſſe & quædam animalia, quibus nõ veſcimur, nec adiuuamur vllo modo ad cibum parandum, ſed ad alias vitæ commoditates. ᵈ Sicut autem duplex eſt primùm materia ei ſubiecta; ſic neceſſe eſt duplicem primùm eſſe hanc mediam pecuniariam. ᶠ Et quia rurſus vtraque illarum partium materiæ multas ſpecies habet, præſertim prior, in qua ſunt metalla, & foſſilia: ᵉ habebit ſimiliter vtraque iſtarum partium pecuniariæ mediæ, & maximè prior, quæ in metallis, & foſſilibus vertitur, ſpecies multas: ᵇ Cur verò totam hanc pecuniariam, quæ vtilia, at eſui minimè apta tractat, tertiam, mediamque inter familiariſſimam, commutatricemq; dicamus; hæc eadem cauſa eſt, quòd illa, quæ tractat, ſunt vtilia, nec tamen ad veſcendum nobis idonea. Siquidem hoc modo vtriusque illarum, & familiariſſimæ, maximèque naturalis nobis, & commutatricis pecuniariæ partem, ac ſimilitudinem quandam habet; illius, quia eſt de rebus præbentibus per ſe, ac naturâ ſuâ nobis aliquas commoditates, aliquasq; indigentias replentibus; huius, quia non tendit in cibum primò, & per ſe, & hac de cauſa, neque eſt vitæ neceſſaria perinde vt altera, quæ ob id maximè naturalis, proprièque alimentaria dicebatur.

Partes pecuniarię medię quot, & quę, & vnde.

Ratio huius vocabuli, pecuniaria media.

Hęc pecuniaria vtriuſque duarum ſuperiorum partẽ, & ſimilitudinem quandam habet.

a. — c. quęcunque à terra. — d omnis metallica ratio. — e & ijs quę à terra naſcuntur. — d vt ſylua cędua. — c. infructuoſis quidem, verũtamẽ vtilibus. — * quęcunq; à terra, & ijs quę à terra naſcuntur. — d. — f. — e. — b.

Partes

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a b c) proponit eſſe tertiam quandam pecuniariam, mediam inter duas ſuperiores, & quare media dicatur, quæque, ac quotuplex ſit eius materia. Secunda (d) exempla ponens illarum partium materiæ, ſtatuit duas eſſe ſummas partes huius mediæ pecuniariæ. Tertia (e f) oſtendit vtranque harum partium diuidi rurſus in alias, diuiſis materiæ partibus.

S C H O L I A.

Diſtinctio huius generis à ſuperiori.

Tertia autem ſpecies pecuniariæ &c. A ſuperiori genere, quod familiariſsimum appellabatur, reſque ruſticas continebat, diſtinguit hoc genus, quantum attinet ad primam eius partem quæ eſt rerum anima carentium Varro, ſcribens in 2. capite primi libri de Re ruſtica, nec argenti fodinas, aliaúe metalla, nec lapicidinas, nec arenarias ad agriculturam pertinere. Nam ſi ad agriculturam non pertinent, multo minus pertinebunt ad paſtionem villaticam, vel ad pecuariam. Auctor primi Oeconomici Philoſophum ſequitur. primis enim partibus agriculturæ tributis, dat ſecundas huic ſtudio quærendæ rei ex metallis, & reliquis eiuſdem modi.

Syntaxis, & conſilium.

Habet enim & eius quæ eſt ſecundum naturam &c. Verba hæc ſunt parentheſi includenda. Docet autem Philoſophus cur tertium, & medium appellet hoc genus.

οἰκειότατον.

Et eius quæ eſt ſecundum naturam. quam οἰκειοτάτην appellauit in textu 123. Sunt igitur idem in tota hac parte Philoſopho τὸ οἰκειότατον, ἢ τὸ μάλιστα κατὰ φύσιν, vt nos interpretati ſumus.

Syntaxis verborum.

Materia huius pecuniariæ generaliter quid.

Quæcunque à terra, & ijs &c. Coniungenda hæc ſunt cum primis verbis textus τρίτον δὲ εἶδος &c. ſubaudiendo verbum ἐστί, vel potius περιέχει, aut ποιεῖ: quia quum εἶδος ſit neutri generis, poteſt æque eſſe quarti caſus, ac primi: vt tales ſententiæ reddantur: *Tertia autem ſpecies pecuniariæ, media inter hanc, & prima continet, omnia quæcunque à terra, & ijs &c.* Vel: *Tertiam autem ſpeciem &c. faciunt omnia quæcunque à terra &c.*

Materia huius pecuniariæ partes primæ duæ.

Prior pars materiæ huius pecuniariæ quæ dici poteſt corpus ſubterraneũ conſiſtẽs.

Prioris partis materiæ huius pecuniariæ, id eſt corporis ſubterranei cõſiſtẽtis in ſuas præcipuas formas diuiſio.

Humorum ſpecies.

Subterranei ſicci corporis metalla foſſiliaq. continentis in ſua prima genera diſtributio.

Hæc, quæ faciunt priorem partẽ materiæ huius pecuniariæ, qua voce in textu ſignificentur.

Quæcunque à terra, & ijs, quæ à terra naſcuntur, infructuoſis quidem, veruntamen vtilibus. Deſignat materiam, & duo prima genera materiæ huius pecuniariæ. Materia eſt res naturalis, vtilis nobis per ſe, non ad cibum, ſed ad alias vitæ commoditates. Huius materiæ partes duæ ſunt. Vna continet res eiuſmodi inanimas, quæ è terra colliguntur, aut eruuntur; corpus ſubterraneum communi vocabulo appellat Georgius Agricola vir doctiſsimus, licet huic generi ſubijciat etiam aerem, exhalationem, & ignem, quæ ad præſens propoſitum noſtrum minimè pertinent. Addamus igitur aliud nomen, & ſit iſta pars ſubiecti generis corpus ſubterraneum conſiſtens. Hoc diuiditur in duas formas. nam vel humidum eſt, vel ſiccum. Humidum ſiue humor, ſic enim propriè vocatur, diuiditur in aquam, & ſuccum liquidum. Aqua vel ſimplex eſt, vel mixta. & mixtæ multæ ſunt ſpecies pro varijs ſpeciebus & modis rerum admixtarum. Succi liquidi tres formæ ſunt, bitumen, alumen, ſuccus lapideſcens. Siccum corpus ſubterraneum appello, quod ab Agricola item generali vocabulo corpus foſsile dicitur; ab Ariſtotele ſub exitum iij. libri Sublimium foſsile, & metallum, duabus formis ac nominibus factis. quanquam enim metalla ex humido halitu generantur, generata tamen apparent ſicca, vt nec liquefacta quidem, nec, quæ liquida naſcuntur, vllo pacto humectent, aut hæreant in tangentibus ea ipſa corporibus aliorum generum. Omnino hoc genus corporis, ſiue ſiccum, ſiue foſſile, ſiue foſsile vna, & metallum nominetur, ſeptem inferiora genera comprehendit, terram, ſuccum concretum, lapidem propriè vocatum, gemmam, marmor, ſaxum, metallum. & vniuſcuiuſque horum ſeptem generum multæ ſunt ſpecies: de quibus alibi. Hæc itaque omnia corpora ſubterranea tam ſicca, quàm humida faciunt primam partem materiæ huius pecuniariæ quæ media eſt inter commutatitiam, & maximè naturalem: ſignificanturque hac voce *quæcunque à terra,* ſubaudi colliguntur, aut eruuntur. Altera pars eiuſdem mate-

Poſterior pars materię huius pecuniariæ quas res contineat, & quib⁹ verbis textus ſignificetur.

riæ ſignificatur verbis proximè ſequentibus: *& ijs, quæ à terra naſcuntur, infructuoſis quidem, veruntamen vtilibus*. Videntur quidem hæc verba propriè deſignare plantas infructuoſas: hæc enim ſunt quæ à terra naſcuntur; ſubintelligenda tamen fortaſſe cum eiuſmodi plantis etiam ſunt animalia, è quibus fructum non capimus ſic, vt cibum præbeant, vel operas ad cibum, ſed alias vitæ commoditates, veſtitus, inſtrumentorum, habitationis. nam ſimilis prorſus ratio eſt vtilitatis ad hanc pecuniariam horum animalium, & illarum plantatum, vt in explanatione iudicauimus. Prima igitur pars huius materiæ continet inanimas ſecunda animatas res, commodas nobis, & opportunas ad alios vitæ vſus, præterquam ad cibatum.

Concluſio de materia bonus pecuniaria, & duabus eius ſummis partibus.

Vt ſylua cædua. Exemplum ſecundæ partis materiæ, continentis ea, quæ à terra naſcuntur, in quibus planè eſt cædua ſylua. Lectio, quam ſequitur D. Thomas, quaſi ſcriptum ſit λατομία, ideſt lapicidina, ſeu excitia lapidum, probari non poteſt. eſſet enim exemplum alterius partis, & τῆς μεταλλευτικῆς.

Lectio, quam ſequitur D. Thomas.

Et omnis metallica ratio, καὶ πᾶσα μεταλλευτική. τὸ μέταλλον, καὶ ἡ μεταλλευτική latiùs patent apud Græcos, quàm apud Latinos metallum, & ratio metallica. Latini enim nomen generis nobiliori, illuſtriorique ſpeciei attribuerunt. At Græcis deriuantur hæc vocabula à verbo μεταλλάω, quod eſt ſcrutor, & inquiro: continentque ea omnia, quæ è terra eruuntur. Quanquam vſurpantur etiam aliquando, & à Latinis auctoribus latiùs pro fodinis, foſsilibusque omnibus in vniuerſum, vt à Plinio; & à Græcis preſsiùs pro metallis, quæ proprijs foſsilibus opponuntur, vt ab Ariſtotele ſub exitu iij. Sublimium. Hic puto fusè accipi metallicam rationem, & rem: optimeque vertiſſe Dion. Lambinum, & P. Victorium: *Ars ſiue ratio fodiens aliquid è terra*, & *ea, quæ è terra eruuntur*. Sed mihi forma vocabuli in præſentia, quàm vis potior fuit: prçſertim quum viderem ſumi quoque hoc vocabulum nonnunquam latiùs ad ea omnia ſignificanda, quæ è terra extrahuntur. Ipſe certè Agricola in Bermanno adhuc fuſius metallica appellari inquit cunctas res, quæ vel metalla ipſa ſunt, vel iuxta metalla reperiuntur, vel, dum in fornacibus illa excoquuntur, fiunt, vel alio aliquo modo ex eiſdem confici poſſunt. Cæterùm res iſtç metallicç, & foſsiles, vel factitię ſunt, vel naturales: & naturales vel è fodinis eruuntur, terræq; viſceribus; vel variè tractãtur, elaboranturq; in alijs & alijs officinis. Sola autẽ ea ratio metallica, quæ eruit, & ſcrutatur, mediæ pecuniariæ eſt pars: reliquæ omnes pertinent ad mercenariã. Quare ſic exponi hæc verba debent, *& omnis ratio metallica*, ideſt omnis, quæ res metallicas inquirit, extrahitque è terra; quod indicat Philoſophus poſtremis verbis, quom ait, *earum, quæ ex terra, rerum metallicarum*.

Vocabula, Metallum, & Metallica ratio preſſè, & latè Latinis, & Græcis.

Verſio.

Rationes, quæ in metallis, foſſilibusque verſantur multę: quarum vna tantũ eſt pars huius pecuniariæ, reliquę ad mercenariam attinent.

Hæc autem multa iam genera comprehendit. Non quod altera pars varia genera nõ contineat: Sed quia hçc continet plura. Multæ enim admodum rerum foſsiliũ, & metallicarum ſpecies ſunt, vt diximus pauloantè, ſtatimque ſubiungit Philoſophus: de quibus omnibus doctè, & disertè Georgius Agricola in ſuis libris de Subterraneis, & de rebus metallicis. Sequitur autem, ſi multę ſunt ſpecies, & naturç rerum metallicarum; multas quoq; eſſe rationes metallicas. nam rationes, & facultates obiectis potiſsimum diſtinguuntur vt ſæpe diximus.

Solutio dubitationis.

Rationes metallicas eſſe multas.

Textus CXVIII.

Fontes cognitionis ad praxin perfectæ ſingularum partium pecuniariæ.

CAPVT XXVI.

Specialis, & perfecta cognitio, ſingularum partium pecuniariæ, quæ hactenus generaliter explicatæ ſunt, vtilis ad quæſtus, vnde, quoq; modo peti debeat, ac vnde minimè, & cur.

Περὶ ἑκάστου δὲ τούτων καθόλου. &c. Tex. CXXVIII. ad CXXXIX.

SCHOLIVM.

VTILIS eſt ad quæſtus, artificiaque, & operas tam domuum, quàm ciuitatum accurata, ac ſpecialis vniuſcuiuſq; iſtarum partium pecuniariæ, quæ hactenus duntaxat propoſitę indicatę'ue ſunt, diſputatio, ac cognitio. Non tamen in præſentia, hiſque in libris tradenda, aut requirenda eſt: nam quum de rebus ciuilibus inſtitutus ſit ſermo; faſtidioſum, importunumque eſſet, diutius in his commorari. Sed aliunde hauriri eam oportet, quaſi ex binis fontibus: primùm, ac principaliter ex certis ſcriptis, quæ multi præclari viri de hiſce partibus artificijſque ediderunt: iterum, & ſecundo loco ex hiſtoria, ideſt ab exemplis ſparſim traditis commentorum, quibus varij homines cenſum, aut priuatum, aut publicum amplificarunt; colligendo de eiuſmodi exemplis præcepta generalia.

Cognitio perfecta, & ſpecialis ſingularum partium pecuniariæ.

Ad quæ vtilis

Non eſt huius loci.

Vnde haurienda, & quomodo.

Nõ eſſe præſentis inſtituti eiuſmodi conſyderationem partium pecuniariæ.	*Differentiæ quadam accidẽtariæ partium pecuniariæ ad operas.*	*Vnde primum petenda ſit eiuſmodi cognitio partium pecuniariæ.*	*Vnde, & qua ratione petẽda ſit ſecundo loco eiuſmodi cognitio partium pecuniariæ.*
Pars p. tex. cxxviij.	*Pars ij. text. cxxix.*	*Pars iij. text. cxxx.*	*Pars iiij. tex. cxxxi.*
*	*	*	*

PARS I. CAPITIS XXVI. TEX. CXXVIII.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXVIII.

Specialis, & perfecta conſyderatio de vnaquaque iſtarum partium pecuniariæ, quæ generaliter expoſitæ ſunt, quum ſit vtilis ad quæſtus, & operas; non eſt huius loci, & quare.

Tex:cxxviij. [a] Περὶ ἑκάστου δὲ τούτων καθόλου μὲν εἴρηται καὶ νῦν. [b] τὸ δὲ κατὰ μέρος ἀκριβολογεῖσθαι, χρήσιμον μὲν πρὸς τὰς ἐργασίας, [c] φορτικὸν δὲ τὸ ἐνδιατρίβειν.

[a] De vnaquaque autem iſtarum in vniuerſum quidem dictum eſt & nunc; [b] particulatim autem exquiſitè conſyderare vtile quidem ad operas, [c] at importunum eſt commorari.

EXPLANATIO.

In communibus, iiſque, quæ propria facta ſunt aliarum artiũ, vagari importunum eſt.

[b] VBI de aliqua certa re ſuſcepta eſt diſputatio; faſtidioſum, importunumq; eſt vagari diutius in ijs, quæ communia ſunt, aut etiam, licet ad propoſitum conducant, propria facta ſunt aliarum artium. In his autem libris inſtituta eſt diſputatio de rebus ciuilibus: atque ob eas de domo, & de re pecuniaria. [c] quocirca importunum, ac præter locum, tempuſque eſſet, conſyderare hic ſingillatim, accuratèque de vnaquaque parte pecuniariæ rationis. [b] Nam quanquam diligens, perfectaque ſingularum partium pecuniariæ, [a] quæ hactenus generaliter propoſitæ ſunt, conſyderatio, & cognitio vtilis eſt ad quæſtus, operaſq; domuum, ac ciuitatum; atque ipſa tandem res pecuniaria, quæ verè, propriéq; dicitur, eſt vna quædam pars tam ciuilis, quàm domeſticę facultatis: [c] illæ tamen eędem pecuniarię partes ſunt factæ proprię aliarum artium, quæ de agris, de pecudibus, de mercatura, & de reliquis eiuſdem modi præcepta tradunt. ſicut etiam res militaris, iuris prudentia, & aliæ quędam, quę ſine controuerſia erant partes facultatis ciuilis, nihilominus alijs artibus ſubijciuntur, quæ illas docent, vel ob diſputationem nimis longam, quàm de ijs neceſſe eſt haberi, vel ob alias cauſas. [b] Sat igitur fuerit partes iſtas hîc ſummatim, & per genera propoſuiſſe.

Rationes quędam, quæ quãdam eſſent partes facultatis ciuilis, aut domeſtica, propria facta ſũt aliarum artium, & cur.

Textus

Textus CXXVIII.

Differentiæ quædam accidentales partium pecuniariæ ad operas.

PARS II. CAPITIS XXVI. TEX. CXXIX.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXIX.

Operarum, & omnino quæſtuum, ac partium pecuniariæ, differentiæ quaternæ in quaternis earum attributis accidentarijs; quorum deinceps poſteriora prioribus hinc deteriora, inde meliora apparent. Sunt hęc attributa artificioſum, ſordidum, ſeruile, degener, & his contraria: definiunturque tum ipſa, tum operæ, quas differentiæ ipſorum diſtinguunt, cauſis, & effectis; cauſis, prima, tertia, quarta; effectis ſecunda.

Text. cxxix. [a] Εἰσὶ δὲ τεχνικώταται μὲν τῶν ἐργασιῶν, ὅπου ἐλάχιστον τύχης: [b] βαναυσόταται δὲ ἐν αἷς τὰ σώματα λωβῶνται μάλιστα: [c] δουλικώταται δὲ, ὅπου τοῦ σώματος πλεῖσται χρήσεις: [d] ἀγεννέσταται δὲ, ὅπου ἐλάχιστον προσδεῖ ἀρετῆς.

[a] Sunt verò operarum maximè artificioſæ, vbi minimum eſt fortunæ: [b] maximè operariæ, ac ſordidæ, in quibus corpora maximè deprauantur: [c] maximè ſeruiles, vbi plurimus eſt vſus corporis: [d] maximè degeneres, vbi minimum requiritur virtutis.

EXPLANATIO.

PARTES textus quatuor pro quaternis differentijs, attributiſque vnde illæ ſumuntur. Sunt quaterna attributa, ſeu quatuor paria attributorum hæc: [a] artificioſum, & arte vacuum: [b] operarium, & ingenuum: *Partes textus. Attributa quędam accidentaria operarum, & partiũ pecuniariæ.*
a. b. [c] ſeruile, & liberale: [d] degener, & generoſum. Hinc quaternæ differentiæ
c. d. operarum, & quæſtuum, imò quater quaternæ: nimirum magis, & minus, maximè, & minimè artificioſum, & arte vacuum, cæteraque eodem modo. Porrhò autem hæc attributa, operæque, quas differentię attributorum diſtinguunt, definiuntur partim cauſis, partim effectis: *Differẽtię operarum, & quęſtuũ ſiue partium pecuniariæ ab illis attributis ductæ.*
a. [a] cauſis, prima, quę ex
c. d. b. fortuna; [c] tertia, quę ex actione corporis; [d] quarta, quę ex virtute: [b] effectis,
a. ſecunda, quæ ex corporis perpeſſione. [a] Sunt igitur magis, aut minus artificioſæ, aut arte vacuę operę, & partes pecuniariæ, in quibus plus, minusúe *Definitiones iſtorũ attributorum, operarũque, & partiũ pecuniariæ, quas differentiæ attributorum diſtinguunt.*
b. fortuna pollet, vel arbitrio eius relinquitur. [b] Sunt magis, aut minus ſordidæ, aut ingenuæ, in quibus corpora magis, minusúe deprauantur, aut

corrigun-

corriguntur, hoc eſt apta, vel inepta fiunt ad actiones virtutum, & cur nõ animi ſimiliter? [c] Sunt magis, & minus ſeruiles, aut liberales, in quibus c.
maior, minorúe eſt vſus corporis, & contrà animi. [d] Sunt magis, aut minus d.
degeneres, aut generoſæ, in quibus plus, minusúe eſt opus virtute. Et ſingula, quæ ſequuntur, proximè antecedẽtibus ab altera parte præſtabiliora ſunt, ab altera deteriora. [d] Pręſtant enim generoſæ operę, parteſq; pecuniariæ, in quibus eſt plus virtutis, vel excellẽtior relucet virtus; [e] liberalibus, d. e.
in quibus maior eſt vſus animi, quàm corporis. Verbi gratia in genere cauponio mercatura, cuius comes eſt quædam prudentia, antecedit fœneratoriæ, quæ multo magis animo vtitur, quàm corpore. Et in genere alimentario agricultura pręfertur pecuarię. in illa iuſtitia, fortitudoque maximè cernuntur: in hac eſt minimus corporis labor, ſi cum illa comparetur, referaturq; vtraque ad vſum animi, & corporis. Similiter, [b] ingenuis, in quibus animi, corporaúe corriguntur, & idonea fiũt ad agendum, pręſtant liberales, in quibus animi, quàm corporis vſus eſt maior. hîc enim pręparamur ad actionem: ibi reipſa agimus. Ob quam cauſam anteponitur pictura fabrili arti: licet ab hac corpus exercitum magis idoneum reddatur ad belli munera. Tandem ingenuæ, corpus, animumúe exercentes, præſtant [a] artificioſis: vt agricultura paſtioni apum; quarum ſummam debere eſſe experientiam Virgilius dixit. [d] E contrario deterrimæ omnium ſunt degeneres, in quibus minimum virtutis, vt aquariorum, ſtabulariorum, & ſimilium, quibus nulla virtute eſt opus, nec corporis, nec animi. [c] Secundum has deteriores ſunt ſeruiles, vt baiulorum, remigum, quorum munia corpore aut ſolùm, aut maximè exercentur. [b] Poſt ſeruiles, operariæ, quibus corpora, animiúe deprauantur, vt ſellularię omnes, & totus ludus talarius. [a] Minimè malæ ſunt, quæ arte vacant, vt olitorum, & vinariorum. b. b. a. d. c. b. a.

Attributa hęc, operę'que, & rationes pecuniariæ exijs differẽtes, quæ poſteriora ſũt, ſunt prioribus ab altera parte præſtabiliora, ab altera deteriora.

Generoſæ facultates, & opera præſtãt liberalibus.

Liberales præſtãt ingenuis.

Ingenua præſtant artificioſis.

Degeneres omnium deterrima.

Seruiles deterrima ſecundũ degeneres.

Operaria deteriores inartificioſis.

Inartificioſa minimè malę.

S C H O L I A.

Dubitationes duæ de his, quę in hoc textu traduntur.

Operarum, & partiũ pecuniarię differẽtia multa, tũ accidentaria, tum eſſentiales.

Diuiſio artificiorũ, & quæſtuum ex Cicerone.

Comparatio illius diuiſionis M. Tullij & i ea, quæ hoc loco traditur.

[f] *Sunt verò operarum &c.* Quærendum eſt, quorſum tandem hæc ſpectet oratio, atque differentiarum in operis, partibusque pecuniariæ expoſitio: cur etiam has tantùm differentias enumeret, non alias, quæ multæ ſunt præter iſtas; nec ſolùm his ſimiles, accidentariæ, vt à iuſtitia, ab iniuſtitia, ab amore, ab odio, à laude, à vituperatione, ſuprà in textu, & commentatio 117. propoſitæ; verum etiam eſſentiales; ex quibus eſſentialibus differentijs dicuntur operæ, & pecuniariæ ſecundum naturam, præter naturã, mediæ, domeſticæ, alimentariæ, cauponiæ, agrorum colendorum, paſtionum ruralium, paſtionum villaticarum, & cæteræ, quæ antè traditæ ac diſtinctæ ſunt obiectis, actionibus, cauſis reſpectu quæſtus, & vſuum humanæ vitæ. Cicero in primo officiorum artificia, & quæſtus diſtribuit primùm in liberales, & illiberales. Liberales ſeu honeſti ſunt, inquit, in quibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris vtilitas quęritur: vt in primis agricultura, medicina, architectura, doctrina rerum honeſtarum. Illiberales autem vel turpes, vel ſordidi, vel odioſi. Odioſi ſunt portitorum, & fœneratorum, & ſimiles. Sordidi mercenariorum omnium, quorum operæ, nõ quorum artes emuntur; item eorum, qui mercantur à mercatoribus quod ſtatim vendant, hos Græci παλιγκαπήλους, Alciatus venaliciarios appellat; item cætariorum, laniorum, coquorum, fartorum, piſcatorum. Mercatura media eſt: nam ſi eſt tenuis, ſordida; ſi magna & copioſa, non admodum vituperanda; quin etiam laudanda, ſi ſe ex portu in agros, poſſeſsionesque contulerit. Turpes ſunt vnguentarij, ſaltatores, totusque ludus talarius. Illa Ciceronis diuiſio ſimilis eſt huic, quæ hoc in loco traditur. nã nec eſſentiales differentias comprehendit, nec oẽs accidẽtarias, earũ verò quas cõprehendit, quędã eędẽ ſunt, quędã

diuerſæ

diuerſæ ab his, quæ hic recenſentur. Multũ autẽ intereſt vtrũ artes, ac ſtudia hominũ ſimpliciter, & per ſe diuidamus, vt facultates quędã ſunt; an cõiunctè vt dirigũtur ad quęſtũ, fiuntq; partes pecuniarię. Primo modo nõ tot apparent differentiæ earũ accidẽtales. nulla enim iniuſta eſt, nulla odioſa, aut turpis: imò quà peritiæ, & cognitiones, omnes bonę ſunt, & laudabiles, vt diximus ſub initiũ primi de Anima. Differẽtias autẽ eſſentiales adhuc plures reperies, hoc primo modo diuidẽdo, quàm ſecundo: quippe diſtinguuntur generaliter cauſis, obiectis, actionibus, non reſtrictis, mancipatisque ad lucrum faciendum. quo quidem nexu coguntur ſexcentæ in vnam formam mercenariæ. Sed de diuiſione artium, & ſtudiorum noſtrorum per ſe, vt ſunt abſolutè facultates, & habitus animi, dicendum in principio ſexti Diuinorum.

Artes & ſtudia humana diuidi poſſunt vel ſimpliciter, & per ſe vt facultates quadam; vel coniunctè vt diriguntur ad quaſtum.

Differentia artium, & ſtudiorum noſtrorum quom ſimpliciter diuiduntur, accidentales pauciores, eſſentiales plures, quã quom diuidũtur coniunctè ad quaſtum.

Maximè artificioſæ, vbi minimum eſt fortunæ. Nam caſus arti aduerſatur, inquit Petrus Victorius cum D. Thoma conſentiens, & aliquando euentum ipſius conatumque deprauat: itaque pleniſsimæ artificij ſunt, in quibus minimam poteſtatem habet fortuna. At ſi hoc eſt, contrarium affirmari debuerat. tanto enim magis ars contra fortunam armatur machinamentis, & præceptis, in quibus conſiſtit artificioſum, vt apparet in medicina, & in gubernatoria facultate. Vel igitur ſic exponendum eſt: vbi minimum, quoad fieri poteſt, relinquitur fortunæ arbitrio. Vel cum tot illis præceptis, & machinamentis, ſuperante etiam artem fortuna in adeptione finis, artificioſæ eius operę minus animaduertuntur. Vel hoc, quod dicitur, longè diſtat ab artificio Ariſtotelis. Conſyderandum etiam an artificioſum hic peiorem in partem ſit accipiendum; eique opponendum naturale: quod in pecuniarijs maximè præſtat.

Expoſitio P. Victorij et D. Thoma.

Improbatio.

Conſyderatio nes propria.

In quibus corpora maximè deprauantur. Alij, *fœdantur, & inquinantur*: P. Victorius; *deprauantur*; quæ interpretatio eſt melior, non ſolum ex vi vocabuli, ſed multo magis ex ijs, quæ in eandem ſententiam propè initium viij. horum librorum ſcribuntur.

Artificioſum hic fortè vſurpatur in malam partem.

Verſio.

Textus CXXVIII.

Vnde primum petenda cognitio perfecta ſingularum partium pecuniariæ ad praxin.

PARS III. CAPITIS XXVI. TEX. CXXX.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXX.

Cognitio perfecta, & ſpecialis ſingularum partium pecuniariæ, antè generaliter propoſitarum petenda eſt primùm ex certis ſcriptis, quæ de illis multi, alij ſcilicet de alijs compoſuerunt.

[a] Ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἐνίοις γεγραμμένα περὶ τούτων, [b] οἷον Χάρητι δὴ τῷ Παρίῳ, καὶ Ἀπολλοδώρῳ τῷ Λημνίῳ περὶ γεωργίας καὶ ψιλῆς, καὶ πεφυτευμένης, [c] ὁμοίως δὲ καὶ ἄλλοις περὶ ἄλλων ταῦτα μὲν ἐκ τούτων θεωρείτω, ὅτῳ ἐπιμελές.

[a] Quoniam autem à quibuſdam ſcripta ſunt de his, [b] vt à Charete ſanè Pario, & ab Apollodoro Lemnio de agricultura, & nuda, & arboribus conſita, [c] ſimiliter autem & ab alijs de alijs; [d] hæc quidem ex ijs contempletur, cui curæ ſunt.

b. & nuda, et arboribus cõſita. idem ſupra in text. 121.

EXPLANATIO.

Scripſerunt multi de ſingulis partib. pecuniariæ.

[a] Mvlti, & viri quidem præclari, de his partibus pecuniariæ, quæ ſuprà expoſitæ ſunt, non omnes quidem de omnibus, [c] ſed de alijs alij libros, & artes conſcripſerunt. [d] ex quibus libris haurire affatim, quiſquis hæc curę habet, ſingularum earum partium ſpecialem, ac perfectam cognitionem poteſt. Ante omnes illa, cui οἰκειοτάτην nomen fecit Philoſophus, & pluribus, & grauioribus, & doctioribus, & eloquentioribus auctoribus fulget, nec ſolùm in gręca lingua, verùm etiam in punica, & in latina: quorum auctorum magnumq́; numerum citat Columella in cap. primo primi libri. [b] Et huius οἰκειοτάτης, id eſt rei ruſticæ ſecundam partem ipſam agriculturam, in duo primùm genera diſtributam, quę ſunt nudorum, & arboribus conſitorum agrorum cultus, tractarunt propriè inter alios Chares Parius, & Apollodorus Lemnius.

Rei ruſticæ ſcriptores.

Scriptores agriculturæ.

Text.

Text. cxxviii.

Vnde & qua ratione petenda ſit ſecundo loco cognitio perfecta ſingularum partium pecuniariæ ad praxin.

PARS QVARTA CAPITIS XXVI.

Specialis, & perfecta cognitio ſingularum partium pecuniariæ ſecundo loco petenda eſt ex hiſtoria, colligendo exempla ſparſim tradita inuentorum, quibus varij homines rem auxerũt, efficiendoq́ de illis præcepta generalia: quod quidem duobus diuerſis exemplis, vnũ præceptum continentibus, declaratur.

Ἔτι δὲ καὶ τὰ λεγόμενα σποράδην &c. Text. cxxxi. ad cxxxix.

SCHOLIVM.

NON ſolùm libros, & ſcripta varia propriè de his partibus condita legere, & excutere diligenter debent, qui perſpectas illas, planèq́; cognitas habere cupiunt: verum etiam colligere exempla, & commenta omnia ſparſim literis tradita, quibus ingenioſi, ac prudentes cùm patres familiàs, tum principes ciuitatum, hi publicam, illi priuatam rem auxerunt; efficereq́ue de eiuſmodi exemplis præcepta generalia, cõtemplando in illis ſingularibus factis, ac commentis id, quod commune eſt, & vniuerſale. Declarat modum hunc excerpendi ex factis ſingularibus præcepta generalia Philoſophus productis in medium duobus exemplis. Quorum vnum eſt factum Thaletis Mileſij, à quo conducta ſunt pretio in certum tempus omnia torcularia olearia, quę Mileti, & Chij erant. Alterum exemplum eſt factum cuiuſdam hominis ignoti, qui in Sicilia, quicquid ferri fuit in officinis, coemit. Et in vtroque exemplo hoc eſt commune:

Ex commentis ſparſim traditis, quibus varij homines rẽ auxerũt, petẽda eſt ſecũdo loco cognitio perfecta partium pecuniariæ, et quomodo.

Modus colligẽdi ex ſingularibus factis præcepta vniuerſalia. Exempla duo eiuſmodi commẽtorum, quæ Philoſophus, afferet.

Quid cõmune vtrique illorũ exemplorũ, q́d quidẽ eſt præceptũ vniuerſale.

Quid ſint hęc facta et exempla, de quibus in hac parte loquitur Philoſophus.

Liber ſecũdus Oeconomicorum.

Aliquem ſibi ſoli venditionem alicuius rei moliri. Sunt porrho hæc facta, & exempla, quæ hìc narrantur à Philoſopho, nihil aliud ad extremum, niſi technæ quædam, & machinamenta, quibus verſutiores, iniuſtioresque homines ſimplicioribus, imperitioribusque imponere ſolent. Eiuſmodi machinamentorum plenus eſt liber, qui in Græcis exemplaribus ij. Oeconomicorum Ariſtotelis inſcribitur.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXI.

Propoſitio: colligenda eſſe ad perfectam cognitionem ſingularum partium pecuniariæ commenta, & rationes ſparſim traditas, quibus varij homines, lucro intenti, rem auxerunt. Locus à fine.

Text. cxxxj. [a] Ἔτι δὲ καὶ τὰ λεγόμενα σποράδην, δι᾽ ὧν ἐπιτετυχήκασιν ἔνιοι χρηματιζόμενοι, δεῖ συλλέγειν. [b] πάντα γὰρ ὠφέλιμα ταῦτ᾽ ἐστὶ τοῖς τιμῶσι τὴν χρηματιστικήν.

[a] Adhuc autem & quæ dicta ſunt ſparſim, quibus aliqui, rem quærentes, propoſitũ ſunt aſſequuti, colligere oportet: [b] ſunt enim vtilia omnia hæc magnifacientibus pecuniariam.

EXPLANATIO.

Ratio theorematis per locum à fine.

Theorema.

Partes textus.

[b] Noſſe rationes, & machinamenta ſparſim tradita, quibus alij, atq; alij homines rem amplificauerunt, vtile eſt magnifacientibus pecuniariam, & quęſtui deditis: continentur enim in illis machinamentis præcepta generalia, quemadmodum poſtea apparebit. b. [a] Ergo colligere illa oportet ad perfectam pecuniarię, ſingularumq; eius partium cognitionem. a.

Textus habet duas partes. In prima eſt theorema. In ſecunda eſt ratio theorematis per locum à fine, ſeu ab vtilitate.

Textus cxxxii. cxxxiii. cxxxiiii. cxxxv.

Exemplum primum cuiuſdam machinationis Thaletis, qua locationem omnium torcularium olearium Mileti, & Chij ſibi propriam quum effeciſſet, magnam vim pecuniarum coegit.

Οἷον καὶ τὸ Θάλεω &c.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXII.

In machinatione proximè exponenda, quæ Thaleti ob eius ſapientiam attribuitur, contineri rationem quandam vniuerſalem faciendi quæſtus.

Tex.cxxxij. [a] Οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ μιλησίου. [b] τοῦτο γάρ ἐστι κατανόημά τι χρηματιστικόν: [c] ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν διὰ τὴν σοφίαν προσάπτουσι: [d] τυγχάνει δὲ καθόλου τι ὄν.

[a] Quale eſt & illud Thaletis Mileſij. [b] hoc enim eſt cogitatum quoddam pecuniarium: [c] ſed illi quidem attribuunt propter ſapientiam: [d] eſt autem quiddam vniuerſale.

EXPLANATIO.

COLLIGENDA ſunt facta, & machinamēta ſparſim tradita, quibus varij homines rem auxerunt. vtilis nanque eſt conſyderatio eiuſmodi machinamentorum ijs, qui pecuniariā in pretio habent, & quæſtui dediti ſunt: proptereaquòd in illis contineātur rationes quædā vniuerſales cōficiēdæ pecuniæ. *Series.*
a. [a] Eiuſmodi eſt quod proditū eſt literis Thaletem Mileſium
b. effeciſſe. [b] In quo quidem facto cernitur præceptum pecuniarię diſci-
d. plinę, [d] & ratio ingenioſa, vniuerſaliſq; pecuniæ cogendæ. Hanc rationem, quia eſt vniuerſalis, certum eſt, multos alios ſequutos aut idem,
c. quod Thales Mileſius, aut ſimile prorſus inſtituiſſe. [c] ſed tamen inuentum attribuitur Thaleti, libentiuſq; de illo prędicatur ob magnum eius ſapientiæ nomen: quaſi ſagax, callidumq; conſilium proficiſci, niſi à ſapienti viro, non queat. *Factum Thaletis attributū eſt ex genere huiuſmodi machinamētorū. Hoc inuentū cur Thaleti attributū, quum rationem eius vniuerſalem multi ſeq potuerint.*

SCHOLIA.

Quale eſt & illud &c. Copulari hoc poteſt vel cum verbo colligere, vel cum nomine vtilia textus proximè antecedentis. Et vtroq; modo vera exiſtet ſententia. nam & ex numero colligēdorum eſt hoc factum Thaletis: & vtilis eius animaduerſio hominibus quæſtui deditis. Cur autem vtrunque, cauſa ineſt in verbis ſequentibus. *Syntaxis verborum.*

Thaletis Mileſii. Parens Ionicæ philoſophiæ hic fuit, & à quibuſdam inter ſeptem ſapientes numeratus, Phœnix origine, Mileti autem ciuis adſcriptus. de quo plura apud Laertium. *Thales Mileſius.*

Sed illi quidem attribuunt propter ſapientiam. Tribus modis exponi hæc pars poteſt. Vno modo cum D.Thoma: Contineri in hoc facto Thaletis tū rationem quandam cogendæ pecuniæ; tum argumentum ſapientiæ, quia futurā olearum vbertatem ille præuiderit: celebrari igitur hoc, attribuiq; Thaleti, non quà inuentū idoneum ad pecuniām cogendā, & quà argumentum eſſe poteſt cupiditatis pecuniarum, ſed quà eſt argumentum ſapientiæ. Secunda expoſitio eſt: Verè Thalerem hoc non feciſſe, quod narratur; ſed, quum alij quidā fecerint, Thaleti attributum propter eius ſapientiam. Hanc expoſitionem non probat P.Victorius, & rectè quidem non probat: multi enim teſtificantur hoc factum fuiſſe à Thalete. Tertia expoſitio propria P.Victorij: Quanquam etiam ab alijs multa eiuſdem modi ſunt excogitata; tamen iſtud Thaletis penè ſolùm celebrari ob hominis dignitatem. Et huic expoſitioni videtur aduerſari, quod narrabitur paulo poſt de homine illo adeò ignobili, vt nomen eius neſciatur, qui in Sicilia ferrum vniuerſum coemit. Nos mediam quandam ſententiam inter hanc tertiam & primam ſequuti ſumus. *Expoſitiones huiꝰ loci multa. Vna D. Thoma. Altera, quam P. Victorius improbat. Tertia P. Victorij. Contrahunt tertiam expoſitionem. Quarta expoſitio propria.*

ARGVMENTVM. TEXT: CXXXIII.

Exponitur factum ipſum Thaletis; & cauſa, cur fecerit; & modus, quo fecerit cum omnibus circunſtantiis.

Tex.cxxxiij. ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν πενίαν, ὡς ἀνωφελοῦς τῆς φιλοσοφίας οὔσης· κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄντος, εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων, ἀῤῥαβῶνας διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργίων, τῶν τ' ἐν μιλήτῳ, καὶ χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον, ἅτ' οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητουμένων ἅμα καὶ ἐξαίφνης, ἐκμισθοῦντα ὃν τρόπον ἐβούλετο, πολλὰ χρήματα συλλέξαντα, ἐπιδεῖξαι ὅτι ῥᾴδιον ἐστὶ πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις, ἂν βούλωνται, ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστὶ, περὶ ὃ σπουδάζουσι.

Nam quum opprobrijs eum inceſſerent ob paupertatem, tanquam inutilis eſſet Philoſophia; aiunt ipſum, cognita olearum vbertate futura, per aſtrologiam, adhuc hyeme, nactum facultatem pauxillæ pecuniæ, arrhabonas dediſſe omnium oleariorum torcularium, quæ & Mileti & Chij erant, conductis illis exiguo pretio, quippe nemine adijciente; vbi autem tempus venit, multis quærentibus ſimul, & repente, locantem, quo modo voluit, magna pecunia coacta demonſtraſſe, facile eſſe Philoſophis, ſi vellent, diteſcere, ſed nõ hoc eſſe, in quod ſtudeant.

EXPLANATIO.

Factum Thaletis. FACTVM eſt: comparaſſe Thaletem ſibi ſoli facultatem locandi torcularia olearia Chij, & Mileti eo tempore, quo premendæ erãt oliuæ multæ; atque inde magnam pecuniarum vim coegiſſe. *Cauſa.* Cauſa: vt redargueret accuſatores philoſophiæ, obijcientes ei paupertatem, inutilitatemque ſtudij; ac reipſa oſtenderet, poſſe philoſophos, ſi velint, nullo negotio diuites fieri, ſed aliò ſpectare. *Modus.* Modus: quoniam ex aſtrorum ſcientia pręuidit futuram olearum vbertatem; & adhuc hyeme datis arrhabonibus conduxit omnia torcularia olearia, quæ Mileti, & Chij erant, paruo pretio, vtpote quia maius nemo offerret; locauit autẽ ſuo tempore quanti voluit, multis ſubito, & ſimul quærentibus. Quæ omnia in textu perſpicua ſunt.

SCHOLIA.

Philoſophia malè accuſatur inutilitatis. *Quum opprobrijs eum inceſſerent ob paupertatem &c.* Noſtris temporibus multo plures ſunt, qui philoſophiam inſimulent inutilitatis, nec ſolùm ad rem pecuniariam, verum etiam ad conuentus, & ſocietates omnes humanas. Fortaſſe rectè in philoſophos: quandò nemo nunc eſt, qui, par Thaleti, factis verba refellat; non tamen in philoſophiam, de cuius laudibus poſt Platonem nihil dicam. *Paupertas nõ eſt malũ, quinimò bonũ eſt, & maximum bonum.* At, quod attinet ad paupertatem, Stoici dicerent malum non eſſe; negligique hac de cauſa à philoſophis aliò properantibus: Theologi noſtri non ſolum non eſſe malum, ſed bonum, & magnum bonum, quod nos arceat diuellatque à malis. Verùm de his aliàs copioſiùs.

Adhuc

Adhuc hyeme. Cognouit'ne adhuc hyeme, an arrhabonas dedit adhuc hyeme? Hoc ſecundum potius: vel vtrunque.

Syntaxis verborum.

Omnium oleariorum torcularium. Non oleæ emptionem Thales fecit in agro Mileſio, & in Chio antequam florere cœpiſſet, vt perperam vertit Leonardus Aretinus, & exponit D. Thomas Ciceronem ſequuti, qui in pri. lib. de Dininatione ita factum hoc narrat: ſed condnxit omnia torcularia, & inſtrumenta quibus oleum conficitur, ſiue oleatias officinas omnes in quibus eſſent trapeta & prælia ad confringendas oliuas, oleumque exprimendum. Confirmant hãc interpretationẽ cùm nomen ἐλαιουργιῶν, tnm participia μισθωσάμενον, καὶ ἐκμισθοῦντα, tum prætetea, referente Diogene Laertio in vita Thaletis, auctoritas Hieronymi Rhodij. Plinius in eap. 28. lib. xviij. factnm hoc Democrito tribuit, qui prænifa olei earitate ex futuro vergiliarnm ortu, magna tum vilitate propter ſpem oliuæ coemiſſe in toto tractu eſſe oleum. Hæc omnia ex Io. Geneſio, quem ſequitur P. Victorius. Ioannis Geneſij viri docti, & eruditi, qui præter alia eximia ingenij ſui monimenta, vertit hos libros politicos in latinam lingnam, præclariſque illuſtrauit gloſſematis, hactenns non memini, proptereaquòd eius commentarios, diu à me quæſitos, innenire non potni, quorum tandem hoc tempore, quum ſuperiora typis impreſſa eſſent, copiam mihi fecit Ioannes Baronus vir Romanæ eloquentiæ in primis, omniſque diuini, atque humani iuris conſultiſſimus.

Non oleas emit, ſed torcularia olearia cõduxit Thales.

Democrito attribuitur hoc factum à Plinio.

Mileti, & Chij. Miletus vrbs Cariæ long. 58. lat. 37. Chius inſula & vrbs in Icario pelago long. 56. 20. latit. 38, 25. commemorantur à Ptolemæo in prima Aſiæ tabula.

Miletus, & Chius.

Nemine adijciente. Ideſt quum nemo pretium augeret, nec plus liceretur.

Expoſitio verborum.

Sed non hoc eſſe, in quod ſtudeant. Student autem in id, quod amant: & amant ſapientiam, vt nomen eorum oſtendit: præ qua & diuitias, & voluptates, & reliquas res humanas contemnunt.

Philoſophorũ ſtudium, & cura.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXIV.

Repetitur, & explicatur id, quod in textu 132. tangebatur: nempe in facto Thaletis proximè expoſito, quo ille ſapientiæ vim demõſtrauit, contineri præceptum quoddam, & rationem vniuerſalem pecuniariæ, quæ ſit huiuſmodi; ſi quis ſibi ſoli facultatem vendendi aliquid paret.

Tex. cxxxiv. [a] Θαλῆς μὲν οὖν λέγεται τοῦτον τὸν τρόπον ἐπίδειξιν ποιήσασθαι τῆς σοφίας. [b] ἔστι δ', ὥσπερ εἴπομεν, καθόλου τὸ τοιοῦτον χρηματιστικόν, ἐάν τις δύνηται μονοπωλίαν αὑτῷ κατασκευάζειν.

[a] Thalen quidem igitur narrant ad hunc modum ſapientiæ documentum dediſſe. [b] eſt autem, quemadmodum diximus, hoc vniuerſale pecuniarium; ſi quis poſſit monopolium, *ideſt vt ſolus facultatem vendendi habeat*, parare ſibi.

EXPLANATIO.

Textvs habet duas partes. In prima ponitur quaſi concluſio textus proximè antecedentis. In ſecunda repetitur, & explicatur id, quod diximus.

Partes textus.

SCHOLIA.

Vniuerſale pecuniarium.

Eſt autem hoc vniuerſale pecuniarium. Ideſt præceptum, & regula, & ratio vniuerſalis facultatis pecuniariæ, ac quæſtus faciendi. Conſydera autem pronomen τὸ τοιοῦτον cui articulus adiungitur, qui articulus ſolet ſemper eſſe nota ſubiecti in propoſitione: quaſi ſic dicas: hoc, ſiue huiuſmodi factum Thaletis eſt vniuerſale pecuniarium, ideſt continet rationem quandam vniuerſalem, & præceptum pecuniariæ facultatis, vt dicebatur in textu 132. quod quidem præceptum quale ſit, ſequentibus verbis docemur, *ſi quis poſſit monopolium &c.* Ex hoc loco eruere modum poſſumus quo è ſingulis rebus, actionibuſque ad quanuis artem, & facultatem præcepta generalia, virtuteſque, & vitia, & ſocietatum, conuentuumque iura colligamus. Eſt autem modus talis: ſi conditionibus, & circunſtantiis propriis detractis, quæ communia ſunt retineantur.

Modus colligendi è ſingulis rebus, actionibuſque præcepta generalia.

Monopolia legibus prohibentur.

Si quis poſſit monopolium parare ſibi. Extat in Codice Iuſtiniani titulus de Monopoliis, de quibus multa Iuriſconſulti docentes legibus tam diuinis, quàm humanis vetita eſſe vt iniuſta, & nefaria. Sed quod priuatis interdicitur tanquã iniuſtum, arripiunt iuſtitiæ præſides, & rectores ciuitatum, exercentque adeò palam, & ſine vllo pudore, vt idipſum, quod iniuſtum eſt, ſi ad nomen, officiumque eorum reſpicias, iuſtum eſſe dicere cogaris.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXV.

Appendix de ciuitatibus in tenuitate ærarij monopolia inſtituentibus: qua appendice confirmatur præceptum proximè expoſitum.

Tex: CXXXV. [a] Διὸ καὶ τῶν πόλεων ἔνιαι τοῦτον ποιοῦνται τὸν πόρον, ὅταν ἀπορῶσι χρημάτων: [b] μονοπωλίαν γὰρ τῶν ὠνίων ποιοῦσιν.

[a] Quapropter etiam ciuitatum nonnullæ hunc quæſtum moliuntur, quom egent pecunijs: [b] monopolium enim inſtituunt rerum venalium.

EXPLANATIO.

Ciuitates quã dã monopolia inſtituunt.

Cauſa inſtituendi monopolia.

QVONIAM igitur ratio quædam vniuerſalis pecuniæ, & rei quærendæ hæc eſt, ſi quis propriam ſibi venditionem rerũ aliquarum faciat; non ſolùm priuati, verumetiam ciuitates nonnullæ ea vtuntur, inſtituentes monopolia rerum vendendarum. Hoc autem faciebant antiquo ſeculo tunc ſolùm, quom pecunijs reſpublica eguiſſet, & duris tantùm in rebus ad communem omnium vtilitatem, exhauſto ærario aſſiduitate bellorum, aut aliqua alia calamitate. At noſtris temporibus non inopia, ſed copia, vnde amor ſceleratus habendi maiores in dies accipit vires, hoc impio lucro ciues expilat, cunctorumque ſanguinem exhaurit.

Textus cxxxvi. & cxxxvii.

Exemplum ſecundum alterius machinationis, ſimilis machinationi Thaletis; qua quidam in Sicilia, venditionem ferri ad tempus ſibi propriam faciens, pecunias in illud inſumptas conduplicauit.

Ἐν Σικελίᾳ δέ τις &c. Text. cxxxvi. & cxxxvii.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXVI.

Expoſitio facti, & modi huius ſecundæ machinationis.

Tex.cxxxvj. [a] Ἐν Σικελίᾳ δέ τις τεθέντος παρ' αὐτῷ νομίσματος, συνεπρίατο πάντα τὸν σίδηρον ἐκ τῶν σιδηρείων· [b] μετὰ δὲ ταῦτα ὡς ἀφίκοντο ἐκ τῶν ἐμπορίων οἱ ἔμποροι, ἐπώλει μόνος, οὐ πολλὴν ποιήσας ὑπερβολὴν τῆς τιμῆς, ἀλλ' ὅμως ἐπὶ τοῖς πεντήκοντα ταλάντοις ἐπέλαβεν ἑκατόν.

[a] In Sicilia autem quidam, quum depoſiti apud eum numi forent, omne ferrum ex ferrarijs coemit: [b] poſtea verò, vt è mercatibus aduenerunt mercatores, ſolus vendebat, non multa acceſſione pretij facta, ſed tamen pro quinquaginta talentis recepit centum.

S C H O L I A.

Quum depoſiti apud eum numi forent. Non eius numi erãt, ſed amicorum, qui apud eum illos depoſuerant. Similiter quoque intelligendũ fortè eſt id, quod dicebatur de Thalete in textu 133. nactum eum facultatem pauxillæ pecuniæ, hoc eſt ab amicis mutuò ſumpſiſſe. *Conſyderatio verborum.*

Ex ferrarijs. Vel fodinis, ſi rude erat ferrum: vel officinis, ſi elaboratum. *Expoſitio duplex.*

Non multá acceſſione pretij facta &c. Quo modo hæc duo non repugnent, pretium ferri parum auctum, & pecuniam conduplicatam eſſe, pulchrè declarat P. Victorius infrà ſuper tex: 138. *Tollitur dubitatio.*

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXVII.

Decretum Dionyſij in auctorem machinationis proximè expoſita, & cauſa decreti: quibus confirmatur adeſſe in ea machinatione præceptum, & rationem quandam generalem conficiendæ pecuniæ.

Tex:cxxxvij. [a] τοῦτο μὲν οὖν ὁ Διονύσιος αἰσθόμενος, τὰ μὲν χρήματα ἐκέλευσεν ἐκκομίσασθαι, [b] μὴ μέντοι γ' ἔτι μένειν ἐν Συρακούσαις, [c] ὡς πόρους εὑρίσκοντα τοῖς αὐτοῦ πράγμασιν ἀσυμφόρους.

c. Illicitos, quos ex monopolijs priuati capiunt, rebus tyrannorum incōmodos eſſe.* [a] Hunc igitur, Dionyſius ſentiens, pecunias quidem exportare ſiuit, [b] non tamen vltrà manere Syracuſis, [c] ceu *quæſtus inuenientem ſuis rebus incommodos. ** πόρους, vias faciendæ pecuniæ.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

Decretū Dionyſii. *Cauſa decreti.* *Duplex expoſitio, huius cauſæ.*

Decretvm duas habuit partes: [a] vnam, vt pecunias acquiſitas ille haberet ſibi: [b] alteram, ne amplius commoraretur Syracuſis. [c] Cauſa decreti, quòd putaret Dionyſius ſuis rebus incommodum, & damnoſum fore, ſi priuati inuenirent, vterenturq́; eiuſmodi vijs, ac rationibus quęrendæ pecuniæ, cuiuſmodi homo ille inuenerat. Quare autem ſuis rebus incōmodum & damnoſum? An, vt D. Thomas ait, quia diſpliceat tyrannis, ciues ſuos valde diteſcere, quod ſcribitur in poſterioribus horum librorum. *In cap. 11. lib. 5.* An potius, vt P. Victorius, quoniam tales vias, & rationes Dionyſius ſibi reſeruari cupiebat, nec præripere alium pecunias, quas ipſe erat interuerſurus. Hac igitur de cauſa, [a] & expulit hominē Syracuſis, [c] ne vtilitati officeret ſuæ, parandarū pecuniarū vias, ipſasq́; pecunias, animo ſibi deſtinatas, præripiēs: [b] &, quod partum erat argenti, reliquit; ne, ſi abſtuliſſet, iniuſtè partum videretur: quæ opinio etiam ipſi fuiſſet nocitura, ſimilibus modis ærarium locupletare cogitanti. Ergo & Dionyſio, & homini huic ignoto, & Thaleti fuit perſuaſum, rationem certam conficiendæ pecunię hanc eſſe, ſi quis vendendæ alicuius rei facultatem ſolus habeat.

Partes textus. Partes textus duæ. Prima (a b) decretum. Secunda (c) cauſa decreti exponit.

ARGVMENTVM. TEXT. CXXXVIII.

In vtraque machinatione, & hac iſtius hominis ignoti, & illa Thaletis, ineſſe communem rationem, idemque præceptum rei pecuniariæ, ſi quis ſibi monopolium inſtituat.

T. cxxxviij. [a] τὸ μέντοι ὅραμα Θάλεω, καὶ τοῦτο ταυτόν ἐστι: [b] ἀμφότεροι γὰρ ἑαυτοῖς ἐτέχνασαν γίνεσθαι μονοπωλίαν.

[a] Quod igitur ſpectauit Thales, & hoc idem eſt: [b] ambo enim machinati ſunt vt ſibi monopolium compararetur.

EXPLANATIO.

Præceptū hoc generale ter repetitum. De hoc generali præcepto bis ſuprà admonuit in exemplo Thaletis, tex. 132. & 134. tertiò hîc repetit, nec iniuria: vt conſyderantibus conſilium Philoſophi, de quo initio diximus, liquebit.

Partes textus. Textus habet duas partes. Prima proponit rationem, & animaduerſionem vtriuſque eandem fuiſſe. Secunda declarat, quænam hæc fuerit.

Text.

Textus CXVIII.

Vtilitas ex perfecta cognitione ſingularum partium pecuniariæ ad praxin quàm ampla.

CAPVT XXVII. T. CXXXIX.

ARGVMENTVM TEXT. CXXXIX.

Etiam ciuili rationi, ciuitatumque moderatoribus, imò magis adhuc, quàm rationi domeſticæ, & œconomis, vtilem eſſe ad praxin cognitionem perfectam ſingularum partium pecuniariæ, & præceptorum, quæ ad eas pertinent. Loci duo: vnus à connexo ſubiecti hoc eſt ab indigentia ciuitatum, quæ eſt cauſa formalis vtilitatis: alter à iudicio eorum, qui reſpublicas adminiſtrant; quorum quidam in hæc tantummodo incumbunt.

Tex.cxxxix. [a] χρήσιμον δὲ γνωρίζειν ταῦτα καὶ τοῖς πολιτικοῖς· [b] πολλαῖς γὰρ πόλεσι δεῖ χρηματισμοῦ, καὶ τοιούτων πόρων, ὥσπερ οἰκίᾳ. μᾶλλον δέ· [c] διόπερ τινὲς καὶ πολιτεύονται τῶν πολιτευομένων ταῦτα μόνον.

[a] Vtile autem cognoſcere hæc etiam ciuitatum moderatoribus. [b] multis enim ciuitatibus opus eſt pecuniæ coactione, & huiuſmodi * quęſtibus, quemadmodum domui, magis autem: [c] quamobrem & quidā eorum, qui reſpublicas adminiſtrant, hæc adminiſtrant ſolùm.

* πόρων, vijs eius facienda.

EXPLANATIO.

SAEPENVMERO dictum eſt ſuprà, pecuniariam facultatem eſſe quandam partem tam domeſticæ, quàm ciuilis diſciplinæ. Cum quo dicto cōſentit theorema hoc, quod nunc traditur: vtilem eſſe etiam ciuili rationi, ac ciuitatum gubernatoribus, imò magis, quàm rationi domeſticæ, & gubernatoribus domuum, perfectam notitiam rerum, quæ hactenus propoſitæ ſunt, ideſt ſingularum partium pecuniarię, & præceptorum ad eas pertinētium. Confirmatur hoc theorema duobus

Theorema huius textus.

Primum arg. ex cõnexo ſubiecti.
Indigentia eſt cauſa formalis vtilitatis.

argumentis: quorum primum ducitur à connexo ſubiecti, hoc eſt ab indigentia ciuitatum, quæ indigentia in quouis genere eſt cauſa formalis vtilitatis. omnia enim, quæ vtilia ſunt, ideo ſunt vtilia, quia indigẽtiam aliquam explent. quemadmodum autem domus, ſic ciuitates multæ pecunijs, & modis earum conficiendarũ egent: quinimò tantò magis, quàm domus; quãtò latiùs patent & ſubiecta, & fines, & munera ipſarum. Multas autem dixit Philoſophus, non omnes, quia poſſet fortaſſe aliqua ciuitas vſque eò prouentibus publicis abundare, aut extendiſſe imperium, velut Roma olim, quom orbi dominabatur, vt minimè ei opus eſſet machinamentis, accuratis'ue animaduerſionibus ad pecunias congregandas.

Cur multas dicat Philoſophus non oẽs.

Secunda arg. ex iudicio eorum, qui regũt ciuitates.

Secundum argumentum ducitur à iudicio eorum, qui regunt ciuitates, & reſpublicas moderantur: quorum nemo hanc negligit partem; ſed curât omnes diligenter; & adeo diligenter, vt quidam etiam nihil aliud ſibi proponant.

Partes textus.

Partes textus tres pro theoremate, & duobus argumentis, quibus id confirmatur.

SCHOLIVM.

Qui reſpublicas adminiſtrãt ſolis pecunijs ſtudẽt.
Non eſt neglig ẽda cura pecuniaria à ciuitatũ rectoribus.

Quidam eorum, qui rempublicam adminiſtrant, hæc adminiſtrant ſolùm. Hoc axioma noſtris temporibus factum eſt generale partim auaritia, partim ſtultitia, partim inertia, quæ animos omnium excæcarunt. Quàm autem negligere non debeant hanc partem præſides ciuitatum, & magiſtratus, nobile exemplum eſt Annibal, tantus imperator, apud Liuium in lib. 33. Carthaginienſium Prætor factus.

Textus xxix.

Coniugalis, & paterna ratio, duæ reliquæ partes domus, & curæ, rationiſque domeſticæ.

CAPITA QVATVOR, XXVIII. XXIX. XXX. & XXXI.

De duabus reliquis partibus, ac præcipuis quidem ipſius domus, & domeſticæ, ſiue familiaris rationis, & curæ, paternæ ſcilicet, atque coniugali.

Ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς &c. Tex. cxl. per totum librum.

SCHO

SCHOLIVM.

Pecvniaria, & dominica ratio erant partes communes rationis domeſticæ, ac ciuilis. quamobrem ſatis copioſè de ijs hactenus fuit diſputatum. Quæ reſtant, iam per ſe non attinent ad ciuilem; ſed propriæ ſunt domeſticæ; atque in libris Oeconomicis conſyderandę. Paucis igitur hic attingentur potius, quàm explicabuntur; propoſitis ſolùm generalibus quibuſdam theorematibus, quæ ciuili Philoſopho ſunt accõmodata; cæteriſque in ſuum locum reiectis.

Diſtinctio tam inter ſe, quàm à dominica barum duarũ domus partium: & modus vtriuſque. Cap. xxviij. tex. cxl. *	*Quæſtio incidens de virtutibus moralibus parentium, & imperantium ſecundũ naturam. Cap. xxix. et xxx. tex. cxliij.* *	*Concluſio huius diſputationis, & cõtinuatio cum lib. ſequentibus. Cap. xxxi. tex. clxij.* *

CAPVT XXVIII.

Præter dominicam, de qua ſuprà dictum fuit, eſſe has duas alias principales, & ab omnibus conceſſas partes domus rationiſq; domeſticæ, inter ſe differentes, de quibus iam ſit dicendum, vt initiò propoſitum eſt: & quæ ac qualis ſit utraque earum.

Ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς ἦν &c. Tex. CXL. CXLI. CXLII. CXLIII.

ARGVMENTVM. TEXT: CXL.

Eſſe has duas alias partes rationis domeſticæ præter dominicam, & quæ vtraque earum ſit: traditis ipſarum partim inter ſe, partim cum dominica ſimilitudinibus tribus, ab imperio, à cauſa, à terminis imperij; tribuſque differentijs, item à terminis bifariam ſumptis, remotiùs, & propiùs, & à modo imperij: quæ differentiæ confirmantur eiecta dubitatione per ſecundam ſimilitudinem; & hæc ſecunda ſimilitudo, ideſt eſſe ſecundum naturam paternum, coniugaleque imperium, per locum à definitione imperij naturalis. Loci principales à forma, & repugnantibus.

Text. cxl. [a]Ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς ἦν· [b]ἓν μὲν δεσποτική, [c]περὶ ἧς εἴρηται πρότερον· [d]ἓν δὲ πατρική· [e]τρίτον δὲ γαμική· [f]καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν, καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν, [g]οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς· [h]ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς· [i]τέκνων δὲ βασιλικῶς· [k]τό, τε γὰρ ἄρρεν, φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, [l]εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν· [m]καὶ τὸ πρεσβύτερον, καὶ τέλειον τοῦ νεωτέρου, καὶ ἀτελοῦς.

a. quære ſuprà textu 30.

[a]Quoniam autem tres erant partes rationis domeſticæ; [b]vna quidem eſt dominica, [c]de qua dictum eſt prius, [d]altera autem paterna, [e]tertia verò coniugalis: [f]etenim vxori imperare eſt, & filijs, tanquam liberis quidem ambobus, [g]at non eodem imperij modo; [h]ſed vxori quidem ciuiliter; [i]filijs autem regiè: [k]mas enim, quàm fœmina, naturâ magis aptus ad imperandum, [l]niſi alicubi prꝫter naturam conſtiterint; [m]& ſenior, ac perfectus iuniori, & imperfecto.

h. vide texts 141 ſeq. et caput 10. viij. ad Nicom.
i. vide text. 142 ſeq.
k. ſimile ſuprà textu 11.

k. m. Elicitur definitio imperij recti et naturalis. Item coniugale et paternũ imperiũ eſſ naturale, qđ etiã traditũ eſt in cap. 10. et 11. viij. ad Nicom.

EXPLANATIO.

a. a vna.

Tres partes œconomices, quas oēs cōcedunt.

DIximus[a] initio huius diſputationis de domus, domeſticæque rationis partibus, [a] tres eſſe eas omnino, quæ ſint principales, & quas cuncti ferè cōcederent: nam de quarta parte, ideſt de pecuniaria ambigebant, vtrum pars eſſet, an non eſſet pars, & vtrū maxima pars, an ipſamet demum ratio domeſtica. Iterum ergo dicamus tres eſſe partes principales, & ab omnibus conceſſas ipſius domeſticæ rationis: [b] nempe dominicam, [c] de qua ſuprà expoſitum eſt; [d] & coniugalem, [e] paternamque ſocietatem, [e] de quibus iam percurrere oportet. [f] Has porrho duas ſocietates eſſe partes rationis domeſticæ differētes tam inter ſe, quàm à dominica parte, & ſocietate; oſtendi poteſt [g] ex diuerſitate imperij, quod in vnaquaque earum conſpicitur. [f] Etenim quum hoc ſit commune omnium ſocietatum, imò, generaliùs, rerum omnium, quæ ex multis ſunt iunctæ, vt in vnaquaque earum imperium aliquod cernatur, quaſi forma illius, ex tex: 46: ſi in his ſocietatibus, vt ſunt partes rationis domeſticæ, ſunt imperia differentia; neceſſe eſt ipſas quoque eſſe partes differentes, per locum à forma. [f] Sunt verò differentia imperia ſocietatum iſtarum, [f] primùm ex terminis remotis; nam coniugale, & paternum ſunt in liberos homines; dominicum in ſeruos: [f] iterum ex terminis proximis; nam coniugale eſt in vxorem; paternū in filium; dominicum in ſeruum: [g] tertiò ex modo; nam coniugale ciuili, ideſt liberarum ciuitatum; paternum regio, dominicum tyrannico eſt ſimile; vt hîc affirmatur de duobus primis, ciuili, & regio, & de regio, & tyrannico conſtitutum etiam fuit in cap. 10. & 11. viij. lib. ad Nicom. [k] Quanquam verò hæc duo imperia, paternum, & cōiugale in liberos homines exercentur, hoc in vxorem, illud in filios; & primum regio, ſecundum ciuili ſit ſimile, quæ ambo inſtituto hominum, non naturâ exiſtere videntur; haudquaquam tamen praua, aut præter naturam ſunt, vt putare aliquis poſſet; ſed recta, & ſecundum naturam. quod quidem iam poſitum in cap. 10. & 11. viij. ad Nicom. hîc rurſus oſtenditur argumento à definitione imperij recti & naturalis. Rectum enim, naturaleq; imperium dicitur, vbi imperat quod magis naturâ ſuâ aptū eſt ad imperandum: [k] & mas ſemper aptior naturâ, quippe præſtabilior, vt dicebatur in textu 51. quàm fœmina; [m] ſenior, & perfectus homo ob vſum rerum, & ſedatos affectus, mentiſq; vigorem, quàm iunior, & imperfectus; [l] niſi fortè aliquādo in vtroque genere aliquid acciderit præter propoſitum naturæ; quod non eſſe attendedum, dictum eſt ſuprà in textu 48. Hoc itaque pacto per locum à forma, & repugnātibus, oſtenditur tribus differentijs imperij paternam, coniugalemq; ſocietatem eſſe duas alias partes rationis domeſticæ, à dominica, & inter ſe differentes. Simul verò cum his differentijs, & earum cauſâ indicantur tres ſimilitudines harum trium ſocietatum. [f] Prima ſimilitudo, quæ eſt inter omnes, ſumitur à forma communi, quæ imperium eſt: In vnaquaq; harum trium ſocietatum eſt imperium aliquod. [k] Altera ſimilitudo, item inter omnes, ſumitur à cauſa imperij. In vnaquaque harum trium ſocietatum eſt imperium ſecundum naturam. [f] Tertia ſimilitudo, inter ſocietatem paternam, & cōiugalem ſumitur à terminis remotioribus, quibus hæ duæ ſocietates diſtant à dominica; efficiturq; hac de cauſa etiam differentia

b. c. d. e. — *e. f. etenim* — *g.* — *f. & inde.* — *f. tāquam liberis &c.* — *f. vxori & filijs.* — *g. h. i.* — *k. & inde.* — *k.* — *m.* — *l.* — *f. imperare.* — *k. magis aptū ad imperadū.* — *f. tanquā liberis quidem ambobus.*

Coniugalē, & paternā ſocietatē eſſe partes œconomices, differētes tam inter ſe, quàm à dominica.

Differētię tres ex imperio harū triū ſocietatum.

Dubitationis cōtra iſtas differentias excluſio.

Tres ſimilitudines, quæ indicātur, harū trium ſocietatum.

Tres differentia ſuperiores vnde ſumantur.

rentia prima inter has duas, & dominicam: imperium in his duabus eſt in liberos; in dominica eſt in ſeruos. [f] Secunda differentia, inter omnes, ducitur à terminis propinquioribus: Imperium coniugalis ſocietatis eſt in vxorem; paternæ in filium; dominicæ in ſeruum. [g] Tertia differentia, adhuc inter omnes, ſumitur à modo imperij: Imperium coniugale eſt ſimile ciuili, ideſt ei, quod eſt liberarum ciuitatum; paternum regio; dominicum tyrannico. Ex his ſimilitudinibus, differentijsq; conſtitui poteſt, quid ſit vtraque harum domeſticæ rationis partium, ideſt tum coniugalis, tum paterna, quatenus vtraque eſt pars rationis domeſticæ. Nam coniugalis eſt ſocietas mariti, & vxoris, in qua maritus vxori imperat, tãquam liberæ, ſecundum naturam, & ciuiliter, niſi quòd non fit hîc commutatio imperij, vt in ciuili gubernatione, quod proximo in textu dicetur. Paterna eſt ſocietas patris, & filij, in qua pater filio imperat, tanquam libero, ſecundum naturam, & prorſus regiè.

f. vxori imperare, & filijs.

g. 4. 5.

Definitiones harũ duarum ſocietatũ, paterna, & coniugalis, vt sũt partes domus.

Partes textus.

Partes textus tres. In prima (a b c d e) proponitur coniugalem, & paternam ſocietatem eſſe partes rationis domeſticæ, differentes tam inter ſe, quàm à dominica. In ſecunda (f g h i) exponuntur tres differentiæ, & cum ijs indicãtur tres ſimilitudines harum trium partium domeſticæ rationis. In tertia (k l m) tollitur dubitatio emergens ex ijs tribus differentijs, ipſæq; hoc modo confirmantur.

SCHOLIA.

Syntaxis verborum.

Quoniam autem &c. Huic inciſo, & voci *quoniam* puto reſpondere id, quod ſequitur *vna quidem eſt dominica &c.* ſubaudio enim verbum, ſcil. Cuius ſententiæ eſt etiam D. Thomas.

Quomodo tres & quomodo quatuor partes Oeconomicæ.

Tres erant partes rationis domeſticæ. Tres, inquam, de quibus omnes conſentiebant. Sed his quarta adiungitur, de qua ambigunt, vt in textu 30. 31. & 32. fuit declaratum.

lib. vij. cap. 3.

Etenim vxori &c. tanquam liberis ambobus. Infrà in vij. libro ſcribitur, tãtum diſtare inter ſe imperia, quod in liberos naturâ, & quod in naturâ ſeruos habetur; quantum diſtent inter ſe liberi naturâ, & naturâ ſerui.

Quo pacto vxori ciuiliter, filijs regiè imperetur.

Sed vxori quidem ciuiliter, filijs autem regiè. Qua ratione vxori ciuiliter, filiis regiè? Vtrum, quia pater habet plenam poteſtatem in filios, ſicut rex in eos, quibus præeſt: vir plenam non habet in vxorem, ſed certam, & definitam lege coniugij; quemadmodum reipublicæ adminiſtrator certis legibus, non ſuo arbitratu regit ciuitatem? An potius quia ſicut ciues parent tantùm in ciuitate, non imperant, imperat verò illis rex; ſic in domo nullo modo imperent filij, ſed pareant duntaxat patri imperanti: vir autem, & vxor, quaſi duo magiſtratus, ille maior, hæc minor, quorum minor pendeat à maiori, eique obtemperet, familiam gubernent, hoc eſt, quemadmodum ſcribitur in viij. ad Nicomachum, imperet vir pro dignitate, atque in iis rebus, in quibus virum imperare oportet, quæ autem vxori cõueniunt, ea illi permittat, de quibus vberius paulo infrà. An præter hæc etiam, quoniam beneficentia, & amore, exuperatione que virtutis, ad eorum, qui reguntur, propriam vtilitatem, filios pater, rex ciues ſuos regat: regat autem, & imperet vxori vir non ad propriam eius vtilitatem, ſed ad communem amborum, totiusque domus; ſicut ad communem amborum, totiusque ciuitatis ſimiliter in ea imperat maior magiſtratus minori; nec tantum virtute, beneficiorumque collatione præſtet vxori vir, quantum filijs pater, rex ciuibus ſuis præſtat; quinimo ſibi mutuò auxilientur vir, & vxor, ſua vterque in medium conferens, & ſuas vterque habens virtutes. At infrà in iij. horum librorum vniuerſam rationem domus regendæ, non ſolùm paternam vt hîc, & in viij. ad Nicomachum, regiæ ſimilem facit: quod itidem

Cap. 10. 11. 12.

Diſcrepãtiũ quorundã locorum de ſimilitudine regia gubernationis in domo, conciliatio.

Cap. 11.

Cap. 10. et 11.

ſuprà

ſuprà in textu 13. & 14. ſumebatur. Verumtamen cauſa huius varietatis ex illo loco libri iij. eſt manifeſta. nam ſi hanc vnam regis conditionem conſyderes, quòd, vnus quum ſit, omnium rerum in ciuitate ſupremam poteſtatem habet; ſimilem dices rationem regiam domeſticæ in vniuerſum; æquè enim in domo vnus paterfamiliâs omnium rerum ſummam habet poteſtatem: ſi ad alias ſpectes, quas proximè tetigimus, non toti domeſticæ, ſed certæ eius parti, quam vocamus paternam, aptiſsimè eam comparabis.

Mas enim, quàm fœmina &c. Certum eſt, viro in vxorem, parenti in filios eſſe imperium, & ius, & poteſtatem quandam: hæc enim tria vocabula, quod ad præſentem attinet locum, aut eandem omnino, aut proximas res ſignificant. Illud vocatur in controuerſiam, vtrum prima cauſa harum poteſtatum, & iurium, & imperiorum ſit natura, an inſtitutum humanum, gentium, an ciuile. Oſtendit hic Philoſophus, de quo conſentit nobiſcum D. Thomas, naturam eſſe cauſam; & vtrunque imperium, tam coniugale, quàm paternum naturale eſſe. quod etiam conſtitutum fuit ab Ariſtotele in viij. ad Nicom. & à Platone in v. de Republica, & in iv. de Legibus. Ratio, qua nunc vtitur, ad hoc oſtendendum, ſumpta eſt ex definitione imperij naturalis. Nam imperium naturale eſt illud, quo imperat id, quod naturâ eſt aptius ad imperandum. Eſſe autem vxore virum ad imperandum magis idoneum, ex eo liquet, quòd ſemper mas præſtat fœminæ. & eſt ea melior, niſi pręter naturam aliquid contigerit, vt poſitum fuit in textu 51: quod verò melius, præſtabiliusque eſt, quatenus eſt huiuſmodi eſt aptius ad imperandum. At parentem filiis aptiorem eſſe, inde probat Philoſophus, quòd ſit ſenior illis, & per ſe perfectus. perfectum nanque per ſe, & qua perfectum eſt, ſicut dicebamus de præſtabiliori, aptius eſt ad imperandum imperfecto; & ſenior iuniore, quia vſu rerum magis valet, mentisq; prudentia, & perſpicacia: quæ tum ætate, tum ſedatione affectuum amplificantur; niſi quid eueniat præter naturam. Ad hanc rationem nouem aliæ adduntur; quarum tres probant communiter ambo hæc Imperia eſſe naturalia; duæ propriè ſunt de coniugali; quatuor propriè de paterno. Prima harum rationum eſt huiuſmodi. Cuius iuris imago etiam in belluis cernitur, hoc eſt ius naturale ex doctrina Vlpiani. ſic enim interpretor quod ille ait in l. p de iuſtitia & iure: Naturam hoc ius omnia animalia docuiſſe. Sed imago horum imperiorum cernitur in belluis: vt ex ea lege Vlpiani ſumi poteſt; liquetque animaduertentibus belluarum facta: nam in educatione parentes filios regere, & coercere perſpicuè videntur; tum mares vniuersè imperare fœminis, quod etiam poſitum eſt à Philoſopho ſuprà in textu 51. Ergo &c. Secunda ratio. Vtraque harum ſocietatum, & paterna, & coniugalis naturam auctorem habet, quod traditum eſt ab Vlpiano in eadem lege, & ab Ariſtotele in viij. ad Nicom. & ſuprà in hoc lib. textu 5. & 12 & aliis in locis: in vnaquaque autem ſocietate neceſſe eſt eſſe aliquod imperium ei ſimile, vt probatum eſt ſuprà in tex. [illegible]. & ſequentibus: ergo &c. Tertia ratio: Coniugale imperium ciuili, & optimatum; paternum regio eſt ſimile, vt traditur hîc & in viij ad Nicom. cap. 10. & 11. at hæc imperia regium, & ciuile, & optimatum à natura initium habent, licet perficiantur ratione, & inſtituto humano, quod in viij. ad Nicom. eſt declaratum: ergo &c. Quarta ratio eſt de imperio, & poteſtate viri in vxorem. Etiam ante peccatum, inquit D. Auguſtinus in cap. 37. lib. xj. de Geneſi ad litteram, factam fuiſſe mulierem credere decet, vt vir ei dominaretur, & ad eum ipſa ſeruiendo cõuerteretur; & maritum habere dominum mulieris meruit natura, non culpa: ergo &c. Quinta ad idem. D. Paulus prim. Cor. 11. & Epheſ. 5. Caput mulieris vir, inquit, ſicut caput eccleſiæ Chriſtus: & mulieres ſubditę eſtote viris veſtris. Et Tim. 2. non permitto mulieri dominari in virum. Adamus enim primo formatus eſt, deinde Eua. Et Petrus p. 3: Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; quemadmodum Sara obſequebatur Abrahæ, dominum illum vocans. Quibus locis oſtendi putat D. Auguſtinus in cap. 9. lib. p. de Nupt. & Concup. ad Valerium, imperium virorum in vxores eſſe naturale. Reliquæ rationes probant de paterno imperio. Sexta. Inſitum, & innatum eſt omnibus,

Lib. viij. ad Nicō. cap. 10. & 11.

De imperio paterno, et coniugali.
Imperiũ, ſeu ius, et poteſtas mariti in vxorẽ, parentis in filios, cuius ſit iuris, naturalis'ne, an gentiũ, an ciuilis.
Rationes oſtẽdẽtes ha͂ec imperia eſſe naturalia.
Prima.
Imperij naturalis definitio.
Vir vxore magis idoneus ad imperandum.
Parens filijs aptior ad imperandum.
Secunda.
Iuris naturalis definitio.
Imperij paterni, et cõiugalis imago cernitẽ belluis.
Tertia.
Coniugalis, & paterna ſocietas naturales ſunt.
In vnaquaque ſocietate eſt aliquod imperiũ ei ſimile.
Quarta.
Coniugale, & paternũ imperiũ quibus ſimilia.
Rationes probãtes imperiũ viri in vxorẽ eẽ naturale.
Prima.
Teſtimonium D. Aug.
Secunda.
Auctoritates D. Pauli.
Rationes oſtẽdẽtes imperiũ parẽtũ i filios eſſe naturale.
Prima.

Inſtinctus naturalis obediē di parentibus.
Secunda.
Cōſēſus oīum populorum de patria poteſtate.
Tertia.
Educatio filiorum eſt naturalis.
Educatio indiget poteſtate.
Quarta.
Honor filiorū in parentes.

bus, vt parentibus filij obediant, omneſque æquum cenſent ita fieri: at ſi obedientia filiorum eſt naturalis, naturale eſt quoque & patrum imperium, quò obedientia refertur. Septima. Populorum omnium opinio vbique terrarum, & ſemper magnam patribus in filios dedit poteſtatem: eſt autem naturale ius, quod vbique, & ſemper ſeruatur, nec eſt mutabile per ſe, vt ſcribitur in cap. 7. v. ad Nicom: Octaua. Educatio filiorum eſt iuris naturalis, vt omnes concedunt, ſcribiturque ab Vlpiano in ſuprà citata lege p. de Iuſtitia, & iure: quis autem, inquit Lactantius, poterit filios educare, niſi qui habeat domini in eos poteſtatem? Nona. Honora patrem tuum, & matrem tuam eſt vnum ex iis præceptis decalogi, quæ abſolutè ſunt legis naturæ, vt declarat D. Thomas in P. ſecundæ q. 100. ar. p. quod quidem præceptum ait D. Paulus in 6. cap. ad Timotheum eſſe mandatum primum in promiſsione: honor autem iis, qui præſunt, & imperium habent, exhibetur ab inferioribus. Hæc ſunt, quibus confirmari potiſsimùm poteſt, imperia, & poteſtates parentum in filios, viri in vxorem à natura proficiſci.

Arg. probātia hęc duo imperia nō eſſe naturalia.
Ratio à proprietate iuris naturalis.
Auctoritates.

Contrà verò non proficiſci à natura dupliciter contenditur; primùm ratione; deinde auctoritate. Ratio eſt, quòd naturæ iura, vt dictum fuit, per ſe non ſint mutabilia, ſed eadem vbique, & ſemper: neutra autem poteſtas eadem ſit nec vbiq; apud omnes populos, nec ſemper apud eundem; quandò Galli, & Perſæ, & Græci, & Hebræi, & Romani, & aliæ nationes diſpares, diſsimileſque de his poteſtatibus mores, legeſque inſtituerunt, & eas inſtitutas non ſemel mutarunt. Auctoritas eſt Caij, & Iuſtiniani. Ille in l. 3. de iis qui ſui ſunt, vel alieni iuris, in poteſtate noſtra, inquit, ſunt liberi noſtri, quos ex iuſtis nuptiis procreauimus, quod ius proprium ciuium Romanorum eſt. Hic in ſuis inſtitutionibus de Patria poteſtate: Ius poteſtatis, quod in liberos habemus proprium eſt ciuium Romanorum: nulli enim alij ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.

Euerſio horū argumentorū.
Ad auctoritatem Caij.
Ad auctoritatē Iuſtiniani.
Bartolus in lege ij. de iis qui ſui ſunt, vel alieni iuris.
Connanus lib. ij. Comment. cap. 13.
Bodinus lib. p. de Republica cap. 4.

Ex quibus locis Bartolus, & multi alij legum interpretes colligunt patriam poteſtatem ad ius ciuile Romanorū ſimpliciter pertinere. Sed Caius fortaſſe illud ius ciuium Romanorum proprium eſſe dixit, ſignificans non communicari ſeruis: quorum filij in dominorum, non in patrum poteſtate erant. Iuſtinianus autem reprehenditur à Franciſco Connano & à Ioanne Bodino, quaſi perperam locum Caij ſit interpretatus. Et tamē veriſsimum eſt quod ait Iuſtinianus: talem dominatum in filios, qualem Romani habuerint, quod erat planè tyrannicum, à nullo alio populo vſurpatum fuiſſe. Quanquam enim filiis Barbari quidam pro ſeruis vterentur: illa tamen patria poteſtas Romanorum in filios maior adhuc fuit quàm in ſeruos dominorum, vt ſcribit Dionyſius Halicarnaſeus in lib. ij. Romanarum antiquitatum, & paulo pòſt apparebit. Confirmatur; hūc locum Iuſtiniani eſſe hoc modo exponendum, ex altero in leg. 10. de Adoptionibus, vbi idem aſſerit, iura patris naturalis nexu diuino copulata eſſe. Ac conſentiūt de hac re nobiſcum Io. Franciſcus Terzanius, & Claudius Bertazzolius, eminentes noſtræ ciuitatis iuriſconſulti, ſummaq; familiaritate mihi deuincti; qui ſcientiam legum cum liberalibus diſciplinis ſemper coniunxerunt: ille ætate prouectiori clarum eloquentiæ, prudentiæque nomen adeptus; hic iunior planta grandiores fructus maturans.

Ad rationem.
Ius naturale quomodo mutabile & variū, quomodo idē & immutabile.

Ad rationem de varietate, & mutatione cùm huius, tum coniugalis imperij, dicimus eſſe hoc commune omni iuri naturali, vt, quum ipſum per ſe ſit immutabile, & vbique idem; varientur tamen, & mutentur iura ciuilia, quæ dum additur, detrahiturùe aliquid iuri naturali, conſtituuntur; &, in hac ipſa ad ius naturale, additione, eiuſdem'ue detractione poſita, ex eo pendent. Colligitur hoc ex iis quæ ſcribit Vlpianus in ll. p. & 6. de iuſtitia, & iure, & eſt per ſe manifeſtum. De coniugio nanque, procreatione, educationeque liberorum, quæ tria iuris naturalis Vlpianus exempla poſuit, aliæ apud alios populos leges, alij mores proprij & extiterunt, & exiſtent.

Nō repugnat, eſſe de eodem & natura legem, et ius humanum.

Vt intelligamus, quod lege naturæ vnum, atque idem ſemper, & vbique eſt; poſſe inſtitutis hominum apud diuerſas nationes, & ſecundum diuerſa tempora eſſe diuerſum. Neque enim repugnat de eadem re tum legem naturę datam eſſe; tum ius humanum inſtitui. Imò plerūque, aut potius ſemper hoc vſuuenit:

nit: præſcribente formam quandam vniuerſam, ac generalem ipſa natura: quam formam deinde certis, ſpecialibusq; regulis, & rationibus humana vel ratio definit, vel euertit aut inſcitia prauæ affectionis, aut cæca cupiditas. Et hæ quidem duæ, à natura ipſa diſcrepantes, eique aduerſariæ, iniuſtas fingunt leges; ratio, amica, & congruens, iuſtas promulgat. Quoniam igitur iuris naturalis ſunt primùm hæc duo imperia, exin vero quodammodo & iuris ciuilis; age videamus, quale ſit, & quas partes habeat vtrunque à natura: qualeque extiterit, & quas habuerit partes ex hominum inſtituto apud Romanos, quaſdamq; alias nationes. Sanè, quod ad naturã attinet, egregiè Ariſtoteles in viij.

Cap. 10. 11. 12.

Iura & partes imperij paterni ſecundũ naturam.

ad Nicom: Patris imperium in filios regio, & paſtorali eſſe perſimile: quippe imperando curam habere regem ciuium, patrem filiorum, paſtorem ouium ſuarum; uſque benefacere, vt quàm optimè vitam degant: præſtare etiam beneficiorum magnitudine paternum imperium regio, & paſtorali, quòd illo educentur filij propriè, & inſtituantur. Ex quibus intelligitur imperare patrem non ſuæ, ſed filiorum vtilitatis cauſâ. Huc ſpectare omne ius, & poteſtatem ipſius naturalem in filios, vt pro ſua erga eos beneuolentia cumulet illos beneficiis, prouidendo, quoad poteſt, quæ ad vitæ vſus ſunt neceſſaria, & inſtituendo ipſos ad virtutes. Quoniam verò refragantur aliquando, & inſtitui nolunt; minas & terricula, ſpes & polli citationes adhibeat admonendo, hortando, increpando, reprehendendo: interdum etiam præmio, & pœna præſenti vtatur. Hanc tamẽ pœnam, cauens ab ira, vtilitate filij ſic dirigat, vt correctio ſit, non ſupplicium. Et hæc quidem, quandiu ſperauerit aliquo pacto bene inſtitui, emendari'ue filium poſſe. Vbi verò ille fuerit prorſus deploratus, & inſignis

Imagines, & modꝰ imperij paterni. Finis.

Prouiſio rerũ neceſſariarũ. Inſtitutio Emendatio.

Cap. 14.

Suppliciũ vltimum filiorũ ſceleratorum.

ſceleribus, quemadmodum ſcribitur in ix. ad Nicomachum; abdicabit eum pater, eijcietque domo, ac familia. Nihil grauius ſtatuet in eum. non necabit; non mutilabit eum vllo modo, aut mancum reddet: quæ quidem facere patrem non decet, nec vt pater eſt, cuius ſtudium, & poteſtas omnis naturalis eò tendit, vt filio proſit; nec vt eſt homo eiuſmodi. malè nanque huic crederetur iudicium, qui vel grauiter læſus pietatem paternam in hoſtilem ſæuitiam commutaſſet; vel, illam retinens, nimia lenitate in officio iudicis laberetur. Et accedit quod illa ſunt poteſtatis, & perſonæ publicæ, non priuatæ: quandoquidem intereſt ciuitatis, non necari ciues ſuos, nec inutiles reddi. Itaque, ſi ea facinora commiſit filius, ob quæ morte, aut membro aliquo mulctandus ſit; animaduertet in eum magiſtratus, non pater. dabitur etiam pietati, ne pater indicet filium magiſtratibus, aut reum agat. De viri imperio naturali in vxo-

Iiſdem capitibus 10. 11. 12.

Iura et partes imperij coniugalis ſecundũ naturam.

Imago, et modus imperij cõiugalis.

rem ſcribitur item ab Ariſtotele in eodem viij. lib. ad Nicom. ſimile eſſe, & par illud imperium imperio optimatum. Quemadmodum enim in optimatum republica ex virtute, & cõgruentia, & vtilitate communi ciues omnia metiuntur, vt melioribus ſemper maiores deferant magiſtratus, minoresque minus præſtantibus, tribuentes pro dignitate vnicuique id, quod ei conueniens, accommodatumque ſit ad vtilitatem communem: ita in ſocietate viri, & vxoris diuiſa officia eſſe debere, alia vxoris, alia viri, ſibique mutuo ambos opitulari, conferentes in commune, quæ vtriuſque ſunt propria. Hoc ſanè pacto imperare virum pro dignitate, & ad bonum, conſeruationemque huius ſocietatis, totiuſque domus emolumentum; ſi ea, quæ virum decent, ſibi aſſumat; quæ autem vxori conueniunt, ea illi permittat. nam ſi in omnibus ipſe dominari velit, præter dignitatem id facturum: atque è ſuo imperio in illud, quod paucorum potentiæ proprium eſt, delapſurum, euertentem bonum domus, ac ſocietatis coniugalis. Sunt his, quæ ait Ariſtoteles, vxorẽ in domo ſociam eſſe, & tamen ſub imperio viri, ſimilia ea quæ ſcribit Plato in v. de republica: Viros mulieribus, tanquam gregi cuſtodes, præeſſe oportere: vtroſque tamen communiter filiorum, totiuſque domus curam ſuſcipere; quemadmodum canes gregis cuſtodes, fœminæ æquè, ac mares in eãdem cuſtodiæ curam incumbunt, vnaque venantur, ac cætera communiter agunt. Et quæ Plutarchus in Coniugalibus præceptis: Sicut quom ſumuntur, inquit, duæ conſonæ voces, nihilominus cantus grauiori aſcribitur: ita in domo rectè inſtituta omnes res gerun-

Vxor ſocia viri, et tamẽ ſub imperio eius.

tur quidem conſenſu coniugum; viri tamen vel imperium, vel conſilium elucet. Similia ſunt etiã quę traduntur in libris ſacris. Nanque legimus in cap. 2. Geneſeos, dominum Deum quærentem Adamo adiutorium, feciſſe mulierem de eius coſta: quam, quum Adamus vidiſſet, loquutum eſſe in hãc ſententiam: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna. Iterum in cap. 3. reſpondet Adamus Deo percunctanti de peccato: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, &c.* Et in eodem cap. 3. pronunciat Deus mulieri, futuram eam ſub viri poteſtate, & virum ei dominaturum. Quæ loca exprimens D. Paulus in cap. 5. ad Epheſios, Vxor, inquit, timeat, & ſubiecta ſit viro ſuo, tanquam domino; quoniam vir caput eſt mulieris: viri etiam diligant, foueantque vxores ſuas, tanquam carnem ſuam, & corpora ſua, & tanquam ſeipſos. Ergo quia vir eſt caput vxoris, habens imperium in eam ex virtute, & pro dignitate; regat, & inſtituat eam oportet ad virtutem, & vtilitatis communis gratiâ. quod aſſequi præcipuè ſtudebit admonitione, & hortatu. Obiurgabit, reprehendetq; ille duntaxat, qui improbam nactus ſit, aut refractariam. Manibus temperabit omnino, niſi pro certo putet, hoc modo illam emendatum iri. Eſt enim ſocia, & caro eius, quam nemo vnquam odio habuit, vt dicebat Apoſtolus. Multò minus mutilabit aliquo membro, aut occidet eam, ob hanc ipſam cauſam, & ob alias, quæ expoſitæ ſunt ſuprà, quom de imperio paterno loqueremur. Si inemendabilem viderit, ſuaque in malitia perſeuerantem; remedium ſemper fuit abigere illam ex ædibus aliquando ſuo arbitratu, aliquando petita venia à magiſtratibus. Talia ſunt imperia, & poteſtates naturales viri in vxorem, parentum in filios; eæque, quæ dictæ ſunt, partes, & regulæ illarum poteſtatum principales, quas ratio, naturam ſequuta, eique prorſus adhęrens, definiret. Legum autem Romanarum latores, & interpretes, dum hæc minimè conſyderant, ſed aliò ſpectant; dederunt patribus poteſtatem ſimilem, ac maiorem dominica: ſubijcientes liberæ illorum uoluntati, æquæ iniquæ'ue, inperpetuum res, iura, operas, actiones, corpus, quod vincire, affligere, lacerare arbitratu ſuo poſſent, libertatem vſque ad tertiã auctionem, vitam denique filiorum ſuorum; quamuis ipſi filij vel rempublicam adminiſtrarẽt, vel ſummos honores geſsiſſent. Ita verterunt in tyrannidem, & peſsimam quidẽ, regium dominatum; quem humanitatis, pietatiſque plenum erga filios natura nobis ingenerauit. Nec inæſtimabilis huius poteſtatis, ſic enim uocat Martianus, permiſſæ parentibus, aliam vnquam cauſam afferre potuerunt, niſi hanc, quòd contineatur in rebus patris filius, quem ille genuit, & educauit, & quem etiam dicant Philoſophi eſſe aliquid, ac veluti partem quandam patris: iniquum autem videri ſi cui fuerit interdictum, ne re ſua vtatur vt velit. Quaſi uerò nobis interdici æquum non ſit, aut ſæpe non interdicatur iiſdem illis Romanis legibus abuſu rerum noſtrarum; imò ſimpliciter vſu quoque, ac contrectatione ob varias cauſas, quom timetur abuſus. Et quaſi eſſe aliquid poſsit cuique magis ſuum, quàm ipſe ſibi: nam ſibi ipſum quenquam mortem conſciſcere lex vetat; & conſciſcentem multat nota ignominiæ ex nouiſsimo capite P. ad Nicom. Vel quaſi filij noſtri ſint ſolùm aliquid, & ueluti pars quædam noſtri; ac non ſimul alteri nos, in quibus renouamur. Quamobrem eos naturaliter diligere debemus tanquam nos ipſos, ut ſcribitur in viij. ad Nicom: nec de iis aliter, quàm de nobis ipſis, ſtatuere; eorum ſemper utilitatem, ac profectum ante oculos habentes. Quod uſque eò nonnulli faciunt, ut ſibi ipſis quoque, uitæque ſuæ incolumitatem, & commoda filiorum ſuorum præponant, putantes ſe in eorum uita, ac iuuentute reuiuiſcere, & iuueneſcere. Aut quaſi tãdem, etiam ſi detur filios eſſe ſolùm aliquid, & partem noſtri; in iis, quæ ſunt huius modi, quædam non inueniantur, ſine quibus uiuere eligat nemo. quod de mẽtis ſanitate ſtatuit Plotinus in lib. 9. primę Enneadis; permittens cuiuis ſeſe interimendi licentiam, qui inſaniam imminentem præſenſerit. alij de uirtute idem opinantur: alij de corporis ſanitate: alij, ſi Deo placet, etiam de gloria, & de diuitiis; quibus priuati non pauci uitæ mortem prætu-

Inſtitutio vxorum.
Finis inſtitutionis.
Emendatio.
Supplicium vltimum vxoris inemendabilium.
Paulus cap. 5. ad Epheſ.
Iura Romana imperij, et poteſtatis patrię quot, & qualia.
Ratio Iuriſconſultorum, ob quã data patribus inæſtimabilis poteſtas in filios.
ff. de Legatis P. l. 117.
Euerſio huius rationis.
Lib. v. ad Nic. cap. 6. & lib. viij. cap 12. et lib. p. Magn. moral. cap. 35.
Cap. 12.

prætulerunt. Sed hallucinantur hoc [illegible] ſe [illegible] formis, rationibus [illegible] veris, [illegible] ſ[illegible] plectentes; ne [illegible] ſophiam in [illegible] ma [illegible], nec veram [illegible] patriam poteſtatem [illegible] mutatione, ac correctione legum [illegible] nimie inconſtan[illegible] iſto iure, quod Romuli fuit, vt ſcr[illegible] quibus [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] ne mi[illegible] q[illegible] qui [illegible] tam [illegible] gibus omn[illegible] cauſa, liberos [illegible] candem totum ſub[illegible] tibus circumſcriptus [illegible] cauſ[illegible] gumlatore emanarunt, [illegible] nec[illegible], & [illegible] nimie dign[illegible], ob quas [illegible] re[illegible] dig[illegible], & in ea[illegible] locum [illegible] Iuſtinianus qua[illegible] ordecim fo[illegible] cu[illegible]

Quæ ſit maxima cauſa errandi iuriſcõſultis

Iura Romana [illegible] bona liberorum.

a ff. de Caſtrẽſi peculi l. 10. & C eod. tit. l. 1 & 2 & alibi. Inſtit. per quas perſonas nobis adq. b. C. de inoff. teſtam. l. fin. c. C de Aſſ[illegible] d. C de [illegible] [illegible]

o. [illegible] p. C de B[illegible] q. de [illegible] liberis [illegible] r. C. [illegible] quas per nobis adq[illegible]

Iura Romana [illegible]

a. Dionyſius lib. 2. a. C de patria poteſtate l. 6. b. Nouella, Vt cum de appellatione cognoſcitur.

quadam nouella ſua conſtitutione. Quanquam & de his Iuſtiniani cauſis pugnant inter ſe noſtri iuriſconſulti, vtrum eæ numerum expleant, an ſint adhuc aliæ [illegible] ſim[illegible]es, & maiores, quæ iuſtam faciant exhæredationem. Cum bonis, & iuribus operæ, actionesque liberorum erant in patrum poteſtate. Ruſtico in opere tenere fi[illegible], & eadem miniſteria ab illo exigere, quæ à ſeruo exigebantur, fas erat patri. Itaque M. Pompo[illegible]s L. Manlio, cui ob malè adminiſtratam rempublicam diem dixerat, crimen hoc obiecit, quo inuidiam conflaret, non vt huius criminis, quod lege permittebatur, damnari eũ faceret. Terentianus ille Demeas rus abigere, atque in opere ibi tenere cum pſaltria fi[illegible]m Cteſiphonem parat. Adeo verò filij nihil agere poterant inuitis parentibus, [a] vt ne nuptias quidem conficere, rem tam naturalem, tamq. neceſſariam humano [illegible] cuiquam [illegible] [illegible]ue conſenſu eorum, in quorum poteſtate vel tunc [illegible], vel aliquando futuri eſſent: [b] ſi conficerent [illegible] non conſtaret matrimonium, nec iu[illegible] ex eo liberi naſcerentur. Illa tamen ſæuitia de oper[illegible]s ſenſim d[illegible] [illegible]acta. Et huic ſuppreſsioni matrimoniorum [illegible] remedium a[illegible] quod adhibu[illegible]rũt Seuerus, & Antoninus lege lata, vt qu[illegible] [illegible]beros, quos habe rent in poteſtate, prohibuiſſent vxorem ducere, vel nubere, & qui dotem dare noluiſſent, pe[illegible] proconſules, præſidesque prouinciarum cogerentur [illegible] matrimonium col[illegible]ocare, & dotare: prohibere autem viderentur & qui con[illegible] nem non qu[illegible]iuiſſent. [d] Deinde Iuſtinianus tempus præ[illegible]it [illegible]. ann[illegible] mulieribu[illegible] poſt quod ſi nup[illegible]ent inuito patre, mat[illegible]mo[illegible] valere [illegible] exhær[illegible] propterea poſſe[illegible]. Tandem leg[illegible]bus eccleſia[illegible] [illegible] matrimoniis; decretumque eſt, vt, præterquam co[illegible] [illegible]rimo[illegible] guntur nullius conſenſus requiratur. Corpo[illegible]oq; [illegible]m [a] lege R[illegible] li erant in ditione parentum, qui vinciendi, verbe[illegible]andi, [illegible]rand[illegible] [illegible] v[illegible] necem, prout ſibi libuiſſet, ius habeant. [b] Temperatu[illegible] d[illegible]inde hoc [illegible] ſuetudine mitiori; ac nouis legibus correctum [illegible] mo[illegible] [illegible] bereretur. [illegible] Liberi uocabãtur fi[illegible]ſami[illegible]as Romano[illegible] [illegible] tatis obtinebant, quã ſerui: tunc ſo[illegible]m eu[illegible]bat [illegible] lo liberorũ, & filiorumfamil[illegible] nu[illegible]cup[illegible] [illegible] patru[illegible], aut alio aliquo modo exi[illegible]t de pote[illegible]tate [illegible] te eſſent: & ſubiiciebãtur, obſequ[illegible] [illegible]; [illegible] admodum dominis ſerui: &, [illegible] [illegible] vendendi facultatẽ habebant; nec ſemel tan[illegible] [illegible] ac tertio Romuli lege. Quamobrem multo maior ſeru[illegible]us, [illegible] [illegible]o, fuit liberorum, quàm ſeruorum. Seruus à domino venun[illegible], [illegible] tate, illico perfectè ſiebat liber: filius iterum, atque iterum [illegible] & ditionem patris reuertebatur: ſolùm poſt tertiam venditione[illegible] [illegible]tatem v[illegible]et, remanebat liber. Vnde intelligitur [illegible] [illegible] rit, vt eman[illegible]parentur [illegible] [illegible] eſt de poteſtate patr[illegible] ex[illegible]en[illegible] [illegible]tionibus [illegible] manumiſsion bu[illegible]que imaginariis, q[illegible] quam [illegible] busque e[illegible]cipandis ſat[illegible] [illegible]t v[illegible]a vendi[illegible]io, & vna man[illegible]m[illegible]ſio [illegible] vt ait [d] Connanus, quòd n[illegible]hos vendere, niſi ſemel, liceret filias, ob h[illegible] tem; nepotes, quia non tantum [illegible] inter auum, & nepotem claritatis, & [illegible], quantum inter patrem, & [illegible]um. de qua re viderint iuri conſulti. [e] Ad le[illegible] Romuli ad[illegible] Numa Pompilius exceptionem [illegible] ne qui patrum volu[illegible]e vxorem duxiſſent, eos vendendi patres ius haberent. Et has leges poſtea Decem[illegible] in quartam ſuarum tabularum retulerũt. Quibus legibu[illegible], ſicut vendend[illegible], ſic donandi, & oppignerandi, & alio quouis modo alienandi [illegible] patri[illegible] [illegible] permi[illegible]m ſignificarunt Diocletianus, & Maximianus prima lege de patr[illegible], qui [illegible]os ſuos diſtraxerunt. At verò vna eti[illegible]m [illegible] legibus [illegible]re hac no[illegible] [illegible]tis valde imminutum, ac propè [illegible]blatum ius [illegible]ud alie[illegible]nd[illegible] [illegible] prioribus ſecu[illegible]s fuiſſe, intelligitur ex eadem l. p Diocletiani, & Max[illegible]ni de Patribus, qui [illegible]os ſuos diſtraxerunt, & ex trigeſima ſeptima eorundem de Liberali cauſa, & ex p. Antonini eodem tit. & ex decima Conſtantini de Patria poteſtate. Nouiſsimè conceſſum eſt à Conſtantino l. ſecunda

Iura Romana patria poteſtatis in operas, actiones'que liberorum.

Iura Romana patria poteſtatis in corpora liberorum.

Iura Romana patria poteſtatis in libertatem liberorũ.

Dionyſius lib. ij.

Liuius lib. vij.

a ſ. de Ritu nupt. l. 2. et 9. & 16. & 18. C. de Nuptijs l. 12. & 2. & Inſtit. de Nuptijs.

b [illegible] de ſtatu [illegible] Ritu [illegible]

a [illegible]

b [illegible]

d Cõnan. lib. 9 Commentarij cap. 10.

e. Dionyſius lib. ij.

cunda de Pa[illegible]bus, qui filios &c. e[illegible] vna dítaxat cauſ[illegible] ven[illegible] m ſi nimia in[illegible] premarur pater co[illegible] alienare [illegible] ueniat Q[illegible] conſtitutio, non vid[illegible] ego, cur non [illegible] & [illegible] a n[illegible] u-ram patri[illegible] imperij, ad ſi[illegible] vtilitatem [illegible] Ca[illegible] inopia, non patitur ſe venundari ad p[illegible]cipandú pr[illegible] vendat. Quærunt effugium interpretes, nec in[illegible], quod ante præcluſimus. æquum videri vt rem ſuam alienare qu[illegible] egeſtate c[illegible]uius. Minus itaque reprehendē[illegible] A[illegible]s ſo-litudinu[illegible] Marmaricæ habitatores (Barcham uoc[illegible]qui, om[illegible] rerum egent, oppignerare pro alimentis, vendere[illegible] filios ſu[illegible]ur. Sed tamen rectius, naturæ[illegible]que congruentius faciunt popu[illegible] proximi Guineæ (eſt Guinea ora Aphricæ in occidentem,[illegible] u-rum in venden[illegible]is filiis conſilium eſt, maximè iis prod[illegible] modo ab ari[illegible]as, ſter[illegible]ſsimisq; regionibus, in q[illegible] diores, ubi felici[illegible]s vitam degant. Vitæ, & necis demu[illegible]erorum p[illegible]is tem-poribus domini fuerunt patres Romani: poterantque, quicqu[illegible] nat[illegible] ſſet aut virilis ſexus, aut fœminei, exponere, occidere'ue ex cauſa, & [illegible]ne cauſa quocun-que tēpore & ętate: nec quicquā eos vnquā hac poteſtate priuabat; non ſummi honores à filiis adepti; non reipublicę adminiſtratio; non virtus, aut [illegible]oria re-rum geſtarum, vt Dionyſius ait. Romulus, lege lata, tribus ann[illegible]s edu-cari iuſsit: nec ante an[illegible]m tertium exponi, aut necari; n[illegible]i diſtorti, aut depra-uati, vel portentoſi fu[illegible]: & hoc ipſum vtrum diſtorti eſſent, deprauati'ue, aut portentoſi de quinque propinquorum ſententia iudicari uoluit. Deinde vel conſuetudine introductum, vel noua lege ſancitum, ne filium pater necaret, pœ[illegible]aue alia capitali afficeret ſine cauſa, cauſam ipſe domi cum agnatis, & ami-cis cognoſceret, an capitalem animaduerſionem mereretur, & quam, mor-tem'ne, an ciuitatis amiſsionem, an ſeruitutem. quorum iudiciorum dome-ſticorum exempla leguntur, vnum Sp. Caſsij apud Liuium in lib ij. Dionyſium in viij. Valerium Maximum in v. alterum Auli Fuluij apud Valerium eodem in loco, & Sa[illegible] Catilin. tertium Tarij apud Senecam in p. de Clemētia; & alia apud a[illegible]s. Tandem vero hæc iudicia de filiis, quæ priuata fuerant, à pa-t[illegible]bus [illegible]giſtratus verterūt. pœnæq; publicè de illis exigi cœptæ. Sed om-nium in[illegible] patriæ poteſtatis Romanorū illa fortaſſe fuit maxima, quod c[illegible] no[illegible] tyran[illegible]s perpetuo [illegible]urabat lege Romuli, & xii tabularum: nec libe-rabatur filius v[illegible] pa[illegible]re, v[illegible]a ex cauſa ve[illegible] ætatis vel vir-tutis, vel ſtatus, vel [illegible]atis ſuæ, vel furoris, vel demētiæ, vel ſ[illegible] vel tur-pitudinis paternæ. ſola virgo Veſtalis ſimul, atque capta, atque in atri[illegible]m Veſtæ deducta, & Pontificibus tradita eſſet, vt ſcribit G[illegible]s in c[illegible]p. 12. [illegible] P. è patris poteſtate e[illegible]bat. Poſterioribus deinde ſeculis ad patris u[illegible] a[illegible]m, & mortem alias quaſ[illegible]am cauſas, quibus patria poteſtas ſolueretur, imperatores ad[illegible]derunt. At p[illegible] natura pote[illegible]ten, & imperium in fi[illegible] dedit, tāquam perfectiori ob per[illegible]iam ætatem, aptio[illegible]que hac de cauſa ad imperandum. Quamobrem ſi è contrario v[illegible]eniat, v[illegible] hic, in perfecta ętat[illegible] conſtitutus, ido-neus ſi[illegible] guberna[illegible]ioni & imperio; ille, in[illegible] ingraueſcentibus annis repuераſcens, mi-nimè idoneus contrarium etiam natura expoſcet. & hic regere, i[illegible] r[illegible]i na-turaliter debeb[illegible] Pari ratione ſi vterque ætate, & prude[illegible]tia ualeat ad [illegible]um, aliosque regen[illegible] indigeat altero: natura no[illegible] ani[illegible]s ſu[illegible] alteri al-terum, ſed vtriq[illegible]iber[illegible]tem concedit. Itaq; ſe [illegible]er ſ[illegible]orſum ab altero ha-bitare, & dom[illegible] habere optauerit; ei per naturam [illegible]icebit: ſi ſimul an[illegible]bo; parebit iunior ſe[illegible]iori, tan[illegible]m patri a[illegible]as. In omni enim domo regit na-turaliter, imperat[illegible] a[illegible] eiu[illegible]s qui ſenior eſt, niſi deſipiat, ex tex: i[illegible]. Apud quoſdam igitur Græc[illegible] populos, vt Dionyſius tradit, annus tertius à pub[illegible]rta-te poteſtati patriæ finem impo[illegible]ebat: apud alios nuptiæ, aut geſti mag[illegible]s. Quæ inſtituta meliora Roma[illegible] [illegible]uerunt: niſi quod pro anno te[illegible]tio à pubertate vigeſimum quintum [illegible] mallem. Etenim qui hunc quidem an-num impleuit, iam perfectus ætate, & prudentia, quantū ad ſeipſum, domumq; regen-

Io. Leo in 6. parte Aphricæ ſuæ.

In Nauigatione cuiuſdam Naucl. Luſitani ad inſulam D. Thomæ.

Dionyſius lib. ij. ff. de liberis & Poſthumis l. et. C. de Patria poteſtate l. fin.

Iura Romana patria poteſta tis in vita libe rorum.

ff. de Obſeq. à liber. et libert. l. p.

Patria poteſtas Romanor. erat perpetua.

Patria poteſtas non debet eſſe perpetua, & de eius termino.

Lib. ij.

re[illegible] r[illegible] q[illegible]. [illegible]

[illegible]

[illegible]tas [illegible]

a[illegible] Nam aut [illegible] ſunt [illegible]

[illegible] A[illegible]tum per[illegible] mors natura-

l[illegible] patris [illegible] vel amborum; [illegible] A patr[illegible]

[illegible] pat[illegible] eman[illegible] adoptio,

[illegible]onem; ab[illegible]icatio, qua[illegible] pa

[illegible], & [illegible] pater. Pa[illegible] culpæ ſunt ſæuitia patris [illegible] tur-

[illegible] cogit [illegible] ium emancipare; & neglig[illegible] in bo-

[illegible] Mors [illegible]is, parent[illegible]ue, in cuius poteſtate [illegible] ſuit

[illegible]anc[illegible] qu[illegible] pater, aut ſuperior [illegible], & ſit

ipſe [illegible] eius [illegible] qui moritur, [c] non t[illegible]en ex a[illegible]

[illegible] emancip[illegible], [d] [illegible] b ea poteſtate per d[illegible]m liberat[illegible], re

c[illegible] in poteſtatem ſuperſtitis. [e] Mors ciu[illegible], qua

c[illegible] r, id eſt ciuitatem, & ciuitatis iura amittunt, [illegible]x:

V[illegible] a per maximam capitis diminutionem. [f] Media capitis

din[illegible] e mor[illegible]er is, qui, retenta libertate, ciuitatẽ tantùm amit-

ti[illegible]. hoc autem dupliciter dicitur euenire, vel ex deportatione [illegible] in inſu-

lam; vel, more antiquo, ex aquæ, & ignis interdictione. [g] [illegible] maximam dimi-

nutionem capitis, mortemque ex ea [illegible] incurrunt, q[illegible] vna cum

ciuitate perdunt libertatem, id eſt quicunq; ſeruitut[illegible] s mo-

dis contingi[illegible]: aut enim captiuitate ſi quis captus ſit a[illegible] aut indigen-

tia, ſi ad pretium participandum venundari ſe paſſus fuerit: aut d[illegible] ne ſi

vel in metallum damnetur, vel beſtiis ſubijciatur, alij'ue [illegible] quo [illegible] veram

afferat mortem; vel ob ingratitudinem erga patronum, qu[illegible] libertus fu-

ſet, in ſeruitutem reuocetur. [h] Quocunque horum ſeptem modorum accidat mors ciuilis vel patri, vel filio vel ambobus, excep[illegible] qui eſt pro-

prius patris, ſoluitur patria poteſtas, ſed non perfectè [illegible] redeant [illegible]

vel c[illegible] reſtituantur; reuertitur; in captiuis quidem [illegible] eo

tempore, quo pri[illegible]um cap[illegible] fuerunt, [k] in cæteris au[illegible] ab eo [illegible] q[illegible]o [illegible]

reſtitui, iure reſtitutionis. Epiſcop[illegible]tus, Patric[illegible]us, C[illegible]tus, Pra[illegible]a,

omnesque [illegible] curia libera[illegible]nt, [illegible] per[illegible] e eos,

in quos [illegible] par[illegible] m[illegible], ex [illegible]tione Iuſtiniani [illegible]ma

de Decur[illegible] ou[illegible] q[illegible]us [illegible] Epiſc[illegible]atu. [illegible] his d[illegible]a-

ti[illegible]us a[illegible] ſace[illegible] quam [illegible]

poſt p[illegible] non ian[illegible]

d[illegible]tate [illegible]

ren[illegible] Per[illegible] im[illegible] vis apud

Græcos f[illegible]: h[illegible] b[illegible]que e[illegible] emancipa-

tio, & ado[illegible] [illegible]ncipe[illegible] n[illegible]em; [p] &, ſi

eum a[illegible] cui par[illegible] es p[illegible] ma[illegible] dederit

in ad[illegible] e[illegible] n [illegible] quom ſo[illegible] pri[illegible]a pot[illegible] ſpa-

tr[illegible] opti[illegible] patris. Ob p[illegible] ſtatuit

[illegible], coeg[illegible] ue patrem q[illegible] ma[illegible] contra pietatem

[illegible] emanc[illegible]ate atq[illegible] hoc [illegible] um per-

[illegible] a ipſo defuncto No[illegible] P[illegible], & Ariſton,

dene[illegible]ta patri po[illegible] bonorum, qui illius fuerant, v[illegible] ſcribit Papinia-

nus

Exilium.

Mors naturalis.

Mors ciuilis.

Ex media capitis diminutione.

Ex maxima capitis diminutione.

Dignitas.

Abdicatio.

Emancipatio.

Adoptio.

Sæuitia patris.

[illegible] Nouella. Quo [illegible] illud [illegible] Proſecia. [illegible] Capitis [illegible] Maxima cap. [illegible] Quibus modis ius pat. pot. §. Pœna. [illegible] ff de Capitis [illegible] Inſt. Quibus modis ius pat. [illegible] §. ſi ab hoſtibus. [illegible] de Sectis. [illegible] Quib. modis ius pat. [illegible] § pars [illegible] de Decu-

rionibus [illegible] Nouella de Sanctiſſimis & ſcribitur cat. 20 [illegible] ſi ſol § ſi ius fam. [illegible] de G[illegible] Nou. [illegible] de Sãct. Epiſc. [illegible] a [illegible] remanere in pot [illegible] Nou[illegible] p. 10 Die[illegible] Valentini [illegible] lib [illegible] pat. poteſt [illegible] §. Præterea [illegible] p. C. de Adoptionib. l. 20. Inſt. eod. § ſed hodie. & Quibus modis patr. pot. ſi ſol. §. Sed [illegible] pater.

nus l 5. Si à parēte quis manumiſſus. Ex turpi etiã patris vita, ne filij compellantur, incitentur'ue exemplo ad turpitudinem, liberandos eos eſſe auxilio iudicis; cogendamque patrem, vt emancipet, commonefacit l. 13. Theodori, & Valentini de Epiſcopal. audient. Denique negligentia in rebus, & bonis filij, vt ſi diu paſſus ſit pater res filij per tutores adminiſtrari ambiguam reddit, & incertam patriam poteſtatem ex l. p. Antonini, & Veri de Patria poteſtate. Inutiliter adderentur [q] hæreſis & alia crimina, quorum pœna eſt mors. vt enim illis mors comitatur, continentur in prima forma; vt verò damnatio, in alia, quæ ad mortem ciuilem ex maxima capitis damnatione attineat. Hæ ſunt omnes cauſæ, quæ ex toto Romano iure priori, poſteriorique ſoluunt aut omnino, aut quodam modo patriam dominationem. Furorem autem, & dementiam patris, quæ maximè ſoluere debebant; ſi quidem hic dominatus ad prolis vtilitatem, inſtitutionemque datus eſt nobis à natura; nullo pacto ſoluere tradit Vlpianus in l. 8. de His qui ſui, vel alie. Atque hactenus de patria poteſtate Romanorum in liberos ſuos tam adoptiuos, quàm naturales. æquale enim in vtroſque ius fuit. Huic poteſtati par fortaſſe, certe magna erat apud Gallos, Cæſaris temporibus: à quo ſcribitur lib. vi. habuiſſe eos vitæ, neciſque in liberos poteſtatem. At, ſi vitæ, neciſque habuerunt, inquiunt nonnulli, videntur & bonorum habuiſſe. Quod tamen non eſt neceſſarium. nam in vxores quoque idem ius habebant vitæ, & necis: nec tamen earum bona ad viros pertinebant: quinimò, vt idem Cæſar literis prodidit, ſeruabantur fructus dotis, pecuniæque à viro cum dote communicatæ, acquirendi vnà cum tota pecunia ab vxore, ſi viro fuiſſet ſuperſtes. Hodie Franci, qui Gallis eiectis ſedes eorum tenuerunt, minimum habent Patriæ poteſtatis Romanorum. quapropter dixit Accurſius Francigenus non habere filios in poteſtate, ſed tenere eos vt prorſus abſolutos. Perſis eadem fuiſſe in liberos poteſtas videtur, quæ fuit Romanis: ſi illi quidem liberis vtebantur vt ſeruis, quod ſcribit Ariſtoteles in viij. ad Nicom. diſſimilia enim ſunt quæ narrantur à Strabone ſub exitum libri xv. & à Xenophonte in initio Pædiæ Cyri. Idem tradit Accurſius de Sclauis, eſſe, inquam, iis filios ſeruorum loco. Apud Græcos multo mitior, æquiorque fuit patrum dominatio, vt intelligitur ex iis, quæ ſcribit Dionyſius in lib. ij. licet ipſe Romana præferat inſtituta. Licebat græcis patribus moderatè filios ſuos caſtigare. omnis animaduerſio vacabat ſæuitia: & ad correctionem filiorum, non ad internicionem, aut cruciatum dirigebatur. Vbi nulla amplius emendationis ſpes fuiſſet; vti abdicatione, tanquam ſumma, & grauiſsima pœna, quæ paternam deceret charitatem, patribus permittebatur: nec vltra eam progredi poterant. Stata etiam tempora erant, quibus finiretur hic dominatus: licet perpetua eſſet reuerentia, perpetuus cultus, quo filij patres proſequebãtur. Sed de paterni imperij inſtitutis fortaſſe plus, quàm ad ſatietatem. Ad coniugalia tranſeamus. Romuli ſeu leges ſeu capita legum de illo imperio hæc fuiſſe feruntur. Vnum, cuius Dionyſius meminit, fuit huiuſmodi: Vxor, quæ in manum viri cōuenerit, omnium rerum, ac ſacrorum illius particeps efficitor, & æquè, ac ille, domus domina eſto, quandiu pudica, & obſequens ei permanſerit. Iuſta lex vnà, atque vtilis: quippe quæ congruat cum iure naturali ſuprà à nobis expoſito, vt vxor ſit viri ſocia, & tamē vir ſit caput eius. Quamobrem vſu comprobata, etiam ſtabilis, nec mutata, ſed confirmata à ſucceſſoribus fuit. [a] Vxor, inquit imperator Gordianus, ſocia rei humanæ, atque diuinæ domus ſuſcipitur. [b] Et Modeſtinus: Nuptiæ ſunt coniunctio maris, & fœminæ, & conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio. Et alia ſexcenta in eandem ſentētiam leguntur in iure noſtro. Vnde & illa ſunt: Vxorem ſequi domicilium, forum, & conditionem mariti, eiuſque dignitatibus, ac priuilegiis gaudere: Fortuitorum caſuum alterum alterius eſſe participem: Petereque, ac obtinere maritum vxorem ſuam à quolibet, etiam a patre illius poſſe. Lata eſt autem lex propriè de iis vxoribus, quæ in manum viri conuenirent. Nam, vt ait Cicero in Topicis, duæ formæ vxorum erant apud Romanos; vna earum, quæ conueniſſent; altera earum, quæ nō conueniſſent in manum

Turpis vita patris.

Negligētia patris in rebus filij.

q vide cap. 8. de Hæreticis in vi. Decretal.

Furor patris, q maximè ſoluere debebat patriam poteſtatem, non ſoluit iure Romano.

Patria poteſtas Gallorū.

Inſtit. de Patria poteſt. §. ius autem.

Patria poteſtas Perſarū.

Cap. 10.

Patria poteſtas Sclauorū.

Patria poteſtas Græcorū.

Inſtituta Romana de cōiugali imperio.

Lex p. Romuli attinēs q̄ itē ad ſocietatem coniugum, & imperiū viri.

Aequitas huius legis.

a. de crimine expilatę hęreditat. l. 4.

b. de Ritu nuptiarum l. p.

Vxorū formę apud antiquos Romanos.

num viri: primæ appellabantur etiam matresfamiliâs: ſecundæ non matresfamiliâs, ſed vxores tantùm. Conuenire autem mulier in viri manum dicebatur, quæ, recedens à patris poteſtate, aut à ſua ex auctoritate tutorum, tranſibat in poteſtatem viri, vt eſſet ei deinceps quaſi filia, ac ſua heres, nec teſtari, nec contrahere cum aliquo, nec in iudicio ſtare ſine auctoritate mariti poſſet. Et peragebatur hoc, conueniebatq; in manum mulier duobus modis: aut enim ſtatim conueniebat coemptione, cuius coemptionis certæ fuerunt ſolennitates, commemoratæ ibi à Boetho, & alibi ab aliis; aut vſucapione per vſum integri anni, vt colligunt Connanus, & Sigonius ex 2. cap. iij. lib. Auli Gellij, & ex oratione eiuſdem Ciceronis pro Flacco. Non conueniebant in manum vxores illæ, quæ quom nuberent, minimè tranſibant in maritorum poteſtatem: ſed vel manebant ſui iuris, ſi fuiſſent emancipatæ; vel in paterna ditione retinebantur, ſi eſſent filiæfamiliâs, donec vel vſucaperentur à maritis; vel vltrò patres, ſi filiæfamiliâs: aut ipſemet tutorum auctoritate, ſi ſuæ poteſtatis erant, iuri renunciarent ſuo, hocque maritis concederent. Ita verò etiam intelligi, ac defendi poteſt id, quod Boethus ait, in quo reprehenditur à Sigonio: mulieres, quæ vſu nuberent, matresfamiliâs nõ dici, nec in manum conuenire. Initio nanque, quæ vſu nupſiſſent, non conueniebant in manum: ſed poſtea & ipſæ conuenire poterant, vel vſucaptæ, à maritis, vel remittentibus tutelam patribus, & tutoribus ſuis. Quoniam igitur, nec fieri poterat, vt quæ maneret in poteſtate, & in ſacris vel ſuis, vel paternis, reciperetur item in mariti domo, ſocia humani, & diuini iuris, euaderetque hoc modo particeps duplicium priuatorum ſacrorum, quæ niſi vna eſſe nequeunt, quum ſint propria & priuata; nec videbatur ſatis æquum duorum ſimul, ideſt mariti, & patris heredem ſuam fieri; aut dominam rerum mariti, non impertientem ipſam res ſuas marito; tulit Romulus legem de iis propriè vxoribus, quę in manum conueniſſent. Altera lex Romuli, de qua etiam mentionem facit Dionyſius hæc fuit: Vxor, quæ in manum mariti conuenerit, fueritque illi pudica, & obſequens; in illius defuncti bona hæres ſuccedito, ſicut parentis filia; ex aſſe quidem, ſi ille ſine liberis, inteſtatoque deceſſerit; ſi prolem reliquerit, ex æquo cum liberis. Et tertia, cuius meminerunt Cicero, & Boethus in Topicis, hæc: Bona omnia, quæ mulieris in manum conuenientis antea fuerunt, ex hoc ipſo, quod illa conuenerit in manum, viri fiunto dotis nomine. Iſtæ duæ leges inter ſe, & cum prima coniunctæ iuſtæ ſunt: pendente æquitate tertiæ ex prima, & ſecunda; æquamque ſecundam reddente tertia. Nam ſi, cõueniendo mulier in viri manum, fieri debet rerum illius domina, hæresque ſuccedite in bona defuncti vel ex aſſe, vel æqualiter cum liberis: æquum item, ac par eſt, vt eodem modo bonorum, quæ eius mulieris fuerant, vir dominus. efficiatur; ſuccedatque in ea hæres, ipſa defuncta. Ac viciſſim, niſi hęc ſtatuerentur; illa, ſtatui, iniquum ſimiliter eſſet. Si quicquam apparet differentiæ, aut iniquitatis; id totum eſt à parte liberorum: qui in patris poteſtate ſic ponebantur lege Romuli; vt, quicquid acquirerent, ei acquirerent, quocirca ſuccedebant patri, non ſuccedebant matri hęredes; cui ſolùm, ſuccedebat maritus. de qua iniquitate diximus ſuprà. At quanquam iuſtę eſſent hę duę leges cum prima coniunctę: tamen humana prauitas, & inconſtantia, ex quibus diſſentiones inter coniuges, indeq; diuortia ſunt nata; rerum dominos mutare eas coegerunt. ſiquidem in diuortiis, ſicut animis, & corporibus, qui fuerant coniuges, ſeparabantur, atque in diuerſas ibant partes, vnde factum nomen diuortij, vt [a] Paulus ait: ita neceſſe erat & ipſorum res ſeparari, ſuasque vtrique reddi, pręſertim ei, qui diuortij cauſa nõ fuiſſet. Quamobrem ab eo tempore, quo primum diuortium Romę factum eſt, neceſſarię rei vxorię cautiones viſę ſunt, vt Gellius ait: quę quidem antea nullę fuerant, nec in vrbe Roma, nec in Latio; quia nullis etiam tunc matrimoniis diuertentibus, ſuccedenteq; vxore in bona mariti defuncti, nihil deſiderabantur. Exinde antiquatæ ſunt illę duę leges: & pro iis alię ſuper alias latę. E quibus, quod ad hanc ætatem firmum permanſit, hoc eſt. Diuiſerunt bona mulierum quę nuptui traderẽtur in dotem,

& præ-

Connanus lib. viij. Comment. cap. 3. Sigon. lib. 1. de iure Romanorum cap. 9.

Boethus lib. iij in Topica Ciceronis. Sigon. loco citato.

Secunda & 3. lex ad bona cõiugum pertinentes.

Cicero & Boethus lib. iij. Topicorum.

Aequitas harum duarum legum.

Mutatio harũ duarũ legum.

a ff. de Verb. ſignif. l. 191.

Cautiones rei vxoriæ quãdo primùm, et cur introductæ.

Gellius lib. iiij cap. 3.

Bona mulierũ, q nuptui traduntur. biſariam diuiſa.

Præter dotalia, & ius mariti in ea.

& præter dotem, *εἰσφέρω*, ἢ *παράφερνα* Græci vocant. ª Hæc *παράφερνα*, quaſi præter dotalia bona appelles, ideſt quæ dote dicta non fuerint, ſed ab vxore præter dorem in domum mariti illata; manere vxoris propria iuſſerunt, ita vt in ijs maritus, nec dominium, nec vſum, nec communionem vllam, prohibente vxore, nec quidquam aliud iuris obtinere poſſet, niſi præſtandi eorũ cuſtodiam. ᵇ Dotalia omnia tranſire ad maritum, fierique ipſum reuera illorum dominum tantum tempus, quantum matrimonium durat. Itaque nec vxorem, nec eum, qui res illas dedit conſtante matrimonio, ᶜ alienare, ᵈ vendicare'ue eas à marito vnquam poſſe, niſi certis caſibus, vel ᵉ inopiæ eius, vel ᶠ damnationis, vel ᵍ ſeruitutis, vel poteſtatis paternæ: & maritum tum ʰ fructus omnes, tanquam ſuarum rerum percipere, tum vendendi, alio'ue modo alienandi illas, & ⁱ ſeruos manumittendi, dum ſit ſoluendo, facultatem habere. Et hoc quidem antiquo iure. nam poſt lege Iulia, alijſque conſtitutionibus cautum eſt, ne viro liceret prædium dotale ᵏ alienare, aut obligare, aut ˡ ſeruitutes ei debitas amittere, aut nouas imponere. Diſſoluto autem matrimonio morte, diuortio'ue, ᵐ cuius vxor non ſit in culpa; redire bona dotalia; aut, ſi hæc vel perierint, vel alienata à marito fuerint, æſtimationem litis eorum nomine, ad ⁿ vxorem, ſi ipſa ſit ſuperſtes, & ſui iuris; vel ad vxorem, & patrem, ſi ſit in poteſtate patris: ſi defuncta eſt, eratque ſui iuris, redire ad eius ° hæredes, relictis quintis in ſingulos liberos in infinitum penes virum; ſi non erat ſui iuris, ſed filiafamiliâs, aut ſi hæredes non ſcripſit, & dos ſit profectitia, ad ᵖ patrem reuerti, relictis ſimiliter quintis penes virum in ſingulos liberos in infinitum: quòd ſi nec pater viuat, muliere mortẽ oppetente, vel ᵠ aduentitia ſit dos maritum ſuccedere, præterquam ſi is, qui dedit, vt ſibi redderetur, ſtipulatus fuit, quam dotem ſpecialiter receptitiam vocari ʳ ſcribunt Caius, & Vlpianus. Cautiones illæ rei vxoriæ, quæ quingentis ferè annis poſt Romam conditam, neceſſariæ viſæ fuerant, ˢ ſublatæ ſunt à Gratiano, Valentiniano, Theodoſio, & Iuſtiniano Impp. decretumque, ne maritus, ne'ue eius pater, aut vllus alius, qui dotem ſuſciperet, de ea reddenda vllam præſtare ſatisdationem cogeretur; ſatiſque eſſet mulieri, habere hypothecam tacitam in bonis mariti, quod primùm more, & conſuetudine inductum eſt, deinde etiam ᵗ lege cautum. Et contra legem de ſucceſsione vxoris in bona uiri inteſtato morientis ex æquo cum filijs, aut ex aſſe, ſi ille orbus deceſsiſſet, non modò communi iure ᵘ ſancitum eſt vocari prius parentes, & liberos, & propinquos omnes, eam verò ſexto, ac nouiſsimo loco, ſolùm ante fiſcum: ſed etiam lege municipali quibuſdam in ciuitatibus ſtatutum, ne ex teſtamento vxor relinqui hæres poſsit, eadem, opinor, ratione, qua ˣ donationes inter virum, & vxorem ius commune prohibuit. Aut eædem nanque, aut proximæ cauſæ eſſe videntur harum trium largitionum; vt vir hæredem vxorem ſuam ſcribat; & vt ei aliquid donet, vel conſtante matrimonio; vel propter nuptias: licet primũ, & poſtremum genus, ideſt hæredẽ ſcribere, & donare propter nuptias lege cõmuni permittantur, ſola ſimplex donatio inter coniuges interdicta ſit. Imò addere t callidus quidam argutator magis fortaſſe timendum, ne in donationibus ante, vel propter nuptias, quando vxoris potiundæ flagrat deſiderio, & in teſtamentis conficiendis quom æger, ac morti proximus videt eam circa ſe omnia charitatis munera implentem, erret maritus, & amore, blanditijſque ad ea adducatur, quæ minimè deceant; quàm in ſimplicibus donationibus, quæ fierent conſtãte iam matrimonio, & dum vxore frui ipſe, vt vult, poteſt. Itaque Solon, qui donationes ſimplices coniugibus non interdixit; iuſsit tamen pariter ea teſtamenta irrita eſſe, quæ quis vxoris impulſus blanditijs feciſſet, & quæ feciſſet coactus neceſsitate, vt refert Plutarchus in Romanis quæſtionibus: in neceſsitate enim magnam vim ineſſe; at in illecebris dolum, & fraudem violentia non 98

Dotalia, & ius mariti in ea.

Cautiones rei vxoria quando, & à quibus ſublata.

De vxoris ſucceſsione in bona viri inteſtatò morientis.

Tria largitionum genera viri erga vxorẽ, & qua eorum magis, qua minus prohiberi debuerint.

a. ff. de Iure dotium, l. 10. C. de Pactis conuentis. l. 8. et 11. et de Donat. inter virum, & vxorẽ l. 17.
b. ff. de Iure dotiũ. l. 8. 10. 70. 78 81. Inſtit Quibus alienare l prin.
c. C. de Iure dotium. l. 17. 22. 23.
d. C de Rei vẽdit. l. 9. & Solut. matrim. 7. & de collatio nibus l. 5.
e. ff. Solut. matrim. l. 21.
f. C. de Repudijs l. p.
g. ff. de Iure dotium l. 47.
h. ff. de Iure dotium. l. 1. & Solu. matrim. l vlt. C de Rei uxor. act. l. vnica. §. Fœtus autem.
i. ff. de Manumiſsionib. l. 21.
k. ff. de Fundo dotali. l. 4. C. de Rei uxor. act. l. vlti. § Et cum lex Iulia
l. ff de Fundo dotali l. 5. & 6.
m ff de Diuortijs. l. 11. C. de Repudijs l. 8
n. ff. Sol. matrimon. l. 2. C. eod. l. vlti. & de Rei vxor. act. l. vnica §. Cumq; iuris, Et hoc ex rei. Nouella.
o. ff Solu matrimo l. 28. C. de Rei uxor. actione l. unica. § ille procul dubio, & manent ex ſtipulatu.
p. ff Solu matrim. l. 11. & de Iure dotium. l. 6. & 7. C. Solut. matrim. l. 4. Vlpianus Inſtit. de Dotibus.
q. Vlpianus Inſtit. de Dotibus.
r. Caius de Donat. cauſa mortis l. 31. Vlpianus Inſtit. de Dotibus.
s. C. Ne fideiuſſor. vel mandat. dot. l. 1. & 2.
t. l. p. C. de Rei vxor act.
u Inſtit. de Bonor. poſſeſſ. §. Aliam verò.
x. ff de Donat. inter virum & vxor. C. eod.

minorem. Verùm de his omnino, ac coniunctis legibus, deque earum regulis, & exceptionibus, quæ penè innumeræ ſunt, ad dotem, παράφερνα, ſucceſsiones, bona denique coniugum attinentibus vtrum, & quatenus æquæ, aut iniquæ ſint

Vera cauſa cur donationes inter coniuges vetauerit Romulus.

alio loco conſyderandum. Hoc ſolùm dicam, veram cauſam, cur Romulus donationes inter coniuges vetauerit, à ſolo Plutarcho in quæſtionibus Romanis, & in coniugalibus præceptis explicatam, nec Sextum Cæcilium, nec Vlpianũ, nec Antoninum, nec vllum alium iuriſconſultorum attigiſſe; nec attingere quidem potuiſſe. quippe poſterioribus ſeculis iam ſublata erat perfecta illa cõ-

Quæſt. 8.

Coniugalis cõmunitas rerũ, corporum, animorum.

munitas omnium rerum inter coniuges, quam induxerat Romulus; quamque tantopere eos decere ait Plutarchus, vt, in vnam omnia congerentes, commiſcentesque ſubſtantiam, vtraque pars omnia ſua ducat, nihil alienũ; non quædam ſua, quædam aliena. Et ſanè cui coniugio amor aſpirauerit, quod ſolum eſt verum coniugium, primùm tanquam è Platonica ciuitate eijcit meum, & tuum, vt in Amatorio ſcribit idem Plutarchus, nec modò rerum, ſed etiam corporum, & animorum: quum neque velint duo eſſe, neque duo ſe eſſe cenſeant.

Plutarchus in coniugalibus præceptis. Plutarchus in vita Romuli, Dionyſius in ij. Anti quitatum, Gellius lib. x. cap. 23. Athenæus lib. x. cap. 13.

Quarta, quinta, ſexta lex de pœnis.

Tres alias leges minus æquas, & in tyrannidem inclinatas Romulus tulit, quibus viri vxores plectendi ſuas, eijciendo, condemnando, necando illas certam quandam poteſtatem ſumpſerunt. Prima harum legũ huiuſmodi fuit: Eijciendi vxorem, diuortiumque ab ea faciendi viro ob quatuor cauſas ius eſto; ſi veneſica; ſi adultera; ſi filium alienum pro ſuo ſuppoſuit; ſi claues ſubiecit, ideſt ſi furtum fecit: vxor autem nulla de cauſa virum relinquito. Secunda lex fuit talis: Vbi vxor quidquam peccauerit, vir eam, cognita cum propinquis cauſa, vt viſum fuerit, multato: in primis verò ſi pudicitiam violauerit, et, ſi vinum biberit, acriter punito. Tertia lex: Vxorẽ in adulterio ſi deprehenderit maritus, necandi eam abſque iudicio ius habeto. Colliguntur autem hæc ex Plutarcho,

a. Gellius li. xiij. cap. 3. & lib. xvij c. 21. Dionyſius lib. ij. Valerius li. ij cap p. Plutarchus quaſ. Rom. 14. b & c. Plutarchus loco citato.

Eijciendi vxorem, & generaliter diuortia faciendi iura Romana.

Dionyſio, Gellio, Athenæo, quorum etiam Gellius Catonem, Athenæus Polybium citat. Σφοδρὰν, ideſt violentam, ac duram fuiſſe priorem iſtarum legum ait Plutarchus, qua liceret viro dimittere vxorem, non liceret vxori à viro diſcedere. Antiquata ergo eſt; & vtrique parti permiſſum diuortium; nec ſolùm ob eas cauſas, ob quas viro permiſerat Romulus, ſed ob aliam quamuis etiam leuiſsimam, & tandem nullam: quanquam, ſi nulla fuiſſet, multabantur, mulier parte dotis, vir tempore eius reſtituendæ, ac fructibus.[a] Sp. Carbilius, qui primus Romæ diuortium feciſſe traditur, vxorem ſuam, quod ſterilis eſſet, repudiauit. [b] Sulpitius Gallus ſuam, quòd illa veſtem in caput deduxiſſet. [c] P. Sempronius ſuam, quia funebres ludos ſpectaſſet. Paulus Aemilius ſuæ, ne indicata quidem cauſa, nuntium remiſit: & mirantibus, ſciſcitantibusque amicis calceum oſtendit, qui qua parte eum premeret, nemo noſſet. Cæſar dimiſit Pompeiam ex ſuſpicione tantummodo peccati, qua etiam ſuſpicione vacare debere vxorem Cæſaris dixit. Incertas deinde cauſas concludi cœpta diuortiorum impunè faciendorum licentia [a] tam reſponſis prudentum, quàm Principum conſtitutionibus. Sed quia alias alij tradiderunt, & quidam [b] leuiores; quædam etiam prætermiſſæ fuerant, [c] quæ probarentur; rurſus factæ ſunt incertæ: donec Theodoſius, & Valentinianus [d] emiſſa in hoc ſpeciali cõſtitutione omnes collegerunt, quas dignas, & iuſtas diſſoluendi matrimonij cauſas opinati ſunt: vt, ſi præter illas quis repudium miſiſſet, maritus, aut vxor, ijs pœnis plecteretur, quæ ibi exponuntur. Ad eas tamen cauſas Theodoſij, & Valentiniani paulopòſt addidit [e] Anaſtaſius coniugum amborum conſenſum, ex quo repudium mitti liceret. Et hac cauſa, ſi coniuges cõſentirent, reiecta, [f] Iuſtinianus quatuor alias in eius locum ſubſtituit: ſi ambo, vel alter eorum ad meliorem migraret vitam, ſacerdotij, aut monachatus; ſi vxor operâ vel induſtriâ ſuâ abortum feciſſet; ſi ita libidinoſa eſſet, vt commune lauacrum cũ uiris libidinis causâ habere auderet; ſi dum eſſet in matrimonio alium maritum ſibi fieri conaretur.

a. Vide ff de Donat. inter virum & vxorem. l. 61. 62. 63. & de Diuortijs. l. 4. & Sol. matrim. l. 23. & alijs locis. b. Nouella, Vt liceat matri. § Quia verò. c Nouella eadem. §. Prædictis, & C. de Repudijs. l. vltima. d C. de Repudijs. l. 8. e. C de Repudijs. l. 9. f Nouellis, Vt liceat matri, & de Nuptijs, & C. de Repudijs. l. vltima. Vide pro his Doctores ſcholaſticos in iiij. Sen. dd. de matrimonio. Canoniſtas ĩ iiij. Decretalium. tit. de Diuortijs. & in 28. q. 1. & in 32. q. 7. & in 33. q. 2.

Iura pontificia, & Decreta Scholaſtica de diuortijs ſeparatio nibusque coniugum.

Tandem verò iure Pontificio, communique doctorum ſententia, ac conſuetudine derogata eſt vis omnibus cauſis diuortiorum: omniaque vetita, vnde nouæ nuptiæ conficerentur, niſi ab altero poſt mortem alterius: permiſſa, ſi cœlibes maneant, aliquando perpetua, aliquando ad tempus, ob quinque cauſas: quæ ſunt pro-

feſsio

feſsio religionis,& vitæ monaſticæ, aut clericalis ex communi amborum cõiugum conſenſu; alterutrius adulterium; defectio à fide; periculum animæ imminens, ſi alter alterum ad peccandum induceret; periculum imminens corpori, vel mortis vel læſionis,& morbi grauis ex alterius aut morbo, aut odio, & inſidijs. In adulterio, & profeſsione religionis perpetua diuortia conceduntur; quæ magis propriè appelles diuortia: in reliquis tribus temporaria, & ſeparationes, vt nominantur, vel tori, vel habitationis, vel vtriuſque, potius quàm diuortia; quoad ſcilicet vel ille, qui à fide defecerat, reſipiſcat; vel ceſſent pericula, quæ imminebant. Iudicia autem,& animaduerſiones in vxores. quas maritis media lex dabat, ob eaſdem cauſas, rationesque ad iudiees publicos ſunt tranſlatæ, ob quas ad eoſdem tranſlatæ ſunt, quæ fuerant parentum in filios, & quæ in ſeruos dominorum. Vetitum etiam a[a] Theodoſio,& Valentiniano caſtigari vxores verberibus, quæ ingenuis aliena eſſent; & à[b] Iuſtiniano flagellis, aut fuſtibus cædi ſine aliqua earum cauſarum, ob quas ſolutio matrimonij permittebatur. quanquam melius erit, & naturæ congruens, plagis omnino abſtinere, verbis corrigere, vt diximus ſuprà. Nouiſsima lege faſerat marito occidere ſine iudicio vxorem, quam in adulterio deprchendiſſet. Hanc legem ipſe quoque Cato iniquam iudicauit; quia ex æquo virum, & vxorem non reſpiceret; &, quum vir vxorem in adulterio deprehenſam ſine iudicio impunè poſſet occidere, vxor virum digito contingere non auderet: quos tamen coniuges, & conſortes hoc eſt pares in matrimonio eſſe omnino conuenit. Ergo inſequenti tempore abrogata lex eſt,[a] & ius datum patri, non marito, vxorem in adulterio deprehenſam necandi, eò etiam magis, quoniam impetus, & calor mariti facile ſæuientis refrænandus fuit, vt ait Papinianus. ob quem impetum, à iuſto dolore proficiſcentem,[b] marito necanti ignoſcitur,[c] hoc eſt, vt M. Antoninus, & Commodus ſunt interpretati, vltimum remittitur ſupplicium, quo aliâs afficeretur per legem Corneliam de Sicarijs: ſed punitur aut relegatione, aut opere perpetuo. Et cum hac lege ciuili, vetante maritos occidere vxores ſuas deprehenſas in adulterio,[d] conſentit tum ius Pontificium, tum[e] ſchola omniũ Theologorum. Huiuſmodi fuit coniugale imperium apud Romanos. Apud alias etiam nationes varium multiplexque extitit. Barbaris fœminas, & ſeruos eodẽ fuiſſe loco dicebat Philoſophus ſuprà in textu 8. Mahometis ſuperſtitio non pro ſeruis, ſed pro belluis eas ducit, vt ad eum textum annotauimus Gallos ſcribit Cæſar in lib. vj vitæ, necisque in vxores poteſtatem habuiſſe: & quom paterfamiliâs illuſtriore loco natus deceſsiſſet; propinquos eius cõuenire ſolitos, ac de morte, ſi quidquam ſuſpicionis inerat, ſeruilem in modum vxores quæſtioni ſubijcere; facinorisque compertas interficere, excruciatas igni, ac tormẽtis omnibus. Olim Germani, vt refert Tacitus, vxores accipiebant laborum, periculorumq; ſocias, idem in pace idem in prælio paſſuras, auſuraſque; quem morem penè etiam num retinent: adulteriorum, ſi qua fierent, pœna præſens, & maritis permiſſa; acciſis crinibus nudatam adulteram coràm propinquis expellebat domo maritus, ac per omnẽ vicum verbere agebat. Sed non eſt huius loci, nec conſilij noſtri omnium gentium mores, atque inſtituta perſequi. Præclatè hoc fecit Alexander Sardus, vrbis noſtræ ornamentum: qui auſus eſt, vnus Italorum, omne æuum tribus explicare chartis. Satis itaque fuerit de Romanis inſtitutis, quæcunque ad paternum, coniugaleque imperium ſpectant, hactenus dixiſſe. Nam ſi quæ alia ſunt iura præter enumerata inter patrem, & filium; virum,& vxorem; vt dotandam eſſe filiam à patre; pertinere ad maritum onera matrimonij; & reliqua huius generis; illa quidem obligationis iura ſunt, non imperij. Debet verò multa & ciuis ciui, quæ inuicem ſunt præſtanda, nec tamen alter in alterum dominationem, aut imperium habet.

Iudicandi, & caſtigãdi vxores iura Romana.

Necandi vxorem in adulterio deprehenſam iura Romana.

Ius Pontificiũ & Scholaſticorum Theologorum ſententia de eadem re.

Coniugale imperium aliarum nationũ.

Alexãder Sardus Ferrarienſis.

Alia iura inter patrem, & filium, maritũ & vxorẽ, obligationis iura ſunt non imperij

a. C. de Repudijs l. 8.
b. Nouella Vt liceat matr. §. ſi quis autem.

a. l 22 ff Ad legem Iuliam de Adulterijs.

b. ff Ad Syllam Senatuſconſ l 3.
c. ff Ad lege Iuliã de Adulter. l 38. §. Imperatores.
d. 33. q. 2. c. 6. & 7
e. Magiſter Sententiarum, & Doctores omnes in iiij. d. 37.

Et ſenior, ac perfectus iuniori, & imperfecto. Vtrum ſolus pater, an etiam mater in liberos imperium habet? Iuriſconſulti fœminas negant habere liberos in poteſtate. Sed lex naturæ indidit nobis cultum, & reuerentiam erga ambos. quocirca ſcriptum eſt in decalogo: honora patrem tuum,& matrem tuam. Et educant, inſtituuntque nos plerunque, ſaltem in infantia,& pueritia, magis matres,

Imperium in liberos vtrum ſolus pater habeat, an etiã mater.

quàm patres. Belluę etiam nos docent, naturâ obedire matribus filios: atque illas non minus, quàm patres, imò fortaſſe plus dominari, regere, caſtigare pullos ſuos. Quæ non cernerentur planè in belluis, & in nobis erga matres, caſtigari, gubernari, inſtitui, educari, imperari, obedire, reuereri ſine naturali matrum in filios imperio, ac poteſtate. Hûc item facit, quod dicunt iuris Pontificij doctores: dari à patre filium impuberem in vitam monaſticam non poſſe, matre obſiſtente: & poſſe à ſola matre, ſi pater non contradicat.

Adi Panormitanum in ca. 2. de regu & tranſf. ad relig. com. 3. nu. 6. qui extat Innoc. & alios.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLI.

Quénam re ciuile imperium in multis ciuitatibus diſsimile ſit coniugali? quòd viciſsitudine imperandi, & parendi. Et cur? quia æquales naturâ eſſe ciues debent. Quoque pacto cum ea ipſa ſimilitudine adhuc appareant ſimilia, quandiu ciuium hic imperat, ille paret: quoniam aſſumuntur inſtituto hominum ab eo, qui imperat, pro naturalibus viribus ad imperandum accidentaria quædam inſignia legitimæ poteſtatis in figuris, id eſt in geſtu, ornatu, comitatu, in ſermonibus, in honoribus; cuius quidem inſtituti imaginem quandam Amaſis rex Aegyptijs ſuis oſtendit, conflato ex pelui Dei ſimulacbro. Hæc tollunt dubitationem exorientem contra primam partem tertiæ differentiæ proximè expoſitæ.

Text. cxlj [a] Ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον: [b] ἐξίσου γὰρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηδέν. [c] ὅμως δὲ ὅταν τὸ μὲν ἄρχῃ, τὸ δὲ ἄρχηται, ζητεῖ διαφορὰν εἶναι καὶ σχήμασι, ἐν λόγοις, καὶ τιμαῖς: [d] ὥσπερ καὶ Ἄμασις εἶπε τὸν περὶ τοῦ ποδανιπτῆρος λόγον: [e] τὸ δ᾽ ἄῤῥεν ἀεὶ πρὸς τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

[a] In ciuilibus igitur imperijs plurimis commutantur quod imperat, & quod paret: [b] æqualiter enim eſſe volũt naturà; & nihil differre. [c] attamen quando hoc quidẽ imperat, hoc autem paret; ſtudent eſſe differentiam, & in figuris, & in ſermonibus, & in honoribus: [d] quemadmodum & Amaſis dixit de pelui: [e] mas autem ſemper ad fœminam hoc modo ſe habet.

d. Mentionem etiã facit de hoc Amaſi Ariſtoteles in 2. Rhetorico. c. 8.

EXPLANATIO.

Partes textus. PARTES textus quinque. Prima docet diſſimilitudinẽ ciuilis, coniugaliſque imperij; quod in illo ſit viciſſitudo imperandi, & parendi; in hoc minimè, ſed ſemper imperet mas, ſemper pareat fœmina. Secunda cauſam affert huius diſſimilitudinis, quæ cauſa eſt æqualitas naturalis ciuium, ex quibus conſtant ciuitates libertate gaudentes ſua, & imperio, quod hac de cauſa ciuile appellant, adminiſtratæ. Tertia declarat in ea ipſa diſſimilitudine apparere ſimilitudinem iſtorum duorum imperiorum: ſiquidem quod in coniugali natura facit, diſcrimen ſcilicet imperantis, & parentis; hoc in ciuili facit humana inſtitutio, adiungens imperãtibus ciuibus, quia vires naturales non poteſt, inſignia quædam accidentaria eius poteſtatis, quam lex illis tribuit, donec fuerint in magiſtratu. Quarta id confirmat

firmat quodam facto,& dicto Amaſis regis Aegyptiorum. Quinta admonet maris,& fœminę idem ſemper diſcrimen eſſe poteſtatis imperandi,& parendi ſecundum naturam; quod inter ciues imperantes,& parentes ciuili imperio lex,& inſtitutio hominum ponit.

SCHOLIA.

In ciuilibus igitur imperijs. Ciuile imperium, ἡ πολιτικὴ ἀρχὴ,& reſpublica, ἡ πολιτεία, aliquando fuſiſſimè accipiuntur pro quouis ciuitatis ſtatu, ſiue recto,ſiue deprauato, & ſiue vnus, ſiue multi, ſiue omnes ſint,qui gubernent; vt ſuprà in tex. 49. & in viij.ad Nicom. accepta fuerunt: aliquando accipiũtur anguſtè pro ſtatu eo, quem propriè rempublicam, & alio nomine τιμοκρατίαν quaſi ex cenſu poteſtatem dixeris,appellant,vt in eodem viij.ad Nicomachum,& alijs in locis. Poſſunt & tertio modo ſumi hæc vocabula pro omni recto ſtatu,in quo multi gubernant,ideſt tam pro republica,quàm pro poteſtate optimatum, vel omnino pro liberis ciuitatibus,vbi nemo vnus ſit ſimpliciter dominus. In hac tertia ſignificatione ſi nunc accipiatur imperium ciuile; non diſcrepabit,quod hîc dicitur,ab eo,quod dictum fuit in illo loco viij. ad Nicomachum: ſimile eſſe imperium viri,& vxoris optimatum imperio.

Cap. 9. 10. 11.

Iiſdem capitibus.

Cap. 10. et 11.

Ciuilis imperij,& reipublicæ vocabula, quot modis,et quomodo hîc.

Plurimis. In plurimis liberis ciuitatibus alternãt, qui præſunt,& qui ſubſunt. In quibuſdam tamen etiam continuant maiores magiſtratus, qui ſemel eos ſuſceperunt;& continuant aliquando ex lege,vt ætate noſtra Venetijs, quem Ducem appellant,& olim Spartæ Reges; aliquando contra legem, quom labaſcere,& corrumpi incipit reſpublica,vt Romæ ſæpenumero ijdem Conſules,& Tribuni plebis in odium alterius partis refecti. Qua de re leguntur pulcherrimæ illæ duæ orationes apud Liuium, vna Quintij Cincinnati in lib. iij; altera Claudij Craſſi in lib. vj. tandem Dictaturam perpetuam fecerunt L. Sylla,qui eam nomine tantum depoſuit,& C. Cæſar,qui nomen cum vi retinuit.

Cur, plurimis. Imperij alternatio,& continuatio in liberis ciuitatib⁹.

Commutantur, quod imperat, & quod paret. In populari ſtatu ex omnibus generaliter aſſumuntur, qui rempublicam adminiſtrent,ſiue apti,ſiue inepti ſint ad imperandum: in paucorum principatu ex diuitibus: in republica, & in principatu obtimatum, ex virtute præditis, & præſtantioribus. Quocirca non omnes,qui parent,commutantur, vt viciſſim fiant imperantes, niſi in populari ſtatu: omnes tamen,qui imperant,rurſus aliquando parent & in hac,& in alijs tribus formis liberarum ciuitatum. quanquam in quibuſdam earum continuantur etiã aliqui magiſtratus,vt dictum fuit.

Pro varijs rebuspublicis liberarum ciuitatũ variè intelligẽda ſunt hæc verba.

Aequaliter eſſe volunt naturâ &c. Pares ſunt omnes libertate in liberis ciuitatibus: & quoniam libertate omnes pares ſunt; putant multi ſe eſſe ſimpliciter pares. vnde exiſtit popularis ſtatus. Volunt igitur in hoc ſtatu haberi ęquales omnes naturâ; & æquè apti ad imperandum in poteſtate paucorum,qui gubernãt, præſtantes diuitijs, reliquos tenuioris fortunæ ſibi impares arbitrantur, nec dignos,qui in partem publicę dominationis veniant. At in republica,& in principatu optimatum rectius ex virtute, atque vtilitate communi æſtimandam eſſe paritatem ſocietatis ciuilis, vt omnes ij, qui hac ratione ſunt pares, æqualiter participes fiant honorum,& adminiſtrationum reipublicæ alijs,& alijs ipſorum viciſſim imperantibus & parentibus, poſtquam eodem tempore imperare ſimul omnes non poſſunt. Quanquam enim nec in republica quidem, nec in principatu optimatum ſunt pares prorſus virtute, & poteſtate imperandi, qui rerum ciuilium ſunt participes, modò imperantes,modò parentes,ſed alij alijs præſtant: certè non eſt tanta inter eos differentia, vt ob illam alij ſemper præeſſe,alij ſemper ſubeſſe debeant. quinimò ſi vnus,aut alter tantum virtute,ac prudentia cæteros anteiret,quantum neceſſe eſt anteire eum, qui perpetuò,ac ſimpliciter eſt dominaturus; ille ſtatim ab omnibus rex ſalutaretur, fieretq; regnũ ex republica,& principatu optimatũ: vel obſiſterent,& vim afferrent naturę. nã mos oſtraciſmi maximè omnium vituperãdus. ſed de his in libris ſequentibus.

In populari ſtatu quomodo æquales.

Quomodo in poteſtate paucorum.

Quomodo in republica, & in principatu optimatum.

Student

Differẽtiarum externarũ, quibus qui ciuiliter imperãt ſe ab alijs ſeiungunt, origo, & cauſa.

Student eſſe differentiam &c. Excogitauit hocratio humana, naturam imitata, vt qui eſſent in magiſtratu, cæteriſque imperarent, ſiue præſtarent, ſiue non preſtarent alijs virtute, & facultate imperandi interiori; affingerent ſibi res quaſdam exteriores oculis ſubiectas, quarum ſupra vſum communem amplitudine, & nouitate, admirationem excirantes, auctoritatem, & maieſtatem ipſi præſeferrent antecellere enim imperantes parentibus, eſt omnino poſitum extra controuerſiam, vt ſcribitur in vij. horum librorum: & ſolent homines plerunque moueri vmbris, atque imaginibus potius, quàm veris rebus. Ita Romulus apud Liuium Sancta, quæ iuſſerat generi hominnm agreſti, fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperij fecisset, cùm cætero habitu ſe auguſtiorem, tum maximè lictoribus duodecim ſumptis fecit. *Cap 14.* *Liuius lib p.*

Capita verũ externarũ, quibus ſe ab alijs ſeiungunt qui ſunt in ciuili imperio.

Figuris, & ſermonibus, & honoribus. Tangit capita differentiarum externarũ, quibus ſtudent ſe ab alijs ſe iungere qui ſunt in ciuili imperio, non ſolùm reipublicæ, & poteſtatis optimatum, ſed alio quolibet. Ad figuras pertinenr geſtus, ornatus, comitatus. *Figura.* *Geſtus.* Geſtus, hoc eſt compoſitio quædam vultus, omniumq; membrorum, & in ſtatu, & in motu talis eſſe debet, vt auctoritas, & maieſtas ſemper eluceat: quarum illam amplexamur, hanc reueremur. Malè autem iſtorum loco multi ſumunt ſupercilium, & truculentum aſpectum: vnde odium, & metus pro reuerentia, & amore. *Ornatus.* Ornatus continet habitum, & cultum omnem corporis, diademata, tiaras, togas pictas, aureas, purpureas, ſceptra, annulos, cum quibus publicè ſedent, vehunturque, thronos, ſellas, equos, currus, naues ſplendidè inſtructas: hucque etiam reuocari poſſet cultus totius domus. *Comitatus.* Tandem comitatns, famulatusque multo maximè ſuperare eum, qui priuatorum eſt, ſolet & numero, & qualitate. Hæ figuræ: in quibus maximè cauendum ne ſimiles aliqui fiant coloſſo Rhodio, foris venerabiles, intus conſpuendi, & abhominandi. *Sermones.* In ſermonibus duplex differentia eſt: nam aut ipſi alios, aut alii ipſos alloquuntur: & vtrinque alia forma orationis, alia verbo, aliæ compellationes, quàm quæ priuatos inter ſe deceant. Iubebat Paryſaris, Cyri, & Artaxerſis mater, byſsinis verbis vti eum, qui cum Rege liberè, ac tuto colloqui vellet. Nunc verò nec aurea, nec ſmaragdina eſſent ſatis: tot appellationes, tot cognomenta, tot tituli, tot inſcriptiones, tot attributiones, vſurpationesque nominationum, atque annominationum Principibus acceſſerunt, vt iam inſcriptio, appellatioue ſit maior orationis pars; nullumque relinquatur epithetum Deo, quod pariter in eos non cadat. Imò verò & proprium Dei nomen multis attributum: ò Melibee Deus nobis hæc otia fecit. Quæ congeries immanitasque titulorum, priſcis illis verè maximis, ac diuinis viris prorſus incognita, riſum ſimul, & ſtomachum prudentioribus mouẽt, quom audiunt Pientiſsimum, Clementiſsimum, Prudẽtiſsimum, Feliciſsimum, Inuictiſsimum, Inclytum, Diuum, Victorem, Triumphatorem, Alẽmanicum, Gotthicum, Francicum, & ſexcenta alia vocabula in vnnm collecta pleráque etiam iis contraria, quorum vnus veriſsimus eſſet, ac maximè proprius. *Honores.* Honores ſimiliter tam quibus ipſi alios, quàm quibus alii ipſos afficiunt, valde à communibus, & vſitatis inter ciues ſunt differentes. maximè honorare ipſi videntur, quem vel ſummis attigerint digitis: in ipſis autem honorandis manus, & veſtes oſculamur, genua inflectimus miris modis, humi procumbimus, pedibus aduoluimur, ſupplices adoramus: nec ſatis videtur: vſque adeò à laudabilibus initiis creuerunt cum adulatione ineptiæ.

Amaſis rex Aegyptiorum.

Quemadmodum & Amaſis dixit de pelui. Amaſis rex Aegyptiorum, & Apriis ſucceſſor fuit: cuius res geſtas perſequitur Herodotus in ij. libro: atque inter alias narrat iſtud commentum; quo ille conflato ex aurea pelui Dei ſimulachro; poſtquã hoc puplicè id animaduertit Aegyptios edocens, a quibus ob ignobilitatẽ contemnebatur ſe ita ex plebeio regem, quemadmodum ex pelui Deum factum traduxit eos ad ſe ſuſpiciẽdum, & honorandum. Meminit etiam huius commenti Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum: vbi Amaſim celebrat tanquam ſapientiæ, & ſapientum amatorem.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: CXLII.

Simile eſſe prorſus regium imperium paterno: quod quidem tertiæ differentiæ expoſitæ in textu 140. ſecundam partem ſpectat. Loci quatuor. Duo primi à cauſis, hoc eſt ab amicitia per exuperantiam, & à ſenectute, ob quas pater filio imperat: eſſe enim imperia ex eiuſmodi amicitia, ac ſenectute veluti ſpecies, & imagines quaſdã regij. Tertius locus ab Homeri teſtimonio, qui, Iouem regem omnium dicere quum vellet, appellauit eum Deorum, & hominum patrem. Quartus locus à proprietate regis: oportere nanque regem, vt ad eos, quibus præeſt, refertur, ſimul eſſe generis, ideſt quiditatis ac formæ eiuſdem, ſimul præſtare naturà, hoc eſt virtute: quæ quidem dupliciter cernantur in patre reſpectu filij; nam, & quà ſenior, filio iuniori; &, quà genitor, eidem genito præſtat naturà; ſunt autem quod prouectioris, & quod minus prouectæ eſt ætatis; item generans, & genitum neceſſariò in eadem ſpecie.

Text. cxlij. [a] Ἡ δὲ τῶν τέκνων ἀρχὴ, βασιλική. [b] τὸ γὰρ γεννῆσαν, καὶ κατὰ φιλίαν ἄρχον, καὶ κατὰ πρεσβείαν ἐστίν· [c] ὅπερ ἐστὶ βασιλικῆς εἶδος ἀρχῆς. [d] διὸ καλῶς ὅμηρος τὸν δία προσηγόρευσεν, εἰπών πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τὸν βασιλέα τούτων ἁπάντων. [e] φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ, τῷ γένει δ' εἶναι τὸν αὐτόν: [f] ὅπερ πέπονθε τὸ πρεσβύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ τέκνον.

Omnia, quæ in hoc tex. dicuntur, habentur etiam in cap. 7. 9. 10. 11. & 12. viij. ad Nicom.

[a] Filiorum autem imperium eſt regium. [b] quod enim genuit, imperans eſt, & ex amicitia, & ex ſenectute: [c] quæ quidem ſpecies eſt regij imperij. [d] quocirca rectè Homerus Iouem appellauit: dicens, *Pater hominumque, Deorumque*, regem horum omnium. [e] naturà enim regem diſtare quidem oportet, genere autem eundem eſſe: [f] quo modo ſe habent ſenior ad iuniorem, & qui genuit ad filium.

EXPLANATIO.

Pᴀʀᴛᴇs textus quatuor. Prima (a) proponit theorema: imperium parentum in filios eſſe vſque adeo regio ſimile, vt regium appellari poſſit. Secunda (b c) probat hoc theorema duabus rationibus, ductis à duabus cauſis, ob quas filijs imperant parentes: quæ cauſæ ſunt, vna, amicitia inter eos naturalis per exuperantiam, pendens ex beneficẽtia; altera ætas maior parentum, quàm filiorum inducens prudentiam. Tertia pars (d) idem confirmat authoritate Homeri, ſignificantis Iouem eſſe omnium regem, hac appellatione: Deorum, atque hominum pater. Quarta (e f) adhuc idem oſtendit proprietate regis. nam regis hoc proprium eſt, vt ſpecie, & quiditate proprij generis ipſe nullo modo diſtet ab alijs, quos regit; ſed ab ijs diſtet, hoc eſt eos antecellat virtute, ſeu facultate regendi, & imperandi, *Partes textus.*

randi, quæ virtus plerunque certam quandam naturam ſequitur: & hæc ambo inſunt tum in ſeniori, tum in eo qui genuit; ſi cum iuniori ille, hic cum nato conferatur.

S C H O L I A.

Paternū imperium eſt ſimile regi.

Filiorum autem imperium &c. Probatur hoc idem theorema, & iiſdem planè rationibus in viij. ad Nicomachum. intellige autem hoc imperium eſſe regium, ideſt tam ſimile regio, vt regium appellari poſsit. neq; enim re vera eſt regium, & ciuile, ſed domeſticum, in quo apparet ſpecies, & imago regij, quemadmodum dicebatur in eo loco viij. ad Nicomachum. *Cap 10 et 12.* *Cap. 10.*

Ab iiſdē cauſis, quæ ad extremum ſunt beneficētia, & prudētia, manant ambo imperia, regis in ciues ſuos, & parentis in filios.

Quod enim genuit, imperans eſt &c. Duæ cōparationes parentis, & filij; altera in amicitia; in ætate altera: & vtroque nomine imperat pater, paret filius ſecundū naturam. Amat ſanè naturaliter vterque alterum quaſi alterum ipſum, parens filium, filius parentem; ſed parens filium vt quippiam à ſe profectum; filius parentem vt quippiam à quo ipſe profectus eſt: quod ſcribitur in viij. ad Nicom. *Cap. 12.* Quia mutuò ſe amant, & ſimul viuunt, exiſtit amicitia inter eos, vt declaratur in eodem viij. ad Nicomachum: *Cap. 7.* & naturalis quidem amicitia, quia naturaliter ſe amant, per exuperationemque, atque excellentiam quandam, qua parens excellit filio tanquam cauſa effectui, & tanquam qui confert beneficia, ei, in quem conferuntur. Rurſus ætate anteit filio pater; & quia ætate, etiam prudentia, quæ eſt virtus, facultasque propria imperandi. Hæ ſunt cauſæ, & initia paterni imperij. quicquid enim excellit, beneficumque eſt, & quicquid præit facultate imperandi, æquum eſt, & natura expoſtulat, vt imperet alteri, cui præit, excellitque conferens in illud beneficia. Cernuntur eędem duę cauſę in regio imperio, vt liquet ex ijs, quæ ſcribuntur etiam in viij. ad Nicom. *Cap 7. & 11.* intercedit nanque amicitia naturalis, & per excellentiā regii cū ciuibus ſuis, quos amat, à quibusq; viciſsim amatur, vt beneficus in eos, ſpectans vtilitatē, & curam eorū habens nō ſecus, ac filiorū pater, & paſtor ouium. Iterum rex, ſi non ætate, ſaltem moribus eſſe ſenex debet, cunctoſque ciues ſuos anteire prudentia, & regendi facultate. Quoniam igitur ab ijſdē cauſis, ideſt à beneficentia, quæ eiuſmodi amicitiæ per exuperantiam eſt comes, & à prudentia, quæ ſequitur ſenectutem, proficiſcitur vtrunque imperium, regium, & paternum; neceſſe eſt paternum eſſe regio vſquequaque ſimile.

Non ſimplex amor, ſed mutuus, quæ eſt amicitia per exuperatiam, eſt cauſa, & fundamentum paterni imperij.

Ex amicitia.: Proficiſcitur ab amore, eoque nititur imperium paternum, vt dictum fuit: ab amorę autem non ſimplici, vel parentis in filium, uel filij in parentem duntaxat; ſed mutuo, utriuſq; in alterum, qui magis propriè uocatur amicitia, quàm amor. Falluntur itaque Explanatores, qui, amore filiorum prætermiſſo, unum patris amorem eſſe huius imperij originem, & fundamentū aiunt. Cur uerò parētes naturà ament filios ſuos, quidam duas cauſas afferunt; unam, *Egid. de Regim. Princip. lib ij p. a cap. 3.* quòd filij ſint parentum naturales imagines, ac ſimilitudines; alteram, quòd parentes perfectionem naturalem ſint adepti, quom filios generant. Sed harum cauſarum poſterior nimis communis, nimiſque remota eſt. prior eſt pars illius, quam nos ex viij. ad Nicomachum proximè attulimus; *Cap. 12.* amari à parentibus filios, proptereaquòd hi ex illis naſcantur quaſi alteri ipſi. Et profectò nulla alia cauſa quærenda eſt: ingenerat enim natura in primis, ut Cicero ait, præcipuum *P. officiorum* quendam amorem hominibus in eos, qui ab illis ſunt procreati. Quid dico hominibus? nonne belluæ eodem modo prolem vnaquæque ſuam; & res quoq; inanimæ, quas ſibi ſimiles, ac tanquam alteras ipſas generarunt, eas naturaliter amare, charaſque habere uidentur, adiungentes eas ſibi, ac copulantes: In libro Plutarchi de Parentum amore erga filios multa leguntur, quæ ad hunc Philoſophi noſtri locum faciunt.

Imperare ex beneficētia, et prudentia quo modo ſpecies regij imperij.

Quę ſpecies eſt regij imperij. Imperare ex amicitia, quæ in exuperantia eſt ſita, tandem ex beneficentia; rurſuſque imperare ex prudentia, & facultate imperandi, quæ ſenectutem comitatur, eſt εἶδος, inquit Philoſophus, ideſt ſpecies, & ſimili-

Cap. 10. ſimilitudo, & σχῆμα, vt dicitur in viij. ad Nicomachum, vel, ſi hoc malis, eſt forma, & eſſentia regij imperij. hoc enim imperium iiſdem ex initijs pendet, ex beneficentia, inquam, atque prudentia, quemadmodum declarauimus.

Naturâ enim regem diſtare &c. Hoc clariſsimè cernitur in genere apum, quarũ reges ſunt eiuſdem generis, ideſt formę, ac quiditatis, cuius illæ, & ad extremum ſunt apes: ſed diſtant naturâ, hoc eſt præſtant ipſis virtute, & facultate quadam naturali, qua apti ſunt imperio. Ita in genere Deorum Deum quendam regem fecerunt, ex textu 15. præſtantiorem aliis, quem Iouem antiquitas appellauit. Et ita in hominum genere rex homo erit, non aliud animal: ac fortaſſe expedit quoque, vt ſit eiuſdem nationis, & linguæ: verùm ſuperare alios debet virtute, ac facultate imperandi, omnino prudentia regia. Hanc vocat Philoſophus naturam, quia certam quandam animæ conditionem naturalem, corporiſque temperaturam ſequatur, ſine quibus ferè non exiſtat. vnde aurum illud Platonis animis nonnullorum admixtum, quo alij carent. de qua re alibi. Cur igitur Deum etiam hominum regem dicunt, ſi eiuſdem generis rex ſit oportet? Nempe minus propriè aliquando vtimur vocabulis; & tunc maximè quom ad Deũ ipſa transferimus: cuius maieſtatem nullum æquare nomen poteſt; ſatiſque feciſſe videntur qui ſimilitudinis quiddam attingunt.

Rex naturâ diſtat ab iis, quorũ eſt rex, & eſt genere idem cũ illis. Apum reges. Deorum rex. Hominum reges. Naturæ vocabulũ cur hoc loco pro virtute, & prudentia. Deus hominũ rex an propriè dicatur.

Quomodo ſe habeát &c. Nemo poteſt dubitare quin naturâ, ideſt perfectione, ac virtute antecellat ſenior iuniori; & genitor nato. cauſa enim virtute, & poteſtate pręſtat effectui, illumque in ſe continet: tum perficiuntur tempore omnes res naturales; animus in primis, & prudentia, quæ magis, ac magis in dies amplificantur, donec inſtrumenta ſuppetunt. Sed & perſpicuum eſt, non diſtare genere iuniorem à ſeniori; nec à genitore natum. omitto, de hominibus eſſe ſermonem, qui ſunt eiuſdem ſpeciei: certe ſenior, & iunior eiuſdem æui, quod eſt vitæ tempus, differentias ſignificant: vita autem, & tempus vitæ, ſiue æuum non eſt idem omnibus rebus; ſed aliis aliud: earum duntaxat eſt idem, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, tex: com. 57. ij. de Generatione, & interitu. Similiter generans, & quod generatur non ſolùm in hominibus, ſed vniuerſè in omnibus neceſſe eſt ad eandem ſpeciem pertinere; niſi quid præter naturam fiat, tex: com. 28. & 30. vij. Poſtnaturalium.

Senior, & iunior: genitor, et natus diſtant perfectione, & virtute, non ſpecie, & quiditate.

P. Cœli tex. 100.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLIII.

Has duas partes curæ domeſticæ, coniugalem, & paternam eſſe potiores, accuratioriquè ſtudio dignas, quàm alias duas, de quibus antea dictũ fuit, quarum quidem adhuc dominica antecedat pecuniariæ. Locus à rebus ſubiectis: nam animalia inanimis; homines brutis animalibus; liberi ſeruis antecellunt. Quanquam argumentum indicatur potius, quàm exponitur.

Text. cxliij. [a] φανερὸν τοίνυν, ὅτι πλείων ἡ σπουδὴ τῆς οἰκονομίας περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἢ περὶ τὴν τῶν ἀψύχων κτῆσιν· [b] καὶ περὶ τὴν ἀρετὴν τούτων, ἢ περὶ τῆς κτήσεως, ὃν καλοῦμεν πλοῦτον· [c] καὶ τῶν ἐλευθέρων μᾶλλον, ἢ δούλων.

[a] Manifeſtum eſt igitur maius ſtudium curæ domeſticæ eſſe de hominibus, quàm de inanimarum rerum * procuratione; [b] & de virtute iſtorum, quàm de * rei, quas diuitias vocamus; [c] & liberorum magis, quàm ſeruorum.

* κτῆσιν.
* κτήσεως.

EXPLANATIO.

Partes textus.

Partes textus duæ. Prima (a b) comparat homines, hominumque virtutem cum alijs, virtuteque aliorum, ex quibus res, ac diuitiæ tandem conſtant. Secunda comparat liberos cum ſeruis.

SCHOLIA.

Quo pacto ſit manifeſtum, quod hic proponitur.

Manifeſtum igitur &c. Vnde manifeſtum? Nempe ex his, quæ ſtatim ſubiunguntur, comparatione facta inter ſe rerum cuique parti ſubiectarum. Alij volunt manifeſtum eſſe ex tota antecedenti diſputatione, qua fuerit cõfirmatum, quanti momenti hæ res ſint, & quàm magnos fructus ferant, ſi ordine fiant. Verùm ego non video, vbi hoc ſit declaratum. D. Thomas, vt nos: Iudicari iis, quæ nunc dicuntur, rationem quandam huius theorematis. Quam tamen rationẽ ipſe à fine eſſe ait, non à rebus ſubiectis inter ſe collatis. Nec valde pugnarem, ſi quis eius ſequi ſententiam malit. ego quam maximè verbis conuenire arbitratus ſum, eam propoſui.

Inanima rei vocabulũ cõprehendi etiã bruta. *Procurationis vocabulum.*

De inanimarum rerum procuratione. Fortè inanimarum rerum vocabulo comprehenduntur hic etiam bruta animalia: non quod bruta verè ſint inanima; ſed quod animo, ideſt ratione protſus careant. Et procurationem interpretati ſumus τὴν κτῆσιν: quaſi omnem curam dixeris rerum inanimarum, ſiue quæſtus, ſiue conſeruationis, ſiue vſus.

Syntaxis. Res quid. Virtus rei quid.

De rei. περὶ τῆς κτήσεως, repetendum eſt nomen ἀρετὴν: περὶ τὴν ἀρετὴν τῆς κτήσεως, de rei virtute. Rem autem ideſt τὴν κτῆσιν intelligimus, vt ferè ſemper, bona, & facultates. Quæ igitur erit huius rei, ideſt bonorum ac facultatum virtus? D. Thomas reſpondet, virtutem eſſe, qua bona rectè quæruntur, & multiplicantur. Victorius, eſſe copiam, patrimonij, & tandem diuitias. Ego cum Io. Geneſio propriè virtutem cuiusque rei intelligo. eſt enim & equi, & bouis, & vini, & frumenti, & aliarum vniuscuiusque rerum propria quædam virtus, ex qua illa res bona ac perfecta nominatur, vt in primo ad Nicom. fuit declaratum. ſolici- *Cap. 7.* tusque eſſe debet paterfamiliâs, vt in quoque genere optima, fructuoſiſſimaq; ſibi adſint, veluti optimi boues, optimi equi, quemadmodum ſuprà in tex. 119. & 120. à Philoſopho dicebatur.

Pronomen, quas, quò referendum.

Quas vocamus diuitias. Pronomẽ quas, Grecè ἅς, quò refertur? ad virtutem'ne, an ad rem? Victorius, qui virtutem copiam bonorum interpretatur, refert ad virtutem. Et ad virtutem etiam referri poſſet: quia habere optimas, & fructuoſiſſimas res in quoq; genere bonorũ, ad diuitias pertinet. Vel virtutẽ rei Philoſophus appellauit non ſingillatim cuiuſq; rei, ſed vniuersè totius rei: cuius rei virtus ſit affluentia omnium bonorum, hanc autem affluentiam diuitias vocãt.

Syntaxis.

Et liberorum magis, quàm ſeruorum. Poſſumus iterum repetere ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vocem, περὶ τὴν ἀρετὴν, cum D. Thoma, Fabro, & Victorio, efficiendo hanc ſententiam: Curæ domeſticæ ſtudium eſſe de virtute liberorum magis, quàm de virtute ſeruorum. Poſſumus & ſine repetitione ſimpliciter hoc modo interpretari: ſtudium curæ domeſticæ eſſe de liberis magis, quàm de ſeruis: præſertim quòd qui de liberis, & de ſeruis conſyderat; de vtrorumque etiam virtutibus conſyderet neceſſe eſt.

Textus c x l.

Quæſtio incidens de virtutibus moralibus parentium, & imperantium ſecundum naturam.

CAPITA XXIX. ET XXX.

Quæſtio incidens multarum partium, quæ naſcitur ex verbis textus proximè antecedentis, de virtutibus moralibus ſerui, mulieris, pueri, generaliterq́ parentis, & imperantis ſecundum naturam: vtrum iſtorum, quà huiuſmodi ſunt, ſint morales virtutes, hoc eſt vtrum in eos cadant, conueniantq́ ipſis, & ſint neceſſariæ, an non; & ſi quæ cadunt, conueniuntúe, aut ſunt neceſſariæ, vtrum in ijs omnibus exiſtant eiuſdem naturæ, ac modi, cuius eſſe in viris ſimpliciter perfectis, ſiue abſolutè dicuntur, an in ſingulis differentis.

Πρῶτον μὲν οὖν περὶ. &c. Tex. cxliiii. ad clxii.

SCHOLIVM.

OMNIS virtus, quæ propriè, & quà homo eſt, in hominem cadit, aut morum eſt virtus, aut intelligentiæ, ex fine Primi, & initio vj. lib. ad Nicom. De intelligentiæ virtutibus, quæ ſunt prudentia, ſapientia, ſcientia, intellectus, ars, expoſitæ in lib. vj. ad Nicomachum, hìc non quæritur: indicatur tantùm quid dicendum, & facilem de illis ſolutu quæſtionem eſſe. Quæritur de virtutibus morum: quę aliquando verè, & propriè; aliquando communiter, & ex vulgi appellatione nominantur. Verè, & propriè ſunt compoſiti perfectè ad honeſtatem mores, vel perfecti mediocritate habitus virium animæ appetentium in affectibus, & actionibus noſtris: vt fortitudo, vt iuſtitia, vt reliquæ, de quibus diſputatum eſt in iij. iv. v. lib. ad Nicom. Impropriè, & com-

Titulus quæſtionis. Virtutis humanæ modi generales. De intelligentiæ virtutibus hic non quæritur.

Virtutes morum verè, & propriè quid.

Virtutes morũ ex vulgi appellatione quid.

muniter, hoc eſt ex vulgi ſententia ſunt habitus nondũ perfecti; ſed vel inchoati, vel manci, aut potius, quàm habitus, conſtitutiones quædam animi laude dignæ circa affectus, actionesque in ijs perſonis, quarum virtutes dicuntur, propterea quòd ad munera earum conducant: veluti in ſeruis tolerantia, in mulieribus ſilentiũ, in pueris pudor. Primum genus, ἁπλῶς, ideſt ſimpliciter, & omnino; ſecundum κατά τι, hoc eſt modo quodàm virtutes morales appellabimus. Hìc quęritur promiſcuè de morum virtutibus tam primi, quàm ſecundi generis, ideſt tam propriè, quàm impropriè nuncupatis. Habet autem hæc quæſtio quinque partes ex ſubiecto, totidem quæſtiunculas ex prædicato. Vna pars eſt de ſeruo, altera de muliere, tertia de puero, quarta de parente ſecundum naturam, quinta de imperante ſecundum naturam, qui idem eſt vir bonus atque perfectus, vt declarabitur in libro iij. In vnoquoque horum quęruntur quinque, quas quinque quæſtiunculas voco. Exempligratia in ſeruo eſt prima quęſtiuncula, vtrum virtutes morales in eum cadant: ſecunda, vtrum ei conueniant: tertia, vtrum ſint ei neceſſarię: quarta, vtrum, ſi aliquę cadunt, conueniunt, aut ſunt neceſſariæ; ſint eiuſdem naturæ in eo, & in perfectis hominibus, atque in alijs ſubiecti partibus: quinta, ſi ſunt eiuſdem naturæ in hoc & in illis; vtrum eiuſdem, etiã modi, graduſque ſint. Omnes igitur omnino partes, & quæſtiunculæ, ſi alterę in alteras ducantur, ac multiplicentur, erunt numero vigintiquinque. Porrho autem illa quęſtio, quæ pòſt tractabitur in iij. libro, vtrum ſit eadem virtus boni viri, & ſtudioſi, boniique ciuis, differt à quartis, & quintis harum quæſtiunculularum, quibus nunc quæritur vtrum in ſeruo, puero, muliere, generaliterque in parente, & in imperante ſecundum naturam ſint virtutes eiuſdem, an differentis naturæ, & modi. Siquidem de propria vtriuſque virtute, boni viri, ſtudioſique ciuis, qua vterque eorum ſua nuncupatur appellatione, vtrum eadem ſit virtus ſtudioſi ciuis, quæ eſt viri probi, ibi perquiretur: nõ de virtutibus moralibus promiſcuè ſumptis, vtrum harum vnaquæque in omnibus ijs hominibus

cuiuſ-

Partes quæſtionis.

Alia eſt quæſtio, quæ tractatur in iij. libro.

Cap. 5.

cuiuſcunque generis, & rationis, in quibus quocunque pacto exiſtit, & nominatur; ſit eiuſdem formæ, modíque, an pro illorum varietate in ſingulis differentis; de qua re quærit Philoſophus hoc in loco. Et verò ſumetur ibi ad confirmandam de illa re, quæ tunc habebitur in manibus, veram ſententiam, non ad decernendum de hac, ideſt ſumetur non vt theorema, ſed vt principium theorematis hoc, quod hìc oſtenditur, eſſe ſerui, & mulieris, & imperantis, & parentis, & probi viri diuerſas virtutes morales, vt ibi videbimus.

Huius quæſtionis.

Propoſitio.	Perſolutio.
Cap.29.tex.144.	Cap.30.tex.147.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Proponitur quæſtio cum omnibus ſuis partibus, & dubitationibus, hinc inde negotium facientibus.

Πρῶτον μὲν οὖν περὶ. &c. Tex. CXLIIII. CXLV. CXLVI.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLIV.

Prima pars quæſtionis, quæ eſt de ſeruis: vtrum ſeruorum ſint aliquæ virtutes morales, inſtrumentarijs, miniſtratricibusque, quæ in ipſis requiruntur, honorificentiores. Rationes dubitandi à repugnantibus, deducentibus in abſurda; quòd vel à liberis ſerui minimè diſtabunt: vel fruſtra erunt homines, & participes rationis.

Tex:cxliv. [a] Πρῶτον μὲν οὖν περὶ δούλων ἀπορήσειεν ἄν τις, πότερον ἔστιν ἀρετή τις δούλου παρὰ τὰς ὀργανικὰς καὶ διακονικὰς ἄλλη [b] τιμιωτέρα τούτων, [c] οἷον σωφροσύνη, καὶ ἀνδρία, καὶ δικαιοσύνη. καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἕξεων· ἢ [d] οὐκ ἔστιν οὐδεμία παρὰ τὰς σωματικὰς ὑπηρεσίας. [e] ἔχει γὰρ ἀπορίαν ἀμφοτέρως: [f] * εἴτε γὰρ ἔστι, τί διοίσουσι τῶν ἐλευθέρων, [g] εἴτε μὴ ἔστιν, ὄντων ἀνθρώπων, καὶ λόγου κοινωνούντων, ἄτοπον.

*εἴτε γὰρ ἐστι τις διοίσουσι &c. Aretinus.

[a] At primùm de ſeruis dubitauerit ſanè aliquis, vtrum ſit vlla alia virtus ſerui præter inſtrumentarias, & miniſtratrices, [b] honorificentior, quàm hæ, [c] vt temperantia, & fortitudo, & iuſtitia, & aliorum huiuſmodi habituum; [d] an non ſit vlla præter corporalia miniſteria. [e] vtrinque enim res habet dubitationem: [f] nam ſiue ſit, quid diſtabunt à liberis? [g] ſiue non ſit, quum ſint homines, & rationis participes, abſurdum.

EXPLANATIO.

Partes textus. PARTES textus duæ. Prima (a b c d) proponit quæſtionem, & quid attributum eius ſignificet, declarat exemplis. Secunda (e f g) addit rationes dubitandi, deducendo vtrinque ad abſurdum.

SCHOLIA.

Vtrum ſit vlla alia virtus ſerui, &c. Eſſe aliquam virtutẽ ſerui intellige, vel quòd cadat in ſeruum, vel quòd ei conueniat, vel quod ſit ei neceſſaria, atque vel ſit eiuſdem naturæ, vel differentis, vel eiuſdẽ gradus, vel differentis: quæ ſunt quinque quæſtiunculæ ex prædicato, de quibus diximus ſuprà. *Eſſe aliquam virtutem ſerui. quot quibusq; modis.*

Pręter inſtrumentarias, & miniſtratrices. Vel ſume ἐκ παραλλήλου, inſtrumentarias, ideſt miniſtratrices; quoniam ratio inſtrumenti, & ratio miniſtri in ſeruo, nequaquam differant: vel intellige inſtrumentarias, corporis; miniſtratrices animi virtutes, quibus ſeruus & ſciat, & poſsit munus ſuum implere. Exempligratia corporis robur, & vires ſunt corporis, & inſtrumentariæ virtutes, de quibus dictum fuit in tex: 6. & 54. habilitas ad percipienda mandata, obedientia, ſcientia ſeruilis, de quibus in 39. 53. & 69. ſunt animi, & miniſtratrices. *Virtutes inſtrumentaria. & miniſtratrices.*

Vt temperantia, &c. His exemplis oſtendit quæſtionem eſſe de morum virtutibus. *De quo genere virtutum ſit quæſtio.*

Et aliorum huiuſmodi habituum. Subaudiẽdum eſt pronomen quidam quod in Græca oratione melius efficitur. ſunt enim generis fœminini apud Græcos ἀρετὴ habitus, & virtus. *Syntaxis.*

Pręter corporalia miniſteria. Ideſt præter eas virtutes, quę pertinẽt ad ſeruitia corporalia, inquit D. Thomas, quas vocauimus inſtrumentarias, & miniſtratrices. *Corporalia miniſteria.*

Nam ſiue ſit &c. Hæc propriè ſpectant primam, & ſecundam quæſtiunculam. *Expoſitio verborum.*

Quid diſtabunt à liberis? Sic habent omnia græca exemplaria, quæ ego videre potui, τί διοίσουσι τῶν ἐλευθέρων, vt legamus cum interrogatione. Aretinus pro neutro interrogatiuo τί, fortaſſe ſcriptum inueni τὶς fœmininum infinitum. iungit enim hanc vocem cum antecedentibus hoc modo: εἴτε γὰρ ἔστι τις, ſiue ſit aliqua. &, adhibita interpunctione, ſubiungit abſurdum, quod ſequitur: διοίσουσι τῶν ἐλευθέρων, excellentiores erunt ſerui, quàm liberi. Mihi tamen lectio vulgata magis probatur. D. Thomas quaſi vtranque ſententiam complexus ſic inducit abſurdum: Non videbuntur ſerui differre à liberis, imò excellentiores videbuntur, quippe qui & ſeruorum, & liberorum virtutibus fulgebunt. Sed non video ego cur excellentiores dici debeant, qui præter liberales habeant etiam ſeruiles virtutes: quando hæ iam perfectis viris demunt aliquid, non addunt. *Lectio vulgata. Lectio, & interpretatio Aretini. D. Thomæ expoſitio.*

ARGVMENTVM. TEXT. CXLV.

Secunda, & tertia pars quæſtionis, quæ ſunt de mulieribus, & de pueris: vtrum horum, illarumq́ue ſint virtutes morales. Rationes dubitandi non exprimuntur, ſed ſimiles afferri poſsunt ijs, quæ proximè ſunt tum expreſſæ, tum exprimendæ.

Text. cxlv. [a] Σχεδὸν δὲ ταὐτὸν ἐστι τὸ ζητούμενον καὶ περὶ γυναικὸς καὶ παιδός, [b] πότερα καὶ τούτων εἰσὶν ἀρεταί· [c] καὶ δεῖ τὴν γυναῖκα εἶναι σώφρονα, καὶ ἀνδρείαν, καὶ δικαίαν· [d] καὶ παῖς ἐστι καὶ ἀκόλαστος, καὶ σώφρων· [e] ἢ οὔ.

[a] Fermè etiam eadem quęſtio eſt & de muliere, & de puero; [b] vtrũ & horum ſint virtutes; [c] & opus ſit mulierem eſſe temperantem, & fortem, & iuſtam; [d] & puer ſit & intemperans, & temperans; [e] an non.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Partes textus. PARTES textus duæ. Prima (a b) proponit has alias duas partes quæſtionis. Secunda (c d e) declarat exemplis quid ſignificet attributum, quod in vtraque eſt idem.

SCHOLIA.

Attributum quæſtionis. *Vtrum & horum ſint virtutes.* Morales intellige, ſicut in textu ſuperiori. quod exempla ſequentia oſtendunt.

Opus ſit, δεῖ. *Et opus ſit mulierem.* Verbum, δεῖ, opus eſt, ſiue oportet poteſt deſignare ſecundam, & tertiam quæſtiunculam: ſignificat enim hoc verbum non modò quod eſt neceſſarium, ſed aliquando etiam quod decet, ac conuenit: poteſt & propriè tertiam, ac per eam ſecundam, & primam.

Prima quæſtiuncula eſt de virtutibus, & de vitijs morum. *Et intemperans, & temperans.* Prima igitur quæſtiuncula, vtrum cadant, non ſolùm eſt de virtutibus, ſed etiam de oppoſitis vitijs. In eodem nanque ſubiecto contraria recipiuntur, & quicquid capax virtutum eſt, item eſt capax vitiorum ex ij. ad Nicomachum.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLVI.

Quarta, & quinta pars quæſtionis, quæ ſunt generales de parente, & imperante ſecundum naturam: vtrum parentis, & imperantis omnino, ideſt ſecundum naturam ſint morales virtutes. Rationes dubitandi: vna, quòd non ſint eædem amborum, ex actibus, & differentijs eorum ſpecificis imperandi omnino, & parendi quæ differentiæ actusque cauſam non habebunt: refutata etiam ex ijſdem ſpecificis differentijs reſponſione; ſi quis diceret cauſam eſſe poſſe diſcrimen pluris, minorisque, quod ſit inter eaſdem virtutes; quandoquidem plus, & minus non variant ſpeciem; differunt autem ſpecie inter ſe illa, quorum differentiæ cauſam quærimus. Altera ratio dubitandi, quòd vtrique conueniant, & ſint neceſſariæ, ex offitijs vtriuſque: nam huius bene imperare, illius bene parere propriæ ſunt partes; nihil autem eorum, quæ decent, facit, qui eſt vacuus virtute, & ſubiectus vitijs, affectibusque vitioſis.

Tex: cxlvj. [a] Καὶ καθόλου δὴ τοῦτ' ἐστὶν ἐπισκεπτέον περὶ ἀρχομένου φύσει καὶ ἄρχοντος, πότερον ἡ αὐτὴ ἀρετὴ, ἢ ἑτέρα. [b] εἰ μὲν γὰρ δεῖ ἀμφοτέρους μετέχειν καλοκαγαθίας· [c] διὰ τί τὸν μὲν ἄρχειν δέοι ἂν, τὸν δὲ ἄρχεσθαι καθάπαξ; [d] οὐδὲ γὰρ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον οἷόν τε διαφέρειν· [e] τὸ μὲν γὰρ ἄρχεσθαι, καὶ ἄρχειν εἴδει διαφέρει· [f] τὸ δὲ μᾶλλον καὶ ἧττον, οὐδέν. [g] εἰ δὲ τὸν μὲν δεῖ, τὸν δὲ μή· θαυμαστόν: [h] εἴτε γὰρ ὁ ἄρχων μὴ ἔσται σώφρων, καὶ δίκαιος· πῶς ἄρξει καλῶς; [i] εἴθ' ὁ ἀρχόμενος· πῶς ἀρχθήσεται καλῶς; [k] ἀκόλαστος γὰρ ὢν, καὶ δειλὸς, οὐδὲν ποιήσει τῶν προσηκόντων.

Et vni-

[a] Et vniuerſè porrho hoc eſt conſyderandum de parente naturâ, & imperante, vtrum eadem virtus ſit, an altera. [b] nam ſi oporteat quidem vtrunque participem eſſe probitatis; [c] cur hunc quidem imperare par ſit, illum autem parere omnino? [d] neq; enim fieri poteſt, vt differant eò, quod eſt magis, & minus, [e] parere nanque, & imperare ſpecie differunt; [f] magis autem, & minus, nequaquam. [g] ſi autem alterum quidem oportet, alterum verò non; mirum: [h] ſiue enim imperans non erit tẽperatus, & iuſtus; quomodo bene imperabit? [i] ſiue parens; quomodo bene parebit? [k] intemperans enim qui eſt, & timidus, nihil faciet eorum, quæ conueniunt.

E X P L A N A T I O.

Partes textus.

Partes textus quinque. Prima (a) proponit conſyderandum generaliter de parente, & imperante ſecundum naturam, vtrum ſit eadem virtus amborum, an vtriuſque diuerſa, ideſt nunquid in vtrunque cadant, & vtrique conueniant, ac ſint neceſſariæ morales virtutes: &, ſi in vtrunque cadunt &c. vtrum ſint in ambobus eiuſdem naturæ, & modi, an in vtroq; differentis: quæ ſunt quinque quæſtiunculæ ex prædicato expoſitæ ſuprà. Proponens enim Philoſophus poſteriores, vtrum eadem ſit virtus, an altera, ſimul indicat priores, quas deinde etiam in rationibus dubitandi tangit. Secunda pars textus (b c) continet rationem dubitandi, qua exiſtimatur non poſſe virtutes morales, quæ eædem ſint, eſſe in vtroque, in parente, inquam, & in imperãte. nam ſi hoc diceretur, nulla afferri cauſa poſſet, cur alter imperans, alter parens eſſet naturâ; & hic omnino, ſemperq; parêre; ille ſemper omninoque imperare deberet. Tertia pars (d e f) eijcit reſponſionem, qua quis fortaſſe rationi huic obſiſteret, dicens, eaſdem reuera cadere in vtrunque virtutes; ſed tamen differentes maioris, & minoris ratione: ob quam differentiam, qui maiores habeat, debere imperare; qui minores, parêre. Refutatur hæc reſponſio: quia parêre, & imperare; imperanſque, & parens, quæ eiuſmodi ſunt omnino, & ſecundum naturam, differant inter ſe ſpecie: magis autem, & minus, quodque ex ijs diſcrimen ſumitur ſpecies differentes facere nullo pacto queant. Quarta pars (g h i) continet rationem dubitandi è contrario, putandique neceſſarias vtrique eſſe eaſdem morales virtutes. nam ſi alteruter ijs deſtitueretur, præſertim temperantia, & iuſtitia, rectè fungi munere, officioque ſuo imperandi, parendiúe minimè poſſet: eſt autem abſurdum non poſſe rectè imperare, quod eſt imperans; vel non rectè parêre, quod eſt parens omnino, & ſecundum naturam. Quinta pars (k) probat connexum huius ſecundæ rationis dubitandi pronunciato generali, quod eſt huiuſmodi: quiſquis virtutibus moralibus caret, vitijſque, & affectibus vitioſis eſt obnoxius, præſertim intemperantiæ, & timiditati; ille verò nunquam quicquam rectè, nec eorum, quæ conueniunt, faciet.

SCHOLIA.

Qualis hîc quæſtio.

Et vniuersè porrho hoc eſt conſyderandum &c. Id,quod de ſingulis quærebatur,ſeruo,muliere,puero,iam quærendum eſt vniuersè de parente, & imperante naturâ: vtrum quæ virtutes morales ſunt imperantium,illæ etiam ſint parentium ſecundum naturam: & vtrum ſimiliter neceſſariæ ſint vtriſque morales virtutes. Qui autem addit parenti,& imperanti vocem,naturâ, excludit omnia alia imperantia,& parentia ex vi,arte,lege,fortuna: quæ naturam non ſequantur.

Quæſtiuncula ſignificata.

Vtrum eadem virtus ſit, an altera. Hæc pertinent ad quartam, & quintam quæſtiunculam. ergo & tres alias indicant,quæ illas antecedunt.

Nam ſi oportet quidem, & infrà, *ſi autem alterum quidem oportet*. His ſignificatur tertia quæſtiuncula,& per eam ſecunda,& prima.

καλοκαγαθία.

Probitatis. Sic verto καλοκαγαθίαν. de qua dictum eſt in iiij.ad Nicom. Probo nihilominus & eorum qui præclaram bonitatem, & eorum, qui perfectam virtutem vertunt interpretationes: quanquam aptiſsimè hîc non quadrent ob illa, quæ ſubiungit Philoſophus de maioris, minoriſque diſcrimine. nam ſi minor eſt virtus; non eſt perfecta.

καθάπαξ.

Parere omnino. Græcè καθάπαξ, quaſi dixeris per omnia. Quidam interpretati ſunt perpetuò; D.Thomas exponit per totam vitam. Non repugno;& ad extremum eadem ex his vocabulis elicitur ſententia. quod enim paret, aut imperat naturâ; id imperat etiam, aut paret omnino, & ſemper: contrà ac fiat in imperijs non naturalibus, in quibus nec ſemper, nec omnino eadem ſunt imperantia,& parentia.

Sentẽtia huius orationis obſcura,& manca.

Neque enim fieri poteſt,vt differant eo,quod eſt magis,& minus. Si dixeris differre maioris,& minoris ratione eaſdem virtutes.quæ ſint in parente,& in imperante ſecundum naturam; non ob id doces, nec potes cauſam afferre, cur alter imperans ſit,alter parens. ipſi enim,itemque actus eorum, imperare, & parere,ſpecie inter ſe differunt: at ex ſolo diſcrimine maioris, & minoris non exiſtit differentia ſpecierum. Hæc autem,quæ hîc dicuntur, rurſus ad quintam quæſtiunculam attinent.

Non ſatis eſt differre virtutes imperantium, & parẽtium,maioris, & minoris ratione.

Parere, & imperare ſpecie differunt. Actus parendi, & imperandi ſunt oppoſita ex relatione; atque ſpecie,& forma inter ſe differunt: ergo & ſuppoſita, quorũ ſunt illi actus,imperantia,inquam,& parentia,quatenus talia,different ſpecie:& cauſæ formales,à quibus illi actus proficiſcuntur, quæque definiunt ſuppoſita, eodem modo ſpecie diuerſæ erunt. ſunt autem hæ cauſæ formales virtutes vel inſitæ, vel cõparatæ: ergo non ſatis eſt differre eas maioris, & minoris ratione. Quia verò in hac parte dubitat, & quærit tantummodo Philoſophus, minimè mirum ſi res ab eo non diſcutitur perfectè.

Magis,& minus non variant ſpeciẽ.

Magis autem & minus nequaquam. De hoc enunciato, Maioris, & minoris differentia non variat ſpeciem dixi ego aliâs & Zim.diſputat in Theoremate 78.

Quo loco diluatur hæc ratio.

Sine parens, quomodo bene parebit? Infrà Philoſophus in parte quarta capitis ſequentis diluet rationem iſtam, oſtendens his moralibus virtutibus non egere eos,qui naturâ parent,niſi aliquatenus,& quodammodo, non ſimpliciter.

Vitijs,aut vitioſis affectibus deditus agere bene nihil poteſt.

Intemperans enim qui eſt &c. Vt bene agamus, eaque, quæ deceant, ac conueniant,neceſſe eſt cum rationem veram eſſe,tum appetitum rectum, eademque omnino & illam affirmare, & hunc perſequi, vt ſub initium vj. ad Nicom. eſt conſtitutum. vitia autem, vitioſique affectus diſtortiones, incuruationesque ſunt appetitus; & obſcurant, atque occæcant rationem.quomodo igitur ab his correptus quicquam agere bene, aut conuenienter poterit, niſi id faciat fortuitò?

Textus

Text. CXLIV.

Perſolutio incidentis quæſtionis.

CAPVT XXX.

Perſoluitur tota quæſtio cum omnibus partibus ſuis. Cadere in ſeruum, mulierem, puerum, denique in parentem, & in imperantem naturà virtutes morum, alias vt congruentes, alias vt neceſſarias ad eorum opera, ſed differentijs quibuſdam diſcretas: quippe virtutum moralium ſecundi generis omnes iſtos compotes fieri, ſingulos tamen differentium vel ſpecie, vel modo: & primi generis ſimilitudines dūtaxat ſpectraq́ cadere in ſeruos, non uirtutes; initia, & ſemina in pueros; eas ipſas uirtutes differentes ſolùm ratione à uirtutibus uirorum, ſicut uita differt à uita, & fœlicitas à fœlicitate, in mulieres.

φάνερὸν τοίνυν ὅτι. &c. Tex. CXLVII. ad CLXII.

SCHOLIVM.

QVANDO quæritur de imperante, parente, muliere, puero, ſeruo, vtrum cadant in eos virtutes morales, vtrum conueniant, & ſint ijs neceſſariæ, & vtrum in omnibus ſint eiuſdem ſpeciei, & modi; ſeparandæ quæſtiones ſunt; & de vnaquaque parte tam ſubiecti, quàm prædicati ſeorſum ab alijs reſpondendum. De imperante igitur ſecundum naturam, cui ſubſunt pater, dominus, maritus, ſic reſpondemus: compotem eum eſſe omnium virtutum moralium, quæ ſimpliciter dicuntur, omneſque eum decere; quibuſdam etiam illarum egere prorſus ad opus ſuum imperandi, præſertim iu-

Reſponſio ad ſingulas quæſtionis particulas.

De imperante ſecundum naturam.

ſtitia, & temperantia, vt indicatum eſt in textu ſuperiori 146. tum quæcunque harum virtutum in eo exiſtunt, eſſe eiuſdem vnanquanque ſpeciei, & modi, cuius eſſe dicitur abſolutè in perfecto viro, & prout de ea diſputatũ fuit in Ethicis, ideſt omnino perfectam, propterea quòd opus eius perfectum ſit, & maximè principale. Vtrum verò præter iſtas, quæ ſimpliciter ſic nominantur, neceſſaria ſit adhuc imperanti ex altero genere, quod appellauimus κατά τι, alia quæpiã virtus moralis propria, & ſua ad imperandi opus, (nam de intellectuali, ideſt de prudentia, certũ eſt proprium in quoque imperante prudentiam requiri) aliàs conſyderabimus.

De parente ſecundum naturam. De parente ſecundum naturam nihil eſt, quod propriè in præſentia dicamus. nam, vt ad hunc locum pertinet, parens ſecundum naturam eſt neceſſariò vel ſeruus, vel mulier ſiue vxor, vel filius, quandiu hic puerilem ætatem non exceſſerit: quippe vir factus omnes virtutes habere debet, eiuſdemque generis, ac modi, cuius ſunt, quę ſimpliciter dicuntur, & ſunt viri perfecti. *De ſeruo.* Seruum decent, eique ſunt neceſſariæ ex ſecundo genere virtutum, hoc eſt ex conſtitutionibus animi laudabilibus, quæcunque ad opus ſeruitutis probè adminiſtrandum conducunt, vt obedientia, humilitas, tolerantia, & cæteræ eiuſdem rationis, quas hac de cauſa in textu 144. miniſtratrices, & inſtrumentarias Philoſophus vocabat: nec in alijs eas inuenies, niſi differentes naturà, & gradu. Ex primo autem genere, ideſt ex propriè appellatis virtutibus nec magnificentia, nec magnanimitas vllo pacto in ſeruum cadit. anguſtiorem enim animum ſeruus habet, quàm vt tam grandium virtutum ſit capax. Inutiliter etiam admitteret liberalitatem, qui nihil poſsidet. Comitas, veracitas, vrbanitas apparent aliquando in ſeruili ingenio, ſed diuerſę prorſus naturæ, ac appareant in liberali. nec tales quidem ſeruis congruunt; quibus parum eſt otij: nec vllam afferunt vtilitatem ad ſeruiendi munus. Tres ſolæ earum, quæ in Ethicis ſunt explicatæ, manſuetudo, fortitudo, temperantia, vt cadere in ſeruos, ita conuenire, neceſſariæque eſſe ijs videntur: ne ob libidinem, timorem, iram peccent in ſeruiendo, incitati, aut

determi-

deterriti. Verùmtamen pro fortitudine, temperantia, man
ſuetudine, tolerantiam, continentiam, iræ vacuitatem me-
liùs dixeris. Fortè autem ne ſic quidem bene: nam continen
tia, & tolerantia per ſe honeſtatem ſpectant; ſeruus nō pro-
pter ſe, ſed propter alium quęrit honeſtatem. Veriùs itaque
durities pro fortitudine; pro temperantia, & manſuetudi-
ne, à libidine iraque ſe inuictum, ob timorem pœnæ, aut of-
fenſionis domini, præſtare in ſeruis dicentur: ſimilitudines
ſcilicet, ſpectraque potius virtutum, quàm virtutes. Nulla
enim prorſus verarum virtutū, quæ propriè, ſimpliciterq;
ſic nominantur, ſine prudētia, & acie rationis illa eſſe poteſt,
qua ſeruus caret. Imò nec vtiles quidē eſſent vera fortitudo,
vera tēperantia, vera manſuetudo ad ſeruiendū: ſed retrahe-
rent eos, in quibus ineſſent, à vili, & abiecto miniſterio. Sa-
tiſque eſt ſeruo, ſi tantum habeat virtutum iſtarum quantū
ei ad rectam ſui muneris functionem conducit. Quemad- *De Muliere & puero.*
modum autem ſeruus ob animi ſui tenuitatem (caret enim
rationis acumine, quo probè conſilium capitur) nullius vir
tutis moralis, quæ propriè ſic nominetur, eſt perfectè com-
pos: ita nec mulier ob impotentem, nec puer ob imperfectā
eandem conſultandi partem. Hoc tamen differunt mulier,
& puer à ſeruo: quòd in ſeruo prorſus ὁμωνύμως; in puero, &
muliere non prorſus ὁμωνύμως exiſtere id genus virtutum po-
teſt. Etenim mulier & temperantiam, & liberalitatem, & iu
ſtitiam, & reliquas ſimiliter habere aliquādo cernitur eiuſ-
dem naturæ, ac ſpeciei, cuius viri habent, licet non eiuſdem
modi. Et puer ſæpe rudimenta, incunabulaque earum ipſa-
rum virtutum oſtendit, quas progreſſus ætate plenè adipiſci
tur. Ex alijs autē virtutibus ſecūdi generis, quæ propriè vir
tutes non ſunt, ſed conſtitutiones laudabiles; quaſdā habent
mulier, & puer, vterque ſcilicet proprias, ac ſuas; quæ aut ne
ceſſariæ, aut vtiles ſunt ad munera eorum probè explenda;
&, ſi in alijs cernantur, ſunt modi, aut ſpeciei diuerſæ. Eſt
pueri munus rectè inſtitui ad honeſtatem, ſeque hac de cau-
ſa inſtituenti penitus tradere. Mulieris munera ſunt parere
viro, ſuppetias ei ferre in domo, ac familia regenda, pudici-

tiam

tiam cuſtodire. Quamobrē quæcunq; conſtitutiones laude dignæ in hæc munera conducunt, ei, cuius munera ſunt, aut cōgruūt, aut etiā ſunt neceſſariæ. Exēpli gratia, ſilentiū, quia ad pudicitiam cuſtodiendā facit, mulierē decet, virum minimè: verecūdia, quia ad rectam inſtitutionē correctionemq; conducit; laudatur in puero, in ſeniore non eſt laude digna.

Concluſio & ſumma reſpōſionis. Commune eſt igitur puero, mulieri, ſeruo: vnumquenq; eorum ex laudabilibus animi conſtitutionibus, quas virtutes morales ſecundi generis appellamus, quaſdam ſuſcipere partim idoneas, partim neceſſarias ad ſuum munus probè administrandum, ita proprias ſibi, vt, ſi in alijs cernantur, nō ſint eiuſdem vel naturæ, vel modi. Eſt ſerui proprium nullas poſſe habere virtutes morales veras, & perfectas. quòd ſi quædā aliquando ei attribuantur; attribui nomine tantum; & ὁμωνύμως prorſus eſſe illas virtutes, quæ nominentur; quia nec initia illarum ſint; nec illæ ipſæ modo, & ratione differentes, ſed ſpectra, & ſimilitudines duntaxat illarum. Puer propriè habet ſemina, & rudimenta iſtarum virtutum. Mulier propriè habere ipſas poteſt, ſed differentes ratione, & modo ab iis, quæ in viro perfecto cernuntur; pro modo ſcilicet vitæ, & fœlicitatis; quæ minus perfecta, humiliorque eſt in muliere, quàm in viro. Itaque virtutes, quæ vocantur nominibus verarum virtutum moralium, in ſeruis differūt genere, in pueris quodammodo ſpecie, in mulieribus modo ab iis ipſis moralibus virtutibus veris, quarum nominibus cientur.

Partes trigeſimi huius capitis.

Caput ſolutionis. Pars prim. tex. 147.	*Demonſtrationes duę ſecundę partis ſolutionis. Pars ij. tex. 148.*	*Confirmationes tres einſdem ſecūdę partis ſolutionis. Pars iij. tex. 154.*	*Dubitationes emergētes tres, & earum oppreſſio. Pars iiij. tex. 157.*	*Corollaria duo. Pars v. te. 160.*
*	*	*	*	*

PARS I. CAPITIS XXX. TEX. CXLVII.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLVII.

Caput ſolutionis: Seruum mulierem, puerum, omnino parentem naturâ, & imperantem eſſe participes moralium virtutum vel vt congruentium, vel vt neceſſariarum ad eorum opera; ſed quenque eorum participem eſſe differentium ab ijs, quibus alij participes ſunt, vel genere, vel ſpecie, vel modo.

Text. cxlvij. [a] φανερὸν τοίνυν ὅτι ἀνάγκη μὲν μετέχειν ἀμφοτέρους ἀρετῆς: [b] ταύτης δ' εἶναι διαφοράς.

[a] Manifeſtum igitur neceſſe eſſe vtrunque quidem eſſe participem virtutis: [b] huius autem exiſtere differentias.

EXPLANATIO.

a [a] QVAESTIONIS de qua in præſentia eſt ſermo, duæ conſtitui ex prædicato principales partes poterant: vna, vtrum caderent in ſeruos, mulieres, pueros, omnino in parentes naturâ, & in imperantes ipſæ virtutes *Partes principales quæſtionis ex prædicato.*
b morales: [b] altera, ſi caderent, vtrũ exiſterent in omnibus eædem, an in ſin-
a gulis differentes. [a] Prima pars continet tres illarum quæſtiuncularum, de quibus initiò diximus: nempe vtrum cadant, vtrum congruant, vtrum
b ſint neceſſariæ. [b] Secunda alias duas, vtrum ſint naturæ, id eſt vel generis, vel ſpeciei differentis in ſingulis, an eiuſdem in omnibus, & cuius ſunt etiam ſimpliciter: tum ſi eiuſdem naturæ ſunt, vtrum ſint adhuc eiuſdem modi. Philoſophus illas duas ſolùm principales partes hîc expreſſit, neglectis particulis, quæ in illis comprehenduntur. nos iſtas quoque ſup-
a manifeſtũ. pleuimus, & deſignauimus in argumento. [a] Sed duarum partium principalium prima ferè nota eſt. Nã omnes in ſeruis, pueris, mulieribus aliquas virtutes morales ponunt, & nuncupant. Adhoc neceſſariæ planè ſunt ad omnem vitæ vſum aliquæ morum virtutes, hoc eſt eſſe mores oportet aliquo modo conſtitutos, ac compoſitos: ad vitæ autem vſum ſeruorum, mulierumque, ac puerorum cæteraque omnia imperia referuntur. Tandem cernuntur ſæpenumero, & clariſsimè quidem cernuntur in mulieribus, pueris, ſeruis conſtitutiones quædam animi laudabiles: quæ hîc, accepto *Seruos, pueros, mulieres, at generaliter parentes naturâ, & imperantes eſſe participes aliquarum virtutum moralium.*
b in fuſa ſignificatione hoc vocabulo, ſunt virtutes morales. [b] Maior difficultas eſt de altera parte, vtrum quæ virtutes morales illis attribuuntur, ſint eædẽ, quæ exiſtunt in viris perfectis, an in his, & in illis, & in ſingulis etiã illis diuerſæ. Hanc itaq; ſecũdã partẽ ſolutionis, hoc eſt eſſe differẽtes virtutes illas, ob quas verè dicimur virtute præditi, quæ ſunt etiam naturâ imperantium, & illas, quarũ ſerui, pueri, mulieres, omnino ſingulæ formæ eorũ, quibus imperatur, compotes ſunt, oſtendet deinceps Philoſophus. *Illæ virtutes morales, quarum ſunt participes, vtrum eædem, an differentes.*

Partes textus duę pro duabus principalibus partibus quæſtionis ſumptis à prædicato. Vocem autem *vtrunque* ſic accipimus, quemadmodum in ſuperiori textu accipiebamus, vt ſignificet imperantẽ naturâ, & parentem, cui parẽti ſubſunt mulier, puer, ſeruus. Et hoc mente maximè eſt retinẽdũ. *Partes textus.* *Vocabulum, vtrũque, quid ſignificet.*

Tex.

Textus CXLVII.

*

Demonſtrationes duæ ſecundæ partis ſolutionis.

PARS SECVNDA CAPITIS XXX.

Demonſtrationes duæ, quibus oſtenditur, uirtutes morales, quæ in ſeruo, puero, muliere, omnino in parente naturà nominantur, eſſe differentes tàm inter ſe, quàm ab ijs, quæ exiſtunt in uiris perfectis, & quæ ſunt etiam naturà imperantium.

Ὥσπερ καὶ τῶν φύσει ἀρχομένων. &c. Tex. CXLVIII. ad CLIIII.

TEXTVS CXLVIII. CXLIX. CL.

Demonſtratio prima, Locus à ſubiectis rebus, ideſt à parentibus naturà, ſeruo, muliere, puero: quæ differunt tam inter ſe, quàm à naturà imperantibus.

Ὥσπερ καὶ τῶν φύσει, &c.

SCHOLIVM.

Expoſitio totius demõſtrationis. TOTA demonſtratio eſt huiuſmodi. Parẽtia naturà, quę nunc ſunt ſeruus, mulier, puer, differunt tam inter ſe, quàm à naturà imperãtibus: ergo differunt ſimiliter cuiuſq; eorũ virtutes morales à reliquorũ virtutibus, & à virtutibus imperantiũ naturà. *Connexum.* Connexũ eſt notũ: nam eſſe mutuus reſpõſus, & conuenientia quędã debet inter res ſubiectas, & virtutes ſuperinductas: cõfirmabitur tamen vel expoſitione, vel ſimilitudine in tex. 149. *Aſſumptum.* Aſſumptũ ponitur in tex. 148. & probatur eodem modo vel ſimilitudine, vel expoſitione in 149. quod ad priorẽ eius partẽ, ideſt qđ ad parẽtiũ, imperantiũq; differentiã attinet; abſolutè verò in 150. tũ inductione, tum quaſi per locũ à cauſa ob ea, quæ cõtinuò ſequuntur in 151.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. CXLVIII.

Principium proprium huius demonſtrationis, ideſt eius aſſumptum: parentia naturà, quæ nunc ſunt ſeruus, mulier, puer, differunt tam inter ſe, quàm à naturà imperantibus.

Tex: cxlviij. ὥσπερ καὶ τῶν φύσει ἀρχομένων.

Quemadmodum & naturâ parentium.

EXPLANATIO.

PENDENT hæc verba, aptaque ſunt ex ſuperioribus: eorum autem ſententia eſt huiuſmodi: Neceſſe eſt virtutis moralis, cuius ſeruus, mulier, puer, omnino parens, & imperans naturâ participes ſunt; eſſe quaſdam differentias, ita vt differant cuiuſque iſtorum virtutes à virtutibus reliquorum: quemadmodum etiam naturâ parentium ſunt differentiæ, ideſt quoniam multa ſunt parentia naturâ, quæ differunt tam inter ſe, quàm à naturâ imperantibus. Vox, quemadmodum, eſt nota ſimilitudinis: nõ tamen eſt hoc a gumentum à ſimili, ſed à ſubiecto, & à cauſa, ſicut expoſuimus. fortaſſe verò hæc vox notat hîc modum differentiæ inter virtutes: quaſi ita differant inter ſe virtutes morales, quæ cuique iſtorum attribuuntur; quemadmodum ipſa hæc, quibus attribuuntur, quatenus huiuſmodi, & parentia, imperantiaque naturâ ſunt, inter ſe differunt. Naturâ parentiũ hîc dixit ſolùm, nec addidit imperantium. quanquam enim propoſitum eſt, dubitaturque etiam de imperantibus: tamen imperantium re uera eędem virtutes ſunt, quæ viri perfecti; diuerſæ autem à virtutibus euiuſque parentis naturâ, vt nos in argumento, & ſcholio ſuperiori indicauimus, dicetque ipſe Philoſophus in textu 152. itaque ſic interpretamur: parentia naturâ differre tam inter ſe, quàm à naturâ imperantibus.

Syntaxis, & expoſitio verborum.

Vox quemadmodum.

Cur non meminit & imperantium naturâ.

ARGVMENTVM. TEXT. CXLIX.

Connexi totius, priorisque partis aſſumpti huius demonſtrationis comprobatio vel à ſimili, vel per expoſitionem in anima noſtra: cuius animæ noſtræ duæ partes diuerſæ, quæ compos eſt, & quæ eſt expers rationis, quarum hæc paret naturà, illa imperat, habent differentes virtutes.

b. & d. Pro hac diuiſione animæ noſtræ in partẽ compote, & in partem expertem rationis, quarũ hęc pareat, illa imperet, & vtriuſque ſit propria virtus à virtute alterius diuerſa, vide in extremum primi, et in initio vi. ad Nicomachum, & in 1. 9 horum librorum, cap. 14.

Text. cxlix. [a] Καὶ τοῦτο εὐθὺς ὑφήγηται περὶ τὴν ψυχήν. [b] ἐν ταύτῃ γάρ ἐστι φύσει τὸ μὲν, ἄρχον· τὸ δὲ, ἀρχόμενον: [c] ὧν ἑτέραν φαμὲν εἶναι ἀρετήν· [d] οἷον τοῦ λόγον ἔχοντος καὶ τοῦ ἀλόγου. [e] δῆλον τοίνυν, ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

b. ſimile ſuprà in tex. 40. & que ibi.

[a] Et hoc ſtatim apparet in anima. [b] in hac enim eſt naturà hoc quidem imperans, illud autem parens; [c] quorum diuerſam dicimus eſſe virtutem; vt [d] rationem habentis, & vacuæ ratione [e] planum igitur eodem modo rem ſe habere & in alijs.

EXPLANATIO.

Connexũ q̃ꝫ: & ad quam renocetur propoſitionem.

Connexi, & enunciati, in quod renocatur, probatio duplex.

Aſſumpti altera pars, quod parentia naturâ differant à naturâ imperantibus, bifariam oſtenditur.

Connexvm erat huiuſmodi: Si parentia naturâ, ſeruus, mulier, puer, differunt à naturâ imperantibus, domino, viro, patre, & inter ſe; neceſſe eſt etiam cuiuſque illorum virtutes differre à virtutibus reliquorum, & à virtutibus imperantium naturâ. quod connexum demum in hanc reducebatur propoſitionem: Rerum diuerſarum neceſſe eſt virtutes diuerſas eſſe. [a] probatur itaque primùm hæc propoſitio ſyllogiſmo expoſitorio, ab ijs, quæ in anima noſtra apparent. [d] Nã quod particeps eſt, & quod eſt expers rationis in anima noſtra, [b] quorum hoc paret naturâ, illud naturâ imperat; ſunt res diuerſæ: [c] & harum rerum diuerſarum ſunt differentes virtutes, vt declaratum eſt in Ethicis, præcipuè ſub exitu primi, & initio vj. ad Nicom. [e] ergo in vniuerſum rerum diuerſarum virtutes ſunt differentes. [a] Iterum poſſumus probare idem connexum per locum à ſimili. nam [b] quemadmodum in anima noſtra eius, quod paret, & eius, quod imperat naturâ, [d] quorum hoc compos illud expers rationis dicitur; [c] ſunt differentes virtutes; [b] quia illa ipſa, quod imperat, & quod paret naturâ in anima noſtra inter ſe differunt: [e] ita probabile eſt etiam extra animam parens naturâ, ſeruum, mulierem, puerum, & naturâ imperans, quæ inter ſe differunt; habere differentes virtutes: & adhuc has formas naturâ parentium, ſeruum, mulierem, puerum, quum differant inter ſe, habere ſimiliter virtutes differentes. Sic igitur connexum bifariam oſtendi poteſt.

Rurſus aſſumptum, quod ad alteram eius attinet partem, id eſt parentia naturâ, quæ hîc ſunt ſeruus, mulier, puer, differre à naturâ imperantibus; oſtenditur primûm eâdem partium animæ ſimilitudine. Nam [b] quemadmodum in anima noſtra quod imperat, & quod paret naturâ, ſunt inter ſe diuerſa; [d] quippe hoc expers eſt rationis, particeps illud: [e] ita & extra animam parentia naturâ erunt diuerſa à natura imperantibus. Conficies eandem partem aſſumpti ſyllogiſmo expoſitorio ad hunc modum: [d] Quod eſt compos rationis, & quod rationis eſt expers in anima noſtra, ſunt res diuerſæ: [b] at quod eſt cõpos rationis, & quod rationis eſt expers in anima noſtra, ſic ſe habent, quòd hoc paret naturâ, illud naturâ imperat: [e] ergo etiam parentia hæc, & imperantia naturâ, de quibus diſputatur, inter ſe diuerſa erunt.

Vt rationem habentis &c.

Quod verò dicitur, *vt rationem habentis, & vacuæ ratione,* fortaſſe indicat, poſſe in anima alias reperiri partes, quarum quædam imperent, quædam pareant naturâ, & diuerſis ſubſternantur virtutibus.

Partes textus.

Textus habet tres partes. Prima (a) proponit vnde argumentum ſumi poſſit ad hæc oſtendenda, quæ volumus. Secunda (b c d) continet argumentum per expoſitionem, ſimilitudinemúe à partibus animæ noſtræ ductum. Tertia (e) concluſionem argumenti.

ARGVMENTVM. TEXT. CL.

Propria probatio totius aſſumpti huius demonſtrationis. Argumenta duo: vnum expreſſum, per expoſitionem imperantium, & parentium, de quibus loquimur; quorum uaria ſunt imperia: alterum indicatum, per cauſam; nam uis cõſiliaria animæ noſtræ, unde pendet imperij ratio, diuerſis modis ineſt, aut nõ ineſt in imperãtibus, & in unoquoq; illorũ parentiũ.

Gr[illegible]

Tex. d. ᵃὭστε φύσει τὰ πλείω ἄρχοντα, καὶ ἀρχόμενα· ᵇἄλλον γὰρ τρόπον τὸ ἐλεύθερον τοῦ δούλου ἄρχει, καὶ τὸ ἄρρεν τοῦ θήλεος, καὶ ἀνὴρ παιδός.

ᵃ Itaque naturà plura ſunt imperantia, & parentia: ᵇalio enim modo liber imperat ſeruo, & mas fœminæ, & vir puero.

EXPLANATIO.

Argumentum per expoſitionem, quod verbis textus exprimitur.

b. ᵇImperant, & parent naturâ, de quibus in præſentia eſt ſermo; liber, & ſeruus; mas, & fœmina; vir, & puer: vniuſcuiuſque autem harum liber ſer-
trium coniugationum imperium diuerſum eſt; nam alio modo liber ſer-
uo imperat; alio mas fœminæ; alio vir puero; quod per ſe ſatis conſtat:
a. ᵃergo plura ſunt imperantia, & parentia naturâ, de quibus loquimur: vel, non
ergo differunt parentia naturâ, quæ nunc ſunt ſeruus, mulier, puer, non
ſolùm ab imperantibus naturâ, ſed etiam inter ſe; quod erat aſſumptum.
vtrique enim propoſitioni eadem uis ſubeſt. Conſecutio eſt manifeſta.

Conſecutionis vis et declaratio.

b. alio enim modo. ᵇnam ſi diuerſa ſunt imperia; neceſſe eſt tum imperãtia, tum parentia eſſe inter ſe diuerſa. Sæpe tamen euenit vt altera ſimpliciter diuerſa ſint, altera quodammodo. Et in naturalibus quidem, cuiuſmodi ſunt ea, de quibus diſputatur, ſemper parentia ſimpliciter differant oportet; ſi imperia ſimpliciter ſint differentia; imperantia non ſemper neceſſe eſt ſimpliciter differre. Quinimò vbicunque idem fuerit ſimpliciter imperandi principiũ; vt in his, de quibus loquimur, eſt recta; conſiliatiaque ratio; ipſa quoque imperantia ſimpliciter idem erunt; different quodammodo tantùm, & ex eo, quòd ad parentia referuntur. Sic igitur mas, vir, liber idem homo eſt; qui puero, fœminæ, ſeruo naturâ imperat: ſeruus, fœmina, puer ſunt omnino diuerſi. Atque eiuſmodi quidem eſt primum argumentum quod ne

Imperiorũ diuerſitas qualem faciat diuerſitatem in parentibus, & imperantibus.

Alterum argumentum textus per cauſam, quod ſolùm indicatur.

a. itaque. ctitur, exponiturque ſatis perſpicuè verbis huius textus. ᵃ Alterum argumentum indicatur duntaxat vna illa voce, ὥστε, idest itaque, quæ in principio apponitur. Oſtendit enim illa vox euenire ex proximè enunciatis hoc ipſum, quod ſequitur. Multa eſſe naturâ imperantia, & parentia. Vnde autem hoc euenit, niſi ex eo, quod tactum eſt in textu antecedenti de partibus animæ, & ob id, quod deinceps dicetur in ſubſequenti, exiſtere animę partes varijs modis in imperantibus, & in vnoquoque parentium, de quibus eſt diſputatio? Nam quia differt, & varia eſt pars animæ rationis compos in vnoquoque illorum (quippe in prima forma parentium, hoc eſt in ſeruis, deſtituitur facultate cõſultandi; in alijs duabus formis, & in imperantibus compos eſt huius facultatis, ſed in ſingulis differenter, quod explicabitur textu ſubſequenti) atque eſt pars animæ rationis compos per hanc facultatem conſultandi proprium, verumq; principium, à quo fluit, & pendet ratio imperij in imperijs hominum naturalibus, vt ſuprà annotatum eſt ad textum 6. & 13. ſequitur diuerſa inter illa parentia, imperantiaque conſtitui neceſſariò à natura imperia. At ſi diuerſa ſunt imperantia ſecundum naturã; neceſſe eſt, vt paulo antè dicebamus, parentia quoque, quorum illa ſunt imperia, eſſe ſimpliciter diuerſa tam inter ſe; quam ab imperantibus. quod fuit oſtendendum.

Partes textus. Partes textus duę. In prima ponitur concluſio, indicato altero argumento, quod ſumitur à cauſa imperij. In ſecunda affertur argumentum alterum, quod conſtat expoſitione.

TEXTVS CLI. CLII. CLIII.

Demonſtratio ſecunda. Locus à cauſis, hoc eſt à ui animæ conſiliaria, principali, veraq; cauſa imperiorum naturalium inter homines: quæ vis conſiliaria primæ formæ parentium, ſeruis nimirum minimè participatur; vtriq; aliarum, & imperantibus, de quibus eſt diſputatio, varijs modis participatur.

Καὶ πᾶσιν ἐνυπάρχει μὲν τὰ &c.

SCHOLIVM.

Explicatio totius demõſtrationis et uerũ, quæ in his tribus textib⁹ tradũtur, diſtributio.

Vim animæ cõſiliariam diuerſis modis ſe habentẽ diuerſa ſequi inter homines imperia naturalia.

DEMONSTRATIO in hunc modũ conſtrui poteſt. Veram, principalemque cauſam aliquorum effectuum diuerſis modis ſe habentem ſequuntur effectus illi diuerſis modis ſe habentes: vis animæ conſiliaria eſt vera, principalisque cauſa imperiorum inter homines naturaliũ: ergo vim animæ conſiliariam diuerſis modis ſe habentem ſequuntur diuerſa inter homines imperia naturalia. Maior propoſitio eſt per ſe nota: ſiquidem effectus, & cauſæ ſibi mutuò reſpondent. Minor nota eſt ex antè propoſitis in tex. 6. & 53. & alijs in locis. Vim animæ conſiliariam diuerſis modis ſe habẽtem ſequuntur diuerſa inter homines imperia naturalia: ſed in vnaquaque forma parentium, & in imperantibus, de quibus diſputatur, diuerſo modo ſe ſe habet vis animæ conſiliaria, quia in prima illarum formarum, ideſt in ſeruis prorſus non ineſt, in vtraque aliarũ, & in imperantibus differenter ineſt: ergo diuerſum eſt naturale imperium in vnaquaque forma parentiũ, & in imperantibus, de quibus diſputatur: non differre enim ſimpliciter hæc imperantia inter ſe, ſed quodammodo tantùm, & vt referuntur ad parentia, iam diximus. Maior eſt concluſio ſuperioris ſyllogiſmi. Minor declaratur expoſitione in textu 151. Ex his proficiſcimur ad propoſitum principale. Proprium opus cuiuſque tum parentis, tum imperantis eſt proprium cuiuſque imperium: dirigitur au-

Ex tex. 152 & 153.

Imperia naturalia diuerſa eſſe in ſingulis formis parentium, & in imperantibus.

Ex tex. 151.

Virtutes morales, quæ in imperantes, et in ſingulas formas parentiũ cadunt, eſſe diuerſas.

Ex tex. 151.

tur autem virtus cuiuſque rei ad proprium ipſius opus, ex cap. 7. primi ad Nicom. vt in illud conueniat, aptaque ſit, quo illud bene efficiatur: ergo dirigitur virtus cuiusq; tum parentis, tum imperantis ad proprium cuiuſque imperium, vt ad illud conueniat, & ſit idonea: ergo, ſi diuerſa imperia ſunt in ſingulis formis parentium, & in imperantibus, de quibus diſſeritur, quemadmodum proximè concluſum fuit; neceſſe eſt ſimiliter virtutes morales, quæ in ſingulas eas formas parentium, & in id genus imperantium cadunt, eſſe differentes; conuenireq; quaſque ad illud imperium, quod formæ parentium, imperantibus'ue, quorum ipſæ virtutes dicuntur, propriè attribuitur. Itaque haud pariter omnes perfectæ; ſed quædam magis, quædam minus; quoad videlicet ſingulæ adiuuare opus, cuius causà quęruntur, & imperium poſſunt. quod concludit Philoſophus in textu 152. Inde verò in 153. colligit ſolius imperantis virtutem moralem eſſe ſimpliciter perfectam: quoniam ipſe ſolus & rationem, ſiue vim conſiliariam ſimpliciter perfectam habeat, & opus ea de cauſa ſimpliciter perfectum: vnicuique autem formæ parentium vſque eò magis, minus'ue perfectam contingere, quouſque illi congruat conueniatque ad proprium opus: quod in nulla illarum poteſt eſſe ſimpliciter perfectum: ſiquidem illarum nulla particeps perfectè eſſe poteſt rationis, & facultatis conſultandi. Facultatem conſultandi hìc intelligo, vt rationem, & cogitationem etiam intelligebam in textu 6. & 53. non eſſentiam, partem'ue eſſentialem mentis, & animæ noſtræ, ſed acumen quoddam eius, & ſubtilitatem, quam alijs nominibus perſpicaciam, & ſagacitatem, & ſolertiam appellant: qua ſanè qui carent, ſtupidi prorſus, & bardi, minimè apti ſunt ad deliberandum, & prouidendũ. qui eam habent, conſilio, prouidentiaque magis, minus'ue pollent, aut ſpecimen harum facultatum oſtendunt, prout ipſam habuerint perfectiorem, vel minus perfectam, imbecillam, aut inchoatam.

Tex. 153.

Moralis virtus qualis in imperantibus. & in vnaquaque forma parentium.

Conſultãdi facultas quid.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. CLI.

Conſtituitur, declaraturque expoſitione proprium huius ſecundæ demonſtrationis principium quod eſt huiuſmodi. Vim animæ conſiliariam, veram, certamque cauſam imperiorum inter homines naturalium, variè adeſſe, aut non adeſſe vnicuique formæ parentium, & imperantibus, de quibus diſputatur; nam quum imperantes perfectam eam habeant, mulieres habere imbecillam, pueros imperfectam, ſeruos nullo modo.

Text. clj. [a] Καὶ πᾶσιν ἐνυπάρχει μὲν τὰ μόρια τῆς ψυχῆς· [b] ἀλλ' ἐνυπάρχει διαφερόντως· [c] ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν· [d] τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μέν, ἀλλ' ἄκυρον· [e] ὁ δὲ παῖς ἔχει μέν, ἀλλ' ἀτελές.

[a] Et omnibus inſunt quidem animæ partes; [b] verùm inſunt diuerſo modo: [c] ſeruus enim omnino non habet vim conſultandi; [d] fœmina autem habet ſanè, ſed imbecillam; [e] puer verò habet quidem, ſed imperfectam.

a. Simile ſuprà tex. 6 & 33. & infrà tex 162.

E X P L A N A T I O.

Dictvm eſt in textu 149. animam noſtram duas partes habere: quarum vna ſit compos; altera ſit expers rationis. [a] Vtranque igitur harum partium perſpicuum eſt ineſſe in [a] omnibus ſeruis, dominis, mulieribus, pueris, viris, parentibus denique, & imperantibus huius generis, quod hominum eſt, & naturale. [b] At non in omnibus vtraque ineſt eiuſdem omnino modi, & naturæ. [c] quanquam enim pars vacās ratione haud multum differt, cernitúrque in omnibus cunctas ſuas vires tueri: pars rationem habens non retinet cunctas ſuas: & in quibus retinet, retinet valde differentes. Numeratur in eius viribus illa, qua deliberamus, præuidemusque ea, quæ ſunt agenda: quæ licet non ſit propriè vis, & pars animæ noſtræ eſſentialis, eſt tamen omnino aliqua eius facultas, ab ortu, conſtitutioneque corporis, & virium corporearum, quibus mens vtitur, proficiſcens, atque exercitatione incrementum capiens. [c] Hæc autem facultas non apparet in ſeruis; ſed ſtupiditas, & tarditas huic contraria [e] in pueris eſt imperfecta, & magis initium facultatis, quàm propriè facultas: [d] in mulieribus eſt imbecilla, & inconſtans ob naturam earum humiliorem, quàm noſtram, motusq; animi hac de cauſa turbulentiores, qui opus huius facultatis, quod conſilium, prouiſioq; eſt, aliquando impediunt, aliquando peruertunt: in imperantibus, ac viris perfectis ſolis eſt abſoluta. Atque hoc quidem eſt alterum principium, quod ſumere volebamus ad demonſtrandum propoſitum theorema: [b] Conſiliariam vim animæ noſtræ diuerſo modo ſe habere in ſeruis, pueris, mulieribus, imperantibus: [c] quippe in primis nullo modo adeſſe, [d] in ſecundis eſſe imperfectam, [e] in tertijs imbecillam, in quartis abſolutam. Euenire autem ex hoc principio propoſitum theorema de differentia virtutum moralium, quæ cadunt in tres iſtas formas parentiū, & in imperantes ſecundum naturam, viroſque perfectos, declarat Philoſophus verbis proximè ſequentibus.

Vtraque animæ pars ineſt in omnibus.

Vtraque animæ pars cuius modi inſit in ſingulis.

Conſultandi vis, eſt facultas mentis, & qualis.

Conſultandi vis qualis in ſingulis.

Scopus huius textus.

a. omnibus. b. c. d. e. c. e. d. c. d. e.

Partes

Partes textus. Partes textus duæ. Prima (a b) ſumens initium ab ijs, quæ dicta fuerunt in textu 149. proponit generaliùs animæ partes, quanuis in omnibus inſint parentibus, imperantibusque, ineſſe tamen in illis modo differenti. Secunda (c d e) propriè per expoſitionem conſtituit principium de varijs modis, quibus ineſt vis conſiliaria in ſingulis formis parentium, & in imperantibus.

S C H O L I A.

Seruus enim omnino nō habet &c. Carere ſeruū vi conſultandi ſic interpretantur D. Thomas, & alij, qui eum ſequūtur: quoniam ſeruus, & omnia quæ ſerui ſunt, in domini ſint poteſtate; conſultatio ex vj. ad Nicom. de ijs duntaxat rebus exiſtat, quæ ſunt in poteſtate, & arbitrio conſultantis. At ſeruus naturâ, de quo hîc Philoſophus loquitur, non ideo vi conſultandi caret, quia ſit in domini poteſtate: ſed contrà, eſt in domini poteſtate, quia vi conſultandi careat. Rectè igitur Io. Geneſius expoſitionem iſtam damnat, quæ ad ſeruum conditione, non ad ſeruum naturâ accommodatur. Et intelligere debemus dici hîc ſeruum nō habere vim conſultandi, quia careat perſpicacia, & ſagacitate, vt in cōmentario & ſcholio ſuperiori annotauimus. *Expoſitio D. Thomæ.* *Confutatio.* *Vera expoſitio.*

Fœmina autem habet &c. Huc reſpiciens Cicero in oratione pro L. Murena, Mulieres omnes, inquit, propter infirmitatem conſilij maiores in tutorem poteſtate eſſe voluerunt. *Confirmatio huius loci ex loco Ciceronis.*

ARGVMENTVM. TEXT. CLII.

Infertur ex principio proximè conſtituto theorema propoſitum: nempe virtutes morales diuerſo modo, & , quantum cuique eſt ſatis ad opus, & imperium ſuum, participari à quaque forma parentium, ſeruo, puero, muliere, & ab imperantibus ſecundū naturam, qui ijdē ſunt viri perfecti.

Text. clij. [a] Ὁμοίως τοίνυν * ἀναγκαίως ἔχειν καὶ περὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ὑποληπτέον· [b] δεῖν μὲν μετέχειν πάντας, [c] ἀλλ' οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον, [d] ἀλλ' ὅσον ἑκάστῳ πρὸς τὸ αὑτοῦ ἔργον.

** ἀναγκαῖον legitur in omnibus exemplaribus.*

[a] Similiter igitur neceſſariè ſe habere & circa morales virtutes eſt exiſtimādum: [b] oportere quidem participes eſſe omnes, [c] ſed non eodem modo, [d] ſed quantum cuique ad ſuum opus *eſt ſatis.*

E X P L A N A T I O.

a. igitur. [a] Significat planè Philoſophus, confici hoc theorema ex proximè conſtitutis. Sed quo pacto tandem conficitur? An per locum à ſimili, quod ſentiunt Expoſitores: vt quemadmodum partes animæ, vel virtutes intelligentiæ diuerſo modo in ſeruo, puero, muliere, & imperante ſecundum naturam inſunt: ita videatur conſonum rationi, ineſſe in ijſdem diuerſo modo virtutes morales? At de virtutibus intelligentiæ nullum factum eſt verbum. τὸ βουλευτικὸν enim non eſt virtus intelligentiæ, ſed facultas partis animæ rationē habentis. Si autem de animæ partibus exponatur ſimilitudo: quænam, obſecro, ſimilitudo iſthæc erit inter partes animæ, & vir- *An ſit locus à ſimili vt volunt Explanatores.* *Confutatio.*

An ſit locus à ſubiecto.

& virtutes morales, vt ex vno alterum confici debeat? Fortaſſe dicet aliquis eſt locus non à ſimili, ſed à ſubiecto. quia enim anima, quæ eſt ſubiectum virtutum, habeat partes diuerſas, vt tangebatur in textu 149. atque illæ diuerſo modo inſint in ſeruis, pueris, mulieribus, & imperantibus ſecundum naturam, vt dicebatur in 150. ſequitur vt in hos ſingulos ſimiliter cadant virtutes morales differentes.

Refutatio.

Verùm hac ratione potius concluderetur virtutes morum, & virtutes intelligentiæ eſſe diuerſas virtutes, quàm virtutes morum, quæ in naturâ ſeruum, puerum, mulierem, & imperantem cadunt, eſſe diuerſas. ſiquidem duplicium illarum virtutum, morum, & intelligentiæ, ſubiecta ſunt duæ partes animæ, compos, & expers rationis: de quibus Philoſophus eſt loquutus; de partibus autem animæ obnoxiæ affectibus, quæ eſt proprium ſubiectum virtutum moraliũ, mentionem non fecit.

Sententia, & expoſitio propria.

Dicamus itaque nos, quemadmodum diximus in ſcholio antecedenti horum trium textuum, argumentari Philoſophum per locum à cauſa: in qua argumentatione quædam ſupplenda ſint, partim verbis leuiter indicata, partim penitus ſubaudienda. [a] Nam quia vis animæ conſiliaria, quæ eſt vera, propriaque cauſa imperiorum naturalium inter homines, diuerſo modo ſe habet in his parentibus, & imperantibus ſecundum naturam; quippe in ſeruis deeſt, in pueris eſt imperfecta, in mulieribus imbecilla, in imperantibus abſoluta: ſequitur hæc quoque imperia naturalia in ſeruos, pueros, mulieres, & quatenus ab imperantibus proficiſcuntur, eſſe diuerſorum modorum. quoniam verò hęc imperia, quæ propria opera, ac munera ſunt tum parentium, tum imperantium, ſunt diuerſa: [b] neceſſe eſt virtutes morales in ſingulis ijs formis parentium, atque in imperantibus eſſe diuerſas: [d] quandoquidem eiuſmodi virtutes in opera, imperiaq; illa dirigi, tanquam in ſuos proprios fines, & ad ea conuenire, aptaſq; eſſe omnino debent; id quod etiam Philoſophus indicat in textu, quom ait *Quantum cuique eſt ſatis ad opus ſuum.* a. b. c. d.

Partes textus duæ. Prima (a) infert theorema generaliter, & confusè. Secunda (b c d) magis explicat, & diſtinguit illud. *Partes textus.*

SCHOLIA.

Similiter.

Similiter igitur. Vox *ſimiliter* non probat neceſſariò eſſe argumentum à ſimili.

Mendum in verbis.

Neceßariè ſe habere, ἀναγκαίως ἔχειν. In omnibus exemplaribus mendosè legitur, ἀναγκαῖον ἔχειν. neceſſe eſt ſe habere. ex qua lectione ἀναίδετον redditur verbum *exiſtimandum.*

Participes eſſe omnes. Subaudiri oportet moralium virtutum.

Supplementũ. De quibus virtutibus moralibus Philoſophus loquatur. Virtus moralis verè in medio, et in puncto.

Quantum cuique ad ſuum opus. Subaudiendum, aut repetendum eſt, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verbum, oportet, ſiue, opus, & ſatis eſt: *quantum ſatis eſt cuique ad ſuum opus.* At ſi de virtutibus moralibus, quæ verè, propriéque dicuntur, Philoſophus loqueretur, qualis enunciatum hoc eſſet: virtutis moralis tantum eſſe vnunquenque participem, quantum ei ad opus ſuum ſit ſatis? Nonne virtus omnis moralis, quæ verè, propriéque dicitur, in medio, ideſt in puncto, & quaſi in centro circuli poſita eſt, quod vno duntaxat modo aſſequi licet, non ſolùm de Stoicorum, verùm etiam de Ariſtotelis ſententia ex ij. lib. ad Nicom. præſertim in cap. 6. & 9. de qua re ibi dixi, examinata opinione D. Thomæ in p. 2. q. 66. a. primo.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: CLIII.

Colligit ex iis, quæ poſita ſunt in duobus proximis teſtibus, ſolius imperantis ſecundum naturam virtutem moralem eſſe ſimpliciter perfectam; cuiuſque autem formæ parentium talem prorſus, qualis ei conueniat ad opus, & imperium ſuum. Loci a fine, & à genere. nam quæque virtus ad opus rei, cuius virtus eſt, dirigitur, in illudque debet conuenire: cuiuſque autem formæ parentium opus eſt mancum, magis minuſue; ſolius imperãtis eſt ſimpliciter perfectum. hoc probatur per cauſam: quippe imperans ſolus rationem, vimque conſiliariam perfectam habet; aliorum, puer imperfectam, mulier imbecillam, ſeruus nullam: & vis conſiliaria huius operis, quod imperium appellatur, eſt architectus, id eſt cauſa principalis, cum qua cauſa principali opus ſemper congruit.

Text. cliii. [a] Διὸ τὸν μὲν ἄρχοντα τελέαν ἔχειν δεῖ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν· [b] τὸ γὰρ ἔργον ἐστὶν ἁπλῶς τοῦ ἀρχιτέκτονος· [c] ὁ δὲ λόγος ἀρχιτέκτων· [d] τῶν δ᾽ ἄλλων ἕκαστον, ὅσον ἐπιβάλλει αὐτοῖς.

[a] Quapropter imperantem quidem habere oportet perfectam virtutem moralem: [b] opus nanque eſt ſimpliciter architecti; [c] ratio autem eſt architectus: [d] aliorum verò vnunquenque, quantum conuenit ipſis.

EXPLANATIO.

Partes textus. PARTES textus tres. Prima (a) proponit primam partem theorematis: imperantis, inquam, ſecundum naturam eſſe virtutem moralem ſimpliciter perfectam. Secunda (b c) continet alteram argumentationis partem per locum à cauſa, qua oſtenditur ſolius imperantis ſecundum naturam proprium opus, quod imperium appellatur, eſſe ſimpliciter perfectum; cuiuſque autem aliorum eſſe mancum, magis aut minus. Et in hac parte argumentationis emicat, ſubaudiendaque eſt altera, concludens theorema propoſitum per locum à fine, & à genere, hoc eſt ex eo, quòd omnis virtus ad opus rei, cuius virtus eſt, dirigatur conuenireq; in illud debeat. Tertia pars textus (d) habet alteram theorematis partem.

SCHOLIVM.

Opus nanque eſt ſimpliciter architecti &c. Quid nam aliud, quæſo, hæc verba poſſunt ſignificare præter id, quod ſæpe à nobis dictum fuit: vim animæ conſiliariam, eſſe veram, principalemque cauſam imperiorum naturalium inter homines? Sic igitur argumẽtatur Philoſophus. Qualis eſt architectus, & cauſa principalis (hoc enim deſignat vox architectus) cuiuſuis operis, licet multæ etiam eius cauſæ eſſent; tale eſt ad extremum illud opus, & cauſæ principali ſimile euadit: [c] ſed ratio, & vis conſiliaria eſt propriè architectus, & cauſa principalis huius operis, quod eſt naturale imperium inter homines: ergo qualis eſt in imperante, in muliere, in puero, in ſeruo hæc vis conſiliaria; tale neceſſe eſt eſſe in vno-

Explicatio argumentationis textus.

Qualis imperij ratio in ſeruo, puero, muliere tanquam in ſubiecto, & in imperante, tanquã in efficiente.

Architecti vocabulũ quid hoc in loco.

quoque opus, & rationem imperij: in ſolo autem imperante vis conſiliaria perfecta eſt, in muliere imbecilla, in puero imperfecta, in ſeruo nulla ex textu 151. ergo in ſolo imperante eſt opus imperij perfectum, tanquam efficientis; in reliquis, quibus imperatur, perfectum non eſt; in muliere tamen ad perfectionem magis accedit, in puero minus, in ſeruo adhuc minus, quippe qui moueatur tantum vt inſtrumentum, nec vim alicuius promouendi imperij habeat. In ſolo imperante eſt opus imperij perfectum &c. & virtus diriguntur, conuenitque debet ad opus rei; cuius eſt virtus; ergo uirtus moralis, quæ cadit in imperantem, eſt ſimpliciter perfecta; mulieris pueri, ſerui tantum perfecta, quantū cuiq; eorum conuenit ad ſuum imperij opus hoc eſt ſerui eſt minimè omnium perfecta, pueri aliquantum perfecta, mulieris perfectior.

Qualis virtus moralis in ſeruo, puero, muliere, et imperante ſecūdū naturam.

Textus CXLVII.

*

Confirmationes tres.

PARS TERTIA CAPITIS XXX.

Confirmationes tres eiuſdem theorematis, quod eſt hactenus demonſtratum, de differentia virtutum moralium cadentium in natura ſeruum, puerum, mulierem, & imperantem, qui imperans natura idem eſt vir perfectus, & probus.

Ὥστε φανερὸν ὅτι ἐστὶν ἠθική. &c. Tex. CLIIII. CLV. CLVI.

ARGVMENTVM. TEXT. CLIV.

Prima confirmatio, per expoſitionem virtutum moralium iiſdem vocabulis nuncupatarum in viro, & in muliere; quarum illas omnes eſſe imperatorias, has omnes miniſtratrices oſtenditur inductione commonſtrato interea argumento ex minori, quo in puero, & in ſeruo idem, quod in muliere, ſit concludendum,

Text. cliv. [a] Ὥστε φανερὸν, ὅτι ἐστὶν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων πάντων, [b] καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς, οὐδ' ἀνδρία, καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης: [c] ἀλλ' ἡ μὲν, ἀρχικὴ ἀνδρία· ἡ δ' ὑπηρετική. [d] ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ τὰς ἄλλας.

[a] Itaque manifeſtum eſt, eſſe moralem virtutem eorum omniū, qui dicti ſunt; [b] & non eſſe eandem temperantiam mulieris, ac viri, neque fortitudinem, & iuſtitiam, vt arbitrabatur Socrates: [c] verùm hæc quidem imperatrix fortitudo eſt, illa vero miniſtratrix. [d] ſimiliter autem res ſe habet & circa alias.

b. ſimile in-frà in lib. 3 cap. 3.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Partes textus.

PARTES textus quatuor. In prima (a) pronunciat Philoſophus eſſe per ſe manifeſtum id, quo prima pars ſolutionis continebatur, vt initiò admonui, hoc eſt participes, eſſe moralis virtutis illos omnes, qui dicti ſunt, ſeruum, puerum, mulierem, parentem denique & imperantem ſecundum naturam. In ſecunda (b) pronunciat eſſe manifeſtum ex ijs, quæ in ſuperioribus ſex textibus ſunt tradita, participem eſſe vnunquenque illorum diuerſo modo, quæ fuit ſecunda pars ſolutionis. Et hoc confirmat quaſi per locum à minori. oſtendit enim expoſitione virtutum moralium viri, mulierisque, quæ mulier perfectior vtique eſt, quàm ſit vel ſeruus, vel puer, diuerſas eſſe in vtroque virtutes morales iiſdem nominibus nuncupatas. In tertia parte (c) docet modum diuerſitatis inter iſtas virtutes mulieris, & viri, eſſe hanc, quòd hæ magis ad imperandum, illæ magis ad miniſtrandum videantur idoneæ: cuius rei exemplum ſtatuit in fortitudine. In quarta parte (d) commonefacit concludi poſſe inductione de omnibus hoc idem, quod de fortitudine dictum fuit.

SCHOLIA.

Duæ partes quæſtionis una per ſe nota, altera facta nota rationibus.

Eſſe moralem virtutem eorum omnium, qui dicti ſunt. Hæc erat pars per ſe nota quæſtionis, cadere in ſeruum, puerum, mulierem, parentem denique, ac imperantē naturâ, conuenireque, & eſſe ijs neceſſarias morales virtutes. Altera pars, quę ſequitur: *Et non eſſe eandem, &c.* ideſt vtrum quæ in omnes iſtos cadunt, ſint eiuſdē, an differentis modi, & naturæ; non amplius per ſe nota erat; imò valde dubia, vt annotauimus ad tex. 147. ſed nota facta eſt rationibus.

Mulierum, et virorum virtutes morales quo pacto eadem, aut diuerſa.

Et non eſſe eandem temperantiam mulieris, & viri &c. Quo pacto non eſt eadem? dicitur'ne ὁμωνύμως temperantia in viro, & muliere; ſimiliterque fortitudo, & iuſtitia: nec conſeruant in vtroque eaſdem naturas, & definitiones: ſed quum viri temperantia exempligratia ſit habitus conſiſtens in mediocritate affectuum, actionumque circa res iucundas, & moleſtas tactus, & guſtatus; temperantia mulieris non erit huiuſmodi habitus? An nullo modo; ne temperantia euadat non temperantia. etenim ſi temperantia mulieris definitionē temperantię non admittit; ne nomen quidem admittere poteſt, niſi æquiuocè. Quis autem negaret mulieres quaſdam verè, proprieque dici temperatas, & iuſtas, & liberales? Eſt igitur diuerſa temperantia in viro, & in muliere non naturâ, & quiditate, ſed modo tantùm: quemadmodum etiam modo diuerſa eſt fœlicitas, & vita mulieris à vita, & fœlicitate viri, vt diximus in ſcholio argumenti huius capitis: quia vir omnino eſt perfectior, præſtantiorque naturâ muliere. Quid verò ad extremum ſignificat hic modus, quo diuerſæ ſunt hæ duæ temperantiæ, mulieris, & viri? ſignificat'ne maiorem, & minorem perfectionem? nam ſi hoc ſignificat: fortaſſe non erit amplius mulieris temperantia habitus in mediocritate conſiſtens. Imò verò erit. maior nanque, minorque perfectio hîc deſignant non acceſſum, & receſſum à mediocritate, ſed ipſam mediocritatem in perfectiori, ideſt in nobiliori, & ignobiliori natura. Itaque ſimiliter affectuū, actionumq; mulieris circa res iucūdas, & moleſtas tactus; & guſtatus mediocritas tēperantia erit: vt eſt tēperantia mediocritas affectuū, & actionum viri circa eaſdē res. verùm dicuntur differre modo hæ duæ tēperantiæ: quia affectus, actionesq; viri, nobiliore natura præditi, ſunt vehemētiores, clariores, conſtantiores, ampliores: affectus, actionesque mulieris, pro eius natura, ſunt debiliores, turbulentiores, inſtabiliores, anguſtiores. quanquam exiſtunt nonnunquam aliquæ viragines præſtantiores viris, de quibus alibi. Confirmantur hæc, quæ à nobis dicuntur de differentia iſtarum virtutum moralium in viris, mulieribusque, quæ non eſ-

Quid ſignificet mod, quo ſunt diuerſa.

Locus ex iij. horum librorū confirmans hanc ſententiam, & expoſitionem.

ſentia,ſed modo,& tali ſanè modo diſtent,illis,quæ ſcribuntur à Philoſopho infrà in libro iij. Vbi quum propoſuiſſet temperantias, ac fortitudines viri, mulierisque diuerſas eſſe,declarans qua re ſint diuerſæ,ita ait: *videretur enim eſſe ignauus vir, ſi ſic fortis eſſet,vt fœmina fortis; & mulier immodeſta ſi ſic modeſta eſſet, vt vir probus*. Quæ verba hoc idem ſignificant, quod nos poſuimus: nimirum maiori, minorique perfectione,& præſtantia,à ſubiectis pendente, differre iſtas virtutes virorum, atque mulierum, non eſſentia, & quiditate. Et Plutarchus in præfatione libri de virtutibus mulierum, atque in Amatorio eâdem planè ratione, nos,demonſtrauit,ſubſtantia,naturaque eaſdem eſſe mulierum virorumq; virtutes morales,propterea quòd vna definitio ambas comprehendat,puta temperantias,vel liberalitates: differre autem modo ob viri,mulierisque,quorum virtutes ſunt, differentiam. Quippe ſumere virtutes iſtas diſcrimina quædam, tanquam colores quoſdam peculiares ex proprijs eorum naturis, in quibus recipiũtur; ſimileſque eorum moribus, temperaturis,cibis, & viuendi rationibus, prorſus euadere. Quamobrem in viris quoque diuerſis, nedum in mulieribus, & viris, diuerſas hoc pacto apparere virtutes: aliterque fortem fuiſſe Achillem, aliter Aiacem: nec prudentiæ Neſtoris ſimilem fuiſſe Vliſsis prudentiam; nec iuſtos eodem modo Catonem,& Ageſilaum. Attamen vnaquæque virtus varias etiam per ſe partes habet: quarum aliæ alijs pro officiorum, perſonarumque varietate magis conueniunt. & hoc ſenſu ſcribitur in loco paulo antè citato iij. horum librorum: curam domeſticam viri, mulierisque diuerſam eſſe; nam viri comparare mulieris cuſtodire eſſe proprium munus. Sed de his copioſius eo in loco,& in Ethicis.

Loci Plutarchi. — Cap. 3.

Virtutum moraliũ vnaquaque habet multas partes,quę ſeparari interdum, & aliæ alijs diſtribui videntur.

Vt arbitrabatur Socrates. Leguntur quidem hæc in Menone Platonis: eandem eſſe virtutem,eandem iuſtitiam,eandem temperantiam ſiue in viro,ſiue in muliere, ſiue in ſene, ſiue in puero extiterit. Sed præterquam quòd liber ille eſt ἀπορητικός: loquitur etiam ibi Plato de ſubſtantia,& definitione,non de modo virtutum. Quare,quod ad morales virtutes attinet, quæ verè, proprièque dicuntur,non diſtat à Peripateticis. Ex Peripateticis enim principijs nulla iſtarum virtutum,quæ in muliere,aut quæ in puero inſit,differt prorſus naturâ, & ſubſtantia à virtute eiuſdem nominis, quæ ineſt in viro: ſed in muliere habet differentiam modi tantùm; in puero quodammodo ſpeciei,non tamen abſolutè, ſicut initium rei, & ipſa res inter ſe differunt. Difficilior eſt conciliatio Platonicæ, & Peripateticæ ſententiæ,vtrum prudentia ſit eiuſdem naturæ,& quiditatis in omnibus,viro,muliere, priuato,præſide ciuitatis, œconomo, rege. ſiquidem prudentia generalis quædam virtus eſt,multas partes habens, quaſi ſpecies, naturâ fortaſſe, & quiditate inter ſe differentes. de qua re in vj. ad Nicomachum.

Cõciliatio Platonicorũ,et Peripateticorum vtrum virtus quæque moralis ſit eadem in viro,muliere,puero.

Verùm hæc quidem imperatrix fortitudo &c. Quatenus ſcilicet vir imperare; mulier parêre debet ſecũdum naturam. Sed & in exercitu prætor, aut tribunus imperat; miles paret: nihilominus eiuſdem ſpeciei, & quiditatis fortitudo eſt in milite,& in tribuno; modo tantum differt. Similiter hîc fortitudo mulieris miniſtratrix eſt ſpecie eadem, differt modo à fortitudine imperatrice viri. Quum geminæ autem ſint fortitudines; bellica; & domeſtica; vt ijs Pontanus nomina impoſuit: bellica viros; domeſtica mulieres magis decet: quanuis & hęc deceat viros; ſed non tam illuſtris eſt in ijs, quàm bellica.

Virtutes morales mulierũ & virorũ non differũt ſpecie ſed modo tantùm, licet hæ imperatrices illæ miniſtratrices ſint.

Fortitudines geminæ et quarũ illarũ magis viros, quæ magis mulieres deceat.

Similiter autem res ſe habet & circa alias. Subaudi virtutes morales huius generis. Et hac oratione vti ſcriptores ſolent, quom inductionem, & vim eius voluit ſignificare. At ſi virtutes morales viri non ſunt eædem in muliere; multo minus erunt eædem in puero,& in ſeruo. hi nanque multo magis,quam mulier,à viro diſtant, ob vim animæ conſiliariam,quæ in altero deeſt,in altero eſt imperfecta. quamobrem pueri virtutes quodammodo ſpecie; ſerui virtutes genere diſtabunt a virtutibus viri.

Supplemẽtũ inductionis notæ.

Virtutes morales quæ pueri, & quæ ſerui, quo pacto diſtent ab illis, quæ viri ſunt.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. CLV.

Confirmatio ſecunda per comparationem duorum modorũ docendi de virtute morali: quorum vterque peccat; ſed vnus multo magis, decipiens auctores ſuos, contentos vniuerſali quapiam huius virtutis definitiones alter multo minus, cunctas eius formas, & partes enumerans.

Text. clv. [a] Δῆλον δὲ τοῦτο καὶ κατὰ μέρος μᾶλλον ἐπισκοποῦσι. [b] καθόλου γὰρ οἱ λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτούς, ὅτι, τὸ εὖ ἔχειν τὴν ψυχὴν ἀρετὴ, ἢ τὸ ὀρθοπραγεῖν, ἢ τι τῶν τοιούτων: [c] πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετὰς, ὥσπερ γοργίας, τῶν οὕτως ὁριζομένων.

[a] Planum autẽ hoc eſt & particulatim magis conſyderantibus. [b] nam qui vniuersè dicunt, decipiunt ſeipſos, quòd bene ſe habere animam, aut rectè agere, aut aliquid talium ſit virtus: [c] multo enim melius dicunt, qui virtutes enumerant, vt Gorgias, quàm qui ita definiunt.

EXPLANATIO.

Quãdo definitiõ cum vniuerſali rei, & quãdo enumeratione partium eius potius vtendũ ſit ad notitiã faciendam, & quis ſit fructus vtriuſque.

b. [b] Si virtus moralis eſſet ſimplex, & eadẽ in omnibus; definitio eius aptior ad doctrinã eſſet enumeratione partiũ. Explicat nanq; definitio formã, & naturã eius rei, quæ definitur. quæ res, ſi nõ habet, aut ſi paucas habet differẽtias, & ſpecies; næ illa probè declarabitur, & innoteſcet definitione cõprehendente partes, & ſingularia omnia. c. [c] At, ſi multis differẽtijs diſtinguitur, multæq; ſpecies ſubſunt ei, quod definitur vniuersè: tunc præſtat ſpecies illas, ac differẽtias enumerare, quàm ſic vniuersè definire. ſiquidẽ dum enumerantur, nominãtur, ac quaſi cõferuntur inter ſe ſpecies, & differentiæ; emicant ſimilitudines, diſſimilitudinesq; illarũ: ex quibus ſimilitudinibus, diſſimilitudinibusque definitiones colligi poſſunt; & ex ijs definitionibus ſingularum ſpecierum erui definitio generis ſuperioris. Atque hæc quidem eſt methodus, tradita in ij. poſteriori analytico, definitionum accipiendarum, explanandæq; naturæ, ac quiditatis cuiuſque rei, quæ in ſe multas formas, ac differentias cõtineat. b. [b] E contrario definitiones vniuerſales earundẽ rerum multiplicium aut nihil, aut parũ afferunt vtilitatis ad eas res verè cognoſcendas, vt declarat Ariſtoteles in ij. de Anima. tex. com. 301. Multo minus vtiles ſunt, ſi propriè vniuerſales fuerint, ideſt ſi traditæ per cõmunia, & accidentaria: cuiusmodi ſunt iſtæ, quòd virtus ſit animã bene ſe habere, aut rectè agere. Et adhuc multo minus, ſi definitur analogum, aut æquiuocũ genus: quale eſt virtus morũ latè ſumpta, ſignificans omnes tã habitus, quàm conſtitutiones animi laudabiles, magis minusùe perfectas, virorum, mulierum, puerorum, ſeruorum, imperantium, parentium, & cæteras differentias ductas à ſubiectis rebus, à modis, à naturis vel ſpecialibus, vel generalibus. a. [a] Quòd igitur enumeratio ſit vniuerſali definitioni anteponenda in doctrina virtutum moralium: hoc certum eſt argumentum, virtutem moralem haud ſimplicem rem eſſe, nec eandem in omnibus, ſed variã, & diſtingui prout dictum fuit: quod erat oſtẽdendũ.

Definitionum accipiendarũ, & explicandæ naturæ rerum methodus.

Partes

Partes textus tres. Prima proponit, alio etiam modo notam fieri differentiam virtutum moralium, quæ in eos, qui dicti ſunt, cadunt. Secunda declarat modum docēdi virtutem moralem definitione aliqua vniuerſali, quem nonnulli vſurparunt, eſſe omnino ineptum. Tertia pronunciat tolerabiliorem eſſe alterum modum per enumerationem, quo inter alios vſus eſt Gorgias. *Partes textus.*

S C H O L I A.

Conſyderare particulatim quid, & quod & quot modis. Sententia horum verborū. *Planum autem hoc eſt & particulatim &c.* Conſyderare particulatim, ideſt κατὰ μέρος, eſt ad praxin, & ſingula deuenire vel rerum, quæ conſyderantur, vel Auctorum. Perſpicuum eſt igitur, inquid Philoſophus, id, quod dicimus de differentia moralis virtutis non ſolùm ex theoria generalium rationum, ſed etiam ex praxi, & ex eo, quod in vſu apparet. nam ſi animum intēdamus ad ſpeciales modos, quibus alij virtutes morales nos docent, intelligemus non eſſe eas in omnibus eiuſdem modi.

Vocabulum, vniuerſalis. *Nam qui vniuersè dicunt.* Vniuerſa ſeu vniuerſalia vocare aliquando ſolet Ariſtoteles quæ alio nomine appellat dialectica, ideſt communia, & accidentaria, & confuſa, vt in præfatione librorum de Auditu naturali, & alijs in locis. Hoc ſignificatu puto hîc ſumi hoc vocabulum à Philoſopho.

Quomodo decipiant ſeipſos. Virtutis definitiones, quæ in tex. commemorantur, cuius Auctores. Locus ex Gorgia. *Decipiunt ſeipſos.* Quia quod cupiunt, non aſſequuntur.

Quòd bene ſe habere animam, aut rectè agere &c. Cuius fuerint hæ definitiones ignoramus. Colligi tamē fortaſſe poſsūt ex Platonis Gorgia, & ij. & iiij. de Republica.

Vt Gorgias. In principio dialogi Menonis ſupra citati Menon ipſe, interrogatus à Socrate, quid eſſet virtus, reſpondet ex doctrina Gorgiæ, enumerando virtutes.

ARGVMENTVM. TEXT. CLVI.

Confirmatio tertia ex teſtimonio Poetæ, ſilentio mulierem ornari canentis, quo vir non ornatur; quaſi mulieris virtus ſit ſilentium, non viri: vnde euenit, per locum à ſimili, virtutes morales generaliter diuerſas eſſe in viro, & in muliere; multoque magis in illo, & in puero, & in ſeruo.

Text. clvj. [a] Διὸ δεῖ, ὥσπερ ὁ ποιητὴς εἴρηκε περὶ γυναικὸς, οὕτω νομίζειν ἔχειν περὶ πάντων· § [b] γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. § [c] ἀλλ' ἀνδρὶ οὐκέτι τοῦτο.

[a] Quapropter oportet, ſicut Poeta dixit de muliere, ſic putare de omnibus. [b] *Mulieri decus ſilentium affert.* [c] ſed viro hoc non itē.

E X P L A N A T I O.

PARTES textus tres. Prima tangit duo loca, ab auctoritate, & à minori, ex quibus ducitur argumentatio. ſubaudiendusque eſt tertius à pari. nam quod de vna virtute concluditur, quæ mulieris ſit virtus non viri: concludi etiam de reliquis poteſt argumento ex pari, propterea quod omnium huiuſmodi virtutum par ratio eſſe videatur. Secunda pars continet hemiſtichium ex Aiace Sophoclis, quo perſuadetur ſilentium in muliere *Partes textus.*

liere virtutem eſſe. Tertia commonefacit, idem ſilentium, quod in muliere eſt virtus, in viro non eſſe virtutem: quod quaſi notum probare Philoſophus prætermittit.

S C H O L I A.

Expoſitio verborum.

Sic putare de omnibus. Propriè referuntur hæc verba ad formas parentiū: quod Poeta di[illegible] de muliere, idem putandum eſſe de puero, & de [illegible] imò tanto magis d[illegible]is, quantò magis [illegible] à viro perfecto & a[illegible] e ſecu[illegible] naturam, quam mulier. In hac tamen ſimilitudine, quam v[illegible] exp[illegible], ſubaudienda eſt & altera, referendaq́ ad virtutes vt antè adm[illegible] quod de ſilentio dictū eſt, idem de omnibus virtutibus moral[illegible] e[illegible]andum.

Cuius auctoris ſententia hæc fuerit.

Mulieri decus ſilentium affert [illegible] Hem[illegible] ex Sophoclis Aiace: niſi quod ibi legitur [illegible], ideſt mu[illegible]bus in numero plurali.

Decus ſilentium affert fœminis.

Faber ſtapulenſis.

Attribuitur hæc ſententia à quibuſdam Menan[illegible]o Comediarum ſcriptori, & tranſ[illegible] in ada[illegible]: Mulierem ornat ſilentium

Virtutum moraliū nomen in hac diſputatione quid ſignificet.

Silentium. Hoc exemplum etiam indicio e[illegible], virtutum moralium nomen fusè accipi à Philoſopho in hac diſputatione.

Homeri ſententia.

Sed viro hoc non itēm. Sumptum ex Homero, apud quem non ſemel legitur: [illegible] ideſt

Fueritque viris oratio curæ.

Plutarchus in lib. de Liberis educandis.

Silentium an viro et quale virum, quale mulierem deceat.

Plutarchus tam[illegible] de Liberis educandis ſ[illegible] tempeſ[illegible] ſilentium in viro rem eſſe [illegible]em, omniq́ue oratione po[illegible]orem: [illegible] produ[illegible]ctis rationibus, atque exemplis. Nec pugnant iſta inter ſe. [illegible] decet virum tempeſtiuum ſilentium: ſimul, vbi de rebus ſeriis, præſertim publicis, & in publico agitur, decet eundem oratio: vel audiet alterum il[illegible] adag[illegible] in ſe contorqueri. Mutior piſcibus. Mulierem vero de rebus publicis & in publico loqui maximè dedecet: vt docuerunt Paulus Apoſtolus, & Cato ſenior. Paulus in cap. 14. Epiſtolæ primæ ad Corinthios: Mulieres in eccleſiis taceant: ſi quid autem v[illegible] cere[illegible] domi viros ſ[illegible]os i[illegible]terro[illegible] tur[illegible] eſt eni[illegible] mulieri, loqui in eccleſia. Ca[illegible] In pu[illegible] ura[illegible] iu ſub initio lib 44. *Qui hic mos eſt in publicum* [illegible] *viros alienos appellandi? iſtud ipſum ſuos quæque domi rogare non potui*[illegible] *in publico, quàm in priuato; & alienis, quàm veſtris eſtis? quanquam ne domi quidem vo*[illegible]*, ſi ſui iu*[illegible]*s finibus matronas contineret pudor, quę leges hic rogarentur, abrogarentur'ue, curare decuit &c.*

Paulus Apoſtolus Epiſtola prima ad Corinthios cap 14.

Liuius lib 44.

Diuerſa igitur ſilentia ſunt, quod virum decet, & quod decet mulierem.

Textus. CXLVII.

Dubitationes emergentes tres, & earum oppreſsio.

PARS QVARTA CAPITIS XXX.

Dubitationes emergentes tres, de pueri, de ſerui, de artificis virtute: & earum oppreſsio.

Ἐπεὶ δ' ὁ παῖς ἀτελής. &c. Tex. CLVII. CLVIII. CLIX.

ARGVMENTVM. TEXT. CLVII.

Dubitatio prima de pueri virtute: cur ſit imperfecta; & cur ad alium, ideſt ad perfectum, ductoremque dirigatur, non ad ipſum puerum. Solutio: vt puero conueniat; & vt proſit ei ad perfectionem: quia puer eſt imperfectus. Locus à ſubiecto.

Tex. clvij. Ἐπεὶ δ' ὁ παῖς ἀτελής, δῆλον ὅτι τούτου μὲν ἡ ἀρετὴ οὐκ αὐτοῦ πρὸς αὐτὸν ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς * τὸν τέλειον καὶ τὸν ἡγούμενον.

* τὸ τέλος. Vetus interpres & Victor. quæ etiã in quibuſdam manuſcriptis ſic legi ait.

Quoniam autem puer eſt imperfectus; planum huius quidem etiam virtutem non ipſius eſſe ad ſeipſum, ſed ad perfectum, & ductorem.

EXPLANATIO.

Dubitationis partes duæ, et ratio, origoq; earum.

Solutio vtriuſque partis dubitationis.

Prima

Virtus aliqua in imperfecta.

Secunda. Virtutes verò imperfectarũ quid propriũ habeant, quo differant à perfectarum rerũ virtutibus.

VTRVNQVE iſtorum, ideſt imperfectam eſſe, & ad alium, quàm ad eum, cuius virtus eſt, dirigi, qui quidem alius ea vtatur ad regendum, perficiendumque puerum, cuius propriè eſt virtus; videtur virtutis naturæ repugnare. Vtrunque euenit ex ijs, quæ dicta ſunt ſuprà; primum ex ijs, quæ in tex. 151. 152. 153. ſecundum ex ijs, quæ in 146. 150. & alibi. Diluuntur autem hæc dubia per expoſitionem cauſæ, quæ ducitur a natura, & conditione ſubiecti. Nam puer imperfectus eſt, quemadmodum per ſe eſt manifeſtum, apparetque in tex. 151. itaque eius virtutem neceſſe eſt ſimiliter eſſe imperfectum: vt ei congruat, ſitque conueniens, & propria ipſius virtus. quamquam enim virtus omnis, quà virtus eſt, dici debeat perfecta: tamen quæcunque eſt rei nondum perfectæ, quaſi principium virtutis potius, quam virtus imperfecta ſit oportet eodem modo, & ſimilis illi: alioquin aptari illi non poſſet, nec eſſet virtus illius. Rerum item imperfectarum virtutes hoc proprij habent, vt quà opus efficitur, ad quod referuntur, initium motus ſit extrinſecus, non in illis rebus, quarum ipſæ ſunt virtutes: contrà ac in virtutibus rerum perfectarum, quarum muneris ſun-

ris functio initium habet in ijs ipſis rebus, non extra eas. Ratio differentiæ eſt in promptu. nam res imperfectæ, de quibus loquimur, quia per ſe, & prorſus ſunt imperfectæ, ſeipſas perficere ſine auctore, & auxilio externo nequaquam poſſunt: perfectæ non indigent externa ope; ſed per ſe in actus ſuos exeundo perficiunt ſeipſas magis, ac magis, ſuaque fruuntur perfectione. Ergo pueri virtus, quia puer imperfectus eſt, non refertur continuò ad puerum; ſed antè refertur, tanquam ad principium motus, ad perfectum virum ſimul & ductorem: qui exemplo, exercitationeque, doctrina, & admonitione eam pueri virtutem inchoatam perficiat, & per eam ipſum puerum.

Ratio huius proprietatis.

ARGVMENTVM. TEXT. CLVIII.

Dubitatio ſecunda, de ſerui virtute, ſimilis ſuperiori: Cur virtus ſerui dirigatur ad dominum, non ad ipſum ſeruum; & cur ſit manca. Solutio: Quia ſeruus eſt inſtrumentum actiuum domini ad res vitæ neceſſarias ex capite nono: itaque tanta ſolùm eget virtute, vt ne vitijs, affectibuſue vitioſis à miniſterio abducatur, non vt præclarum quidpiã agat: tum hæc ipſa virtus refertur ad dominum, propterea quòd ad domini vſum, id eſt ad imperium ſimul atque vtilitatem eius refertur: & propterea quòd ſerui eſt, qui ex tex. 42. & 43. non eſt ſuiipſius, ſed domini. Locus principalis à ſubiecti id eſt à ſerui definitione. Loci adiuncti: vnus ab actibus: alter à fine ſerui: tertius à fine virtutis ſerui.

Text. clviij. [a] Ὁμοίως δὲ καὶ δούλου πρὸς δεσπότην. [b] ἔθεμεν δὲ πρὸς τἀναγκαῖα χρήσιμον εἶναι τὸν δοῦλον· [c] ὥστε δῆλον, ὅτι καὶ ἀρετῆς δεῖται μικρᾶς, καὶ τοσαύτης, ὅπως μήτε δι᾽ ἀκολασίαν, μήτε διὰ δειλίαν ἐλλείψῃ τῶν ἔργων.

b. in textu 36. & inde. [a] Similiter autem & ſerui ad dominum. [b] poſuimus verò ad neceſſaria vtilem eſſe ſeruum: [c] quapropter planum eſt etiam virtute indigere ipſum exigua, & tanta, vt neque propter intemperãtiam, neque propter timiditatẽ deficiat in operibus.

EXPLANATIO.

a. ſimiliter. [a] Similis quidem eſt, præſertim ſi verba ſpectes, hæc dubitatio ſuperiori: tamen duo inter eas rei diſcrimina ſunt: vnum, quòd ibi quærebatur cur virtus pueri eſſet imperfecta; hîc quæritur cur virtus ſerui ſit manca, ſeu exigua. valde autem diſtant inter ſe mancum, & imperfectum: quippe imperfectum perfici poteſt; mancum non poteſt: & in hoc eſt carentia ſine poteſtate; in illo poteſtas adiungitur carentiæ. Alterum diſcrimen eſt, quòd pueri virtus dirigebatur ad ductorem, vt ab eo perficeretur; virtus ſerui dirigitur ad dominum, vt potius perficiat eum, id eſt vt ei proſit. Cætera dubitationum ſunt ſimilia. nam ambo huius capita eodem modo, vt ſuperioris, videntur virtuti repugnare: ambo naſcuntur eo-

Quî ſimilis diſſimiliſque ſit hæc dubitatio ſuperiori.

Imperfecti, et manci differentia.

Solutio. *Fundamentũ ſolutionis.* *Serui virtus qualis, et cur.*

dem modo ex iiſdem textibus ſuperioribus. [b] Solutio autem eſt omnino diuerſa: cuius principium ponitur ſerui natura, & definitio. [b] Conſtitutum eſt ſuprà, inquit Philoſophus, videlicet in capite nono, ſeruum eſſe vtilem ad res neceſſarias, hoc eſt ipſum quidem, quà ſeruus eſt, per ſe nihil agere, ſed dominum vti eo ad illa, quæ ſibi ad viuendum ſunt neceſſaria: vt tandem ſeruus nihil aliud ſit, niſi inſtrumentum actiuum, & ſeparabile domini ad res vitæ neceſſarias. hoc enim in ſumma concluſum fuit in eo capite: & hæc eſt ſerui natura, ac definitio. Quoniam igitur ſeruus inſtrumentum eſt, nec agit per ſe: [c] omnino plena virtus moralis, quæ in actiones abſolutas tendit, non erit ei neceſſaria, nec in eum omnino cadet, ſed diminuta, & tanta ſolùm, quanta ipſi ſatis eſſe poteſt ad proprium opus, quod eſt exequi ea, quæ dominus imperauerit; vt ne ab intemperantia, nec à timore, quæ in ſeruis ſunt potentiſſima, nec ab alio quopiam vitio, aut affectu vitioſo ſuperatus deficiat in miniſtrando, vtentemque deſerat dominum. Quamobrem non erit hæc vera virtus, nec finem habebit honeſtatem per ſe, ad quam non ſpectat ſeruus naturâ, ſed vt placeat domino, vel quia eum amat, vel quia reformidat pœnam, & indignationem eius. Sic itaque mancæ, ac puſillæ ſunt virtutes morales ſeruorum: hæcque eſt cauſa, cur ſint huiuſmodi. [a] Ab eodem fonte manat ratio alterius partis quæſtionis: cur dirigatur virtus ſerui non ad ſeruum, ſed ad dominum. [b] Nam quia ſeruus eſt inſtrumentũ, quo vtitur dominus ad res vitæ neceſſarias; atque indiget ſeruus virtute, quod nunc dicebatur, vt eo commodè dominus vti poſſit, ne abducant ipſum vitia, & affectus ab vſu, & miniſterio: [a] planum eſt, ſerui virtutem referri ad imperium, vtilitatemque ipſius domini primò, & maximè. Accedit huc, quòd ſeruus eſt homo non ſuiipſius, ſed domini, vt probatum fuit in tex. 42. & 43. quare & virtutes morales, & quæcunque alia ei adſunt, domini erunt, & ad dominum referentur.

Serui virtus cur nõ ad ſeruum, ſed ad dominum dirigatur.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima proponit alterum dubitationis membrum, cur virtus ſerui ad dominum referatur: & in eo alterum ſubauditur, cur eadem virtus ſit manca. Secunda iacit initium, & fundamentum ſolutionis, repetita ex capite nono definitione quadam ſerui. Tertia ab hoc initio deducit diſſolutionem ſecundi membri dubitationis, cur virtus ſerui ſit manca: ex qua diſſolutione elucet alterius membri, cur ad dominum dirigatur, diſſolutio, eodem modo, & ab eodem initio deducenda.

ARGVMENTVM. TEXT. CLIX.

Tertia dubitatio, ex ſolutione ſuperioris emergens: Nonne & artifices egere virtutibus morum; quando & ipſi ſerui quidam ſunt; & deficiunt ſæpe ob vitia, affectus que in artis operibus? Reſponſio: Non indigere, quà ſunt artifices; ſed ex ea parte tantùm, quatenus ſeruitus quædam in eos cadit, ſeparata ſcilicet, & definita cuiuſmodi cernitur in artifice mercenario, non cõiuncta, & vniuerſalis, cuiuſmodi ineſt in ſeruo. Ratio reſponſionis: Etenim artifices, præterquã quòd ad opera eorum virtutes morales nihil conducant; ne ſunt ipſi quidem, niſi vt ſeruituti cuidam ſubijciuntur, ſocij vitæ communis; in qua communi vita cernuntur, requiruntur que maximè virtutes morum. Euerſio primæ rationis dubitandi: Artifices ſunt ualde diſsimiles ſeruorum primum ex hoc ipſo, quòd ipſi non ſunt: ſerui ſunt vitæ ſocij: deinde quòd ſi quam habent ſeruitutem, ut mercenarij artifices, illa ſeparata, definita que eſt; ſeruitus ſeruorum eſt abſoluta & coniuncta: poſtremò quòd nullus omnino artifex eſt naturà uel ſeruus, uel artifex. ſeruus qui uerè, propriè que ſic uocatur, eſt naturà ſeruus. Euerſio ſecundæ rationis dubitandi indicatur tantùm. Loci dubitationis à ſimili. Loci reſponſionis à repugnantibus.

Text. clix. [a] Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, τὸ νῦν εἰρημένον εἰ ἀληθές, ἆρα καὶ τοὺς τεχνίτας δεήσει ἔχειν ἀρετήν· [b] πολλάκις γὰρ δι' ἀκολασίαν ἐλλείπουσι τῶν ἔργων. [c] ἢ διαφέρει τοῦτο πλεῖστον. [d] ὁ μὲν γὰρ δοῦλος κοινωνὸς ζωῆς. [e] ὁ δὲ, πορρώτερον: [f] καὶ τοσοῦτον ἐπιβάλλει ἀρετῆς, ὅσονπερ καὶ δουλείας· [g] ὁ γὰρ βάναυσος τεχνίτης ἀφωρισμένην τινὰ ἔχει δουλείαν: [h] καὶ ὁ μὲν δοῦλος τῶν φύσει· [i] σκυτοτόμος δ' οὐθεὶς, οὐδὲ τῶν ἄλλων τεχνιτῶν.

[a] Dubitauerit autem aliquis, ſi, quod nunc dictum eſt, verum eſt, vtrum & artifices oportebit virtutem habere: [b] ſæpe nanque propter intemperantiam deficiunt in operibus. [c] An plurimum hoc intereſt. [d] ſeruus enim eſt ſocius vitæ; [e] hic autem longiùs abeſt: [f] & tantum conuenit ei virtutis, quantum & ſeruitutis; [g] operarius enim artifex * ſeparatam definitamq; quandam habet ſeruitutem: [h] & ſeruus quidem eorum, quæ naturâ; [i] ſutor autem nullus, neque aliorum vllus artificum.

* ſeparatam definitãque. ἀφωρισμένην

E X P L A N A T I O.

[a] TRITVM eſt illud quaſi adagium hominum ſermone vſque ab Ariſtotelis, & Platonis temporibus: bonum tutorem eſſe poſſe, qui ſit vir malus. Vnde intelligi poteſt artifices virtute morali non egere, à qua morali virtute appellantur viri boni: licet indigeant propria, hoc eſt virtute artis, ex qua boni artifices nominantur. quicquid enim in quouis genere bene efficitur, ex propria virtute efficitur facientis, vnde & ipſum efficiens in eo

Quæſtio, indigeat ne ne artifex virtute morali.

Artifices non indigent virtute morali, indigent propria artis.

ipſo genere dicitur bonum, ex libro primo ad Nicom. Sic igitur apparet non indigere artificem virtute morum; ſed artis duntaxat virtute, quæ eſt virtus intelligentiæ. Contrarium autem videtur concludendum duplici ratione ex ijs, quæ proximè dicta ſunt de virtute ſerui. Nam ſi ſeruis neceſſaria eſt aliqua virtus morum, quanuis manca, ac puſilla: erit item neceſſaria artificibus: [a] Siquidem artifices mercenarij ſimiles ſeruorũ ſunt, & à multis inter ſeruos numerantur. [b] Adhoc egebant ſerui morali virtute, ne vitio, aut affectu aliquo deturbarentur ab opere ſeruitutis. ob eandem cauſam artifices illa egebunt: quippe qui ſæpe deficiant ex intemperantia, aut timiditate, aut alio quopiam vitio, affectuúe vitioſo in artis operibus. Reſpondet Philoſophus [c] non egere artifices formaliter, & quatenus artifices ſunt, virtutibus morum, niſi ex ea parte tantùm, qua ſpeciem quandam ſeruitutis recipiunt, [g] ſeparatam ſcilicet, & certam, qualem habent mercenarij artifices, non vniuerſalem, aut coniunctam, qualem ſerui habent. [e] Confirmari autem hæc reſponſio ſic poteſt. [f] Si artifices, quà artifices ſunt, egerent morum virtutibus; ijs profectò egerent, aut quia iſtæ ad opera illorum propriè, & per ſe conducerent, quemadmodum ad benè, beatéque viuendum, & agendum conducunt; [b] aut quia, ſi ijs carerent, deficerent ipſi, auerterenturque ab ijſdem operibus ſuis, quemadmodum ſerui à ſuis auertuntur, & deficiunt; [d] aut quia in illis ipſis operibus tractandis eſſent ſocij vitæ, hoc eſt in vitæ communis ſocietate verſarentur, atq; ad eam proximè dirigerentur, quemadmodum diriguntur, & verſantur ſerui, dum ſua obeunt miniſteria. Sed nec propriè, & per ſe conducũt virtutes morum ad artificum opera, vt eſt per ſe maniſeſtum: quid enim auxilij ex fortitudinis, aut temperantiæ habitu pictori, ſutoriúe ad tabellam pingendam, calceumúe conſuendum accedere dicamus? [b] Nec deficiunt, abalienanturúe artifices ab operibus ſuis ob id, quoniã expertes ſint virtutum moralium, vt mox declarabo. [e] Nec verſantur quidem in communis vitæ ſocietate, aut ad eam proximè ſpectant, quatenus in ſua opera incumbunt artifices; ſed deflectunt, refugiuntque ab illa, niſi vt certæ cuidam ſeruituti addicuntur. quapropter videmus ferè ſemper meliores eos eſſe, alijſque præſtare, qui ſolitarij ſunt & melancholici, quoque plus eorum vnuſquiſque à conſuetudine, familiaritateque aliorum hominum ſe ſubtraxerit, eo plus in arte ſua proficere. Ergo artifices, quà artifices ſunt, non egent virtutibus morum, niſi ſolùm ex ea parte quatenus certam quandam ſeruitutem admittunt: quæ fuit reſponſio Philoſophi. At artifices, operaq; eorum in ciuilem ſocietatem tandem diriguntur; ſine quibus nullo pacto conſtaret ciuitas. Diriguntur verò & ſunt neceſſaria, magis etiam opera, quàm artifices, quippe ciuitates quædam ſunt, quæ opera multarum artium aliunde important: ſed hæc directio, à mutua indigentia proficiſcens, efficit modum ſeruitutis, qui in artifices cadit, dum locat, venduntue opera ſuarum artium: tum verò operum iſtorum confectioni (quod eſt munus artificis quà artifex eſt, non locare illa, aut vendere) nihil prodeſt ſocietas, & conſuetudo vitæ ciuilis; quinimò potius eſt impedimento, vt proximè dicebamus. [c] Rationem primam dubitandi, quæ à ſimilitudine ſeruorum ducebatur, diluit Philoſophus oſtendendo eam ſimilitudinẽ non eſſe tantam, vt ex ea inferri poſſet, quod proponebatur. Hoc autem oſtendit tribus allatis differentijs ſeruorum, artificumque. [d] Quarum differentiarum prima iam eſt expoſita: ſeruus eſt totus in vitæ ſocie-

Artifices indigẽt virtute morali. Prima ratio. Secũda ratio. Reſponſio Philoſophi. Artifices quo modo egeant, aut nõ egeãt, virtute morali. Syllogiſmus hypotheticus confirmãs reſponſionẽ Philoſophi. Quot, quibuſque modis egere artifices virtutib⁹ morum, dici poſſit. Virtutes morum non conducunt per ſe ad opera artificum. Non deficiunt artifices in operibus ſuis, quia virtutũ moraliũ ſint expertes. Quomodo verſantur, aut nõ verſantur in vita ſocietate, & ad eam dirigãtur aut non dirigãtur quatenus in opera ſua incumbunt. Inſtantia contra tertiã partem aſſumpti ſuperioris. Solutio. Euerſio primæ rationis dubitandi. Artificum cũ ſeruis ſimilitudo, ac differentia.

b ſocietate: artifex, quà artifex eſt, ab ea eſt remotus. [c]Secunda differentia: ſeruitus ſeruorum eſt coniuncta, & vniuerſalis; coniuncta quidem, quia omnia eorum miniſteria, vt annotauimus ad tex. 69. ſunt circa dominos, & circa certos dominos, cũ quibus ita copulantur ex tex. 42. & 43. vt homines eorũ ſimpliciter euadant, nec ad alios reſpectũ aut rationem vllam retineant: vniuerſalis verò eſt, hac eadem de cauſa, quia non in certo genere actionum ſuarum, ſed in omnibus actionibus ſuis ſerui ſunt, & à nutu, imperioque dominorum ſuorum toti pendent. Contrà ſeruitus artificũ, quæ in eos non cadit, niſi qua ipſi, accepto pretio, vendunt, locantúe opera artium ſuarum; eſt ſeparata; quoniam, quibuſcunque voluerint hominibus, locare, aut vendere ea poſſunt, nec certis coguntur, quia ad certos

Cap. 5. non ſunt aſtricti, vt ſerui erant quod in iij. horum librorũ dicitur communiter, publiceue miniſtrare neceſſaria: & definita eſt, ac certa, ideſt in certo genere actionum, ac rerum vniuſcuiuſque artificis, verbigratia zonarij in

c zonis, carceolarij in calceis conficiendis. Tertia differentia: ſeruus, de quo nunc diſputatur, eſt ſeruus naturâ, quod probatum fuit ſuprà in cap. 10. & 11. artifex nullus omnino eſt naturâ vel ſeruus, vel artifex, quod eſt per ſe notum. Falſum item eſt illud, quod ſumebatur in ſecunda ratione dubitandi: eodem modo vt ſeruos, ita artifices deficere ob vitia, affectusúe vi- *Euerſio ſecundæ rationis dubitandi.*

d tioſos in operibus ſuis. [d]Societati enim vitæ, in qua ſemper ſunt ſerui, & ad quam ſimpliciter referuntur, aduerſantur nimij affectus: excellentiæ artis nequaquam. quinimò præſtantiores artifices plerunque eſſe cernuntur, qui magis in affectus ruunt, mulieroſi, ebrioſi, iracundi, & his ſimiles. *Affectuũ exuperatio ... ſeruitutis non artis eſſicit.*

Cuius rei duplex cauſa afferri poteſt: vna naturalis: altera accidentaria. Naturalis cauſa eſt, quòd in quibus affectus ſunt vehementiores, illi plus pollent ingenio, & perſpicacia: partibilis nanque, in qua regnant affectus, & rationalis animæ pars æque torpeſcunt, ac vigent naturaliter ob eadem principia, de qua re alibi. Cauſa accidentaria eſt, quòd dediti affectibus lucrum, & pecuniam quærunt, vt ſatiſfacere affectibus illis ſuis poſsint. itaque animum magis aduertunt, & plus adhibent curæ, diligentiæque in operibus ſuis. maiori enim ſtudio elaboratæ res ſunt pretioſiores, & pluris venduntur. Sed quanquam hæc vera eſſent, nonne temperatis affectibus minus auerterentur animi artificum ab opere faciundo? imò verò contrà, auerterentur penitus, & alienarentur. Quicunque enim affectus ſuos temperarunt, iam veras virtutes adepti, abhorrent à ſordidis artificijs in liberalia tantum incumbunt, quantum à virtutum actionibus ob hæc ſtudia non abducuntur. Nec vnquam magni viri excellere in poeſi, aut muſica, aut rhetorica glorioſum ſibi putarunt, intenti ad altiora, ideſt ad agendum ex virtute. *Artifices affectibus dediti cur præſtantiores.* *Affectuũ temperatio omnino contraria arti.*

Omnino autem quum artificis vocabulum tam illiberales, vt cerdonem, & fabrum lignarium, quàm liberales, vt muſicum, & oratorem comprehendat; hic videtur Philoſophus de ſolis illiberalibus, & ſordidis verba facere; quos etiam dicet in iij. libro colere ea, quæ *Dilatatur quæſtio ad artifices liberales, & ad homines mercenarios*

Cap. 5. virtutis ſunt, non poſſe. Tamen eadem eſt ratio dubitandi, & reſpondendi etiam de liberalibus. Siquidem æquè bonus orator, ac bonus cerdo eſſe poteſt qui ſit vir improbus. quid dico oratorem? etiam ſapientiæ, & philoſophiæ periti, ideſt ore, non corde ſapientes cernuntur aliquando moribus flagitioſiſſimis. Atque ab his omnibus ſtudijs tam liberalibus, quàm illiberalibus abducendi nos, aut ad ea adducendi ſimiliter affectus habent poteſtatem. De mercenarijs, quorum opere, non quorũ artes emuntur,

tur, idem reſponde, quod de artificibus illiberalibus.

Partes textus ſeptem. Prima (a) proponit quæſtionem, vtrum artifices, ſimiliter ac ſerui, egeant virtute morali: & in ea indicatur prima ratio dubitandi à ſimilitudine ſeruorum, & artificũ ducta. Secunda (b) affert ſecundam rationem dubitandi; quoniam æque artifices, ac ſerui, deficere in operibus ſuis videantur ob vitia, & affectus. Tertia (c) aggreditur ſolutionẽ, dicens inter hæc magnum diſcrimen eſſe. Quarta (d e) ſimul affert rationem ſolutionis, quare artifices non egeant, ſerui egeant virtute morali: ſimul euertit ſecundam rationem dubitandi, indicans cauſam cur ob vitia, & affectus non æque deficiant artifices, vt ſerui, in operibus ſuis: ſimul primam differentiam artificum, ac ſeruorum tradit, ex qua tollitur prima ratio dubitandi. Quinta (f) ſummam ſolutionis comprehendit, quà egeat, & quà non egeat artifex virtute morali, docens. Sexta (g) ſequitur ſoluendo, qualis virtus morum, & in quos artifices cadat, explicans: huic autem habetur ſecunda differentia artificum, & ſeruorum, quæ facit ad tollendã primam rationem dubitandi. Septima (h i) tradit tertiam differentiam artificum, & ſeruorum: ex qua tertio loco tollitur prima dubitandi ratio. Partes textus.

Textus. CXLVII.

*

Corollaria duo.

PARS QVINTA CAPITIS XXX.

Corollaria duo: vnum de auctore virtutis moralis in ſeruo: alterum de errore illorum qui priuant ſeruos ratione.

Φανερὸν τοίνυν ὅτι. &c. Tex. CLX. & CLXI.

ARGVMENTVM. TEXT. CLX.

Corollarium primum: Auctor huiuſcemodi virtutis moralis in ſeruo. Imbuit ſeruum huiuſcemodi virtute morali non ab eo, qui peritiam docendi dominicam operum conficiendorum tantummodò habet, ſed ab ipſo domino. Ratio ex eo, quod ſuprà in capite nono declaratum, & in textu 158. repetitum fuit: vti dominum ſeruo, tanquam inſtrumento: nam ex initio ij. ad Nicom. virtus moralis exercitatione, atque vſu propriè comparatur.

Text. clx. φανερὸν τοίνυν, ὅτι τῆς τοιαύτης ἀρετῆς αἴτιον εἶναι δεῖ τῷ δούλῳ τὸν δεσπότην· ἀλλ' οὐ τὴν διδασκαλικὴν ἔχοντα τῶν ἔργων δεσποτικήν.

Mani-

Manifeſtùm igitur, huiuſcemodi virtutis cauſam eſſe ſeruo dominum oporteres ſed non eum, qui rationem docendi opera habet dominicam.

EXPLANATIO.

Cauſa efficiens virtutis moralis.

DVBITATVM ſæpe eſt, & à clariſſimis quidem viris, quæ ſit cauſa efficiens virtutis moralis in nobis; vtrum diuinum aliquod numen; an natura; an homo: &, ſi eſt homo huiuſmodi cauſa; vtrum doctrina; an vſu, & exercitatione eam efficiat. Tractant hanc quæſtionem Plato in Menone, in Theage, in Politico, in Euthydemo, in Protagora; Ariſtoteles in cap. 9. primi in prin. ij. & in fine x. ad Nicom. Plutarchus in libello, cui ab argumento, & propoſito ſuo hunc titulum fecit; Virtutem doceri poſſe, & alij: & in vij. quoq; horum librorum de ea fit mentio. Clarum eſt, omnia, quæ dicta ſunt, concurrere: ſed quæritur de cauſa principali, & perfecta. Plato inquit hanc eſſe diuinum numen. Ariſtoteles tacens de diuino numine, quia illud ſit cauſa generalis omnium rerum, exercitatione & aſſuetudine moralem virtutem acquiri ait. Ambo negant ineſſe eam in nobis naturâ. ambo negant doctrina comparari. Et omnino exigua eſt inter eos de hac re differentia. nam neque Ariſtoteles inficiaretur Deum eſſe primam cauſam. & Plato frequenter de pueris aſſuefaciendis, exercendiſque in labore, & patientia animi, & corporis verba facit. ſed hæc alibi. Quoniam igitur de ſententia Ariſtotelis ita virtus morum vſu, & exercitatione acquiritur, quemadmodum virtus intelligentiæ acquiritur doctrina, ex initio ij. libri ad Nicom. ſequitur, ſi indiget ſeruus virtute morali, vt huiuſcemodi virtutis cauſa ſit illi non qui eum docet, ſed qui habet in eum imperiũ, atque ius exercendi, & vtendi ipſo. Docet autem ſeruum is, qui præditus eſt ſcientia dominica, erudireque eum poteſt in ſeruilibus miniſterijs, qui quidem plerunque non eſt dominus, de qua re ſuprà in tex. 69. 70. & 71. At imperium, iuſque exercendi, & vtendi ſeruo ſolus dominus obtinet, vt colligitur ex tex. ſuperiori 58. declaratumque fuerat antea in capite nono. Ergo ipſe dominus, non ille, qui habet ſcientiam dominicam operũ conficiendorum, eſt auctor, & cauſa ſeruo virtutis moralis, cuius ſeruus eſt particeps. Conficitur itaque hoc theorema ex ijs, quæ antè ſunt conſtituta: quod quidẽ Philoſophus oſtendit, appoſitis in principio textus coniunctione illatiua, *igitur*, & voce, *manifeſtum*. Alij dicunt dominum eſſe cauſam ſeruo virtutis moralis, proptereaquòd hæc virtus ſerui ad dominum referatur, non ad ſeruum, vt poſitum eſt in tex. 58. At eâdem ratione ſequeretur, peritiæ ſeruilium miniſteriorum, qua ſeruus inſtruitur ab habente dominicam ſcientiam, non hunc eſſe cauſam ſeruo, ſed ipſum dominum, contra ea, quæ ſunt conſtituta in tex. 69. & 72. Concordant cum Philoſopho noſtro Plato in vj. de legibus, & Xenophon in Oeconomico, dominum eſſe cauſam ſeruo virtutis moralis: quærentes deinde qua via, & modo cauſa eſſe, ſeruo huiuſmodi virtutis dominus poſſit; tum quibus cum moribus, & quibus primo, quibus ſecundo, ac tertio loco, quaque in ſingulis ratione debeat imbuere; adhoc quales ab initio parandi ſint ſerui, vt faciliùs, meliuſque inſtituantur. De quibus omnibus etiam Auctor primi Oeconomici ſatis copioſè, & Plutarchus in vita cenſorij Catonis.

Cap. 13. *Ariſtotelis, & Platonis de hac re differentia, & conciliatio.*

Quis, & cur ſeruo ſit cauſa virtutis moralis.

Expoſitio aliorum.

Concordant Plato, & Xenophon de hoc theoremate cũ Philoſopho. Quæſtiones alia ad inſtituendum ſeruum pertinentes.

Cap. 5.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT. CLXI.

Corollarium ſecundum: Error illorum, qui priuant ſeruos ratione; vtendumque hac de cauſa cum illis imperio duntaxat volunt. Participes rationis eſſe ſeruos eo modo, quo fuit declaratum in tex. 53. Argumenta duo; vnum ab adiacentibus qualitatis, quòd virtus moralis; alterum ab actibus, quòd admonitio in eos cadat: quarum neutra, nec virtus moralis, inquam, nec admonitio ſuſcipitur ſine ratione.

Text. clxj. Διὸ λέγουσιν οὐ καλῶς, οἱ λόγου τοὺς δούλους ἀποστεροῦντες, καὶ φάσκοντες ἐπιτάξει χρῆσθαι μόνον. νουθετητέον γὰρ μᾶλλον τοὺς δούλους ἢ τοὺς παῖδας. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

[a] Quapropter dicunt non rectè qui priuant ſeruos ratione; [b] affirmantque imperio vtendum duntaxat eſſe. [c] admonendi enim magis ſunt ſerui, quàm pueri. [d] Verùm de his definitum ſit hoc modo. *a. Quære ſuprà in tex. 53. & 155.*

EXPLANATIO.

Hypotheſis euertenda.

[a] SVNT quidam, qui negent, ſeruos eſſe compotes eſſentiæ, & facultatis rationalis: [b] atque ob id ipſum agendum eſſe cum illis inquiunt imperio ſolùm, ac veluti edictis; nullam afferendam à dominis cauſam ſuorum mandatorum; nec admonitionem adhortationemúe adhibendam; quarum illi non ſunt capaces, carentes ratione. [a] Sed ex eo, quod proximè dictum eſt, & ex tota ſerie huius capitis conuincitur error iſtorum: liquetq; ſeruos eſſe rationis participes eo modo, quo in tex. & commentario 53. fuit declaratum: vt ſentiant ſcilicet, eam, ſed non habeant: hoc eſt vt habeant quidem eſſentiam, & facultatem animæ illam, quam mentem, & rationem vocamus; at infirmam habeant, & occæcatam, præſertim ex ea parte, qua conſilium capitur. [b] Etenim in hoc capite poſitum eſt, cadere in ſeruos virtutem moralem; & in textu proximè antecedenti, huius virtutis moralis cauſam eſſe dominum ſeruo: non exiſtit autem virtus moralis ſine ratione, cap. 7. primi, & cap. 13. libri ad Nicom. [c] Adhoc verò, vſu compertum eſt, ſeruos admonitione cum imperio coniuncta retineri, dirigique in officio, & operibus ſuis; peccare, niſi admoneantur: [c] quocirca magis etiã, frequentiusque admoneri ſerui ſolent, quàm pueri, ob rerum neceſſitatẽ, ac multitudinem quæ ſeruis iniunguntur; quarum paucæ omnino, & iniungentibus non neceſſariæ, ſed ad vtilitatem potius ipſorum puerorum, iniunguntur pueris. Admonitionis autem vel ſolum vocabulum, quod græcè eſt νουθεσία, & νουθέτησις, palàm facit egere eam mẽte, ac ratione, in qua ſuſcipiatur. Eſt enim admonere, νουθετεῖν, ponere, & adducere aliquid in mentem.

Serui quomodo participes, aut non participes rationis.

Primum argumentum à virtute morali, quæ in ſeruos cadit.

Secundum ab admonitione, quæ cadit in eoſdem.

a. quapropter

c. admonendi magis.

Admonitio non eſt ſine mente, & ratione.

Partes textus.

Partes textus tres. Prima (a b) habet hypotheſin aduerſariorum, & cum ea notam primi argumenti aduerſus illam. Secunda (c) continet ſecundum argumentum. Tertia (d) eſt concluſio huius capitis.

S C H O L I A.

Quapropter dicunt non rectè qui priuant &c. Pugnare hic locus cum tex. 53. & cũ 151. videretur: niſi apta explanatio tolleret repugnantiam. *Conciliatio huius cum text. 53. & 151.*

Affirmantque imperio vtendum duntaxat eſſe. Putat P. Victorius Platonem notari, cuius in vj. de legibus hæc verba leguntur: κολάζειν γε μὴν ἐν δίκῃ δούλους δεῖ· καὶ μὴ νουθετοῦντας, ὡς ἐλευθέρους, θρύπτεσθαι ποιεῖν· τὴν δὲ οἰκέτου πρόσρησιν χρὴ σχεδὸν ἐπίταξιν πᾶσαν εἶναι. idest *Caſtigare tamen ſeruos iure ſemper oportet; nec monendo, vt ingenuos, molliores reddere: colloquutio cum ijs oĩs ferè imperium ſit &c.* At qui vellent Platonem cũ Philoſopho conciliare, dicerent primum, non negare ibi Platonem abſolutè ſeruos eſſe monendos; ſed negare, monendos eſſe vt ingenuos: aliam enim ſeruorum, aliam ingenuorum monendorum formam eſſe. Deinde adderent non dicere Platonem ſolis imperijs, & edictis cum ſeruis agendum eſſe; ſed in omni compellatione, & colloquio, quod cũ ipſis habetur, eſſe admiſcendum imperium; nec vllo modo vnquam cum ijs iocandum: ita imperio iungendam admonitionem ſignificari, & admonitioni imperium; ne ſolo imperio, vt in belluas ratione carentes; neue ſola admonitione, vt erga liberos, cum ſeruis vtamur. quibus ſimilia ſunt quæ ſcribuntur ab Auctore primi Oeconomici, indicanturq; in ij. horum librorũ, vbi agitur de Lacedæmoniorum republica, à Philoſopho. Poſtremo de ſeruis conditione potius, quàm de ſeruis naturâ loqui eo loco Platonẽ: ſeruos autem conditione, quoniam vi, non naturâ ſunt tales; vi etiam, & imperio melius regi, quàm admonitionibus.

Locus Platonis ex vi. de legibus. *Notari Platonem quidam volunt.* *Cõciliatio Platonis cum Philoſopho.* *Cap 5.* *Cap. 7.*

Admonendi enim magis ſunt ſerui, quàm pueri. Hoc nos attribuimus multitudini, & neceſſitati ſeruilium munerum. Ob id enim crebriùs, atque etiam diligentiùs, ſi ad noſtram propriam, & præſentem ſpectemus vtilitatem, monendi ſunt ſerui. D. Thomas attribuit ætati puerili; quæ minus ſit capax admonitionis. Quanquam cernimus ingenuos pueros, præſertim grandiores, admonitionibus plus proficere; & plus protrehi ad virtutem, quàm ſeruos. Licet enim puerorum imperfecta ſit ætas: tamen perfectiorem ipſi animam habent, & rationis magis participem, magiſque ei obtemperantem, quàm ſerui natura.

Admonendi magis ſerui, quàm pueri quo modo. *Admonitionis capaciores vtrum ſerui, an pueri.*

Textus. c x l.

Concluſio diſputationis de his duabus domus partibus, coniugali, paternaque: & continuatio huius cum libris ſequentibus.

CAPVT XXXI.

Declarans conſyderationem perfectam harum duarum domus partium, hic leuiter adumbratarum, eſſe propriam facultatis domeſticæ, quæ ciuili penè adhæret, & ad eius, ideſt ad rerum publicarum formas in huiuſmodi rebus neceſſariò ſpectat; opprimensq́ hoc modo exorientem dubitationem; concludit, & connectit hunc cum libris ſequentibus.

Περὶ δ' ἀνδρὸς, καὶ γυναικὸς. &c. Tex. clxii. per totum librum.

SCHOLIVM.

Excuſatio, & cauſa excuſationis Philoſophi.

AD MONVERAT in textu 143. multo plus ſtudij ponendum eſſe in his duabus domus partibus, paterna, & coniugali, quàm in dominica, & pecuniaria: quas tamen dominicam, & pecuniariam longo ſermone antea explicauerat. Adhoc verò duæ iſtæ partes, cōiugalis, paternaque, leuiter admodum adumbratę ſunt, & quibuſdam tantùm ſimilitudinibus: multa autem capita, multas quæſtiones contineri in conſyderatione earum perfecta, eſt per ſe manifeſtum. Sentiebat itaq; Philoſophus naſci dubitationem, cur non perfectè de his diſſerat, explicetque copioſè quæcunque explicari poſſunt.

Conſyderatio perfecta harū duarū partiū qualis, & vbi habenda.

Quamobrem huic dubitationi occurrens, declarat, multa *Tex. 161.* quidem

quidem de iſtis partibus quærenda eſſe, ſi notitiam earum perfectam aſſequi cupimus, quæ hactenus aut nullo modo, aut vix tacta ſunt: nempe quæ ſint propriæ virtutes cuiuſq; quatuor perſonarum, ex quibus partes iſtæ conſtant, mariti, vxoris, parentum, filiorum; & quæ ex ijs virtutibus munera, atque officia exiſtant, agendi, non agendi, conſectandi, fugiendi tam in conſuetudine, & congreſſu quotidiano harũ ipſarum perſonarum inter ſe, quàm abſolutè, & ad alia, vt tamen ſunt tales perſonæ, & his vocabulis nuncupantur. Cæterum hæc omnia, quæ fusè quærenda, explicandaque ſint, eſſe quærenda, & explicanda non in ciuili facultate, ſed in illa, quæ eſt circũ, & poſt ciuilem, ideſt in domeſtica, quæ adhæret ciuili ſic, vt eam proximè ſequatur. *Domeſtica facultas ſequitur ciuilem.* Etenim in il- Text. 163. & 164. lis informandis perſonis, præſertim quod ad vxores, & pueros inſtituendos attinet, in rationes, formaſque rerum publicarum, ac ciuitatum inſpicere oportet, vt aptè ad ſtatum illius, in qua quæque reperiuntur, informentur, & inſtituantur. *In vxoribus, filijsque inſtituendis, ad formas rerum publicarum ciuitatumque reſpiciendũ eſſe.* Tex. 165. Eſt nanque domus, & ſocietas domeſtica vnaquæque pars ciuitatis: ad totiusque perfectionem, & bonum dirigi Tex. 166. partis virtutem neceſſe eſt. Tum plurimum intereſt ad hoc, vt ſtudioſa ſit ciuitas, ac reſpublica, pueros, vxoreſque ſtudioſas eſſe: quandoquidem vxores numero pares ſunt viris; & hac de cauſa dimidia pars ciuitatis, hominumque liberorum meritò dicuntur: pueri autem ſunt quaſi reipublicę ſeminarium; nam viri facti recipiuntur ad eius adminiſtrationem. Neceſſe eſt igitur de huiuſmodi rebus ſcribenti ſtatus ciuitatum, rationeſque rerum publicarum antè exponere: deinde ad hæc intuendo perfectè indagare, & adiungere, quæ reſtant dicenda de paterna, coniugalique ſocietate, ad Tex. 167. ea, quę leuiter in pręſentia ſunt tacta. Quocirca dimiſſa iam conſyderatione de his ſocietatibus, & omnino de partibus domus, atque in ſuum tempus dilata, exordiamur rurſus, inquit Philoſophus, de rebus publicis, ciuitatibusque dicere, initium ſumentes à formis, quas alij expreſſerunt, dum optimum vnuſquiſque ciuitatis ſtatum introducere laborat.

ARGVMENTVM. TEXT. CLXII.

Summa capita perfectæ conſyderationis harum duarum domus partium, paternæ ſcilicet & coniugalis, alia percenſens, alia indicans Philoſophus, docet eam conſyderationem eſſe propriam domeſticæ facultatis, quæ ciuilem proximè ſequitur.

Text. clxij. Περὶ δ' ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς καὶ τέκνων καὶ πατρὸς, τῆς τε περὶ ἕκαστον αὐτῶν ἀρετῆς, καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμιλίας, τί τὸ καλῶς καὶ μὴ καλῶς ἐστὶ, καὶ πῶς δεῖ, τὸ μὲν εὖ, διώκειν. τὸ δὲ κακῶς φεύγειν, ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν.

De viri autem, & vxoris, & filiorum, & patris virtuteque cuiuſque ipſorum, & conſuetudine, inter ipſos quid quod rectè, & non rectè ſe habet; & quomodo oportet, quod quidem bene conſectari; quod verò malè, fugere; in ijs, quæ circum respublicas, neceſſe eſt perſequi.

SCHOLIA.

Virtutis vocabulũ quid hîc. *De viri autem, & vxoris, & filiorum, & patris virtuteq; &c.* Virtutẽ intellige cõmuniter cuiuſuis generis, & modi, ex qua bene officia harũ perſonarũ adminiſtrãtur: quemadmodũ in primo ad Nicom. dictũ fuit, propriã cuiusq; rei virtutẽ eſſe, *Cap.* ex qua propriũ illius rei opus bene efficeretur. Adminiſtrãtur aũt bene officia, & munera harũ perſonarũ partim ex certis prudẽtiæ partibus, quæ eſt virtus intelligẽtiæ, partim ex virtutibus morũ: atq; ex his, vel veris, & perfectis, quæ ſunt habitus in medio critate affectuum, actionumq; conſiſtentes; vel imperfectis, & translatitijs, quæ habitus non ſunt, ſed conſtitutiones quædam animi laudabiles vel acquiſitæ, comparatæque exercitatione, & doctrina quadam, vel naturales. *Virtutibus cuiuſque harum perſonarũ, ex quibus ipſarũ munera rectè adminiſtrantur.* Vir, vxor, & pater ſua vnuſquiſque officia implet ex certa prudentiæ parte. Nam eſt propria viri prudentia, qua in omnibus iis rebus, quæ vxoris ſunt, quæque quouis modo ad vxorem ſpectant, rectè ſe gerit. Et hanc prudentiam comitantur in ipſis illis rebus cunctæ virtutes morales, quæ verè propriéque dicuntur; vt temperantia in venereis; liberalitas, & magnificentia in ſumptibus, donationibusque, quæ vxoris causâ fiunt; fortitudo domeſtica, & magnanimitas in calamitatibus matrimonij; & reliquæ ſimiliter; de quibus dictum eſt in libris ad Nicomachum. *Mariti virtutes.* *Patris & vxoris virtutes.* Alia patris, alia vxoris prudentia eſt. hæc cernitur in ijs, quæ virum; illa in ijs, quæ filios quacunque ratione attingunt, rectè peragendis. Et vtranque ſequuntur eodem modo morales virtutes, quæ propriè ſic nominantur; diſtantes ſolùm circunſtantijs, nõ formã, & eſſentiã, quæ vxoris ſunt ab illis, quæ ſunt patris, & vtræque ab illis, quæ ſunt viri, & omnes ab abſolutis, quæ cadunt ſimpliciter in hominem probum. Exempligratia alio fortaſſe tempore, & modo, & ob aliam cauſam, & res alias, & alijs perſonis donabit vxor, quàm vir; & vir, quàm pater; & pater, quàm homo ſimpliciter præditus liberalitate. Ad has etiam morales, verasque virtutes adiunguntur in his perſonis quædam conſtitutiones animi laudabiles, vt charitas patris in filios; vt fides, & amor vxoris in virum, viri in vxorem, & aliæ id genus. *Filiorum virtutes.* Filij autem vel pueri adhuc ſunt, vel prouecti ætate. In his requiruntur propria prudentiæ pars, & virtutes morales non minus, quàm in patre. In illis ſatis ſunt conſtitutiones quædam animi laudabiles, ſæpe natiuæ, aliquando comparatæ: vt gloriæ, honeſtatisque amor, timor infamiæ, diſcendi cupiditas, reuerentia aduerſus maiores,

erga

erga calamitoſos miſericordia, initia, & quaſi igniculi emicantes fortitudinis, liberalitatis, iuſtitiæ, & aliarum futurarum virtutum. Hæ ſunt igitur virtutes quatuor perſonarum, duas iſtas ſocietates, paternam, coniugalemque, efficientium. In quibus exponendis quoniam propriè ad optimam, optimaque ratione inſtitutam rempublicam orationẽ accomodauimus: eſſent ſimiliter in alijs ciuitatum ſtatibus pro vario cuiuſque modo, ac fine eædem diſtinguendæ, ac determinandæ. Verùm de his, vt diximus quærendum eſt in libris diſciplinę domeſticæ: quorum nonnulla Auctor primi Oeconomici, & Xenophon in Oeconomico attigerunt. Non meminit hic Philoſophus virtutum domini, & ſerui, tum quia dominus, & ſeruus nõ ſunt perſonæ harum ſocietatum: tum quia ſuprà de eorum virtutibus quodam modo explicatum eſt. Apparuit enim propriam domini uirtutem eſſe prudentiam in rebus neceſſarijs, conducentibusq; ad uitæ uſus: cum qua prudentia itidem coniunctæ ſunt uirtutes morales, & conſtitutiones quædam animi laudabiles circa illas eaſdem res, & uſus uitæ. At ſerui uirtus principalis erat robur corporis, quo exequi poſſet quæ à domino prouiderentur, atque imperarentur; & cũ robore corporis conſtitutiones animi, obedientia, & fides, & amor in dominum, & eiuſmodi aliæ iungebantur.

Primo Oeconomico cap. 4.

Cur nõ meminerit hic Philoſophus virtutũ domini, et ſerui.

Domini virtutes.

Serui virtutes.

Syntaxis.

Virtuteque cuiusque ipſorum. Quaſi dicat proprias cuiuſque virtutes, uiri, uxoris, filij, patris.

Virtuteque cuiuſque ipſorum, & conſuetudine inter ipſos &c. Summa capita conſyderationis harum duarum ſocietatum ſunt numero quatuor: quorum partim percenſentur, partim indicantur hoc loco à Philoſopho. Primum caput eſt de uirtutibus: quæ ſint propriæ uirtutes cuiuſque earum perſonarum, ex quibus ſocietates iſtæ conſtant. Reliqua capita ſunt de officiis, & actionibus proprijs. Quæ officia, & actiones ut ex uirtutibus illis pendent, ita eas demonſtrant, ac patefaciunt: cohibenturque omnino in duo genera, quum in multas ſpecies ſint diſtributa. Nam aut ſunt actiones, officiaque propriè erga perſonam coniunctam, ad quam perſonam coniunctam prior illa perſona, cuius actiones ſunt, propriè refertur: cuiuſmodi ſunt actiones uiri erga uxorem in ſocietate, & conſuetudine, quam inter ſe habent. Aut ſunt actiones, & officia erga alias perſonas, & in alijs rebus, cum relatione tamen, & reſpectu quodam ad perſonam coniunctam: uirum enim, quà uir eſt, & uxorem habet, alia decent, alia minimè in conſuetudinibus, & congreſsibus reliquorum hominum, in comeſſationibus, in exercitationibus, in ludis, in iocis, in ornatu, in habitatione, & in eiuſmodi ſexcentis, quæ in quotidiano uitæ uſu cernuntur. Secundum igitur caput erit, quænam peragenda, & à quibus abſtinendum erga perſonam coniunctã, uerbigratia uiro erga uxorem. Tertium, quænam peragenda, & à quibus abſtinendum ſimiliter erga alias perſonas, & in alijs rebus reſpectu perſonæ cõiunctæ. Quartum qua uia, & modo aſſequi poſsimus, ut illa peragamus, & ab his abſtineamus in utroque genere conſuetudinis, & officiorum. Primum caput ſignificatur his uerbis: *virtuteque cuiusque ipſorum*. ſecundum his: *& conſuetudine inter ipſos quid quod rectè, & non rectè ſe habet*. quibus uerbis etiam indicatur tertiũ. Quartum notatur ſubſequentibus: *& quomodo oportet quod quidem bene, conſectari; quod autem malè, fugere*. Eadem capita quærenda erunt de domino, & ſeruo: quanquam horum uirtutes ex ſuperiori diſputatione, quæ de ipſis habita eſt, ſunt penè manifeſtę quemadmodum diximus: ſed tamen clariùs adhuc aperiendæ ſunt in Oeconomicis.

Conſyderationis perfectæ harũ duarũ ſocietatum ſumma capita quot, & quæ.

In ijs, quæ circum reſpublicas, neceſſe eſt perſequi. Alij intelligunt poſtremam partẽ vij. & viij. huius operis: vbi Philoſophus de liberorum procreatione, educatione, inſtitutione ſermonem habet. Ego libros, & facultatem domeſticam, ſeu œconomicam, quæ circum reſpublicas ſit, ideſt quæ ſequatur proximè diſciplinam ciuilem. Sentio quidem verbis vim quandam afferri: nec libẽter ea ſic interpretor; *in ijs, quæ circa reſpublicas*, hoc eſt in œconomicis libris. Sed niſi hoc modo, quòd hîc dicitur, accipiamus; primùm non præſtabit Philoſophus quod pollicetur. Quaenam enim in parte Politicorum librorum loqui eum oſtendes de virtutibus, & officijs viri, vxoris, patris, filiorum tam erga ſe, quàm erga cæteros ho-

Quos libros ſignificet Auctor his uerbis, Politicos'ne, an Oeconomicos.

Prima ratio.

ros homines,& res? Docet ille quidē ſub exitū vij.& in viij.quæ in coniugijs,ac liberorum procreatione ſint obſeruanda; quæque ſit ratio eos iam ſuſceptos educandi,& inſtituendi, vt optimi, quoad fieri poteſt, euadant, concurrentibus natura, more, & doctrina: id quod etiam propoſitum fuerat in exitu x. ad Nicom. ſed hæc eſt exigua quædam pars eorum, quæ hîc proponuntur de virtutibus, & officijs &c. quæ pars eſt communis Oeconomo cum ciuitatis rectore: vel magis etiam attinet ad rectorem ciuitatis. huius enim maximè intereſt, optimos euadere, qui ciues futuri,& rem publicam adminiſtraturi aliquando ſunt. *Secunda.* Ita ergo ſi Politicos libros hîc ſignificari intelligeremus; non præſtaret Philoſophus,quod pollicetur. Deinde nec præſtare quidem vllo pacto poſſet,aut deberet. Nam ſi in Politicis hæc traderentur, quæcunque ſcilicet pertinent ad virtutes, & officia harum perſonarum; nulla amplius eſſet domeſtica facultas diſtincta à ciuili; vel illa eſſet ſola pecuniaria, contra Platonem, Xenophontem, Ariſtotelem, & omnes antiquos Philoſophos: qui domeſticæ facultatis ſemper meminerunt tanquam facultatis conſyderantis domum,& rem,& familiam, perſonarumque, ex quibus familia conſtat, officia & virtutes; quęque ita diſtinguatur à ciuili,& à morali, quemadmodum diſtinguitur domus,eiuſq; gubernatio, & inſtitutio à ciuitate,& ab hominibus ſingulis, eorumque inſtitutione, ac gubernatione. *Tertia.* Poſtremò in textu 165. ſequenti repetet Philoſophus de his ipſis rebus in alijs, libris videlicet, & commentarijs dicendum eſſe: alia autem ſunt propriè non politica, ſed œconomica. *Oeconomica non eſt politices pars, nec appendix.* Hæ ſunt cauſæ, cur ſic hunc locum exponam; & cur nec quibuſdam amicis meis aſſentiri poſſim, putantibus ex hoc loco domeſticam facultatem ciuilis partem, aut appendicem eſſe. Non enim ſequitur, quia domus ſit pars ciuitatis, vt domeſtica facultas ſimiliter ſit pars, vel appendix ciuilis: quando item homines ſinguli ſunt partes eiuſdem ciuitatis; nec tamen moralis, quæ de officijs, ac virtutibus ſingulorum hominū cōſyderat, eſt ipſius ciuilis pars, vel appendix. Nec ſi agitur de domo,& partibus domus aliquatenus, hoc eſt vt ſunt partes ciuitatis, in libris ciuilibus: ſtatim erit domeſtica facultas à qua etiam de his agitur, & ſimpliciter quidē agitur, vel pars, vel appendix ciuilis. Nam eādē ratione ſequeretur, libros de generatione, & interitu, in quibus de quatuor elemētis ſimpliciter, & quatenus elemēta ſunt, diſputatur, vnà cum libris Sublimium, in quibus diſputatur de iiſdem elementis, quatenus ex mutua inter ſe mutatione quibuſdam modis afficiuntur; eſſe partes, aut appendices librorum de Cœlo, vbi elementa conſyderantur quatenus ſunt partes vniuerſi. Libriq; morales, in quibus neceſſe eſt de anima, eiuſq; partibus quodammodo diſſerere, vt dicitur in nouiſsimo capite primi ad Nicom. ſimiliterque libri de partibus animalium, & alij fortaſſe eſſent partes, vel appendices librorum de Anima. Quinimò medicina eſſet pars, vel appendix philoſophiæ naturalis. ſiquidem multæ earum rerum, quas hæc tractat, tractantur quoque in medicina: vt de humano corpore nominatim ſcribitur in eodē nouiſsimo capite primi ad Nicom. Et multæ aliæ artes, ac libri efficerentur hac ratione appendices, & partes aliorum librorum, atque artium. *Artium, ſcientiarum, & facultatum diſtinctio unde.* Sed non ſecantur artes, & ſcientiæ, quemadmodum res, niſi vt nos explicauimus in commentario 57. iij. de Anima: fines, & modi operandi, id eſt conſyderandi, agendi, efficiendi, hi, aut illi, additi rebus, propriè ſunt, qui ſcientias, artes, facultatesque diſtinguunt. de quo enunciato ſæpe Ariſtoteles, præſertim in lib. xiij. Poſtnaturalium. *Cap. 5.*

TEXTVS

TEXTVS CLXIII. CLXIV.

Confirmat duobus argumentis id, quod proximè eſt poſitum: dicendum perfectè fore de iſtis duabus domus partibus, paterna, & coniugali, præſertim quod ad pueros, & vxores inſtituendas attinet, in Oeconomicis libris; poſtquam in his dictum fuerit perfectè de ciuitatibus, & rebuspublicis. Principium commune horum duorum argumentorũ per locum ab actibus: quòd in his ſocietatibus, perſoniſq́, ex quibus ipſa conſtant, informandis, præſertim quantum ad vxorum, & puerorum inſtitutionem attinet, inſpiciendum ſit in formas, rationesq́, rerum publicarum ac ciuitatum.

Ἐπεὶ γὰρ οἰκία μὲν. &c.

SCHOLIVM.

POSSEM etiam argumentum, & demonſtrationem vnã tantùm conficere, quæ eſſet huiuſmodi. In cuiuſcunque rei formam, & rationem inſpicere oportet ad alteram informãdam, atque inſtituendam; illius rei doctrina priori loco perfectè tradenda eſt, & alterius poſteriori: ſed in formas, rationesque rerum publicarum, ac ciuitatũ inſpicere oportet ad informandas has ſocietates, paternam, coniugalemque, & perſonas, ex quibus conſtant, potiſsimum verò quantum attinet ad vxorum, puerorumque inſtitutionem: ergo &c. Maior eſt euidens. nam illius rei doctrina antecedat neceſſe eſt, quæ ſi ignoretur, doctrina alterius tradi non poteſt. Minor probatur dupliciter: primùm vniuerſè per locum à genere in textu 163. quoniam virtus, officiumque cuiusque partis ad ſui totius virtutem, officiumque neceſſariò ſpectat, ac dirigitur: itaque intueri, & declarare hæc oportet, ſi illa ſunt aperienda: ſunt autem ambæ hæ ſocietates domus partes; & omnis domus pars ciuitatis, atque reipublicæ. Deinde probatur eadem minor, quatenus attinet propriè ad puerorum, vxorumque inſtitutionem, in tex. 164. per locum à fine. nam, hoc, vel illo modo inſtitui pueros, &

Vtrum vna, an duæ demõſtrationes, quibus duobus textibus tradantur; & quomodo vna, quomodo duæ; quæq; ipſarum vis, modusque ſit. Si vna ſit demonſtratio.

Doctrinarum ordo.

In formas rerum publicarum inſpicere neceſſe eſt inſtituẽtibus cõiugalem paternamque ſocietatem, & perſonas, ex quib' illa conſtant.

ros,& vxores, maximi intereſt, plurimumque momenti habet ad ſtatus rerum publicarum,& ciuitatum, vt tales ſtatus huius, vel illius modi exiſtant, & ſtudioſi, conſentaneique ſint vnuſquiſque in ſuo modo, & forma, aut minimè: quocirca in pueris vxoribusque cuiuslibet ciuitatis inſtituendis, neceſſe eſt in formam,& ſtatum illius proprium intueri; vt, ſi vitioſus non fuerit, aptè ad eum inſtituantur: ſummus enim finis harum inſtitutionum, quemadmodum & domus, & omnium domus partium, eſt ciuitas, atque reſpublica, vt ab initio huius libri apparuit: ergo etiam ſtatus, formasque rerum publicarum, ac ciuitatum notas eſſe oportet, antequam tradatur ratio inſtituendi pueros, & vxores. Hoc modo eſſet vna duntaxat demonſtratio ob vnum principium commune ratiocinandi, quod efficitur minor illius.

[illegible] duæ ſunt demonſtrationes.

Veruntamen mihi potior eſt ſententia D. Thomæ, vt ſint duæ demonſtrationes inter ſe diſtinctæ. Quanquam enim communi illo principio coniunguntur, quo proximè conficit Philoſophus, id quod vult: tamen diuerſi ſunt loci, vnde primùm argumentatur; vnus à genere; alter à fine: diuerſæque quodammodo concluſiones; vna generalis, de paterna, coniugalique ſocietate, & perſonis, ex quibus conſtant, informandis; altera huic ſubiecta, de ratione inſtituēdi vxores, & pueros; à qua poſtea ad generalem illam aſcenditur per locum à parte. nam quo in loco de ratione inſtituendi vxores, ac pueros, quæ eſt quædam pars conſyderationis harum duarum ſocietatum, differendum eſt: in eodem loco videtur & de alijs, quæ ad eandem conſyderationem pertinent, eſſe differendum.

ARGV-

ARGVMENTVM. TEXT: CLXIII.

Prima argumentatio probans vniuerſè id, quod proximè eſt poſitum, ideſt de coniugali, paternáque ſocietate, & perſonis eas conſtituentibus conſyderari perfectè non poſſe, antequam perfectè conſyderentur rerum publicarum, ciuitatumque rationes, & ſtatus. Locus à genere: quoniam hæ ſocietates, perſonæque ſint partes domus; & omnis domus pars ciuitatis: cuiuſuis autem partis officium, & virtus ad officium, virtutemque ſui totius neceſſariò ſpectet; vnde in hæc inſpici oporteat, & hæc nota eſſe, ſi illa perfectè ſint declaranda.

Text. clxiij. [a] Ἐπεὶ γὰρ οἰκία μὲν πᾶσα, μέρος πόλεως, [b] ταῦτα δ', οἰκίας· [c] τὴν δὲ τοῦ μέρους πρὸς τὴν τοῦ ὅλου δεῖ βλέπειν ἀρετήν· [d] ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντα, παιδεύειν καὶ τοὺς παῖδας, καὶ τὰς γυναῖκας.

[a] Quoniam enim domus quidem omnis eſt pars ciuitatis; [b] hæc autem, *de quibus loquimur*, domus; [c] partis autem virtutem ad virtutem totius ſpectare oportet; [d] neceſſe eſt ad rempublicã ſpectantes erudire & pueros, & vxores.

d. Vide etiam in cap. primo lib. vij.

EXPLANATIO.

PARTES textus tres. Prima (a b) continet minorem. Secunda (c) maiorem argumentationis. Tertia (d) concluſionem non huius quidem argumentationis, ſed ſequentis. *Partes textus.*

SCHOLIA.

Hæc autem, domus. Subaud. ſunt partes: hæc inquam, de quibus eſt diſputatio, ſocietas coniugalis, paternaque, & perſonæ, ex quibus conſtant. *Subaudienda.*

Quoniam partis virtutem ad virtutem totius ſpectare oportet, neceſſe eſt &c. Quoniam virtus, & officium partis (ſemper enim virtutem officium ſequitur) ſpectant neceſſariò ad virtutem, & officium totius; non poteſt conſyderari pars, niſi prius totum fuerit manifeſtum. antecedat igitur conſyderatio ciuitatum, atque rerum publicarum oportet conſiderationem coniugalis, paternæque ſocietatis: & perſonarum eas conſtituentium, quæ propter domos ſunt partes ciuitatum, atque rerum publicarum. Hoc argumento primùm ſequitur, ſocietatem dominicam, rationemque pecuniariam, quæ ſimiliter, ac duæ ſuperiores, ſunt partes domus, & ciuitatis; ſeruumque ac dominum, ex quibus iungitur prior, conſyderari non poſſe ante ciuitatum, & rerum publicarum perfectam conſyderationem: quanquam ſuprà de ijs copiosè fuit diſputatum. Deinde tollitur omnis doctrina compoſitiua: quæ, ſingulas primùm explicans partes, eaſque connectens, tandem diſſerit de toto. Poſtremò oppugnatur vel penitus, vel quadam ex parte methodus illa conſyderandi res compoſitas, de qua ſuprà in 3. & in 30. textu dictum fuit, & in tex. primo primi Phyſici, & alijs in locis. At non offendere, nec nutare hoc modo Ariſtoteles ſolet. Itaque de his diligentiùs eſt conſyderandum. Fortaſſe vero quanquam pars, cuiuſcunque generis fuerit, eiusque virtus, & officium referuntur, diriguntúrque ad totum, &

Argumentatio textus. *Vitia huius loci.* *Reſponſio ad argumentum textus.*

Quis ordo inter conſyderationes, & doctrinas totius, & partis.

ad virtutem, atque officium totius, tanquam ad ſuos proprios fines; nec cognoſci perfectè hac de cauſa ſine cognitione illorum poſſunt: haud quaquam tamen ante partem neceſſe eſt cognoſci totum perfectè, & diſtinctè (qui enim hoc poſſet, ſi conſtat totum ex partibus, & nihil aliud ad extremum eſt, quàm ſuæ partes?) ſed ſatis erit ſi cognoſcatur quodammodo, ideſt ſi adumbratam, ac rudem illius intelligentiam habeamus, & quemadmodum dicitur de ſubiectis ſcientiarum, cognoſci ea antè oportere, quòd, & quid ſint. Nec partem quidem neceſſe eſt prius cognoſci, aut conſyderari; licet ad perfectam totius cognitionem neceſſaria ſit cognitio partis. Sed modò à parte, modò à toto, vnde faciliùs quis ducat, capitur initium doctrinæ: de qua re in tex. com. primo v. Poſtnaturalium, & in 2. primi Naturalium. Partem autem intelligo, quà pars eſt: ſic enim ipſa, & totum ſub eandem ſcientiam cadunt, ſimulque perfectè cognoſcuntur. At ſunt quædam partes, verbigratia elementa vniuerſi, quæ aliquando non vt partes conſyderantur, ſed vt res quædam abſolutæ. & talis ſanè earum conſyderatio, ac doctrina eodem modo abſoluta, ſeparataque eſt à conſyderatione totius. Verum de his alio loco.

Quid conficiatur hoc in loco, quid in tex. ſequenti.

Neceſſe eſt ad rempublicam ſpectantes erudire &c. Conficitur hoc theorema propriè ex ſequenti argumento, non ex eo, quod proximè ſumptum eſt, ideſt non ex hoc, quòd partis virtus ſpectet ad virtutem totius. ex hac enim proxima ſumptione euenit rectà, partium domus, quæ domus eſt pars ciuitatis, officia, & virtutes ad virtutem ipſius ciuitatis referri; atque ob hanc cauſam conſyderari illas partes perfectè non poſſe, antequam de ciuitatibus, & rebuspublicis perfectè fuerit conſyderatum. erudire & pueros, & vxores. Multa, quæ ad vxores inſtituendas faciant, traduntur à Xenophonte in Oeconomico, & ab Auctoribus primi, & ſecundi Oeconomici, eius, inquam, ſecundi Oeconomici, qui in græcis exemplaribus non reperitur, & à Platone in v. de Republica. & in vij. de Legibus. De pueris item inſtituendis Xenophon in Pædia Cyri, Plutarchus in libro huius tituli, & Plato in Theage, in Lachete, in iv. de Republica. & in primo ij. ac vij. de Legibus copioſè ediſſerunt. Qui Plato rem eſſe maximi momenti ad omnem vitæ ſtatum, ad felicitatem, ad miſeriam, ad publicas, & ad priuatas rationes hanc, quam puerorum inſtitutionem, eruditionemùe appellant, nec minus difficilem, quam pulchram iiſdem in libris oſtendit. Et cum Platone conſentit Ariſtoteles in exitu x. ad Nicomachum.

De vxorum puerorumque inſtitutionibus à quibus & vbi.

ARGVMENTVM. TEXT. CLXIV.

Secunda argumentatio, probans propriè, quod ad vxorum, puerorumque inſtitutionem attinet in conſyderanda paterna, & coniugali domus parte conſyderari perfectè non poſſe, antequam de ciuitatum, rerumpublicarumque formis, ac ſtatibus fuerit perfectè conſyderatum. Locus à fine: nam ciuitas eſt finis eiuſcemodi inſtitutionis, quemadmodum & domus, & omnium domus partium: hoc autem, vel illo modo inſtitui plurimùm intereſt ad id, vt talis vel talis ſit ſtatus ciuitatis; quandò vxores ſunt dimidia pars hominum liberorum; & è pueris viri facti in reipublicæ adminiſtrationem aſſumuntur: quocirca inſtituamus quidem vtroſque oportet ſpectando ad proprium eius ciuitatis, & reipublicæ ſtatum, in qua propriè ſit inſtitutio; & rationem inſtituendi, tradamus poſt explicatas rationes & formas ciuitatum, ac rerumpublicarum. Loci adiuncti: vnus de vxoribus, ab adiacentibus quantitatis: alter de pueris, à cauſa.

Text. clxiv. [a] Εἴπερ τι διαφέρει πρὸς τὸ τὴν πόλιν εἶναι σπουδαίαν, καὶ τοὺς παῖδας εἶναι σπουδαίους, καὶ τὰς γυναῖκας σπουδαίας: [b] ἀναγκαῖον δὲ διαφέρειν· [c] αἱ μὲν γὰρ γυναῖκες, ἥμισυ μέρος τῶν ἐλευθέρων· [d] ἐκ δὲ τῶν παίδων, οἱ κοινωνοὶ γίνονται τῆς πολιτείας.

[a] Si quidem intereſt quidpiam ad hoc, vt ſtudioſa ſit ciuitas, & pueros ſtudioſos eſſe, & vxores ſtudioſas: [b] neceſſe eſt autem intereſſe; [c] nam vxores quidem ſunt dimidia pars liberorum; [d] è pueris autem exiſtunt qui participes fiunt reipublicæ.

EXPLANATIO.

PARTES textus duæ. Prima (a) proponit connexum, vel potius priorem connexi partem, nam poſterior poſita eſt in textu antecedenti. eſt autem totum connexum huiuſmodi: Si ad ſtatum ciuitatis, vt hæc ſtudioſa ſit, aliquid intereſt pueros, & vxores ſtudioſas eſſe; neceſſe eſt vtroſque inſtituere reſpiciendo ad proprium eius ciuitatis, ac reipublicæ ſtatū, in qua propriè ſit inſtitutio. Et ex hac poſteriori parte connexi, neceſſarium eſſe vt vtroſque inſtituamus reſpiciendo &c. conficitur principalis concluſio: non poſſe rationem eos inſtituendi tradi; antequam explicentur rationes, & formæ ciuitatum, ac rerumpublicarum. Secunda pars textus (b c d) oſtendit aſſumptum: plurimùm intereſſe ad id; vt ſtudioſa ſit ciuitas, ſtudioſas vxores eſſe, ſtudioſos pueros. de vxoribus hoc oſtendit per locum ab adiacentibus: de pueris per locum à cauſa. *Partes textus.*

SCHOLIA.

Vocabulũ ſtudioſus.
Sententia huius loci.

Vt ſtudioſa ſit ciuitas &c. Vocabulum σπουδαῖος, ideſt ſtudioſus non ſolùm probum ſignificat, ſed etiam ſedulum, & diligentem, & alia multa. Sic igitur hunc locum exponimus: Vt proba ſit ciuitas; requiri probas vxores, proboſq; pueros: &, ſi vtrique alio modo fuerint inſtituti, hoc, aut illo; alius modi item futuram ciuitatem, hancque, aut illam reipublicæ formam habituram. Itaque ad proprium cuiuſque ciuitatis ſtatum aptè erudiri vxores, pueroſque oportere, quod repetetur in principio libri viij.

Loci ſimiles.

Neceſſe eſt autem intereſſe. Declarabitur hoc fuſiùs infrà in libro quinto, vbi affirmabit Philoſophus leges cuiuſuis ſtatus ciuilis vel vtiliſsimas inanes fore, ſi apta ad eum ſtatum eruditio non adhibeatur. quod ſumptum eſt ex Platonis libro iv. de Republica. & libro primo de Legibus. Cap. 9.

Locus argumenti.
Vocabula τῶν γυναικῶν & τῶν παίδων in hoc cap.

Nam vxores quidem &c. Argumentum eſt ab adiacentibus quantitatis. eſt enim vxorum adiacens è quantitatis genere, eſſe eas partem dimidiam liberarũ perſonarum, ac demum ciuitatis, vt ſcribitur infrà in ij. libro. Vxores verò τὰς γυναῖκας in toto hoc capite, & τοὺς παῖδας pueros: vt tamen hoc poſterius vocabulum filios. & qui filiorum nomine continentur, quoad ſunt in poteſtate patris ſignificat; quaſi dixeris filioſfamiliâs. Alij τοὺς παῖδας modò pueros, modò filios; & τὰς γυναῖκας aliquando vxores, aliquando mulieres reddunt latinè. quanquam non decebat eadem verba in eodem tractu orationis proximè repetita variè interpretari. Sed quomodo αἱ γυναῖκες, ſi vxores intelligas, non generaliter mulieres; dici poterunt dimidia pars liberarum perſonarum? Imò vero quî dici poterunt, ſi generaliter mulieres intelligas: quandoquidem ſeruæ etiã reuera mulieres ſunt? Ergo mulieres in vniuerſum vel ſeruæ ſunt, vel liberæ. [a] Cum ſeruis non contrahebatur matrimonium, nec connubium, ſed contubernium, vocabanturque ipſæ contubernales, non vxores: de qua re ſæpe iuriſconſulti. Liberæ ſic diſtribuuntur ab Vlpiano in l. 4. de his qui ſui vel alieni iuris: quòd quædam ſint matres familiâs, quædam ſint filiæ familiâs. Filias familiâs appellat eas, quæ ſunt in aliena poteſtate: matres autem familiâs non ſolùm eas, quę in manum conueniſſe dicebantur, [b] in quo ſignificatu vſurparunt hoc nomen Cicero, & alij antiqui, ſed omnes omnino fœminas, quæ vxores quocunque modo aut eſſent, aut fuiſſent, nuptas, aut viduas, vt traditur eodem in loco, & in l. 46. de Verb. & rerum ſignifi. ab eodem Vlpiano, & à Papiniano in l. 10 ad Legem Iuliam de adulteriis. Perpetuus enim cœlibatus Ethnicis & ignominioſus ſemper fuit, & crebris legibus interdictus. [c] quod liquet ex multis locis illuſtrium ſcriptorum, ſed præcipuè ex pulcherrima illa oratione Auguſti in cœlibes, quæ legitur ſub initium lib. lvj. hiſtoriarum Dioniſ. Itaque ſi ſeruas demas, quæ maxima capitis diminutione libertatem amiſerunt, & filias familiâs, comprehenſas appellatione puerorum ſiue filiorum, qui patriæ poteſtati ſubiecti ſunt; conuenit in reliquas mulieres vxorum vocabulum: quæ ſcilicet aut nunc ſunt, aut olim fuerunt vxores; potueruntque, aut poſſunt inſtitui appoſitè ad præſentem ſtatum ciuitatis. Hoc igitur modo rectè dicitur vxores eſſe pares viris, & dimidiam partem liberarum perſonarum, earum inquam liberarum perſonarum, quæ puerorum nomine non continentur, ideſt quæ ſuæ ſunt poteſtatis, & verè liberæ. Vxores enim ſunt quidem in manu, ideſt ſub gubernatione, & imperio, ſed non in poteſtate virorum.

Vxores quomodo dimidia pars liberorũ.
Mulierum diuiſio in ſeruas, et liberas.
Seruæ vxores non erant.
Liberarum diſtributio I matres familiâs, et filias familiâs.
Filiæ familiâs quæ.
Matres familiâs quæ.
Cœlibat[9] perpetuus Ethnicis ignominioſus, & interdictus.
Vxorum vocabulum quàm latè pateat.

a. Caius de his qui [illegible] alie. j. Vlp. de Fundo instructo l. 12. Imp. Conſtantinus de Inceſtis nuptijs l. 3. Iuſtinianus Inſtit. de Nuptijs, & Gloſſa ibi verbo Ciues, ac de Patria poteſtate verbo Nuptiæ.
b. Vide Coronemum in Topicis & Aulum Gellium lib. 18. cap. 6.
c. Plato in vj. de legib. Plutarchus in Lycurgo, in Apophtegmatis, in Inſtitutis Laconicis. Cicero in iij. de Legibus, & alij.

Vxores ſunt in manu, ſed non in poteſtate virorum.
Locus argumenti.

Et pueros autem exiſtunt &c. Argumentum à cauſa. quod Plato etiam vſurpauerat in locis ſuprà citatis, repeteturque infrà a Philoſopho in principio libri viij. Reipublicæ nanque rectores ſæpenumero in cauſa ſunt, vt conſeruetur perficiatur, corrumpatur, aboleatur præſens ciuitatis ſtatus.

ARGVMENTVM. TEXT. CLXV.

Concludens hanc diſputationem de partibus domus coniugali, & paterna, cuius diſputationis explicatum fuerit quod debuit explicari, cætera poſt commentationem rerumpublicarum tradenda ſint in Oeconomicis; proponit quæ deinceps ſunt conſyderanda, quòd quæ de optima republica ab alijs enunciata ſunt; atque ita connectit hunc librum cum ſubſequenti.

Tex. clxv. ἀλλ' ἐπεὶ περὶ μὲν * τούτων διώρισται, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ἐν ἄλλοις λεκτέον· ἀφέντες, ὡς τέλος ἔχοντας, τοὺς νῦν λόγους, ἄλλην ἀρχὴν ποιησάμενοι, λέγωμεν: καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίστης. ** δι' ὅλων Vetus interpres et D. Thomas*

Itaque quoniam de his quidem definitum eſt, de reliquis autem in alijs eſt dicendum; dimiſsis, tanquam finem habeant, præſentibus ſermonibus, aliud initium facientes dicamus: & primùm conſyderemus ea, quæ de optima republica ſunt enunciata.

S C H O L I A.

De his quidem definitum eſt. Quænam ſunt hæc, de quibus eſt definitum? nempe quæ ſunt tradita in tex. 140. 141. 142. 143. attinentia ad hanc diſputationem de paterna, & de coniugali domus parte. Illa enim tradi potuerunt, antequam de formis, rationibusq; rerumpublicarum, ciuitatumq; diceretur: verbigratia has duas ſocietates eſſe partes domus, rationisque domeſticæ: tum quæ ſint earum inter ipſas, & cum dominica domus parte ſimilitudines, atque diſsimilitudines: adhæc ſimilitudines quædam, atque diſsimilitudines inter ciuile coniugaleque, & inter paternum ac regium imperium, quæ ſatis notæ eſſe poterant ante rerumpublicarum conſyderationem: quædam item ſimilitudines, atque diſsimilitudines, quæ notæ eſſe poterant ante conſyderationem rerumpublicarum, inter ciuilis, coniugaliſque imperij; paternique, & regij: demum quàm potiores, accuratioreque ſtudio dignæ ſint hæ duæ partes aliis duabus. *Quæ ſint ea de quibus eſt definitum.*

De reliquis autem &c. Reliqua ſunt illa capita de virtutibus, officiisq; propriis perſonarum has duas ſocietates conſtituentium, de quibus diximus in cõmentatio 163. Illa enim definiri non poterant, antequam de rerum publicarum formis, & rationibus, in quas inſpiceretur, dictum fuiſſet. *Quæ reliqua*

In alijs dicendum eſt. Hoc eſt in Oeconomicis. ſunt nanque Oeconomica verè alia, & diuerſa à Politicis. *Alia ſunt Oeconomica.*

Dimiſsis, tanquam finem habeant, præſentibus ſermonibus. Qui ſermones fuerunt de principio ciuitatis materiali. *Principium ciuitatis, materiale, & formale.*

Aliud initium facientes. Nam quæ deinceps dicentur pertinent ad principium formale.

Finis Primi Politici.

BIBLIOTECA NAZ...

FERRARIÆ,
Typis Victorij Baldini
Ducalis Typographi.
M. D. LXXXVII.

Dominorum Superiorum obtenta facultate.

INDEX

SIGNA.

Numerus Paginam notat, p. principium paginæ, m. medium, f. finem, præf. præfationem.

ABDICATIO filiorum ſine cauſa 443. f.
Abdicatio apud Græcos quando 447 f.
Abdicatio patriã poteſtatem ſoluat nè. 446. f.
Abdicationis ſignificatio. 446. p.
Abrahami familia. 43. f.
Abuſus præſtantioris deterior. 376 p.
Acciaioli lapſus. 79 p f. 244. p.
Acciaiolus de ſerui genere. 152. p.
Accidentia cõiter ſingularibus omnibus à cauſa cõi. 91. f.
Accidens opponitur ei quod eſt per ſe. 181. f.
Accidentia propriè vbi. 181. f.
Accidentium in ſpecie vna varietas vndè. 213. f.
Accipiter ſanguinarius cur. 68. p.
Accuſationes ſeruorum apud Athenienſes. 145. m.
Acquiſitioni { Adnectantur / ſubſint } quæ. 247. p.
Acquiſitiones ex alimentorum ſpeciebus variantur. 282. f. 283. p.
Acquiſitio ab alluuione. 263. f.
Acquiſitioni amiſſio opponitur quodammodo. 249. m.
Acquiſitio ex captura. 263. f.
Acquiſitio conſiſtat quo. 247. p.
Acquiſitionis { diuiſio iuriſconſultorum, & modi. 262. f. / modi qui ſint Philoſophici. 264. f. }
Acquiſitioni { dominium / poſſeſſio } cohærent. 247. p.
Acquiſitionis forma à dominij forma nè? 248. m.
Acquiſitio { per generationem / per quaſi generationem } 263 f.
Acquiſitio ex iure ciuili philoſophica non eſt. 265. m.
Aſquiſitio ex iure { gentium / naturali } quæ. 263. p.
Acquiſitionis modi à Philoſophis conſiderati. 265. p.
Acquiſitio ex occupatione iuris cuius. 263. p.
Acquiſitio. / Poſſeſſio. / Vſus. } ordine inter ſe quo. 241. p.
Acquiſitio ex traditione quæ. 264. f.
Actio vide ago.
Actum poteſtas reſpicit. 178. f.
Actus { primus / ſecundus } conſiderantur in omnibus neceſſariò. 146. f.
Actus primus eſſentia eſt. 146. p.
Actus { primus / ſecundus } inuicem ſe habeant quomodo. 86. p.
Actu { primo / ſecundo } res { conſtant. 81. f. 146. p. / definiuntur. 86. p. }
Actus primus ſine ſecundo interdum vbi. 146 p.
Actus ſecundi cognitio qualis. 147. m.
Actus ſecundus operatio eſt. 146. p.
Actus ſecundus perpetuus vbi. 146 p.
Actum / Potẽtiam } ſignificantium vocabulorum differentia. 9 f.
Actus vis ad { cognitionem / exiſtentiam } 146. p.
Actus pro actione vide Ago.
Adæ de Deo contemplatio. 305 f.
Adæ peccatum actuale ſeruitutis cauſa cuius. 137 f.
Adæ peccatum malorum radix. 187. p.

I N D E X.

Adam, peccati originalis cauſa. 187.f.
Adæ peccatum ſeruitutem duplicem induxit. 187.m.
Admonitio ſiue ratione non ſuſcipitur. 496.p.f.
Adoleſcentium ſocietas qualis. 8.p.
Adoptio poteſtatem patriam ſoluat nè. 446.f.
Adſcriptitij ſerui. 225.p.m.
Aduentitia bona, vide bona aduentitia.
Adulterium contractus qui. 322.f.
Adulterio maritus interficere deprehenſam poteſt nè. 450.
m 451.m. iure Pontificio. 451.m.
Adulterarum pœna Germanis. 451.f.
AEdiculæ priuatæ. 267.f.
AEgyptij vendiderunt ſe Pharaoni. 194.f.
AEquitas.
Lex in ciuitatis definitione. 47.p.
AEqui.
Boni notitia, iuriſprudentia malè dicitur. præf. 15.p.
AEquinoctè eſſe quid. 85.f.
AEra in numo priſcis quid. 347.m.
AEs nimis ingeneratum Platoni quid. 229.m.
AErariæ vocabulum Græcum. 273.p.
AEternum præter naturam eſſe nequit. 302.m.
AEthiopes de filijs ſeruituti tradendis. 295.p.
AEthiopum permutatio. 339.m.
Affectiones primæ naturalium rerum à natura quomodò.
52.p.
Affectus artificio non obeſt, ſed ſeruituti. 493.m.
Affectus à Lactantio augentur. præf. 12.f.
Αγελαῖα animalia. 70.p.
Agilitas corporis porrectioris eſt. 181.p.
AGO, ACTIO ACTVALE, ACTVS.
Actiuorum in agente principium. 130.p.
Actiuum.
Effectiuum ab Ariſtotele tractantur. 132.f.
Actionis bonum finis. 2.p. 3.p.
Actio (verè & propria) cognitione indiget. 235.m.
Actionis conſideratio perfecta quæ. 147.m.
Actionis κλήματα omnia inſtrumentum. 139.f.
Actio definitur. 139.p.
Actio à deſiderij forma aliqua. 18.p.
Actionis.
Effectionis differentia. 138.p.f. 139.p. 229.p.
Ab expoſitoribus malè aſſignatur. 140.p.
Alexandro.
Galeno.
Quintiliano. 132.m. 137.p.
Actiuorum.
Contemplatiuorum differentiæ duæ. 130.m. 131.p.
Actiuorum diſtributio. 131 p.
Actiuorum electio cauſa efficiens. 131.m. 139.p.
Actionis / Effectionis { Finis / Principium / Res ſubiectę } differunt 138.f. 139.p.
Actiuorum.
Effectiuorum finis ſummus. 151.f.
Actiui.
Contemplatiui } generis diſtinctio. 130.m. 131 p.
Actio humana vide hominis actio.
Actio inſtrumentum vide inſtrumentum actio.
Agenda mens facit, & natura contemplanda. 130.f.
Actioni opus ſupereſſe quomodo accipiendum. 136.f.
Actioni poteſtas refertur. 147.f
Actionis.
Operis præſtantia vnde. 160.p.m.
Actionum prauarum genera.
Gradus. 100.m.
Actio propriè de quibus.
Vſus. 137.f.
Actionis ratio propria quæ non ſint. 140.m.
Actiua / Effectiua } ratio idem non ſunt In quo. 229.p.
Actiuis ſcientia quid. præf. 7.m.
Actio ſerui, vide ſerui actio.
Actiui / Effectiui } ſignificatio { latiꝰ et preſsius. 130.m. 131.m. / ſecundũ Philoſophos. 131.m. / ſecundum Alexandrum, Galenum, Quintilianum. 132.m. 137.p.
Actioni ſocietas hominum quæuis deſtinatur. 31.f.
Actionum ſocialium lex principium primum. 55.f.
Actualium / Cõtemplantium. / Effectricium. } facultatũ ſimilitudo. 228.f. 388.f.
Αγοραστικὰ. 257.f.
Agricultura alimentarijs omnibus anteponenda. 394.f.
Agricultura { apum paſtioni / pecuariæ } præſtat. 422.p.m.
Ad agriculturam argenti fodinas pertinere Varo negat.
417.p.
Agricola bonus, vir bonus ex Catone. 291.m.
Ad agriculturam bos pertinet quomodo.
Pecuariam. 407.f.
Agricolæ ciuitatis participes. 64.m.
Agricultura definitur ex Varone. 408.f.
Ager dictus vnde. 408.p.
Agriculturæ diuiſio Catonis reprehenditur. 408.p.
Ex Varone. 408.f.
Agrorum diuiſio quo iure à iureconſultis. 295.m.
Agriculturæ { finis ex Varone / principium } 408.f.
Agriculturæ forma. 289.m.
Agricultura { Gallorum. / Germanorum. } 409.p.
